9, 18. L. 4

No 1689

Digitized by Google

Digitized by Google

Gonzalez de Santalla Thyrso

NO

Digitized by Google

Gonzalez de Santalla Thyrso

DE INFALLIBILITATE
ROMANI PONTIFICIS
IN DEFINIENDIS FIDEI ET MORVM CONTROVERSIIS

Extra Concilium generale, & non expectato Eccleſię conſenſu, contra recentes huius infallibilitatis Impugnatores

TRACTATVS THEOLOGICVS

AVTHORE

P. THYRSO GONZALEZ DE SANTALLA

PRÆPOSITO GENERALI SOCIETATIS IESV

Olim in Salmanticenſi Accademia primario Sac. Theologiæ Profeſſore.

9
18
L
4

ROMÆ, M·DC·LXXXIX·
Sumptibus Felicis Cæſaretti ſub ſigno Reginæ.

SVPERIORVM FACVLTATE.

Digitized by Google

Digitized by Google

INNOCENTIO XI.

PONTIFICI OPT. MAXIMO.

Thyrſus Gonzalez Præpoſitus Generalis Soc. IESV, poſt Sanctiſſimorum Pedum oſcula felicitatem æternam.

BEATISSIME PATER.

ETSI ad omnes, qui Chriſtianam profitentur militiam, communiter ſpectat, pro Romani Pontificis authoritate decertare; Societas tamen IESV ad Apoſtolicam Sedem aduersùs illius obtrectatores pro virili tuendam, peculiari quàm arctiſſimo iure ſeſe obſtrictam intelligit. Vrgetur enim propriè, nec paucis, nec exigui ponderis nominibus, ad hoc officij genus præſtandum. Vrgetur natiuo Ignatij Parentis ſui ſpiritu, qui iuratum erga Petri Succeſſores obſequium, germanam, peculiaremque eſſe voluit Religioſi huius agminis ſui notam. Vrgetur domeſticis tot ſuorum exemplis, qui Romanæ Sedis defenſioni, non vitæ duntaxat labores, ſed & vitam ipſam ſtrenuiſſimè dimicando

impenderunt. Vrgetur præclaris ampliſſimorum Virorum iudicijs: quorum omnium locò vnus eſſe poteſt, tuus olim in ſupremo Eccleſiæ Principatu Deceſſor meritiſſimus Clemens VIII. eouſque in Sodalitatis noſtræ laboribus ęſtimandis commendandiſque progreſſus, vt eam (abſit verbo inuidia) *Dexterum Sedis Apoſtolicæ Brachium* palàm vocauerit.

Apud Suarez de inſtit. Soc. lib. 1. cap. 7. n. 5.

Quid multa? Ipſiſmet ad hoc munus animosè nauiterque obeundum Hæreticorum vrgetur conuitijs, vel, vt veriùs dicam, encomijs: dum, quod nemo noſtrum, vt ambitioſiſſimus ſit, de ſe profiteri audeat, *Romani nos Epiſcopi Euangeliſtas*, *Papiſmi medullam*, & *Pontificatus Atlantes*, per honorificentiſſimam contumeliam appellant. Vt ſanè, niſi à paternis inſtitutis, & priſtina virtute deficere, ſplendidaque, tum amicorum, tum hoſtium iudicia ignominiosè fruſtari velimus; in Pontificia dignitate aſſerenda, quidquid laborum ac dimicationum res tulerit, alacri animo ſuſcipere, fortiterque exhaurire cogamur. Atque vtinam, cum Hæreticis tantùm hæc nobis ineunda forent certamina, nulluſque niſi ab immanibus lupis, in ſupremum Chriſtiani Gregis Paſtorem impetus! Sunt (quod ſine dolore commemorari non poteſt) ex ipſarũ numero ouiũ, qui ſuam, gregiſque vniuerſi incolumitatẽ & ſecuritatem, in Paſtore ipſo laceſſere non dubitent.

Quid

Quid ego aliud de illis cenſeam, qui nuperam declarationem Gallicani Cleri nomine inſignitam reueriti, contendunt, authoritatem falli neſciam, Romanorum Pontificum Decretis, à Concilijs Generalibus, aut totius Eccleſiæ conſenſu expectandam eſſe? Hic exclamet Nazianzenus Doctor: *Nauigatio in nocte, Pharos nuſquam, Chriſtus dormit: O rem ancipitem! quo nos vertemus?* Quando ſcilicet, ſuam Eccleſię offundente noctem Hęreſi, ſpes lucis nulla, niſi à Generali Concilio, aut à totius Eccleſiæ conſenſu. O ſpem longam, atque difficilem! Interea fluctuare iubetur Petri nauis in tenebris, ſcopulos inter atque ſyrtes, & dormire Chriſtus, poſt illa tam magnifica: *Tu es Petrus*: *Tu paſce*: *Tu confirma*, & hoc genus alia. Hæc ego reputans animo, Beatiſſime Pater, ſimulque obuerſante oculis graui Conſtitutione Sancti Fundatoris noſtri, Sedis Apoſtolicæ obſequijs Societatem deuouentis, iuſto exarſi deſiderio, caput hoc objiciendi telis, quibus illa peteretur, palamque declarandi, conſtare etiam hoc tempore Societati, Doctrinam Spiritumque Maiorum, tot librorum monumentis Orbi teſtatum. Hoc ipſum, vt me præcipuè decet, ità voluit Diuina Prouidentia, vt non impedirer gubernatione ipſa Societatis, quò minùs præſtare poſſem; cùm in promptu eſſent, quæ commentatus eram pridem Salmanticæ, vbi in communi Academię

Epiſt. 29. ad Eudoxium.

fremitu

Digitized by Google

fremitu, aduersùs nouos Articulos non mihi temperaui, quin contrà voce & ſcripto occuparem diſcipulorum animos, atque inſtruerem luculentè: Quod huic apparatui deerat ſupremæ operæ, conferre à me ſubſeciuis horis, etiam neceſſariæ quieti ſubtrahendis, cauſa erat grauiſſima. Hoc obſequium Apoſtolicæ Sedi, hoc Societati exemplum debebam, quo perennaret in ipſa, virorum longus ordo, idem petentium decus, Romanæ Cathedrę deuotorum.

Tibi, Beatiſſime Pater, quidcumque eſt operis profundè inclinatus ſiſto ac ſubmitto, cuius de Sacris in Eccleſia Controuerſijs ſupremum eſſe iudicium Chriſto Authore accepi. Si quid aptè aut ſecus de re exploratiſſima diſſerui, Tuo iudicio ſtabit, cadetque. Quod ad ſummum attinet, hęc eſt doctrina, quam in Eccleſia Catholica didici: hæc eadem Societatis Ieſu eſt doctrina: Si quis in Societate eadem (non ſinat Diuina Bonitas) ab hac doctrina exoriatur alienus, hunc ſuum eſſe neget illa, Tuoque nutu, haud ſecus atque corpus exanime Oceanus, eijciat, ſterilique in littore deſtituat. Doctrinam eandem ſonet, quam latè patet, orbis Chriſtianus, & quem à Chriſto Paſtorem Doctoremque accepit, prædicare non erubeſcat. Hoc dum voueo, Eccleſię Catholicæ precor membrorum omnium in orthodoxa fide ſtabilem inuictamque compa-

gem:

gem; Apoſtolicæ Sedi largis riuis dimanantem ad omnes doctrinę ſalubritatem: Tibi, Beatiſſime Pater, felicis Eccleſię Paſtoris conditiones omnes ab Ezechiele deſcriptas, *vt quod perierat requiras, & quod abiectum erat reducas, & quod confractum fuerat alliges, & quod infirmum fuerat conſolides, & quod pingue & forte cuſtodias*: vt denique Fidelium Paſtor & Rector Deus, Te famulum ſuum Innocentium, quem Eccleſiæ ſuæ pręeſſe voluit, propitius reſpiciat, Tibique det non *exemplo* ſolum virtutum omnium, quod oculis læti vſurpamus; ſed etiam *verbo*, doctrinaque Authoritatis ſupremę, *proficere*, & magnis populorum acceſſionibus aucta Eccleſia, ad vitam vna cum grege Tibi credito peruenire ſempiternam.

Digitized by Google

PRÆFATIO

Cauſas exponens, quibus Author ad ſcribendum inductus eſt: & argumentum Operis explicans.

1. PRodijt Pariſijs Anno 1682. Illuſtriſſimi Gallicani Cleri nomine, de Eccleſiaſtica poteſtate Declaratio, quatuor propoſitiones complexa. Vix ea in Hiſpaniam peruenerat, cum omnium animos admiratione compleuit. Eram ego tunc temporis Salmanticæ publicus Theologiæ Scholaſticæ ex Cathedra primaria profeſſor, meminique Academiam Vniuerſam non ſine acri quodam ſenſu quartam in primis Propoſitionem audijſſe, quæ Romano Pontifici plenam propriamque in Fidei & morum controuerſijs, citra erroris periculum definiendis, ac Dogmatibus Petri ex Cathedra toti Eccleſiæ proponendis authoritatem negat. Adeò ſcilicet altè ſupremi hæc Antiſtitis decretoria poteſtas Hiſpanorum Theologorum in animos deſcendit, intimiſque eorum iudicijs tenacitèr hæret, vt quidquid ipſi aduerſetur nequaquam beneuolis auribus excipiant. Nam cum Theologorum Principe D. Thoma 2.2. quæſt. 1. art. 10. habent omnino certum, *attinere ad authoritatem Romani Pontificis determinare ea, quæ ſunt Fidei, vt ab omnibus inconcuſſa fide teneantur, ad illumque maiores & difficiliores cauſas referri, vt dicitur cap. Maiores de Baptiſmo: ideoque Lucæ 22. Dominum Petro dixiſſe, quem Summum Pontificem conſtituit,* Ego rogaui pro te Petre, ne deficiat Fides tua, & tu aliquando conuerſus confirma fratres tuos. *Et huius rationem eſſe, quia vna Fides debet eſſe totius Eccleſiæ, ſecundum illud ad Corinth.* 1. Id ipſum dicatis omnes & non ſint in vobis ſchiſmata. *Quod ſeruari non poteſt, niſi quæſtio Fidei de Fide exorta, determinetur per eum, qui toti Eccleſiæ præeſt; vt ſic eius ſententia à tota Eccleſia firmiter teneatur.*

2. Hanc doctrinam, cum penitus inditam mentibus, Salmanticenſes Magiſtri & Doctores haberent, offenſi non mediocriter ſunt ea Propoſitione, qua re ipſa ſtatuitur in Fidei dijudicandis Controuerſijs, Romani Pontificis iudicium nequaquam extra omnem falſi aleam conſiſtere, quatenus illius præciſè iudicium eſt, niſi Generale Concilium, vel vniuerſa idem ſentiat Eccleſia: quæ quia in credendo falli tota minimè poteſt, ſi Pontificijs definitionibus tamquam Fidei Decretis ſubſcribat, ſuam in eaſdem infallibilitatem deriuat. Propoſitione enim illa quarta aſſeritur, *In Fidei quoque quæſtionibus præcipuas Summi Pontificis eſſe partes, eiuſque Decreta ad omnes, & ſingulas Eccleſias pertinere; nec tamen irreformabile eſſe iudicium, niſi Eccleſiæ conſenſus acceſſerit.* Et ſanè multò Pontificiam authoritatem grauius oppugnat, quàm Conſtantienſis ſeſſ. 4. & Baſileenſis Conuentus Decreta: cum hæc non niſi certis quibuſdam, vt aiunt, atque extraordinarijs caſibus; illa verò vbique & perpetuò Romanum Pontificem Concilio Eccleſiæque ſubijciat.

3. Quo circa mirandum non eſt, quod declaratio illa multorum Salmanticæ excitauerit zelum, vt ad Pontificiæ authoritatis defenſionem calamum ſtringerent. Docebat tunc, publicus Academiæ Profeſſor ſacrarum litterarum in Cathedra, Eminentiſſimus, nunc Cardinalis Aguirre, ſua Orbi luce ſat notus: Docebam & ipſe in eiuſdem Academiæ Cathedra primaria: & magna inter nos intercedebat amicitia. Ego qui probe noueram magnam Viri eruditionem, ad ſcribendum maxime promptam, tot voluminibus editis comprobatam; & qui inſuper ſciebam nullum eſſe tunc temporis inter Salmanticenſes Theologos, qui tantum ſtudij adhibuiſſet in Concilijs, in Patribus, & hiſtoria Eccleſiaſtica, quantum ille; ipſum amicè hortatus ſum, vt Commentarios, ſeu Theologiam Sancti Anſelmi, cuius iam duo volumina impreſſerat, & tertium prælo parabat, tantiſper abrumperet, & ad defenſionem Pontificiæ poteſtatis animum calamumque transferret. Nec multis opus fuit in hoc ſuadendo Homini Sedis Apoſtolicæ ſtudioſiſſimo, & qui iam forſan id animo meditabatur. Statim opus aggreſſus eſt, & mira celeritate eodem anno 1682. ſex Menſium ſpatio librum *Defenſionis Cathedræ S. Petri*, tanti Viri eruditione & ſapientia dignum,

abſol-

abſoluit, eiuſque impreſſionem inchoauit Menſe Decembri eiuſdem anni 1682. priuſquam vllus Profeſſor illius Academiæ contra illam Declarationem tractatum aliquem conficere potuiſſet.

4. Poſtea verò ego pro mea tenuitate duobus annis de authoritate Romani Pontificis in Schola Salmanticenſi Diſcipulis meis dictaui: præcipue verò inſtiti in comprobanda Infallibilitate Romani Pontificis, eiuſque authoritate ſuperiori omnibus Concilijs. Ad hunc autem laborem ſuſcipiendum impulit, tum Societatis Ieſu Inſtitutum ad Sanctæ Sedis defenſionem à Sancto Patriarcha noſtro Ignatio deſtinatū; tum munus Primarij Profeſſoris in illa Academia authoritati Pontificiæ dignitatis addictiſſima. Idem zelus excitauit Primarium Iuris Pontificij Anteceſſorem, vt vocant, D. Andream Garçia de Samaniego Virum in ea facultate præſtantem, vt poſt editum Tomum Eminentiſs. Cardinalis Aguirre, doctrinam oppoſitam Declarationi Cœtus Pariſienſis per biennium in Scholis dictaret.

5. Quæ cum ita ſint, obſtupui, cùm mihi innotuit, dictitatum à nonnullis Romæ fuiſſe, quod Eminentiſſimus Aguirre librū ſuum cui titulus, *Defenſio Cathedræ S. Petri contra Declarationem Cleri Gallicani*, magna ex parte ex meis manuſcriptis compilaſſet; grauiterque dolui de enormitate calumniæ, quæ cùm nulli poſſit eſſe notior, quàm mihi, ſanctè proteſtor atque declaro, Eminentiſſimum Cardinalem non fuiſſe adiutum vlla ex parte meis manuſcriptis in ſcribendo libro illo, ſed nec illis adiuuari potuiſſe. Notum quippe eſt Salmanticenſi Academiæ, ante id tempus, me in Scholis tractaſſe controuerſias alias planè diuerſas ab his; Deumque teſtor nulla ſcripta mea anteriora fuiſſe, quibus Eminentiſſimus Cardinalis in ſcribendo illo Opere iuuari poſſet.

6. Iam verò ſi de illis manuſcriptis ſermo ſit, quæ ego pro authoritate Romani Pontificis dictaui in Scholis, certiſſimum pariter eſt, & toti Academiæ Salmanticenſi notum, illis Eminentiſſimum Cardinalem non potuiſſe iuuari; imò nec manuſcriptis alicuius Doctoris, vel Magiſtri in illa Academia dictatis contra Propoſitiones illas Cleri Gallicani. Ratio eſt manifeſta, quia contra Declarationem illam, quæ prodierat Menſe Martio anni 1682. non potuit quidquam in Scholis dictari, niſi poſt feſtum Sancti Lucæ,

Digitized by Google

idest post diem 18. Menſis Octobris eiuſdem anni; quando Schola Salmanticenſis aperitur, & incipit Curſus Academicus. Iam tum autem Eminentiſſimus Cardinalis habebat Tomum ſuum iam prælo paratum, vt patet ex approbationibus Cenſorum, & facultatibus Superiorum Operi præfixis. Quandoquidem opus illud approbarunt Doctores Ordinis die 10. Nouembris, & facultas imprimendi à Generali Ordinis data eſt die 21. eiuſdem Menſis, ab Illuſtriſſimo vero Epiſcopo Salmantino 3. Decembris eiuſdem anni 1682. cœpitque exinde ſtatim liber imprimi. Legenti quoque hoc meum Opus, & Diſputationem eius ſecundam, quam ego primam in Scholis dictaui, & conferenti cum eruditiſſimo Opere Eminentiſſimi Cardinalis, euidentiſſimè patebit, illum ex meis ſcriptis nihil deſumpſiſſe; cum potuerim ego ex lectione libri ipſius multum proficere. Quamuis autem, cum primum audiui hanc fabulam, mihi videretur ſolo digna contemptu, & riſu excipienda, poſtquam tamen animaduerti illius tam inſolentem progreſſum, vt incautum aliquem fallere fortaſſe poſſet, iudicaui ſanè non eſſe contemnendam, mihi potiſſimum, quò alius nemo ad eam eneruandam & frangendam eſſet inſtructior. Re igitur cum Eminentiſſimo Cardinali communicata hoc officium præſtiti veteri amicitiæ noſtræ & coniunctioni ſtudiorum, quod neque inimico denegari Chriſtiana Charitas, & ſinceritas permiſiſſet.

7. Iam ad ſcopum noſtrum redeamus. Notum fuit multis etiam præcipuis in Aula Romana Viris; me Salmanticæ authoritatem Romanæ Sedis ſcripto propugnaſſe. Veni Romam ad Generalem noſtri Ordinis Conuentum, cui me, quamuis immerentem, Vniuerſæ Societati præficere viſum eſt. Qui nouerant me de authoritate Romani Pontificis in Scholis multa dictaſſe, requirebant ſæpe, cur meas hac de re elucubrationes typis non vulgaſſem? Hoc autem falsò tribuebant pudendæ nobis politicæ, quaſi me Moderatores mei ne imprimerem cohibuiſſent. Idemque non obſcurè ſuſpicati ſunt alij primariæ authoritatis Viri, cum ab electione mea mihi ſæpius inculcarēt, nunc demum à nemine poſſe impediri me, quominus imprimerem, quæ ad Apoſtolicæ Sedis Defenſionem paraueram: His ego palam veritatem exponens reſpondi, me nun-
quam

quam à Societate fuiſſe impeditum quominus imprimerem de Infallibilitate Romani Pontificis, eiuſque omnibus Concilijs ſuperiori authoritate; ſed non impreſſiſſe, quod re vera non potuiſſem, pondere occupationum oppreſſus, Miſſionibus, Lectionibus, frequentibus in Curiam Matritenſem ad varia negotia peragenda excurſionibus, longaque ibidem mora æſtiuo tempore, quo Lectiones Academiæ ceſſant. Sciebam quoque à multis, etiam cordatis Viris Societatem hoc tempore traduci, quod nullus ex illa nunc eſſet, qui Defenſionem Sanctę Sedis tàm acriter impugnatæ ſcribendo ſuſciperet; quam tamen antiquiores noſtri Bellarminus, Suarius, Valentia, Gretſerus, Becanus, alijque quamplures, & non multis ab hinc annis in ſua non minus neruoſa, quam eleganti Tridentini Concilij Hiſtoria Sfortia Cardinalis, magno Eccleſiæ commodo, & Societatis gloria ſuſcepiſſent.

8. Commouebat hoc meum animum vehementer: præſertim cùm timere poſſem, ne Sanctiſſimo D. N. INNOCENTIO XI. ſignificatum eſſet, me hactenus à Moderatoribus meis prohibitum fuiſſe, ne in lucem darem, quæ Salmanticę commentatus fueram ad Sanctæ Sedis defenſionem: quod quamuis à vero alienum planè foret, apud aliquos temen veri ſpeciem habere poterat. Optabam ergo vehementer arceri procul ab Ordine noſtro notam ignominiæ tam grauem, nullique parcere labori, vt Religioſa familia mihi commiſſa antiquam ſuam gloriam *defendendi ſacra Sedis Apoſtolicæ Iura* integram conſeruaret.

9. Ac in primis quidem curæ mihi fuit Societatem Galliæ ab inuidia Declarationis Cleri Gallicani liberare; & in hunc finem multa coram primarijs viris, arrepta occaſione, adduxi, quibus conſtare poterat, alieniſſimam eſſe Societatem etiam in Gallia à Doctrina illius Declarationis, nec in eius aſſenſum vnquam trahi potuiſſe; quod his ſuadebam argumentis. Nam in primis Author Vindiciarum doctrinæ Maiorum Scholæ Pariſienſis, qui anno 1683. eam diſſertationem edidit, vt doctrinam illius declarationis paulo ante publicatæ tueretur contra Cenſuram Hungaricam, in notis aduerſus illam Cenſuram, ſententias de infallibilitate Romani Pontificis eiuſque ſuperiori authoritate in omnia Concilia, aliaſque his affines

appel-

appellat *hæreſes Ieſuitarum*, ad quas defendendas ex quarto ſuæ Profeſſionis voto adſtringantur; & Ieſuitas tanquam hoſtes coniuratos doctrinæ illius declarationis citat, & in eos ea de cauſa inuehitur; quod profecto non feciſſet, ſi eos doctrinam illius Declarationis amplecti cerneret aut probare.

10. Secundò, Author Galliæ vindicatæ, Doctores recenſens, qui propoſitiones ex diametro oppoſitas propoſitionibus quatuor Cleri Gallicani totis viribus defendunt, ſic de noſtris loquitur: *Patres Societatis, non in Gallijs tantum, ſed toto terrarum orbe infallibilitati ſubſcripſiſſe adeo notum eſt, vt nulla probatione indigeat. Poſt Regiam vero Declarationem certum eſt, Patres Societatis nunquam induci potuiſſe, vt contra infallibilitatem Pontificiam aliquid decernerent, licet id Regio edicto caueretur. Quod vero ſiluerint, nec calamum pro Pontifice ſtrinxerint, id fortè tempori datum, expectatumque, dum torrens laberetur, vt mora periculum vaneſceret. Nam & Luſciniæ cantum hyeme abrumpunt, vernis ſolibus repetituræ, æſtatem ergo Societas expectat hyemi ſucceſſuram, & tunc canet.* Reuera tamen neque hoc tempore Societas omnino ſiluit: Nam P. Nicolaus Maria Pallauicinus in egregia *Defenſione Pontificatus Romani* tribus magnis tomis comprehenſa, & quatuor circiter ab hinc annis Romæ impreſſa, in qua vniuerſim cum Apoſtolicæ Sedis aggreſſoribus explicataque velut acie conflixit, infallibilitatem etiam Romani Pontificis propugnauit, eiuſque authoritatem ſupra omnia Concilia. Hæc & alia adducebam, vt Religioſum Ordinem mihi commiſſum hac inuidia liberarem.

11. Vnum tamen fateor promptum mihi non fuit omnino diluere, quod ſcilicet, cum poſt declarationem illam Cœtus Pariſienſis Ludouicus Maimburgus, & Ludouicus Ellies Dupin, atque alij claſſicum cecinerint aduerſus Romanam Sedem, nemo de noſtra Societate, ad illius defenſionem à S. Ignatio præcipuè inſtituta, in pugnam contra illos prodierit, vt ipſorum impetum frangeret, & directa immediatè contra illos diſſertatione, ſingulari quaſi certamine aggreſſus fuerit; alijs præſertim tam è Religioſis Ordinibus, quàm ſeculi Viris in Sanctæ Sedis auxilium conuolantibus. Huic etiam præiudicio conatus ſum obuiam ire ratione non contemnen-

da

da, inde petita, quod ad ſcribendum hoc tempore non ſufficiat antiquia in medium producere; ſed neceſſe eſt ea, quæ à prædictis Gallicis Scriptoribus in defenſionem illius declarationis denuo ſcripta ſunt, refutare: id autem in Hiſpania & alijs Regionibus, in quibus lingua Gallica ignoratur, fieri non potuit; cum illi has controuerſias Gallico ſermone exponant; Liber verò à Dupin latinè vulgatus; vtpote ſpeciali Decreto confixus, peruenire nequaquam potuerit ad manus Theologorum Societatis, liberè ab ijs impugnandus. Sed cum hæc ratio nec alijs, nec mihi plene ſatisfaceret; quandoquidem extra Galliam ab alijs præſtitum eſt; neceſſarium omnino duxi è Societate nunc prodire librum, qui authoritatem Romanæ Sedis aduerſus recentes eius impugnatores defenderet. Et cum ſępe mecum cogitarem cui potiſſimum hoc munus ſcribendi iniungerem; quamuis non dubitarem multos eſſe in ſocietate præſtantes viros, qui magna cum laude illud explere poſſent; in hoc tamen rerum ſtatu & tempore, non occurrit mihi alius, à quo celerius & facilius hoc officium præſtari poſſet, quam à me, qui duorum annorum ſpatio has controuerſias tractaueram, & non modicum apparatum ex Patribus, ex Concilijs, ex hiſtoria Eccleſiaſtica, & ex Doctoribus omnis generis habebam ad opus prompte conficiendum. Idque mihi viſum fuit etiam maximè conuenire: Nam præſtari hoc ab eius Præſide erat Societati honorificentius, & ad teſtandum eius obſequium erga Sedem Apoſtolicam efficacius, atque validius ad alios commouendos.

12. Decreui igitur ea, quæ olim in ſcholis paraueram, augere & perficere, vt non ſolum verbo, ſed exemplo ſocietatis homines ad Sedis Apoſtolicæ iuxta noſtrum inſtitutum defenſionem excitarem, & publico aliquo monumento teſtarer, Religioſam hanc familiam, glorioſo nomine Societatis Ieſu à Romanis Pontificibus decoratam, & à Deo deſtinatam in ſubſidium militantis Eccleſiæ, à ſpiritu maiorum ſuorum non deſciuiſſe, aut oblitam eſſe muneris ſui: Quod nullo argumento efficacius perſuaderi poteſt, quam ſi omnes videant, eius Præpoſitum Generalem ne aſſiduis quidem tot ſui regiminis curis ſe ſatis impeditum reputaſſe, quin ſubſeciuas horas ſui muneris occupationibus vacuas auide quæreret, & quieti ſubtra-

Digitized by Google

ſubtractas in Apoſtolicæ Sedis defenſionem conferret. Quamuis enim hanc prouinciam nunc primum aggredi, & nouum quaſi ædificium à fundamentis erigere, in tanta negotiorum mole arduum plus nimio, & ſupra vires conantis fuiſſet; ædificio tamen iam adeo prouecto, & quoad præcipuas eius partes compacto, faſtigium imponere facile mihi erat, citra mei muneris negligentiam. Hactenus cauſas ſcribendi expoſui: reſtat vt materiam huius tractatus, eiuſque præcipuum ſcopum inſinuem.

13. Quam ex quatuor propoſitionibus præcipue Salmanticæ admirationem commouiſſe dixi, ea ipſa eſt huius ſcriptionis argumentum præcipuum, cui propterea titulum hunc præfixi *De infallibilitate Romani Pontificis ad definiendas fidei & morum controuerſias extra Concilium generale, & non expectato Eccleſiæ conſenſu.* Opus ergo iſtud in id totum incumbit directè & potiſſimum, vt authoritatem Romani Pontificis nulli obnoxiam errori vendicet in definiendis controuerſijs fidei & morum: alteram vero quæſtionem de eiuſdem authoritate Concilijs generalibus ſuperiore eatenus attingit, quatenus ad comprobandam infallibilitatem ſeruit. Quamuis autem in hoc opere de ſuperioritate in Concilia ſolum indirecte & ſecundariò agatur; multa tamen ad id comprobandum argumenta breuiter conficiuntur, quia ex hac ſuperiori authoritate manifeſte infallibilitas demonſtratur: vt enim ſæpe in hoc opere oſtendo, quamuis ad defendendam infallibilitatem Romani Pontificis non ſit neceſſarium aſſerere, illum in nullo caſu ſubeſſe Concilio; tamen ex eo quod ſit ſupra omnia Concilia, manifeſte conſequitur, eius iudicium eſſe ſupremum & irreformabile, ac proinde infallibile in Decretis fidei & morum, quibus ex Cathedra Petri editis vniuerſam Eccleſiam obligat & alloquitur.

14. Præterea quamuis hic tractatus primo dirigatur contra doctrinam quartæ propoſitionis, in qua aſſeritur, *In fidei quæſtionibus non eſſe irreformabile Summi Pontificis iudicium, niſi Eccleſiæ conſenſus acceſſerit*; inter ſtatuendam tamen infallibilitatem, impugnatur quoque à pag. 352. tertia propoſitio, in qua aſſeritur, *Apoſtolicæ poteſtatis vſum moderandum eſſe per canones ſpiritu Dei conditos, & totius mundi reuerentia conſecratos.* Impugnatur inſuper per illationem ſe-

cunda

Digitized by Google

cunda propoſitio, in qua authoritate Concilij Conſtantienſis conantur ſtabilire, Pontificem certum etiam & indubitatum ſubijci Concilio, oſtenditurque diſp. 13. id ex Concilio Conſtantienſi quatenus iam legitimo & vniuerſali nullatenus ſuaderi poſſe; ſed oppoſitum euinci potius.

15. In hoc etiam Opere, vt è ſuis principijs ritè colligam ſupremam & infallibilem authoritatem ad edendum ſymbolum fidei, & determinandas fidei & morum controuerſias, eſſe à Chriſto Petro & ſucceſſoribus eius tanquam ſubiecto deuinctam, oſtendo, à pag. 65. ad 80. regimen à Chriſto inſtitutum eſſe vere Monarchicum, licet Ariſtocratia temperatum. Vnde doctrinam Edmundi Richerij Sorbonici Doctoris impugno, qui in libro de Eccleſiaſtica & politica poteſtate, quem ſine authoris nomine vulgauit anno 1611. non ſolum contra Scholæ Pariſienſis Lumina S. Thomam, S. Bonauenturam, Alexandrum Alenſem, Albertum Magnum, Henricum de Gandauo, Richardum, Ægidium Romanum, Scotum, & alios, qui ante Concilium Conſtantienſe floruerunt; ſed etiam contra alios qui ſcripſere poſt illud, ſuadere conatus eſt, regimen à Chriſto conſtitutum, non eſſe Monarchicum, quod eſt adeo falſum, vt teſte Andrea Duuallio *contra ſe habeat omnes Doctores Catholicos*; vt conſtabit ex dicendis pag. 66. num. 4., ac adeo abſurdum, vt Ioannes Gerſon tanquam erroneum, imo & hæreticum impugnet; eademque nota in Marco Antonio de Dominis Pariſienſis Vniuerſitas ipſa confixerit. Eſt inſuper Regibus maxime *pernicioſum*, quia viam ſubditis ad rebellandum aperit, & gubernationem Monarchicam euertendam; quod Pontificiæ ſimul & Regiæ poteſtatis oſorem Caluinum molitum fuiſſe, atque ipſius exitiali magiſterio edoctos alicubi obtinuiſſe ſat conſtat. Quare Regum ego in hoc Opere cauſam ago, dum eam doctrinam impugno. Si enim ſemel homines ſibi perſuadeant, infinitam Chriſti ſapientiam, qui optimam gubernandi formam Eccleſiæ ſuæ ſelegit, non inſtituiſſe gubernationem Monarchicam, in qua ſuprema poteſtas penes vnum; audaciores inde fient ad euertendam Monarchiam, & noui formam regiminis inducendam.

16. Nec ſolum ego in hoc libro tueor cauſam Regum & Prin-

*** cipum,

cipum,dum formam regiminis à Chriſto in Eccleſia ſua conſtitutam Monarchicam eſſe contendo, ſed etiam dum omni argumentorum genere demonſtrandum ſuſcipio, traditam à Chriſto ſuis Vicarijs fuiſſe authoritatem falli neſciam,ad controuerſias circa fidem & mores ſubinde emergentes definiendas, & proponendum toti Eccleſiæ, quid credere & tenere debeat: Regna enim, diu ſtare non poſſunt, ſine vnitate religionis & fidei; nec vnitas hæc ſine aliqua viſibili regula, quæ authoritate tutiſſima dubia fidei tollere valeat, & ſubinde naſcentia hæreſum Monſtra in cunis elidere: & ad quam Reges confugere poſſint,ne in eorum Regna praua dogmata irrumpant, & validas in illis radices agant. Hæc autem viua, & viſibilis regula, ad quam promptus, & facilis ſit acceſſus, non alia eſſe poteſt, quàm Romanus Pontifex, qui è Cathedra Petri falſa prauaque reijciens, vnitatem fidei in regnis & candorem conſeruet. ſapienter enim ſcribit Sanctus Cyprianus epiſt. 55. *Non aliunde hæreſes obortæ ſunt, aut nata ſunt ſchiſmata, quàm indè, quod Sacerdoti Dei non obtemperatur, nec vnus in Eccleſia ad tempus Sacerdos, & ad tempus iudex vice Chriſti cogitatur, cui ſecundum Magiſteria diuina obtemperet Fraternitas vniuerſa*; Ideſt, quia non obtemperatur Romano Pontifici, qui tanquam Summus Sacerdos Eccleſiæ, & ſupremus controuerſiarum Iudex, vice Chriſti toti Fraternitati proponit quid firma fide tenendum ſit. Cum enim ibi loquatur Cyprianus de Schiſmate Nouatianorum, qui non agnoſcebant Cornelium Pontificem, nomine *Sacerdotis & Iudicis* Pontificem Romanum deſignat, qui Vice Chriſti Eccleſiam gubernat, & cauſas Fidei & Religionis diiudicat: nec enim alius eſt Sacerdos, cui ſecundum diuina magiſteria obtemperet Fraternitas vniuerſa,ideſt omnes Chriſti Fideles; eodem nati è ſanguine, quia eiuſdem Baptiſmatis Aqua renati.

13. Neq; vero Chriſtus ſufficienter prouidiſſet Eccleſiæ, nec media neceſſaria ad conſeruandam vnitatem Fidei ſuppeditaſſet; niſi Vim hanc de rebus fidei & morum abſque erroris periculo iudicandi in Petri Solio collocaſſet. Nemo namque prudens rerum æſtimator non videat; & ego ſuo loco exponam, quanta Fidei immineret pernicies, ſi nonniſi conuocato generali Concilio,

cilio, damnari abſque errandi periculo hæreſes poſſent; & liberum interim eorum authoribus foret, Summorum Pontificum definitiones eludere, vtpote ortas ab homine, cui neq; dum vniuerſam Eccleſiam ſolemniter inſtruit, ne in decreto fidei erret, *Spiritus veritatis* aſſiſtat. Miſeram, ſi res ita ſe haberet, Eccleſiæ conditionem. Ab Apoſtolis prima Oecumenica Synodus Nicæna fuit, anno 327. à quarta Synodo generali ad quintam 102. à quinta ad ſextam 129. à ſexta ad ſeptimam 109. à ſeptima ad octauam 120. ab octaua quæ Orientalium poſtrema fuit, ad primum vſque ſub Callixto Secundo celebratum Lateranenſe Concilium 223. ab vltimo vero generali Concilio Tridentino ad præſens tempus elapſos 125. annos enumerare eſt. Quanta igitur medijs temporibus perturbatio fuiſſet, atque in poſterum foret, ſi ſolis Oecumenicis Concilijs, quæ tam raró ſcimus cogi poſſe; Sancti Spiritus opem, in fidei quæſtionibus citra errorem dijudicandis promiſiſſet Chriſtus, & conceſſiſſet?

18. In aſſerenda ergo Romano Pontifici, quam diximus, authoritate ad definiendas fidei & morũ controuerſias, dũ omnis præſens hæc elucubratio verſatur, non ſolùm Eccleſiæ, ſed Regnorum & Regum cauſam agit, & communi omnium vtilitati conſulit. Et ideò labor iſte libentiſſimè à me ſuſceptus eſt; quia bono publico Eccleſiæ, & Regnorum ſeruit.

19. Cauſam pariter ago Illuſtriſſimi Cleri Gallicani, dum in hoc Opere Diſp. 1. Sect. 9. & Diſp. 4. ſect. 2. & 3. demonſtro, Eccleſiam Gallicanam ſemper in Romana Sede hanc infallibilem authoritatem fuiſſe veneratam, & ad illam accurriſſe tanquam ad diuinæ fidei Oraculum. Cauſam inſignis Vniuerſitatis Pariſienſis, & Gallicę Nationis tueor quoque, dum oſtendo, ante Concilium Conſtantienſe inuiſam illi fuiſſe ſententiam oppoſitam, & poſt Concilium Conſtantienſe hanc ibi fuiſſe minus comunem; imò ex Vniuerſitate Pariſienſi, & Natione Gallica prodijſſe primos, & præcipuos authoritatis infallibilis Defenſores, S. Thomam, S. Bonauenturam, Alexandrum Alenſem, B. Albertum Magnum, Scotum, Baconum, Ægidium Romanum, Auguſtinum Triumphum, Richardum de Media-Villa, Petrum Paludanum, Natalem Herueum,

Aluarum Pelagium, Durandum, Aureolum, & alios præclariſſimos Doctores, quibus neque præſtantia, neque numero cóponendi ſint contrarij Scriptores; qui nomine Gallorum, & Pariſienſium (quandoquidem ipſi ſibi hanc honorificam appellationẽ, quamuis non iure, aſſumunt) in progreſſu diſputationum à me deſignantur; quod hìc ſemel declaraſſe ſat eſt. Quamobrẽ me de Communitate Cleri Gallicani, Vniuerſitatis & Regni, benemereri cenſeo, dum contendo illam Declarationem non Communitati, ſed paucis ex illa tribuendam: grauemque iniuriam me illaturum, ſi doctrinam adeò inuidioſam illi tribuerem. Vt enim habet Textus Canonicus: in cap. Nolite errare Diſt. XI. & Sanctus Gelaſius I. epiſt. 9. cap. 9. *Satis indignum eſt, quemquam Pontificum, vel Ordinum ſubſequentium, hanc regulam refutare, quam Beati Petri Sedem, & ſequi viderit & docere. Multum enim conuenit, vt totum corpus Eccleſiæ in hac ſibi obſeruatione concordet, quæ inde authoritatem habet, vbi Dominus totius Eccleſiæ poſuit Principatum.*

20. Præterea quamuis in hoc Opere non agam directè contra Hæreticos, ſed contra Doctores quoſdam Catholicos, & apud quos omnes Primatus Romani Pontificis eſt *articulus tenendus non ſolum tanquam de fide, ſed tanquam vnum è præcipuis fundamentis fidei*, vt loquitur eximius Doctor Franciſcus Suarez diſp. 5. de Fide ſect. 8. & diſp. 10. ſect. 3. num. 7. ac proinde quamuis in hoc opere non aſſumpſerim directè probandum Primatum Romani Pontificis; quia tamen non ſolum Hæretici, ſed Authores quoq; aliqui Catholici negant, expreſſum fuiſſe Primatum Romani Pontificis eiuſque ſupremam authoritatem in Nicæno Concilio; ideo late oſtendo, à pag. 200. vſque ad 307. in Concilio Nicæno, imo & in Conſtantinopolitano primo, in Epheſino & Chalcedonenſi, agnitum & ſtabilitum fuiſſe Primatum Romani Pontificis.

21. Quoniam verò Doctor Ellies Dupin non ſolum contra ſententiam inconcuſſam omnium antiquorum, qui Vniuerſitatem Pariſienſem ante Concilium Conſtantienſe illuſtrarunt: ſed etiam contra ſententiam Ioannis Gerſonis, Iacobi Almaini, & Ioannis Maioris, & contra ſenſum communem Illuſtriſſimæ Eccleſiæ Gallicanæ, ita deprimit Primatum Romani Pontificis, vt ſolum nomen

men & vmbram in illo relinquere videatur; nec maiorem authoritatem & poteſtatem in ſpiritualibus illi concedat in Eccleſia, quam Dux habeat in temporalibus in Republica (in qua ſuprema authoritas ad ferendas leges, & maiora negotia decernenda eſt penes Senatum, nec ad valorem decretorum neceſſarius eſt Ducis conſenſus, & confirmatio) quod eſt reipſa euertere gubernationem Monarchicam à Chriſto inſtitutam, & cum Richerio inducere Ariſtocraticam; ideo à pag. 272. ad 300. late contra Dupinum firmo Primatum Romani Pontificis non eſſe ſolius honoris (quia videlicet in Concilijs primus ſedere & loqui debet, & cæteros Epiſcopos ad Concilium generale conuocare tanquam miniſter Eccleſiæ) ſed ſpiritualis Poteſtatis ac Iuriſdictionis in reliquos Epiſcopos ac Patriarchas; ſimulque oſtendo Romanum Pontificem non ſolum habere Primatum *in vniuerſa Eccleſia*, ſed in *vniuerſam* Eccleſiam, eſſeque proinde non Eccleſiæ, vel Concilij, ſed Chriſti Vicarium, qui toti Eccleſiæ tanquam ſupremus Monarcha ſpiritualis præſidet; & tanquam viſibile caput præminet reliquis omnibus membris; ſupremus Paſtor cunctis ouibus dominici gregis; ſingulis, & coniunctis.

21. Præterea quia Doctor Dupin ad impugnandam Monarchicam, atque adeò ſupremam, atque infallibilem Romani Pontificis authoritatem, tanquam principium neceſſarium ſtatuit, Chriſtum immediate contuliſſe claues vniuerſitati Eccleſiæ; Eccleſiam vero illas Miniſtris ſuis, Summoque Pontifici communicare; ac proinde iſtum non accipere immediatè à Chriſto ſuam poteſtatem, ſed ab Eccleſia, adeoque ab ea poſſe in ordinem redigi; à pag. 13. ad 60. latè oſtendo hæc principia non tantum eſſe abſurda, ſed à communi ſenſu Eccleſiæ Gallicanæ penitùs aliena; malèque à Dupino confundi infallibilitatem paſſiuam, vt vocant & in credendo, à Chriſto immediate communicatam vniuerſitati Eccleſiæ, cum infallibilitate, quam dicunr actiuam & in docendo, Petro & ſucceſſoribus eius pro bono totius Eccleſiæ conceſſam, ad definiendas controuerſias fidei & morum, vel in Concilio generali, vel extra illud, prout communi neceſſitas, vel vtilitas poſtulauerit.

23. Ex dictis conſtat, argumentum huius Operis tale eſſe, vt in

eo

Digitized by Google

eo mihi liceat magna cum fiducia verſari; quippe in quo cùm ante me Viri eruditione, doctrinaque conſpicui verſati ſint: quos inter Duuallius ſententiam, quam propugno, aſſerere non dubitauit eam eſſe, *quam totus Orbis, exceptis pauculis Doctoribus, amplexus ſit. Quam vnicè Hiſpaniæ, Italiæ, omneſque aliæ Chriſtianitatis Prouinciæ docent*:

24. Docent hanc Religioſæ Familiæ omnes; Ordo S. Benedicti cum Diuo Anſelmo; Ciſtercienſis cum S. Bernardo, Prædicatorum cum S. Thoma, D. Franciſci cum S. Bonauentura, D. Auguſtini cum Ægidio Romano S. Auguſtinum ſecuto; Carmelitana cum Bacconio: & Societatis Doctores omnes. Hanc denique præter antiquos Patres, & Sanctiſſimos Pontifices, expreſsè docent Eccleſiæ lumina, Doctores ſcilicet inter Diuos relati, videlicet Theologorum Princeps S. Thomas, S. Bonauentura, ac S. Bernardus, S. Antoninus, & B. Ioannes à Capiſtrano; cum tamen pro doctrina contraria, quam tantopere promouere conati ſunt Ludouicus Maimburgus, & Ludouicus Ellies Dupin, nullus allegetur Doctor, cuius Sanctitatem ſolemni cultu Eccleſia declarauerit; ſed potius grauiſſimi Doctores eam graui Cenſura Theologica perſtringunt; appellant enim *vel temerariam*, *vel erroneam*, *vel hæreſi proximam*, *vel Eccleſiæ perniciem afferentem*: Quæ omnia patebunt in progreſſu huius Operis diſput. 11.

24. Quantum porrò in argumento, eruditorum hominum tam multorum calamis trito, ego Operępretium attulerim, non eſt animus Præfatione ipſa ſtatuere, quod ſolent quidam: ſit Lectori iudicium, modo non faſtidioſo occupatus ſit ipſe præiudicio, inuentis pridem nihil addi poſſe, noſtris præcipuè temporibus accommodatum; quaſi dicas, in Architectura militari, nouis quotidie oppugnandi, nocendique artibus ſubnaſcentibus, nullum eſſe relictum nouæ inuentioni locum ad propugnandum, & arma armis retundenda, machinaſque machinis frangendas.

25. Quod etiam multis eſt curæ, ſtylum, quo in ſcribendo ſunt vſi, ſeu commendare, ſeu excuſare, id quoque mihi ſuperuacaneum videtur. Scimus quis ille ſit, cuius in Scholaſtico puluere Theologiæ eſt vſus hoc tempore: illo exarata ſunt pridem plæraque hæc

mea,

mea,vt ſæpe monui;neque erat cur eadem limando me multum torquerem. Politioris litteraturæ Viri, quos amo æſtimoque, atque etiam animare certum habeo, hoc dabunt ſuo Tullio, *vt à Philoſopho* (Theologo dicamus) *ſi afferat eloquentiam, non aſpernentur; ſi non habeat, non admodum flagitent.*

CEN-

Digitized by Google

CENSVRA.

EX commiſſione Reuerendiſſimi Magiſtri Sac. P. A. perlegi Reuerendiſſimi Patris Thyrſi Gonzales Generalis Societatis Ieſu Præpoſiti Opus, cui titulus: *de Infallibilitate Romani Pontificis ad definiendas Fidei & morum controuerſias extra Concilium generale & non expectato Eccleſiæ conſenſu*. Nihilque in eo animaduerti cenſura dignum, ſed potius multa reperi, quæ dum iura Sedis Apoſtolicæ illuſtrant, pleriſque huius & factioſi ſæculi malis, maximè autem prurigini nouitatum, quæ errorum ferè omnium fons eſt, remedium aliquod afferre poſſunt: quare Opus ipſum publica luce dignum cenſeo. Romæ die 14. Maij, anno 1689.

Emanuel à Schelſtrate S.T.D. Bibliothecæ Vaticanæ Præfectus, Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Vrbe Canonicus.

Imprimatur,

Si videbitur Reuerendiſſimo P. Magiſtro Sac. Palatij Apoſtolici.

Steph. Ioſeph Menattus Epiſc. Cyrenen. Viceſgerens.

Imprimatur,

Fr. Thomas Maria Ferrari Sac. Pal. Apoſt. Mag.

IN-

Digitized by Google

INDEX

Diſputationum, Sectionum, Paragraphorum, quæ continentur in hoc Libro de Infallibilitate Romani Pontificis.

DISPVTATIO I.

In qua rationibus Theologicis ex certis principijs Fidei apertè deductis, manifeſtè demonſtratur, Romanum Pontificem loquentem è Cathedra errare non poſſe, ſed habere authoritatem infallibilem ad determinandas Fidei & morum controuerſias extra Concilium generale, & non expectato Eccleſię conſenſu. pag. 1.

SECTIO I.

Exponitur; quid ſit Papam loqui è Cathedra: ac ſtatus & ſenſus controuerſiæ aperitur. ibid.

SECTIO II.

Præmittuntur aliqua principia apud omnes Catholicos certa, ad conficiendam primam rationem. pag. 3.

§. I. *PRIMVM PRINCIPIVM: Non poſſe totam Eccleſiam errare in materia Fidei.* ibid.

§. II. *SECVNDVM PRINCIPIVM. Chriſtum reliquiſſe in Eccleſia ſua tribunal aliquod viſibile ſupremum, à quo reſoluantur dubia circa Fidem, & Religionem; ſeu à quo determinentur controuerſiæ fidei, & morum, quæ inter Catholicos occurrere poſſunt; & proponatur, quid ab omnibus tenendum ſit.* pag. 6.

§. III. *Iudex iſte ſupremus, vel ſupremum tribunal ad decidendas fidei & morum controuerſias; in Eccleſia Catholica, debet eſſe authoritas infallibilis.* pag. 10.

SECTIO III.

Iam conficitur demonſtratio: quia certum eſt, nec Chriſtum reliquiſſe authoritatem infallibilem ad decidendas fidei & morum controuerſias, in cumulo, collectione, ſeu aggregato omnium Chriſtianorum, tanquam in ſubiecto; nec in cumulo ſeu collectione optimatum, id eſt, in collectione omnium Epiſcoporum: Ergo certum eſt, reliquiſſe in vno aliquo Epiſcopo, nempe in Petro & ſucceſſoribus eius. pag. 11.

§. I. *Oſtenditur hanc authoritatem infallibilem non eſſe relictam immediatè in collectione, ſeu vniuerſitate Chriſtianorum.* pag. 12.

§. II. *Infertur ex dictis, quàm debili fundamento nitatur doctrina D. Dupini, & quorundam Gallorum, nimirum, quòd claues immediatè Chriſtus tradiderit communitati Eccleſiæ.* pag. 13.

§. III. *Manifeſtè falſum eſt, quod Dupin aſſumit tanquam fundamentum omnino neceſſarium ad defendendam excellentiam Concilij ſupra Papam, & huius fallibilitatem; nempe quòd Papa accipiat ſuam poteſtatem ab Eccleſia.* pag. 16.

§. IV. *Dupin ſibi ipſi contradicit, dum ex vna parte docet Romanum Pontificem accipere ſuam poteſtatem ab Eccleſia; & ex alia docet, eius primatum eſſe de iure diuino.* pag. 18.

§. V. *Amplius detegitur abſurditas doctrinæ Dupini aſſerentis Romanum Pontificem accipere ſuam authoritatem ab Eccleſia.* pag. 19.

§. VI. *Iterum demonſtratur contra Dupinum, Papam non accipere poteſtatem ſuam ab Eccleſia, & oſtenditur debilem eſſe rationem, qua probatur Concilium eſſe ſupra Papam, ex eo quòd repræſentet vniuerſam Eccleſiam.* pag. 21.

§. VII. *Oſtenditur contra Dupinum, Concilium vt contradiſtinctum à Papa non repræſentare vniuerſam Eccleſiam; è contra verò Papam vt contradiſtinctum à Concilio eam repræſentare.* pag. 24.

§. VIII. *Quando de nouo creatur Papa, perſonæ eligentes non communicant ipſi poteſtatem, ſed deſignant perſonam, cui à Deo immediatè communicatur ex vi primæuæ inſtitutionis factæ à Chriſto in perſona Petri.* pag. 26.

§. IX. *Quàm abſurda ſit Doctrina Dupini, qui cùm docuiſſet, Romanum Pontificem non accipere immediatè à Chriſto poteſtatem Pontificiam, ſed mediante communitate Eccleſiæ; poſtea expreſsè docet, poteſtatem Regiam immediatè eſſe à Deo, & ab illius ſolius poteſtate pendere: Vbi expenduntur duodecim eius abſurdæ propoſitiones.* pag. 27.

§. X. *Non ſolùm eſt abſurda doctrina D. Dupin, quatenus negat poteſtatem Eccleſiaſticam Romani Pontificis eſſe immediatè à Deo, ſed etiam quatenus affirmat poteſtatem Politicam & temporalem Regum eſſe immediatè ab ipſo.* pag. 32.

§. XI. *Iam oſtenditur Chriſtum non reliquiſſe ſupremam authoritatem ad decidendas fidei & morum controuerſias in Vniuerſitate ſeu cumulo omnium Epiſcoporum.* pag. 37.

§. XII. *Demonſtratur aſſertio à poſteriori, & ab abſurdo; quia ſi hæc ſuprema & infallibilis authoritas relicta eſſet immediatè in Communitate Epiſcoporum; inde ſequeretur, poſſe in Concilio per maiorem partem ſuffragiorum ſine conſenſu & ſuffragio Romani Pontificis controuerſias fidei definiri, quod eſt manifeſtè abſurdum.* pag. 39.

SECTIO IV.

Inſtauratur breuiter, & denuo confirmatur ratio probans infallibilitatem Romani Pontificis in definiendo, ex eo quòd ille debeat eſſe ſupremus controuerſiarum fidei Iudex. pag. 42.

§. I. *Proponitur ratio.* ibid.

§. II. *Præcluditur effugium quorundam Pariſienſium aſſerentium, eſſe collatam à Chriſto Eccleſiæ authoritatem infallibilem* vt exercendam per vnum, *nempe per Romanum Pontificem, tanquam per Vicarium, & Miniſtrum Eccleſiæ, ſeu Concilij.* pag. 45.

§. III. *Impugnatur ab abſurdo illa doctrina; quia ſi Papa gubernaret Eccleſiam tanquam Vicarius Concilij, ſequeretur quòd quando hoc eſſet congregatum, non indigeret conſenſu & ſubſcriptione Papæ, ad definiendas fidei & morum controuerſias, nec ad obligandum totam Eccleſiam, ad recipienda decreta ab ipſo formata, quod tamen ſine manifeſto errore affirmari non poteſt.* pag. 51.

§. IV. *Quamuis definitio Concilij foret infallibilis, præſcindendo ab approbatione Papæ, non poſſet tamen obligare Eccleſiam, niſi mediante approbatione Pontificis; nec inde poſſet probari Concilium eſſe ſupra Papam.* pag. 54.

SECTIO V.

Concluditur ex dictis, ideo Chriſtum reliquiſſe in Eccleſia authoritatem infallibilem ad determinandas fidei & morum controuerſias, quia illam reliquit in capite Eccleſiæ pro bono Eccleſiæ. pag. 59.

SECTIO VI.

Permiſſo, & non conceſſo illo falſiſſimo principio, quòd Chriſtus tradiderit authoritatem infallibilem Eccleſiæ, vt exercendam per vnum, nempe per Romanum Pontificem, tanquam per Vicarium Concilij, & Miniſtrum Eccleſiæ: neceſſariò concedendum eſt, definitiones Papæ in materia fidei & morum eſſe infalli-

fallibiles; nec poſſe per Concilium generale reformari. pag.60.

§. I. ibid.

§. II. *Quamuis ex eo, quòd Papa ſit ſupra Concilium, neceſſariò inferatur, eſſe infallibilem in definiendo controuerſias fidei: è contra verò ex eo, quòd Concilium in aliquo caſu foret ſupra Papam, non ſequitur, hunc non eſſe infallibilem in definiendo: vnde certiùs eſt Papam eſſe infallibilem in definiendo, quàm in nullo caſu ſubiici Concilio vt Iudici?* pag. 62.

SECTIO VII.

Eadem infallibilitas demonſtratur alia ratione. pag.65.

§. I. *Certum omnino eſt, Christum in Petro & ſucceſſoribus eius instituiſſe regimen Monarchicum.* ibid.

§. II. *Concluditur, authoritatem infallibilem ad determinandas fidei & morum controuerſias relictam eſſe à Christo in Monarcha ſpirituali Eccleſiæ, & ſummo Paſtore; vt vi illius poſſet oues ſibi creditas veritate paſcere ſine periculo erroris.* pag.69.

SECTIO VIII.

Quàm abſurda ſit doctrina Edmundi Richerij, qui animaduertens, ex ſententia prædictorum Gallorum de Excellentia Concilij ſupra Papam neceſſariò inferri, regimen Eccleſiæ non eſſe Monarchicum; ne ab illa diſcederet, auſus eſt aſſerere, regimen à Chriſto inſtitutum eſſe Ariſtocraticum. pag.73.

§. I. *Qua occaſione ſcripſerit Edmundus Richerius librum ſuum* de Eccleſiaſtica & Politica poteſtate, *in quo Monarchiam ſpiritualem oppugnat: & quanto zelo Illuſtriſſimi Galliæ Præſules in duabus Synodis illum librum damnauerint.* pag.74.

§. II. *Quàm acriter inſurrexerint Authores Galli contra Edmundum Richerium & Simonem Vigorium Iuriſconſultum, qui doctrinæ illius patrocinium ſumpſit.* pag.76.

§. III. *Doctrina Edmundi Richerij, Vigorij, & quorundam aliorum negantium regimen Monarchicum, & adſtruentium Ariſtocraticum, eſt adeò abſurda, vt Vniuerſitas ipſa Pariſienſis illam tanquam hæreticam cenſurauerit in Marco Antonio de Dominis.* pag.79.

§. IV. *Alijs rationibus firmatur eadem infallibilitas.* pag.80.

SECTIO IX.

In qua ex dictis contra quartam propoſitionem Cleri Gallicani ſpecialiter demonſtratur, definitiones fidei factas à Romano Pontifice extra Concilium generale, eſſe infallibiles pro priori ad Eccleſiæ conſenſum: ac proinde in fidei quæſtionibus ſummi Pontificis iudicium eſſe irreformabile, antequam accedat conſenſus Eccleſiæ. pag.82.

§. I. *Probationibus præmittitur, quod prudens quiſque cenſere debeat, potiùs ſtandum eſſe iudicio Illuſtriſſimæ Eccleſiæ Gallicanæ, quæ anno 1653. quando ſola cauſa Religionis premebat, communi conſenſu venerata eſt abſolutam infallibilitatem Romani Pontificis in cauſis fidei, quam iudicio conuentus Cleri Gallicani, qui declarationem edidit anno 1682. quando ardebant diſſidia cauſa Regaliæ inter Papam & Regem Chriſtianiſſimum.* pag.83.

§. II. *Prima probatio noſtræ Concluſionis: quia illius veritas ex confeſſione ipſius Dupin, & prædictorum recentium Gallorum neceſſariò infertur ex eo, quòd Chriſtus poteſtatem clauium nō tradiderit immediatè Vniuerſitati Eccleſiæ, ſed Petro & ſucceſſoribus eius. Oſtendimus autem antecedens eſſe certum: ergo certum eſt conſequens.* pag.89.

§. III. *Secunda ratio: quia quarta propoſitio Cleri Gallicani contradictoria virtualiter continet, dum ex vna parte affirmat,* In Fidei quæſtionibus præcipuas Summi Pontificis eſſe partes, eiuſque Decreta ad omnes & ſingulas Eccleſias pertinere: *ex alia vero*

rò aſſerit, non eſſe irreformabile eius iudicium, niſi Eccleſiæ conſenſus acceſſerit. pag.91.

§.IV. *Tertia ratio: quia ſi definitio Pontificis non eſt infallibilis, niſi accedat Eccleſię conſenſus, ſequitur, non ſufficere ad infallibilitatem Pontificię definitionis, quòd maior pars Eccleſię conſentiat, ſed requiri, quòd conſentiat tota communitas Eccleſię: quòd tamen eſt euidenter falſum.* pag.94.

§.V. *Quarta ratio. Quia propoſitio illa quarta Cleri Gallicani, affirmans non eſſe infallibilem definitionem Romani Pontificis, niſi accedat Eccleſiæ conſenſus, vel non tribuit illi maiorem authoritatem, quàm Doctori particulari; vel tribuit illi poteſtatem obligandi totam Eccleſiam ad credendum dogma falſum, tanquam articulum fidei: & vtrumque eſt euidenter abſurdum.* pag.97.

§.VI. *Quinta ratio: Quia cùm Chriſtus reliquerit in Eccleſia ſua Romanam Sedem tanquam oraculum, ad quod pro ſolutione dubiorum circa fidem & mores emergentium Eccleſię particulares recurrerent; abſurdiſſimum eſt, quòd firmitas reſponſorum eius dependeat à fidelium & Eccleſiæ totius conſenſu.* pag. 99.

§.VII. *Sexta ratio: quia cum poteſtas definiendi controuerſias fidei, ſit authoritas exponendi legitimum ſenſum ſcripturæ, & proponendi fidelibus, an aliquid ſit à Deo reuelatum; & euidens ſit, hanc authoritatem non accipere Romanum Pontificem ab hominibus, ſed immediatè à Deo, manifeſtum eſt, infallibilitatem Pontificiæ definitionis non pendere à conſenſu Eccleſiæ, ſed vnicè ab aſſiſtentia Spiritus Sancti, quam Chriſtus ſua oratione impetrauit Petro & ſucceſſoribus eius.* pag.102.

§.VII. *Septima ratio, cæteras breuiter confirmans, & declarans: quia dum Clerus Gallicanus affirmat, non eſſe infallibilem ſummi Pontificis definitionem, niſi accedat Eccleſiæ conſenſus; vel nomine Eccleſiæ intelligit Concilium generale; vel multitudinem fidelium, qui Eccleſiam componunt: & in vtroque ſenſu eius propoſitio eſt manifeſtè abſurda.* pag. 107.

§.IX. *Octaua ratio: Quia ſi ſemel definitio Summi Pontificis non eſt infallibilis niſi accedat Eccleſiæ conſenſus, non poterunt nunc vt hæretici tractari Ianſeniſtæ, id eſt, homines defendentes propoſitiones Ianſenij in ſenſu proprio, in quo ab Innocentio X. & Alexandro VII. damnatæ ſunt.* pag.110.

§.X. *Illuſtri teſtificatione Academiæ Duacenſis oſtenditur, non poſſe Ianſeniſtas à Rege Chriſtianiſſimo comprimi, niſi eliminauerit Declarationem Cleri Gallicani, quæ Papam in definiendo controuerſias fidei fallibilem facit.* pag.116.

§.XI. *Concluditur ex dictis in hac ſectione: vt omnes teneātur credere vt omnino certam veritatem definitam à Romano Pontifice in materia fidei; ſatis eſt, quòd Pontifex ediderit Conſtitutionem cum voluntate obligandi Eccleſiam ad credendam eam partem tanquam veritatem certam, & reijciendam oppoſitam tanquam hæreticam vel erroneam, & quòd hæc Conſtitutio publicetur Romæ, & eius notitia certa perueniat ad Prouinciam, in qua quis commoratur.* pag.120.

§.XII. *Soluitur obiectio contendens non eſſe abſurdum, quòd conſenſus Eccleſiæ requiratur ad hoc, vt definitio Pontificis ſit abſolutè infallibilis.* pag.123.

§.XIII. *Breuis Epilogus totius Diſputationis.* pag.127.

DISPVTATIO II.

In qua ex Euangelio probatur authoritas infallibilis Romani Pontificis ad decidendas fidei & morum controuerſias ſine Concilio Generali. pag. 129.

SECTIO I.

Primum caput probandi hanc infallibilitatem

tem ex illis verbis Chriſti, Rogaui pro te Petre, ne deficiat fides tua. ibid.

SECTIO II.

Secundum idem probandi caput ex illis verbis, Tu es Petrus & ſuper hanc Petram, &c. pag.132.

§.I. *Impugnantur hæretici negantes Eccleſiam fundatam fuiſſe à Chriſto ſupra Petrum.* pag.134.

§.II. *Oſtenditur per illa verba* ſuper hanc petram, *non deſignari Chriſtum, ſed Petrum, atque adeò ſupra hunc, & ſucceſsores eius fundaſſe Eccleſiam.* pag. 134.

§. III. *Oſtenditur Chriſtum per illa verba:* Tibi dabo claues Regni cælorum: *Petro, & ſucceſſoribus eius promiſiſſe principatum ſuper totam Eccleſiam.* pag. 137.

§. IV. *Oſtenditur Chriſtum non ſoli Petro, ſed etiam ſucceſſoribus eius dediſſe primatum ſupra totam Eccleſiam.* pag. 138.

§. V. *Oſtenditur per illa verba,* & ſuper hanc petram, *nec fidem, nec fidei confeſſionem, ſed perſonam Petri deſignari.* pag. 140.

§. VI. *Ex eo quòd* portæ inferi præualere non poſſint aduerſus Eccleſiam *fundatam ſupra Petrum, rectè concluditur, Romanum Pontificem errare non poſſe in determinandis fidei & morum controuerſiis.* pag.142.

SECTIO III.

Tertium Caput probandi infallibilitatem Pontificis ex verbis Chriſti Paſce oues meas. *Ioannis 21.* pag.144.

§. I. *Exponuntur litteraliter verba illa.* ibidem.

§.II. *Ex litterali textus præcedentis expoſitione manifeſtè concluditur, Petrum & eius ſucceſſorem eſſe ſupremum Paſtorem totius Ouilis Chriſti, ſeu totius Eccleſiæ militantis.* pag. 145.

§.III. *Confirmatur præcedens argumentum, & exponitur illud,* Alias oues habeo, quæ non ſunt ex hoc ouili: pag. 147.

§.IV. *In hoc textu,* Alias oues habeo *&c. per oues non intelliguntur ſoli prædeſtinati.* pag.148.

§.V. *Conficitur ex dictis, iudicium Romani Pontificis definientis è Cathedra controuerſias fidei, non poſſe reformari à Congregatione reliquorum Epiſcoporum etiam in Concilio generali.* pag.149.

§. VI. *Demonſtratur, Petrum non geſſiſſe perſonam omnium Apoſtolorum, cùm illi à Chriſto dictum eſt,* Paſce oues meas, *ſed verba illa directa fuiſſe ad perſonam Petri, vt contradiſtinctam à cæteris Apoſtolis.* pag.150.

§. VII. *Concluditur ex dictis infallibilitas Romani Pontificis in determinandis fidei & morum controuerſiis.* pag.153.

SECTIO IV.

Obiectio quædam contra dicta, cuius occaſione exponitur, quomodo in honore, & poteſtate pares fuerint Apoſtoli: & multa dicuntur de poteſtate ordinis, & de poteſtate iuriſdictionis pag.154.

§.I. *Proponitur argumentum hæreticorum, contendentium Apoſtolos pares omnino fuiſſe in poteſtate; ac proinde Petrum non fuiſſe ſuperiorem reliquis.* pag.154.

§. II. *Exponitur, in quo fuerint Apoſtoli æquales ex communi ſententia Patrum & Doctorum Catholicorum. Vbi multa de poteſtate ordinis, & de poteſtate Iuriſdictionis, & earum diſtinctione.* pag.155.

§. III. *An per Sacerdotium conferatur poteſtas iuriſdictionis ad remittenda peccata?* pag.158.

§. IV. *An ſicut poteſtas conſecrandi eſt immediatè à Chriſto: ita ſit poteſtas iuriſdictionis? Vbi impugnatur ſingularis ſententia Toſtati.* pag.159.

§. V. *Oſtenditur breuiter, Epiſcopos omnes immediatè accipere à Papa poteſtatem iuriſdictionis externæ. Vbi an Parochi poſſint propria authoritate aliquando ſibi ſubditos excommunicare.* pag.160.

§. VI. *Oſtenditur contra Toſtatum & Ar-*

maca-

Digitized by Google

micanum, Sacerdotem ex vi ordinis non habere poteſtatem abſoluendi quoslibet Chriſtianos à quibuſcunque peccatis; pag. 162.

§. VII. *Quomodo inter ſe cohæreant, poteſtatem iuriſdictionis eſſe diſtinctam à poteſtate Ordinis; & tamen Sacerdotem, cum ordinatur, accipere poteſtatem remittendi peccata.* pag. 163.

§. VIII. *Exponitur iam, in quo fuerint æquales Apoſtoli.* pag. 164.

§. IX. *An reliqui Apoſtoli ordinati ſint Epiſcopi à Petro, an immediatè ab ipſo Chriſto?* pag. 165.

§. X. *Quamuis communis ſententia teneat, omnibus Apoſtolis conceſſam eſſe à Chriſto iuriſdictionem Epiſcopalem in Vniuerſo Orbe, nullus eſt ſcripturæ textus, quo id efficaciter probetur.* pag. 167.

§. XI. *Imò non eſt certum Apoſtolos omnes accepiſſe immediatè à Chriſto poteſtatem iuriſdictionis pro foro interno in vniuerſo mundo, & fuiſſe veluti chartularios Iudices à Chriſto miſſos in vniuerſum Mundum.* pag. 170.

§. XII. *Quomodo Authores componant ſuperioritatem Petri cum eo, quòd omnes Apoſtoli acceperint immediatè à Chriſto pleniſſimam iuriſdictionem in vtroque foro ſuper omnes homines?* pag. 171.

§. XIII. *Vniuerſalis poteſtas iuriſdictionis pro vtroque foro in Petro fuit ordinaria, & permanſura in eius ſucceſſoribus: in cæteris Apoſtolis fuit extraordinaria, atque delegata, ac proinde finienda cum ipſorum vita.* pag. 172.

§. XIV. *Illuſtriſſimus Marca non benè impugnat doctrinam communem.* pag. 173

§. XV. *Noſtra ſententia de æqualitate Apoſtolorum, & ſuperioritate Petri.* pag. 174.

§. XVI. *Breuiter ex Euangelio oſtenditur, ſingulariter Petro datam eſſe immediatè à Chriſto poteſtatem, in vtroque foro, ſupra omnes & ſingulos fideles: & recenſentur eius prærogatiuæ ſupra reliquos Apoſtolos.* pag. 176.

§. XVII. *Dignitas Summi Pontificis fuit ordinaria in Petro; & tranſitura ad Succeſſores: in cæteris Apoſtolis vniuerſalis poteſtas fuit extraordinaria, & cum eorum vita finienda. Vnde non in eodem ſenſu reliqui Epiſcopi ſunt ſucceſſores Apoſtolorum, in quo Epiſcopus Romanus eſt ſucceſſor Petri.* pag. 177.

§. XVIII. *Conditiones requiſitæ, vt aliquis Epiſcopus dicatur ab Apoſtolis deſcendere. Vnde infertur nec Eccleſiam Lutheranam, nec Caluiniſticam eſſe Eccleſiam Chriſti.* pag. 179.

§. XIX. *Reſpondetur ad argumenta, quibus Hæretici primatum Petri, & Succeſſorum eius impugnant: & infertur ex dictis, Apoſtolos ſolùm fuiſſe pares in Apoſtolatu, & priuilegijs ipſi annexis. Petrum verò præter munus Apoſtoli habuiſſe munus Summi Paſtoris totius Ouilis Chriſti.* pag. 180.

SECTIO V.

Exponitur mens Auguſtini, & explicatur quo pacto Chriſtus claues tradiderit Eccleſiæ, cùm dixit, Petrum accepiſſe claues in perſona Eccleſiæ, vel dum acciperet claues, Eccleſiæ perſonam repræſentaſſe. pag. 183.

§. I. *Quid in ſenſu litterali, quid in morali intelligatur per* petram *in illis verbis Chriſti* ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam. pag. ibid.

§. II. *Quo ſenſu Chriſtus, & quo ſenſu Petrus, & Apoſtoli dicantur fundamentum Eccleſiæ.* pag. 184.

§. III. *Proponitur ſententia affirmans Chriſtum dediſſe claues Eccleſiæ, id eſt Collegio Apoſtolorum, Collegium verò elegiſſe Petrum in caput: & reijcitur, vt erronea.* pag. 185.

§. IV. *Refertur Gerſonis ſententia affirmans, Chriſtum dediſſe immediatè claues Eccleſiæ, exercendas tamen per Petrum eiuſque Succeſſores: prout exponitur à D. Nauarro.* pag. 186.

§. V. *Sententia Gerſonis prout explicatur,*

&

& defenditur à Petro de Marca impugnatur. pag. 187.

§. VI. *Impugnatur ſententia Gerſonis, prout expoſita à Nauarro, quòd ſcilicet Chriſtus conceſſerit immediatè toti Eccleſiæ ſupremam iuriſdictionem, vt exercendam per vnum.* pag. 190.

§. VII. *Sententia Gerſonis alio modo explicata, ſcilicet quòd Chriſtus præuidens non poſſe Eccleſiam facilè in Concilio generali congregari, deſignauerit Romanum Pontificem, vt Vicarium Eccleſiæ, ſeu Concilij, cui ſupremam authoritatem ſecundariò communicauerit, vt nomine illius gregem fidelium paſceret.* pag. 191.

§. VIII. *Reijcitur vt planè abſurda ſententia Gerſonis ſic explicata.* pag. 192.

§. IX. *Adhuc admiſſa illa doctrina Gerſonis, non poteſt errare Pontifex in determinandis fidei & morum controuerſijs.* pag. 194.

§. X. *Legitima expoſitio Auguſtini: & quo ſenſu verum ſit,* quòd Petrus quatenus repræſentans Eccleſiam claues acceperit. pag. 195.

§. XI. *Ex dictis infertur, & concluditur, iudicium Romani Pontificis determinantis fidei & morum controuerſias, eſſe infallibile, & irreformabile.* pag. 197.

DISPVTATIO III.

In qua probatur excellentia Romani Pontificis ſupra omnia Concilia, eiuſque in definiendo infallibilitas ex Concilijs Generalibus. pag. 199.

SECTIO I.

Quænam fuerint quatuor prima Concilia Generalia, & ob quas cauſas fuerint congregata. Vbi aſſignatur radix hæreſum, quæ in illis damnatæ ſunt. pag. ibid.

SECTIO II.

Probatio prima ex authoritate Concilij Niceni: Vbi latè defenditur contra recentes Criticos, in eo Concilio declaratam fuiſſe Romani Pontificis ſuperioritatem in omnes Synodos, & ſtabilitum ius appellandi ad Apoſtolicam Sedē. pag. 200

§. I. *Oſtenditur Concilium Nicænum petiſſe ſuorum Decretorum confirmationem à S. Silueſtro Papa, ac proinde profeſſum eſſe ſuperioritatem Romani Pontificis in omnia Concilia.* pag. 201.

§. II. *Decreta Nicæna confirmata fuiſſe à S. Silueſtro ad inſtantiam ipſius Concilij, rectè probat Baronius.* pag. 202.

§. III. *Cùm ex confeſſione ipſorum Græcorum, & ex ſubſcriptionibus Concilij conſtet, Hoſium Epiſcopum Cordubenſem cum Victore, ſeu Vito, vel Vitone, & Vincentio præſediſſe in Concilio Nicæno: hinc manifeſtè probatur, Patres Nicænos agnouiſſe Primatum Romani Pontificis.* pag. 204.

§. IV. *Oſtenditur in Concilio Nicæno agnitum, & declaratum eſſe ius appellandi à ſententia Synodi ad Romanam Sedem, ac proinde ſtabilitam eſſe eius ſupremam atque adeo infallibilem in dubijs fidei determinandis authoritatem.* pag. 208.

§. V. *Reijcitur ſolutio Petri de Marca, & aliorum aſſerentium, Zoſimum Papam per ignorantiam facti citaſſe Canonem Sardicenſem pro Nicæno.* pag. 211

§. VI. *Oſtenditur Canones Nicænos, vel ſaltem Conſtitutiones Eccleſiaſticas in Nicæno Concilio ſtabilitas, plures fuiſſe quàm viginti, quæ extant: ac proinde non rectè probari, non fuiſſe in illo Concilio ſtabilitum ius appellandi à ſententia Synodi ad Sedem Apoſtolicam, ex eo quòd hoc non contineatur in Canonibus. Vbi quis fuerit Iſidorus Mercator, & quàm immeritò traducatur vt impoſtor.* pag. 213.

§. VII. *Idipſum multis argumentis euincit Seuerinus Binius.* pag. 215.

§. VIII. *Quamuis concederetur, capitula redacta in Canones à Patribus Nicænis fuiſſe duntaxat illa viginti, certiſſimum tamen eſt, plures Sanctiones, ſiue Conſtitutiones Eccleſiaſticas fuiſſe ab illis ſtabilitas, quàm quæ continentur in viginti*

Cano-

Canonibus vulgaribus. Vbi notantur aliqua circa epiſtolam primam Sancti Iulij ad Orientales. pag. 217.

§. IX. *Ex verſione Arabica Nicænorum Canonum, quæ recepta eſt apud omnes Chriſtianorum Sectas, & Schiſmaticos Orientis, & etiam apud Catholicos, ſatis probabile conficitur argumentum, quòd in Concilio Nicæno declarata & agnita ſit Romani Pontificis ſuperioritas in omnia Concilia.* pag. 220.

§. X. *Reijcitur tanquam omnino incredibilis ſolutio, quam huic argumento adhibet Natalis Alexander.* pag. 224.

§. XI. *Confirmatur nouo argumento, Concilium Nicænum declaraſſe authoritatem Romani Pontificis in omnes Patriarchas ex Canone Arabico, prout nunc conſeruatur in Bibliotheca, quam Damaſci habent Patriarchæ ſchiſmatici: & apud Chriſtianos Thomæos in India.* pag. 226.

§. XII. *Comprobatur authoritas verſionis Arabicæ Nicænorum Canonum ex mira conſonantia, & concordia inter doctrinam eorum Canonum, & eam, quam ſacra Concilia, Summi Pontifices, & ſancti Patres citant tanquam traditam à Concilio Nicæno.* pag. 228.

§. XIII. *Ex eo quod Cæcilianus Epiſcopus Carthaginenſis non attulerit ex Concilio Nicæno in Africam, niſi viginti Canones vulgares, qui modò extant, non rectè arguitur, Nicænum Concilium non declaraſſe authoritatem Romani Pontificis in omnia Concilia.* pag. 232.

§. XIV. *Ex eo quòd S. Cyrillus Alexandrinus, & Atticus Conſtantinopolitanus Epiſcopus interrogati de Canonibus Nicænis à Patribus Concilij Carthaginenſis, ſolùm remiſerint viginti Canones vulgares, malè infertur, nihil actum eſſe in Nicæno Concilio de appellatione ad Romanum Pontificem.* pag. 234.

§. XV. *Firmatur valde ſententia noſtra ex eo, quòd poſtquam Patres Africani anno 419. reſcripſerunt Bonifacio Primo, nec in Africa, nec in Oriente reperiri Canonem Nicænum de appellationibus; & conſequēter poſtquam ſcrinia Romanę Eccleſię examinata, & diſcuſſa sūt, S. Leo, & totū Concilium Romanum tertium ſub ipſo celebratum anno 449. Canonem illum Nicænum citauit, quod facere poſt tam acrem controuerſiam non potuit per ignorantiam facti, allegando Canonem Sardicenſem pro Nicæno.* pag. 236

§. XVI. *Cùm certum ſit in Concilio Nicæno ſtabilitam, & definitam fuiſſe controuerſiam de die, in quo Paſcha erat celebrandum, ad quam definiendam fuerat congregatum: & tamen de hac re nulla mentio fiat in Canonibus Nicænis vulgaribus: mirum non eſt, quòd in illis nulla mentio fiat de Primatu Romanæ Sedis, quamuis ille agnitus ſit, & declaratus in illo Concilio.* pag. 240.

§. XVII. *Decretum Nicænum de appellationibus ad Sedem Apoſtolicam, firmatur etiam alijs Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ teſtimonijs.* pag. 244.

§. XVIII. *Soluuntur reliqua argumenta recentium Criticorum.* pag. 247.

SECTIO III.

Quamuis admitteremus, Canones, vel ſtatuta citata à ſancto Zoſimo in ſuo Monitorio, & lecta in Concilio Carthaginenſi ſexto, non fuiſſe Concilij Nicæni, ſed Sardicenſis, ex illis efficaciter probaretur ſuprema authoritas, & conſequenter infallibilitas Romani Pontificis in determinandis fidei & morum controuerſijs. pag. 250.

SECTIO IV.

Denuò ſtabilitur authoritas ſuprema & infallibilis Romani Pontificis ex Canone ſexto Concilij Nicæni, in quo, iuxta editionem veraciſſimam, recitatam à Vicario Sedis Apoſtolicæ coram Patribus Concilij Chalcedonenſis, & ab ipſis approbatam, & à Dionyſio Exiguo confirmatam, declaratum eſt, Eccleſiam Romanam ſemper habuiſſe Primatū. pag. 252

§. I. *Præſupponuntur aliqua ad conficiendam probationem.* ibid.

§. II.

§. II. *Conſtituitur ratio perſuadens authoritatem infallibilem Romani Pontificis ex eo, quod Concilium Nicænum declarauit:* Eccleſiam Romanam ſemper habuiſſe Primatum. *Et Chalcedonenſe* eminentem primatum, & honorem præcipuum Romano Pontifici conuenire. pag. 255.

§. III. *Quomodo exponenda ſint verba illa Canonis ſexti:* Mos antiquus perduret in Ægypto, vel Lybia, & Pentapoli, vt Alexandrinus Epiſcopus horum omnium habeat poteſtatem, quoniam & Epiſcopo Romano pariſis mos eſt. pag. 256.

§. IV. *Eiuſdem canonis noua explicatio.* pag. 258.

§. V. *Reijcitur vt erronea ſententia eorum qui dicunt, Concilium Nicænum in eo Canone diuiſiſſe gubernationem totius Eccleſiæ inter Patriarchas, ſine ſubordinatione reliquorum ad Romanum.* pag. 262.

§. VI. *Cur in editionibus Conciliorum deſiderentur illa verba Canonis ſexti:* Eccleſia Romana ſemper habuit primatum. *Vbi oſtenditur illa non fuiſſe apposita vt titulum, ſed vt partem Canonis: & inde euinci infallibilitatem Romani Pontificis.* pag. 263.

SECTIO V.

Romani Pontificis ſuprema, atque adeo in definiendo infallibilis authoritas, probatur tertiò ex authoritate ſecundæ Synodi generalis, ſeu Conſtantinopolitanæ primæ. Vbi latè contra Dupinum demonſtratur, primatum Petri, & ſucceſſorum eius non eſſe ſolùm honoris aut dignitatis, ſed & poteſtatis & iuriſdictionis in Vniuerſa Eccleſia, & in Vniuerſam Eccleſiam. pag. 266.

§. I. *Conficitur prima probatio ab authoritate huius Concilij: quia Patres illius Synodi faſſi ſunt, ſe authoritate Damaſi* Papæ *fuiſſe congregatos; ab illoque petierunt ſuorum Decretorum confirmationem: Vnde opere ipſo proteſtati ſunt excellentiam Romani Pontificis ſupra omnia Concilia, eiuſque proinde in definiendo infallibilitatem.* ibid.

§. II. *Secunda probatio ex hoc Concilio; quia Patres Concilij Conſtantinopolitani tanquam quid certum ſuppoſuerunt, Romanum Pontificem habere in Eccleſia Chriſti abſolutè primatum.* pag. 269.

§. III. *Ex eo quòd in Concilijs Nicæno, Conſtantinopolitano, & Chalcedonenſi declaratum ſit, Romanum* Pontificem *habere ſimpliciter Primatum, rectè probatur contra D. Ellies Dupin, Romanum Pontificem non ſolùm habere poteſtatem* in Vniuerſa Eccleſia, ſed in Vniuerſam Eccleſiam. pag. 272.

§. VI. *Illa propoſitio Dupini;* Summus Pontifex non habet poteſtatem in Vniuerſam Eccleſiam, *opponitur manifeſtè definitioni Concilij Florentini, & articulo 23. ſtabilito ab Vniuerſitate Pariſienſi contra errores Lutheri.* pagina. 276.

§. V. *Deteguntur amplius abſurditas doctrinæ Dupini, quia affirmat Petrum non fuiſſe Paſtorem totius Mundi, niſi in eo ſenſu, in quo fuerunt cæteri Apoſtoli.* pag. 277.

§. VI. *Reijcitur ex dictis tanquam intolerabilis, & erronea doctrina Dupin, aſſerentis Chriſtum Dominum per illa verba,* Paſce oues meas, *non inſtituiſſe ſpecialiter Petrum, Paſtorem, & Doctorem totius Eccleſiæ.* pag. 278.

§. VII. *Ex eo quòd omnes Apoſtoli fuerint & nunc omnes Epiſcopi ſint verè Paſtores, ſine vlla probabilitatis ſpecie intulit Dupin, Chriſtum per illa verba* Paſce oues meas *non inſtituiſſe ſpecialiter Petrum* Paſtorem & Doctorem totius Eccleſiæ. pag. 282.

§. VIII. *Antiqui* Patres *conſtanter docent, Primatum, & ſupremam authoritatem Romani Pontificis in vniuerſam Eccleſiam, eſſe neceſſariam ad vnitatem Eccleſiæ, & Fidei.* pag. 284.

§. IX. *Infertur ex dictis, quàm abſurda ſit ſententia* Dupini *circa Primatum Petri,*

& Succeſſorum eius. pag. 289.

§. X. *Dupin in deprimendo* Primatu *Romani* Pontificis, *imitatus eſt Græcos Schiſmaticos, & Latinos Hæreticos cum Edmundo Richerio, & Simone Vigorio.* pag. 294.

§. XI. *Ex dictis manifeſtè infertur infallibilitas Romani* Pontificis *in definiendo.* pag. 300

SECTIO VI.

Quarta probatio ex tertia Synodo Generali, ſeu Concilio Epheſino, agnoſcente infallibilitatem in decreto fidei facto à Romano Pontifice. ibid.

SECTIO VII.

Quinta probatio ex quarta Synodo generali, ſeu Concilio Chalcedonenſi. pag. 302

§. I. *Patres Chalcedonenſes iudicarunt Concilium Generale non habere authoritatem infallibilem, niſi à* Pontifice *Romano iudicatur & confirmetur. Vnde eius infallibilitas ab infallibilitate Romani Pontificis dependet.* pag. ibid.

§. II. Prima *confirmatio inde petita, quòd* Patres *Chalcedonenſes ideo damnarunt Dioſcorum, quia auſus eſt contra Romanum* Pontificem *ſententiam proferre.* pag. 303.

§. III. *Secunda confirmatio inde petita, quòd epiſtolæ omnes lectæ in Concilio, primariò directæ erant ad Romanum* Pontificem, *ſecundariò ad Concilium.* pag. 304.

§. IV. *Tertia confirmatio inde petita, quòd Sedes Conſtantinopolitana obtinere non potuit ſecundum locum inter* Patriarchales, *niſi ex conceſſione Romani* Pontificis: *vbi de diſtinctione; & ordine* Patriarcharum. pag. 305.

§. V. *Quarta confirmatio inde petita, quòd* Patres *Chalcedonenſes vna voce clamarunt, ſubſcribendum neceſſariò eſſe, tanquam infallibili fidei regula, epiſtola S. Leonis, in qua ante Concilium damnauerat Eutychem.* pag. 306.

SECTIO VIII.

Sexta probatio ex Sexta Synodo Generali, ſeu Conſtantinopolitana tertia, vbi Patres approbant epiſtolam Agathonis, in qua ſupremam & infallibilem Sedis Romanæ authoritatem ſtatuebat. pag. 307.

§. I. *Confirmatio inde petita, quòd Synodus iſta Romanum* Pontificem *appellat* Vniuerſalis Eccleſiæ Antiſtitem, *eiuſque litteras damnantes doctrinam Monothelitarum appellat* dogmaticas. pag. 309.

SECTIO IX.

Septima probatio ex ſeptima Synodo generali, aliàs Nicæna ſecunda, in qua Patres ſuum iudicium ſubiecerunt Romani Pontificis *iudicio.* pag. 310.

SECTIO X.

Octaua probatio ex octaua Synodo generali aliàs Conſtantinopolitana quarta, agnoſcente Romanum Pontificem *vt ſe ſuperiorem, & agnoſcente obligationem ſequendi eius iudicium in decreto fidei.* pag. 311.

§. I. Prima *confirmatio inde petita, quòd Synodus iſta declarauerit, nullam fuiſſe Synodum à Photio coactam, eò quòd fuerit congregata contra authoritatem Romani* Pontificis. pag. 312.

§. II. *Confirmatio ſecunda petita ex veneratione, quam exhibuerunt* Patres *libello Adriani Romani* Pontificis, *agnoſcentes Sedem Romanam eſſe vera fidei Magiſtram, & cuſtodem.* ibid.

SECTIO XI.

Nona probatio ex poſtremis Concilijs Oecumenicis latinis, agnoſcentibus infallibilem authoritatem in Romana Sede, *ad decidendas fidei, & morum controuerſias.* pag. 313.

SECTIO XII.

Decima probatio ex Concilio Florentino definiente, Romanum Pontificem in vniuerſo Orbe habere primatũ, eſſe Succeſſorem Beati Petri Principis

Digitized by Google

cipis Apoſtolorum, totius Eccleſiæ Caput, & verum Chriſti Vicarium. pag.314.

§. I. *Confirmatio prima, quia hoc ipſo, quòd Romanus Pontifex ſit Doctor omnium Chriſtianorum, Magiſter eſt omnium Epiſcoporum, etiam dum ſunt congregati in Concilio, habetque proinde infallibilitatem ad declarandum illis dubia fidei, & morum.* pag.316

§. II. *Secunda confirmatio; quia Eccleſia congregata in Concilio Generali eſt propriè Eccleſia Chriſti, cuius caput eſt Romanus Pontifex, proindeque eſt ſuperior illa vt ſic congregata.* pag.317.

§. III. *Alia confirmatio, quia Romanus Pontifex non eſt Vicarius Eccleſiæ, ſed immediatè ipſius Chriſti, inde ſequitur habere authoritatē infallibibilē.* p.318.

§. IV. *Quarta confirmatio inde petita, quod in Florentino definitum eſt illud ipſum, quod Cardinalis Lotharingus deſiderabat definiri à Tridentino, nempe* ineſſe Romano Pontifici poteſtatem regendi vniuerſalem Eccleſiā: *cui definitioni ſe oppoſuerunt alij Galli, obtendentes, hoc pacto virtualiter definitum iri Papam eſſe ſupra Concilium, ac proinde gaudere infallibilitate ad determinandas fidei, & morum controuerſias.* pag.319.

§. V. *Reijcitur vt improbabilis interpretatio, qua Maimburgus eludere conatus eſt definitionem Concilij Florentini in fauorem Romani Pontificatus editam.* pag. 320.

SECTIO XIII.

Refellitur ex dictis euaſio Authoris Galli moderni, contendentis Romanum Pontificem non eſſe caput, & Principem vniuerſalis Eccleſiæ. pag.321.

§. I. *Ex vnitate Eccleſiæ demonſtratur, Romanum Pontificem non ſolùm eſſe caput cuiuſlibet Eccleſiæ particularis, ſed totius Eccleſiæ Vniuerſalis.* pag.322

§. II. *Ex eo quod vniuerſalis Eccleſia ſit ſponſa Chriſti, non ſequitur, Romanum Pontificem non eſſe caput totius Eccleſiæ quatenus diſtincta ab ipſo.* pag.323.

§. III. *Futile eſt argumentum, quo Author Hiſtoriæ Pontificiæ probat, Romanum Pontificem eſſe inferiorem Concilio: vbi multiplex aſſignatur ratio, cur Eccleſia ſit vna.* pag.324.

§. IV. *Eccleſia ab vnitate fidei dicitur vna, præcipuè quia habet rationem accommodatiſſimam ad conſeruandam vniformitatem fidei, eò quòd Summus Pontifex habeat authoritatem infallibilē ad proponendum veritates credendas.* pag.325.

SECTIO XIV.

Vndecima probatio ex Concilio Lateranenſi vltimo, in quo declaratum eſt, Romanum Pontificem habere authoritatem ſupra omnia Concilia. pag.326

§. I. *Proponitur definitio, ſeu declaratio facta ab hoc Concilio.* ibid.

§. II. *An certum ſit hoc Concilium fuiſſe Generale; vbi recenſentur varia placita Doctorum ſuper conditionibus requiſitis ad hoc vt aliquod Concilium ſit generale.* pag.328.

§. III. *Prudenter dubitari non poteſt hoc Concilium fuiſſe generale.* pag.330.

§. IV. *Ad Concilium generale non requiritur, quòd ad illud reipſa confluant Epiſcopi ex maiori Orbis parte.* pag.331.

§. V. *Concilium iſtud apertè declarauit ſuperioritatem Romani Pontificis in Concilio.* pag.333.

SECTIO XV.

Quid reſpondeant contrarij Doctores ad authoritatem Lateranenſis vltimi, & Florentini, vbi iterum oſtenditur, iſta Concilia fuiſſe Generalia. pag.334.

SECTIO XVI.

Duodecima probatio. Oſtenditur Tridentinos Patres cognouiſſe authoritatem infallibilem Romani Pontificis, eiuſque ſupra Concilium generale excellentiam. pag. 337.

§. I. *Quantùm obſtiterint Galli, ne à Triden-*

Digitized by Google

dentino approbaretur Canon formatus à Cardinali Lotharingo, quo dicebatur, Romanum Pontificem habere poteſtatem regendi Eccleſiã vniuerſalem, *& quàm acerbè hoc tulerint Pius IV. & Sanctus Carolus Borromæus.* pag. 338.

§. II. *Quæ cauſæ mouerint Pontificem ad præſcribendum, ne determinaretur hæc controuerſia.* pag. 339.

§. III. *Quamuis Tridentini Patres ſuperioritatem Papæ in Concilium non definierint, illam tamen abſque dubio agnouerunt; quod multiplici argumento probatur ex Hiſtoria Tridentini, & ex renitentia, quam oſtenderunt contra Saxones, & Vvittembergenſes infenſos huic Pontificis excellentiæ.* pag. 340

§. IV. *Hiſpani omnes, Itali & Germani pro Pontificia iuriſdictione ſupra vniuerſam Eccleſiam in Tridentino extitere, ſolis repugnantibus Gallis. Vbi oſtenditur, non minus certum eſſe, quòd Papa ſit ſupra Concilium, quàm certum eſt Concilium Florentinum fuiſſe Generale: id quod Galli negant.* pag. 341.

§. V. *Quanto ardore locutus ſit coram Legatis Pontificijs Ferrerius Orator Regis Galliæ contra authoritatem Romani Pontificis.* pag. 343.

§. VI. *Patres Tridentini, dum finem impoſuerunt Concilio ſatis declarant ſe Romanæ Sedis ſuperioritatem agnoſcere illum appellando* Pontificem, ſanctæ, & vniuerſalis Eccleſiæ, *& declarando* omnia ſic decreta eſſe, & in his ſalua ſit ſemper authoritas Sedis Apoſtolicæ. pag. 344.

§. VII. *Patres Tridentini agnouerunt authoritatem Pontificis eſſe ſupra Conciliũ, ac proinde ſupremam, & infallibilem, dum cenſuerunt, ſe non poſſe decretum obligans ad reformationem Curiæ Romanæ Eccleſiæ facere, niſi illud confirmaretur à Pontifice.* pag. 347

§. VIII. *Concilij Patres agnouerunt infallibilitatem Romani Pontificis, dum declararunt, ad ipſum pertinere,* controuerſias fidei determinare, cùm neceſſitas poſtulauerit: *& ab illo ſuorum Decretorum* confirmationem *humiliter petiuerunt. Et alia ad eius authoritatem remiſerunt.* pag. 350.

SECTIO VLTIMA.

In qua infertur ex dictis admittendam non eſſe tertiam propoſitionem Cleri Gallicani, affirmantem, Apoſtolicæ poteſtatis vſum moderandum eſſe per Canones Spiritu Dei conditos, & totius mundi reuerentia conſecratos. pagina. 352.

§. I. *Præmittitur ad dicenda, quinam ſint Canones, in quibus diſpenſare poteſt Romanus Pontifex, vel quos poteſt limitare, aut relaxare.* pag. 353.

§. II. *Ratio à priori, cur Papa poſsit diſpenſare in omni iure poſitiuo, illudque limitare & explicare, prout bonum publicum poſtulauerit: quæ confirmatur ex D. Thoma.* pag. 354.

§. III. *Cùm Romanus Pontifex ſit ſupremus Princeps, & Monarcha ſpiritualis Eccleſiæ, non poteſt ligari legibus Eccleſiaſticis quoad vim coactiuam illarum, ſed ſolùm quoad directiuam.* pag. 355.

§. IV. *Vſum poteſtatis Apoſtolicæ non poſſe moderari per Canones, probatur ex ipſis ſacris Canonibus ſpiritu Dei conditis, qui declarant Romanum Pontificem eſſe ſupra omne ius poſitiuum inductum per Canones.* pag. 356.

§. V. *Cùm ſolus Romanus Pontifex habeat Primatum in Vniuerſam Eccleſiam tanquam caput eius, & Vicarius Chriſti, ipſe ſolus poteſt ferre leges vniuerſales obligantes totam Eccleſiam; ac proinde vſus poteſtatis Pontificiæ à nulla poteſtate humana poteſt limitari.* pag. 359

§. VI. *Apoſtolicæ poteſtatis vſum non eſſe moderandum per Canones; ſed è contra Canonum vſum moderandum eſſe per Apoſtolicam poteſtatem; docent Doctores ipſi Galli Moderni.* pag. 361.

§. VII. *Ipſe Illuſtriſſimus Clerus Gallicanus in epiſtola ad Dominum Noſtrum*

IN-

INNOCENTIVM XI. videtur ſupponere Papam eſſe ſupra Canones, ac proinde Apoſtolicæ poteſtatis vſum non eſſe moderandum per ipſos. pag. 367.

§. VIII. *Doctrina illius epiſtolæ videtur contraria tertię propoſitioni, in qua declarauit,* Apoſtolicæ poteſtatis vſum moderandum eſſe per Canones. pag. 369.

§. IX. *Infertur ex dictis, authoritatem Romani Pontificis eſſe ſupra conſuetudines, ſtatuta, & priuilegia quarumcumcumque Eccleſiarum particularium; poſſeque illa abrogare, vel limitare, quoties neceſſitas boni communis id poſtulauerit.* pag. 371

DISPVTATIO IV.

In qua ex Synodis Prouincialibus probatur infallibilitas Romani Pontificis, eiuſque ſupra omnia Concilia authoritas. pag. 374.

SECTIO I.

Probatur ex Synodis Africanis. pag. 374

SECTIO II.

Probatur infallibilitas Romani Pontificis ex Concilijs Prouincialibus Galliæ, & ex iudicio multarum illuſtrium Eccleſiarum & ſanctiſſimorum Epiſcoporum illius Regni. pag. 378.

SECTIO III.

Recentiora teſtimonia Eccleſiæ Gallicanæ pro infallibilitate Romani Pontificis. pag. 383.

§. I. *Litteræ Eccleſiæ Gallicanæ recurrentes ad Sedem Petri tanquam ad infallibile Fidei oraculum pro condemnatione hæreſis Ianſenianæ.* pag. 384.

§. II. *Litteræ gratulatoriæ Eccleſiæ Gallicanę ad Innocentium Decimum, in quibus agnoſcit eſſe infallibilem definitionem Pontificiam in materia fidei, prout oritur à Sede Petri pro priori ad Eccleſię conſenſum.* pag. 385.

SECTIO IV.

Illuſtri teſtimonio Illuſtriſſimi Petri de Marca Archiepiſcopi Pariſienſis de ſenſu continuato Eccleſiæ Gallicanæ circa infallibilitatem Romani Pontificis; & ſuffragio Regij Senatus concluditur probatio ex Synodis Prouincialibus Galliæ. pag. 387

SECTIO V.

Afferuntur etiam nonnulla Nationum aliarum Concilia ad probandam eandem infallibilitatem. pag. 392.

DISPVTATIO V.

Aliud caput probandi infallibilitatem Romani Pontificis, ex perpetua praxi Eccleſiæ, in qua pleræque hæreſes extra Concilia generalia damnatæ ſunt.

SECTIO I.

Proponitur praxis iſta Eccleſiæ, & inſigni teſtimonio Auguſtini confirmatur. pagina 395

SECTIO II.

Recenſentur multæ hæreſes & praua dogmata, quæ à primis ſæculis Eccleſiæ, vſque ad noſtra tempora ſine Concilio generali damnata ſunt. pag. 398.

SECTIO III.

Adeò conſtans eſt, ad Romanum Pontificem primariò pertinere cum infallibilitate controuerſias fidei decidere, vt nullum, vel ferè nullam Concilia generalia hæreſim damnauerint, quin prius eam damnauiſſet Sedes Romana. pag. 401.

SECTIO IV.

Roboratur eadem veritas ex eo, quòd licet ſæpe Romani Pontifices reformauerint definitiones fidei factas à Concilijs Prouincialibus, vel generalibus: nullum vnquam Concilium generale reformauerit definitionem Romani Pontificis in

Digitized by Google

in materia fidei, declarando ſcilicet eſſe falſum id, quod ille è cathedra fidelibus propoſuerat tanquam catholicum dogma. pag. 403.

SECTIO V.

Confirmatur praxis illa Eccleſiæ ex eo, quòd ex traditione Apoſtolica mos olim fuit, vt Romanus Pontifex ſtatim, atque fuerat creatus, ad confirmandos in fide fratres, fidem ſuam tanquam regulam, normamque certiſſimam eis mitteret, & viciſſim Patriarchæ recenter electi mitterent ad ipſum. pag. 405.

DISPVTATIO VI.

Nouum Caput probandi infallibilitatem Romani Pontificis authoritate Sanctiſſimorum Pontificum, qui hanc infallibilitatem acerrimè aſſeruerunt, & propugnarunt, quin illis obiici poſſit, ambitiosè cauſam ſuam egiſſe. pag. 408.

§. I. Vnicus quàm ſit validum hoc argumentum. pag. 408.

DISPVTATIO VII.

In qua teſtimonio Sanctorum Patrũ, qui à primis ſæculis Eccleſiæ floruerunt, ſtabilitur eadem infallibilitas Romani Pontificis in definiendis Fidei, & morum controuerſijs. pag. 415.

SECTIO I.

Recenſentur authoritates Patrum, qui ante ſextum ſæculum Eccleſiæ Chriſti floruerunt. ibid.

§. I. S. Irenæi. ibid.

§. II. Tertulliani, ss. Hippolyti Martyris, & Cypriani. pag. 417.

§. III. ss. Athanaſij, Baſilij, Nazianzeni, Ephrem, Optati. pag. 419

§. IV. ss. Leonis, Ambroſij, Maximi, & Chryſoſtomi. pag. 422.

§. V. s. Hieronymi. pag. 425

§. VI. Epiſcoporum Catholicorum tempore s. Damaſi. pag. 427.

§. VII. s. Auguſtini. pag. 428.

§. VIII. ss. Cyrilli, Chryſologi, Flauiani, Ioannis Conſtantinopolitani, Ennodij, Fulgentij. pag. 431.

SECTIO II.

Recenſentur authoritates Patrum, qui floruerunt poſt ſæculum ſextum Eccleſiæ Chriſti. pag. 433.

§. I. SS. Gregorij Magni, & Auiti. pag. ibid.

§. II. ss. Maximi, Bedæ, Damaſceni, Studitæ, Ignatij Conſtantinopolitani. pag. 434.

§. III. B. Petri Damiani, s. Anſelmi, Ruperti, s. Bernardi, Hugonis de s. Victore, s. Thomæ Cantuarienſis, Petri Cellenſis. pag. 436.

§. IV. D. Thomæ, S. Bernardini Senenſis, Gennadij, B. Capiſtrani, s. Antonini. pag. 439.

§. V. Probatur etiam ex titulis & præconijs, quibus SS. Patres Summi Pontificis dignitatem extollunt. pag. 441.

SECTIO III.

Vindicatur à ſeuera criſi non ſolùm hæreticorum, ſed quorundam Orthodoxorum, inſignis locus s. Cyrilli Alexandrini, ſæpe citatus à D. Thoma pro ſuprema & infallibili Romani Pontificis authoritate, & ab illis reiectus tanquam ſuppoſititius. pag. 443.

SECTIO IV.

Infallibilitas Romani Pontificis, eiuſque excellentia ſupra omnia Concilia, cognita fuit tempore Concilij Epheſini ab Eutherio Thyanenſi Epiſcopo, & Helladio Tarſenſi, qui appellauerunt ad Sixtum III. Pontificem Romanum à ſententia lata à Cyrillo, & à Concilio contra ipſos, & alios Epiſcopos. pag. 448.

§. I. Appenduntur capita aliqua illius epiſtolæ. ibid.

§. II. Scholia, & notæ Chriſtiani Lupi in Epi-

Epiſtolam Eutherij, & Helladij Epiſcoporum ad Sixtum Tertium P. M. qui præfuit Eccleſiæ immediatè poſt S. Cæleſtinum I. ſub quo celebratum eſt Concilium Epheſinum. pag.450.

§. III. *Confirmatur eadem authoritas Romani Pontificis ex alia epiſtola eiuſdem Eutherij Epiſcopi, ad Alexandrum, & Theodoretum.* pag.454.

§. IV. *Scholia Chriſtiani Lupi ad eam Epiſtolam.* pag.455.

§. V. *Eadem authoritas Romani Pontificis illuſtratur ex eo, quòd S. Sixtus reuocauerit Decretum Concilij Epheſini contra aliquos Epiſcopos, qui ad ipſum appellarunt.* pag.456.

SECTIO V.

Suprema, & infallibilis authoritas Romani Pontificis agnita fuit, & opere ipſo propugnata à Theodoreto Epiſcopo Cypri, qui interfuit Concilio Epheſino atq; etiam agnita à Ruffino. pag.457.

SECTIO VI.

Ipſi Baſileenſes Patres, dum in ſuis Epiſtolis Synodalibus extollere conantur authoritatem Concilij ſupra Papam, ea principia admittunt, ex quibus neceſſariò infertur oppoſitum. pag.459.

DISPVTATIO VIII.

In qua ex Iure Pontificio, id eſt ex Sacris Canonibus, & Pontificum Decretis ſtabilitur Romani Pontificis in determinandis fidei & morum controuerſijs infallibilitas.

SECTIO I.

Breuis notitia de iure Pontificio. pag.461.

SECTIO II.

Quanta ſit authoritas Sacrorum Canonum & quàm validum argumentum, quod ex illis conficitur. pag.464.

SECTIO III.

Afferuntur pro infallibilitate Romani Pontificis textus ex Iure Canonico. pag.466.

§. I. *Expenduntur textus Decreti.* ibid.

§. II. *Hoc ipſum habetur ex Decretalibus.* pag. 469.

§. III. *Atque etiam ex Extrauagantibus.* pag. 470.

§. IV. *Confirmatur ex Extrauaganti Sixti IV. contra Petrum Oxomenſem.* pag. 471.

§. V. *Præoccupatur obiectio contra prædicta.* pag.472.

SECTIO IV.

Supremam & infallibilem authoritatem Romani Pontificis etiam Romani Imperatores agnouere, & faſſi ſunt. pag.473.

DISPVTATIO IX.

In qua eadem Romani Pontificis infallibilitas probatur authoritate Theologorum, & ex cenſuris Theologicis quas doctrinæ oppoſitæ inurunt.

SECTIO I.

Oſtenditur ante Concilium Conſtantienſe, fuiſſe inauditam inter Patres & Theologos ſententiam, negantem Romano Pontifici infallibilitatem, in determinandis fidei & morum controuerſijs. pag. 477.

SECTIO II.

Academia Pariſienſis ante tempora Concilij Conſtantienſis, authoritatem infallibilem Romani Pontificis conſtanter profeſſa eſt. pag.479.

SECTIO III.

Catalogus Illuſtrium Doctorum Scholæ Pariſienſis, qui ante Concilium Conſtantienſe, primatum, & infallibilitatem Romani Pontificis, eiuſque ſupra Concilia authoritatem propugnarunt. pag. 481.

§. I.

Digitized by Google

§. I. *Alcuinus Vniuerſitatis Parienſis Fundator, Lanfràncus Archiepiſcopus Cantuarienſis in Academia Pariſienſi Scholæ Rector, & Petrus Lombardus Magiſter ſententiarum.* ibid.

§. II. *Alexander Alenſis, Albertus Magnus.* pag. 483.

§. III. *S. Bonauentura Doctor Seraphicus.* pag. 485.

§. IV. *S. Thomas Doctor Angelicus.* pag. 487.

§. V. *Henricus de Gandauo Doctor ſolemnis, Auguſtinus de Ancona, & Ægidius Romanus.* pag. 489.

§. VI. *Ioannes Pariſienſis.* pag. 492.

§. VII. *Doctor ſubtilis Scotus.* pag. 493.

§. VIII. *Herueus, Natalis, & Aureolus.* pag. 495.

§. IX. *Guido Carmelita, & Ioannes de Belna.* pag. 497.

§. X. *Petrus de Palude.* pag. 498.

§. XI. *Franciſcus Mayronus Scoti Auditor, & Ioannes Bachonius Doctor reſolutus.* pag. 502.

SECTIO IV.

Catalogus Theologorum antiquorum, qui ante Concilium Conſtantienſe, extra Vniuerſitatem Pariſienſem propugnarunt infallibilitatem Romani Pontificis, eiuſque ſupra omnia Concilia excellentiam. pag. 504.

§. I. *Potho Prumienſis, & Guilielmus Antiſiodorenſis, & Pariſienſis.* ibid.

§. II. *Richardus de Mediauilla.* pag. 505.

§. III. *Durandus,* pag. 507.

§. IV. *Aluarus Pelagius, Thomas Valdenſis, & Gabriel Biel.* pag. 509.

SECTIO V.

CATALOGVS Illuſtrium Doctorum Pariſienſium, qui poſt Concilium Conſtantienſe propugnarunt infallibilitatem Romani Pontificis, eiuſque ſupra omnia Concilia excellentiam. Vbi de zelo Vniuerſitatis Pariſienſis in defendenda authoritate Romani Pontificis. pag. 512.

§. I. *Elogium Academiæ Pariſienſis, & quanto ſtudio defenderit vſque ad hæc tempora authoritatem Romani Pontificis.* ibid.

§. II. *Doctores Sorbonici, qui poſt Concilium Conſtantienſe defendunt infallibilitatem Romani Pontificis; eiuſque ſupra omnia Concilia excellentiam.* pag. 514.

SECTIO VI.

Catalogus aliorum authorum Gallorum, qui poſt Concilium Conſtantienſe infallibilitatem Romani Pontificis, & eius ſupra omnia Concilia excellentiam propugnarunt. pag. 520.

SECTIO VII.

Inſigniores Doctores aliqui, qui extra Galliam, poſt Concilium Conſtantienſe vſque ad initium decimi ſexti ſæculi authoritatem infallibilem Romani Pontificis propugnarunt. pag. 525.

SECTIO VIII.

Quàm propria ſit Societati doctrina de infallibilitate Romani Pōtificis. pag. 532.

SECTIO IX.

Spiritum defendendi Sedis Apoſtolicæ authoritatem accepit Societas Ieſu à S. Ignatio Fundatore; & à primis eius Socijs, qui in Concilio Tridentino pro hac cauſa ſtrenuè laborauerunt; præſertim P. Didacus Laynez, vt conſtat ex Hiſtoria Concilij. pag. 537.

§. I. *S. Ignatius Societatem fundauit ad defendendam authoritatem Romani Pontificis, ab hæreticis nouiſſimis impudenter impetitam.* ibid.

§. II. *Quantopere S. Ignatius filijs ſuis commendauerit obedientiam Sedis Apoſtolicæ, & defenſionem authoritatis eius.* pag. 536.

§. III. *Ipſe S. Ignatius in Epiſtola ad Claudium Imperatorem Abiſſinorum, primatum Romanæ Sedis contra omnes Schiſmaticos & hæreticos, eiuſque excellentiam & infallibilitatem validiſſimè comprobauit.* pag. 537.

§. IV.

Digitized by Google

§. IV. *Quàm validè propugnauerit in Concilio Tridentino* P. *Didacus Laynez ſecundus Generalis Societatis Ieſu authoritatem Romani Pontificis*. pag. 542.
§. V. *Quàm neruosè P. Laynez in Tridentino defenderit authoritatem Romani Pontificis, dum in eo actum eſt de Epiſcoporum iuriſdictione, validè probans poteſtatem iuriſdictionis externa non accipere Epiſcopos immediatè à Chriſto, ſed mediante Romano Pontifice.* pag. 545.
§. VI. *Ex doctrina ſtabilita à P. Laynez circa iuriſdictionem Epiſcoporum manifeſtè ſequitur,* Papam *eſſe ſupra omnia Concilia, ac proinde eius ſententiam & definitionem in rebus fidei eſſe irreformabilem.* pag. 555.
§. VII. *P. Alphonſus Salmeron.* pag. 556.
§. VIII. *Petrus Caniſius.* pag. 558.
§. IX. *Venerabilis P. Ludouicus à Ponte.* pag. 559.
§. X. *Franciſcus Turrianus.* pag. 562.
§. XI. *Cardinalis Toletus.* pag. 564.
§. XII. *Alij Cardinales Societatis.* pagina. 567.
§. XIII. *Quatuor prima lumina Societatis in Theologia Scholaſtica, Suarez, Vazquez, Molina,* Valentia. pag. 568.
§. XIV. *P. Gregorius de Valentia.* ibid
§. XV. *P. Vazquez.* pag. 569.
§. XVI. *Ludouicus de Molina.* ibid.
§. XVII. *P. Franciſcus Suarez.* pag. 572.
§. XVIII. *Scriptores alij Societatis ſupra quinquaginta, ſtantes pro infallibilitate Romani Pontificis.* pag. 575.

DISPVTATIO X.

In qua probatur infallibilitas Romani Pontificis, eiuſque ſupra omnia Concilia excellentia, ab authoritate celebriorum Orbis Chriſtiani Vniuerſitatum, quæ hanc infallibilitatem profitentur.

SECTIO I.

Academia Pariſienſis. pag. 577.

SECTIO II.

Academia Salmanticenſis. pag. 579

SECTIO III.

Academia Louanienſis. pag. 581.

SECTIO IV.

Vniuerſitas Duacena, & Colonienſis. p. 584

DISPVTATIO XI.

In qua probatur infallibilitas Romani Pontificis in definiendo, ex cenſuris Theologicis, quibus doctrinam oppoſitam notarunt grauiſſimi authores.

SECTIO I.

Cenſura Carnotenſis, Cani, Bañez. p. 586.

SECTIO II.

Thomæ Stapletonij, Cuneri Petri, Siluij, Duuallij, & Macedo. pag. 587

SECTIO III.

Cenſura Cardinalis Bellarmini, & Toleti. pag. 588.

SECTIO IV.

Cenſura Gregorij de Valentia, & Franciſci Suarez. pag. 590.

SECTIO V.

Quomodo cohæreant, quòd ſecundum ſententiam ſatis communem ſit de fide Romanum Pontificem non poſſe errare in definiendis fidei & morum controuerſijs; & tamen ſecundum eoſdem ipſos DD. oppoſita doctrina non ſit appellanda hæretica. pag. 592.

SECTIO VI.

Cenſura Hungarica quatuor propoſitionum Cleri Gallicani. pag. 593.

DISPVTATIO XII.

De numero, & qualitate Doctorum qui negant infallibilitatem Romani Pontificis, & de tempore turbu-

lento, in quo ſcripſerunt: vbi probatur D. Dupin falsò allegare pro ſua ſententia aliquos Authores.

SECTIO I.
Recenſentur illi Doctores; & exponitur, quam exceptionem patiantur. pag. 595

SECTIO II.
Non bene Dupin pro ſe allegat Toſtatum. pag. 599.

SECTIO III.
Falsò, & ſine veriſimilitudinis ſpecie citat Claudium de Sainctes. pag. 601

SECTIO IV.
Falsò quoque, & ſine fundamento Dupin allegat pro ſe Ioannem Arboreum, confundens errorem perſonalem Papæ cum errore iudiciali eiuſdem docentis totam Eccleſiam. pag. 602

SECTIO V.
Immeritò allegat pro ſua ſententia Dionyſium Carthuſianum. pag. 610.

SECTIO VI.
Alia etiam teſtimonia ab ipſo adducta nihil probant. pag. 604

SECTIO VII.
Authores allegati à Dupin pro ſua & Cleri Gallicani ſententia, nullam ei poſſunt conciliare probabilitatem. pag. 612

SECTIO VIII.
Quamuis doctrina de fallibilitate Pontificis, & de eius inferioritate ad Concilium generale, eſſet immunis ab omni cenſura Theologica, & gauderet aliqua ſolida probatione; non poſſet Illuſtriſſimus Clerus Gallicanus hac doctrina vti, ſi procedere vellet conſequenter ad principia, de vſu illicito opinionis minùs tutæ, & in occurſu probabilioris & tutioris. pag. 615.

§. I. *Præmittuntur aliqua.* ibid.

§. II. *Oſtenditur doctrinam traditam in ſua Declaratione à Clero Gallicano, non cohærere cum ea quam tradunt circa vſum probabilium.* pag. 617.

§. III. *Oſtenditur non ſatis eſſe ad ſecurè ſectandam doctrinam Declarationis Cleri Gallicani, quòd quis exiſtimet illam eſſe longè probabiliorem oppoſita, imo quod arbitretur eſſe certam.* pag. 622.

SECTIO IX.
Impugnatur ex dictis explicatio Declarationis de poteſtate Eccleſiaſtica Cleri Gallicani, exhibita ab Illuſtriſſimo Epiſcopo Tornacenſi. pag. 624

SECTIO X.
Impugnatur ex dictis Doctrina Gerſonis & Almaini, aſſerentium, definitiones Pontificias non obligare ad credendum rem definitam, ſed ſolùm ad non dogmatizandum oppoſitum. pag. 629.

SECTIO XI.
Soluitur obiectio: cuius occaſione exponitur, an & quomodo poſſit Eccleſia obligare ad actum internum. pag. 632

§. I. *Non minùs poteſt Romanus Pontifex obligare omnes fideles ad non aliter ſentiendum & credendum, quàm ab ipſo definitum eſt; ac poteſt Concilium generale approbatum.* pag. 633.

§. II. *Exponitur, an & quomodo poſſit Eccleſia obligare ad actus internos,* pag. 635

§. III. *Secernitur ab obligatione immediatè orta ex præcepto Eccleſiaſtico in fidei definitione incluſo alia obligatio, quæ oritur immediatè ex iure naturali, & præcepto Diuino fidei.* pag. 638

DISPVTATIO XIII.

In qua exarmatur præcipuum fundamentum contrariæ ſententiæ, deſumptum ab authoritate Concilij Conſtantienſis.

SECTIO I.
Breuis Hiſtorica narratio de cauſis ſchiſmatis,

Digitized by Google

matis, ad quod extinguendum congregatum eſt Concilium Conſtantienſe, & de initio, & progreſſu, & fine illius. p.640

SECTIO II.

Proponuntur verba Concilij Conſtantienſis in quibus Aduerſarij fundant ſuam ſententiam de ſuperioritate Concilij in Papam. pag.647.

SECTIO III.

Quamuis permitteremus iſtam declarationem Conſtantienſis Concilij fuiſſe legitimam: inde non rectè impugnatur authoritas infallibilis Romani Pontificis. 648.

§. I. *Probatur exemplis Concilia generalia non habere authoritatem infallibilem ſeorſim à confirmatione Romani Pontificis.* pag. ibid.

§. II. *In Concilijs generalibus maior pars ſuffragiorum non ſufficit ad infallibilitatem, niſi accedat approbatio Papæ: nec ſine hac ſufficit vniformis conſenſus Patrum, ad obligandum fideles ad credendũ, ea, quæ definita ſunt.* pag.649.

§. III. *Concluditur ex dictis, iudicium Romani Pontificis definientis eſſe infallibile & irreformabile, & omnes fideles obligare ad ſuum iudicium illi conformandum.* pag.651.

§. IV. *Si Papa poſſet errare in determinandis fidei controuerſijs, poſſet errare tota Eccleſia in capite, & in membris, & periret fundamentum noſtræ fidei.* pag.653

§. V. *Quamuis Papa poſſet incidere in manifeſtam hæreſim, & ad illam amplectendam vellet obligare; nequit tamen errare in quæſtione, quæ inter Catholicos eſt controuerſa.* pag.656.

SECTIO IV.

An Romanus Pontifex poſſit in hæreſim manifeſtam incidere, & illam Eccleſiæ proponere? pag.657.

§. I. *Proponuntur variæ Doctorũ ſententiæ, præſertim ſententia Bellarmini probabiliſſimè opinantis, non poſſe Romanum Pontificem incidere in hæreſim manifeſtam, & veriſſimè affirmantis, omnino certum eſſe, quòd illam non poſſit toti Eccleſiæ proponere.* pag. ibid.

§. II. *In alijs Patriarchalibus Eccleſijs ſederunt Præſules, qui fuerunt Hæreſiarchæ; è Romana tamen Cathedra nullus vnquam hæreſim docuit.* pag.658

SECTIO V.

Oſtenditur neque ex Concilio Conſtantienſi rectè probari, generale Concilium eſſe ſupra Papam certum & indubitatũ. 660

§. I. *Prima ratio, quia Concilium Conſtantienſe, quando ſeſſione 4. & 5. declarauit Concilium eſſe ſupra Papam, non fuit Generale.* ibid.

§. II. *Proponitur argumentum, quo Patres Concilij Baſileenſis contendebant, firmũ & validam fuiſſe definitionem Concilij Conſtantienſis de excellentia Concilij ſupra Papam.* pag.661.

§. III. *Soluitur argumentum illud cum ſuis inſtantijs; oſtenditur Martinum V. non approbaſſe omnia, quæ ſtatuta fuerant in Concilio Conſtantienſi à ſola obedientia Ioannis XXIII. ſed ſolùm ea, quæ decreta fuerant aduerſus hæreſes Ioannis Vuicleffi & Ioannis Hus.* pag.662

§. IV. *Concilium Conſtantienſe, quatenus generale ſub Martino V. non iuſſit credi omnia, quæ olim approbauerat ante electionem Martini, ſed quæ olim approbauerat, & ſimul tunc approbauit poſt electionem.* pag.663.

§. V. *Soluitur aliud argumentum Baſileenſium, deſumptum ex eo, quòd Martinus Quintus approbauit notã erroris, quam Concilium Conſtantienſe inuſſerat huic propoſitioni Vuicleffi;* Non eſt de neceſſitate ſalutis credere, Romanam Eccleſiam eſſe ſupremam inter alias Eccleſias; *oſtenditurque non ſumi ibi Eccleſiam ſeorſim à capite.* pag.664

§. VI. *Etſi vi illius cenſuræ vt approbatæ à Martino V. ſolùm ſit de fide, Romanum Pontificem habere primatum ſupra ſingulas Eccleſias particulares; hinc non infertur, non habere primatum ſupra Eccleſiam vniuerſalem vt congregatam in Concilio.* pag.665.

§. VII. *Infertur euidĕter ex dictis, in Concilio Conſtantienſi quatenus Generali, & appro-*

Digitized by Google

approbato à Martino V. non fuiſſe definitam ſuperioritatem Concilij in Papam. pag. 667.

§. VIII. *Concilium Conſtantienſe, poſtquam fuit generale & legitimum, reuocauit decretum factum ſeſſione 4. & 5. ab obedientia Ioannis XXIII. contra authoritatem Romani Pontificis.* 668.

§. IX. *Soluitur alia obiectio; & oſtenditur Martinum V. non confirmaſſe omnia, quæ à Synodo Conſtantienſi fuerant vtcumque determinata, ſed ea duntaxat, quæ in materia fidei fuerant* conciliariter *concluſa, & decretata.* pag. 669.

§. X. *Concluditur ex dictis Martinum V. non approbaſſe decretum factum ſeſſ. 4. & 5. de excellentia Concilij ſupra Papam.* pag. 670.

§. XI. *Alia eiuſdem argumenti ſolutio, quòd ſcilicet Martinus V. ſolùm rata habuerit ea, quæ contra hæreſes* conciliariter *decreta fuerunt; hoc eſt pleni Concilij conſenſu.* pag. 672.

SECTIO VI.

An ſufficienter ſoluatur authoritas Conſtantienſis, dicendo ipſum loqui ſolùm pro tempore Schiſmatis. pag. 673.

§. I. *Proponitur ſententia affirmans.* p. 673

§. II. *Confirmatur ſententia illa, & in medium producuntur ſelectæ notitiæ, quibus Dom. D. Emanuel Schelestrate immerito deprimit Decreta ſeſſ. 4. & 5. Concilij Conſtantienſis.* pag. 675.

§. III. *Reijcitur ea ſolutio, quia definitio illa etiam intellecta ſolùm pro tempore Schiſmatis, multa difficilia continet. Et in primis falsò aſſerit Synodum illam, facere Concilium generale.* pag. 678.

§. IV. *Non ſubſiſtere reſponſionem Richerij.* pag. 679.

§. V. *Secundò; quia illa ſeſſio 4. declarauit Concilium immediatè à Chriſto poteſtatem habere, cui etiam ipſe Papa obedire tenetur non ſolùm in ijs, quæ pertinent ad extirpationem ſchiſmatis.* pag. 681.

§. VI. *Concilium conuocatum tempore ſchiſmatis, ſolùm habet poteſtatem ad ſtatuenda ea, quæ neceſſaria ſunt ad eius extinctionem ſchiſmatis, non autem ad condendas leges vniuerſales, & decidendas fidei controuerſias.* pag. 683.

SECTIO VLTIMA.

Infertur ex dictis, falſam & ſine fundamento eſſe ſecundam propoſitionem Cleri Gallicani. pag. 685.

DISPVTATIO XIV.

In qua oſtenditur, non poſſe ex Concilio Baſileenſi impugnari infallibilitatem Romani Pontificis. pag. 689.

SECTIO I.

Proponitur argumentum ab authoritate huius Concilij. ibid.

SECTIO II.

Oſtenditur hoc argumentum nullius eſſe ponderis. pag. 690.

SECTIO III.

Soluitur ratio, qua videtur Concilio Baſileenſi authoritatem conciliari. pag. 694.

§. I. *Quid ſenſerit Cardinalis Turrecremata de facto Eugenij, dum Concilium Baſileenſe ſe proſequi velle, & charitate amplecti profeſſus eſt.* pag. 696.

SECTIO IV.

Quid ſentiant ipſi Doctores Galli de Concilio Baſileenſi. pag. 697.

§. I. *Quid ſenſerit Ludouicus XI. Galliæ Rex, & Epiſcopus Meldenſis eius Legatus.* ibid.

§. II. *Quid Duuallius, & Coffeteau.* pagina. 698.

§. III. *Quid Nauclerus, & Spondanus.* pag. 699.

§. IV. *Quid ſenſerint* Illuſtriſſimus *Petrus de Marca, M. Bail, & Cabaſutius.* pag. 701.

§. V. *Quam pauci Doctores Galli nitantur*

tur authoritate Concilij Baſileenſis. pag. 704.

DISPVTATIO XV.

In qua oſtenditur, nec ex Scriptura, nec ex Hiſtoria Eccleſiaſtica vllum argumentum depromi, quo probetur, Romanum Pontificem carere priuilegio Infallibilitatis, dum è Cathedra Petri vniuerſam docet Eccleſiam, determinando fidei & morum controuerſias, quæ inter Catholicos emergunt.

SECTIO I.
Falsò D. Dupin affirmat, Defenſores Infallibilitatis Romani Pontificis non conuenire in explicando, quid ſit Papam loqui è Cathedra Petri. pag. 707.

SECTIO II.
Ex eo quòd Petrus fuerit à Paulo reprehenſus, perperam arguit D. Dupin, poſſe Pontificem Romanum in determinandis fidei, & morum controuerſijs errare. pag. 712.

SECTIO III.
Reſponſio generalis ad argumenta contendentia aliquos Papas erraſſe in fide, ac propterea non eſſe in definiendo infallibiles. pag. 714.

SECTIO IV.
Nullus vnquam Papa dogma falſum Eccleſiæ credendum propoſuit. pag. 715

SECTIO V.
Quidquid ſit, an Honorius Primus inciderit in errorem Monothelitarum; certum eſt, illum errorem non definiſſe, nec Eccleſiæ credendum propoſuiſſe; vt ſine vlla probabilitatis ſpecie D. Dupin aſſeruit. pag. 717.

SECTIO VI.
Oſtenditur contra D. Maimburgum, & D. Dupin, Honorium Primum Pontificem non tenuiſſe errorem Monothelitarum, qui poſtea damnatus eſt in ſexta Synodo generali. pag. 719.

§. I. *Nihil haberi contra rectam fidem Honorij in eius Epiſtolis ad Sergium.* pag. 721.

§. II. *Diluitur præiudicium contra Honorium ex ſexta Synodo.* pag. 723.

§. III. *Eadem ex Epiſtola Agathonis recta fides Honorij rurſus validiſsime confirmatur.* pag. 726.

§. IV. *Soluitur Argumentum deſumptum ex Edicto Imperiali, ſeu Epiſtola Conſtantini Pogonati.* pag. 729.

§. V. *Iudicium Illuſtriſſimi Petri de Marca de recta Honorij fide.* pag. 730.

SECTIO VII.
Ex opinione falſa, quam aliquando ſecutus dicitur Ioannes XXII. circa animas Sanctorum non beandas ante diem vniuerſalis iudicij, malè infert D. Dupin, Pontificem Romanum, etiam quando Eccleſiam docere intendit, errorem poſſe tanquam fidei dogma proponere. pagina. 731.

SECTIO VIII.
Vindicatur Sixtus quintus ab errore in iudicio fidei, quem illi imponit Maimburgus. pag. 737.

SECTIO IX.
Soluitur argumentum deſumptum ex lapſu Liberij, & ſubrogatione Felicis II. Vbi quam ſingulari prouidentia Deus manifeſtauerit S. Felicis merita tempore Gregorij XIII. pag. 744.

SECTIO X.
Reſpondetur ad reliqua argumenta petita ab erroribus Pontificum. pag. 749.

§. I. *Oſtenditur non erraſſe Eleutherium, ſeu Zephyrinum.* pag. 750.

§. II. *Idipſum oſtenditur de Victore I.* pag. 751.

§. II. *Falsò quoque aſſeritur erraſſe Ste-*
pha-

phanum. pag.753.
§. IV. *Neque erraſſe Zoſimum in cauſa Cæleſtij*. pag.757.
§. V. *Redarguitur Maimburgus ſuamet explicatione definitionis ex Cathedra*. pag. 759.

SECTIO XI.

Eneruantur breuiter reliqua argumenta ex reſponſis Pontificum petita, quibus Dupin impugnat infallibilitatem Romani Pontificis in definiendo. pag.761.

DISPVTATIO XVI.

Demonſtratur nil probari contra infallibilitatem Romani Pontificis epiſtola, & Conſtituto Vigilij, neque ex facto Cypriani cum Stephano Papa.

SECTIO I.

Ex ijs, quæ geſta ſunt à Vigilio Papa in negotio trium Capitulorum, probari non poteſt, Papam in iudicio fidei errare poſſe, obligando ſua conſtitutione totam Eccleſiam ad credendum aliquod dogma falſum. pag. 767.
§. I. *Quænam fuerint hæc tria Capitula; & quæ origo diſſenſionum & ſchiſmatis*. pag. ibid.
§. II. *Proponitur, & ſoluitur argumentum deſumptum ex Epiſtola Vigilij ad Theodoram*. pag.770.
§. III. *Diſſoluitur argumentum deſumptum ex Conſtituto, ſeu Conſtitutione Vigilij*. pag. 772.
§. IV. *Ex eo ipſo loco Conſtituti, quem pro ſe citat, idem conficitur contra Maimburgum*. pag.777.
§. V. *Quamuis Vigilius mutauerit ſententiam, quam in Conſtituto ſuo ſtabilierat, inde non probatur, illum in fide erraſſe*. pag. 781.
§. VI. *Ex ijs, quæ geſta ſunt in cauſa trium Capitulorum, validè firmatur excellentia Summi Pontificis ſupra omnia Concilia, eiuſque infallibilitas in definiendo è Cathedra*. pag.784.

SECTIO II.

Quòd Sanctus Cyprianus in multis Synodis Prouincialibus Africæ contra ſententiam Sancti Stephani Primi Papæ ſtatuerit, omnes baptizatos ab Hæreticis eſſe in Eccleſia Catholica iterum baptizandos, nihil officit infallibilitati Romani Pontificis; imò hinc pro illa validum conficitur argumentum. pag.790.
§. I. *Exponitur ſententia S. Cypriani*. pag. ibid.
§. II. *Proponitur, & ſoluitur ratio dubitandi, oſtendendo S. Cypriani ſententiam non fuiſſe eo tempore hæreticam*. pag. 791.
§. III. *An S. Cyprianus tandem ſuum errorem de rebaptizandis omnibus baptizatis ab hæreticis agnouerit, & adhæſerit ſententiæ S. Stephani Papæ*. p.793.
§. IV. *An & quomodo tenacitas illa, qua Cyprianus exiſtimauit, erraſſe Stephanum Papam præcipiendo, ne rebaptizarentur illi qui fuerant baptizati ab Hæreticis, cohæreat cum eo, quod prius docuerat, ſcilicet non poſſe Sedem Romanam errare in iudicio Fidei*. pag.796.
§. V. *Quòd Cyprianus cum Synodis Africanis manifeſtè deprehendatur erraſſe, dum impugnauit Stephanum Papam, qui vnicè conſuetudine innixus prohibuit ſeuerè, vt non baptizarentur in Eccleſia Catholica, qui fuerant baptizati ab Hæreticis, eſt validiſſimum argumentum pro infallibilitate Pontificis in iudicio fidei & morum*. pag.799.
§. VI. *Infertur ex dictis, hæreticos huius temporis contrarium ſpiritum habere ei, quem habuit vetus, & vera Chriſti Eccleſia circa conſuetudinem, & traditionem*. pag.802.
§. VII. *Aperitur cauſa erroris Cypriani, & fallacia argumentorum, quibus ductus eſt*. ibid.

DISPVTATIO XVII.

Soluuntur argumenta contra Infallibilitatem Romani Pontificis deſumpta ex vtilitate Conciliorum, nouitate, & incertitudine falsò tributa noſtræ ſententiæ, & ex Diui Auguſtini teſtimonio.

SECTIO I.

Ex eo quod Papa ſit in definiendo infallibilis, perperam arguit Dupin, fore vt Concilia generalia fruſtra cogerentur ad terminandas fidei & morum controuerſias. pag.805.

SECTIO II.

Soluitur obiectio Illuſtriſs. Epiſcopi Tornacenſis contendentis, ſententiam noſtram de infallibilitate Romani Pontificis manere intra limites opinionis merè probabilis, & nouiter certè à paucis ſeculis exortam in Eccleſia. pag.809.

§. I. *Proponitur obiectio.* ibid.

§. II. *Oſtenditur infallibilitatem Romani Pontificis non manſiſſe dubiam per ſeptendecim ſæcula.* pag.810.

§. III. *Oſtenditur ſententiam de infallibilitate Papæ non cœpiſſe innoteſcere exeunte vndecimo ſæculo.* pag.812.

§. IV. *Falſum eſt ſententiam aſſerentem Papam eſſe infallibilem, non eſſe omnino certam, ſed manere intra limites opinionis.* pag.815.

SECTIO III.

Soluitur argumentum, quo Aduerſarij authoritatibus Auguſtini probare contendunt, requiri Concilium generale vt definitio fidei ſit omnino infallibilis, & rem reddat de fide certam. pag.821.

§. I. *Expenditur authoritas ex Epiſt.*162. pag. ibid.

§. II. *Infertur ex dictis, An & quomodo ſententia vnius Concilij poſſit reformari & emendari ab alio.* pag.827.

§. III. *Expenduntur reliqua Auguſtini teſtimonia, quibus aduerſarij contendunt, ad definitionem fidei neceſſarium eſſe Concilium generale.* pag.828.

DISPVTATIO XVIII.

An Papa ſit infallibilis in Canonizatione Sanctorum.

SECTIO I.

PRÆAMBVLA AD DISPVTATIONEM

Quid ſit Canonizatio, & in quo à Beatificatione differat; & ad quem ſpectet Sanctos Canonizare.

SECTIO II.

Doctorum ſententiæ. pag.835.

SECTIO III.

Certum eſt certitudine ſaltem Theologica, Papam non poſſe errare in Canonizatione Sanctorum. pag.840.

§. I. *Primum caput id probandi; quia alioqui tota Eccleſia teneretur errare in re grauiſſima.* pag.841.

§. II. *Confirmatur aſſertio ex multiplici argumento ad hominem contra Mag. Cano.* pag.842.

SECTIO IV.

Secundum caput probandi eandem veritatem ad hominem contra Caietanum & Cano, ex eo, quòd Romanus Pontifex non poſsit errare in decretis fidei. pag. 844.

SECTIO V.

Tertium caput probandi eandem veritatẽ: ex eo, quòd non poſſit Papa errare in præceptis morum, quæ toti imponit Eccleſiæ. pag.848.

SECTIO VI.

De Fide eſt homines canonizatos eſſe verè Sanctos, ac proinde non poſſe Papam errare in Sanctorum Canonizatione. pag. 850.

SE-

SECTIO VII.
Soluuntur ex dictis fundamenta Caietani, & Cani. pag. 856.
§. I. *Oſtenditur Caietanum falsò tribuiſſe D. Thomæ ſententiam aſſerentem Papam poſſe abſolutè errare in Canonizatione Sanctorum.* pag. 857.

SECTIO VIII.
Soluitur argumentum oſtendens non eſſe de fide Sanctos Canonizatos eſſe in Cœlo. pag. 859.

SECTIO VLTIMA.
An Papa poſsit errare in Sanctorum Beatificatione? pag. 861.

DISPVTATIO XIX.

An ſit de fide Innocentium XI. qui modo Eccleſiæ præeſt, eſſe verum Chriſti Vicarium, & legitimum Petri Succeſſorem.

SECTIO I.
PRÆAMBVLA AD DISPVTATIONEM.
§. I. *Quid ſit, propoſitionem eſſe de fide, quid eſſe hæreticam, quid eſſe erroneam.* pag. 865.
§. II. *Oſtenditur Eccleſiam ſua definitione poſſe efficere, vt ſit iam de fide veritas, quæ prius non erat de fide ſtrictè.* 866
§. III. *Illatio ex dictis: vbi exponitur, quid ſit propoſitio hæretica, quid hæreſis: & quid requiratur, vt quis cenſeatur hæreticus?* pag. 863.

SECTIO II.
Proponitur ſententia negans de fide eſſe hunc numero hominem v.g. Innocentium XI. qui modò Eccleſiæ præeſt, eſſe verum Chriſti Vicarium, & legitimum Petri Succeſſorem. pag. 878.

SECTIO III.
§. I. *Eligitur ſententia.* pag. 879.
§. II. *Prima ratio noſtræ ſententiæ: quia vt propoſitio particularis ſit de fide, ſatis eſt, quòd ſufficienter conſtet, illam contineri ſub vniuerſali formaliter reuelata, & id hîc inuenitur.* pag. 880.

SECTIO IV.
Confirmatur præcedens ratio in noſtris principijs, iuxta quæ vt quis credat fide diuina myſterium, propter reuelationem, non requiritur, quod fide diuina credat pro priori exiſtentiam reuelationis: pag. 884.

SECTIO V.
Confirmatur eadem ratio, etiam ſtando principijs magis communibus, quod nemo poſſit credere myſterium fide diuina propter reuelationem, quin fide Diuina credat exiſtentiam reuelationis. pag. 888.

SECTIO VI.
Noua noſtræ rationis confirmatio. pag. 891.

SECTIO VII.
Alijs rationibus probatur noſtra ſententia. pag. 892.

SECTIO VIII.
Tertia ratio noſtræ ſententiæ. pag. 894.

SECTIO IX.
Inſinuatur breuiter vltima ratio pro noſtra ſententia. pag. 896.

SECTIO X.
Reſpondetur ad fundamenta ſententiæ negantis, propoſita Sectione ſecunda. ibid.

SECTIO VLTIMA.
Reſponſio ad vltimum argumentum, cuius occaſione oſtenditur Concluſionem Theologicam non eſſe de fide, & hanc non eſſe diſcurſiuam, & exponitur; cur actus fidei ſit certior quam actus omnis euidens; & cur habitus Theologiæ diſtinguatur ab habitu fidei. pag. 900.

EPILOGVS TOTIVS OPERIS,
Doctrina in eo ſtabilita certitudinem manifeſtans. pag. 905.

DISPVTATIO I.

In qua rationibus Theologicis ex certis principijs Fidei apertè deductis, manifeſtè demonſtratur, Romanum Pontificem loquentem è Cathedra errare non poſſe, ſed habere authoritatem infallibilem ad terminandas Fidei & morum controuerſias extra Concilium generale, & non expectato Eccleſiæ conſenſu.

SECTIO I.

Exponitur, quid ſit Papam loqui è Cathedra: ac ſtatus & ſenſus controuerſiæ aperitur.

QVID ſit ex Cathedra loqui, optimè, iuxta ſenſum communem Doctorum, exponit M.Bail Doctor Gallus recentior in Summa Conciliorum tom.1. pag.85. Theologi namque diſcrimen expreſſuri in Romano Pontifice, cùm tamquam privatus homo, vel Doctor ſuam in quæſtione aliqua ſententiam expromit, nullo tamen præcepto interpoſito, vt in eam cæteri iurent; & cùm eandem, tanquam ſupremus Paſtor, & Chriſti Vicarius Eccleſiæ vniverſæ, pro authoritate qua præditus eſt credendam proponit: poſteriorem hunc modum loquendi, *ex Cathedra* appellant, Cathedræ nomine pro Pontificia ſupra vniverſam Eccleſiam authoritate vſurpato. Quare, vt cum P.Valentia Tom.3. col.250. rem

 bre-

breviter colligam; Toties Romanus Pontifex è Cathedra, tanquam Chriſti Vicarius, & authoritate Summi Pontificis loquitur, *quoties de rebus Fidei controuerſis alterutram Sententiam ita determinat, vt ad ipſam recipiendam obligare velit vniverſam Eccleſiam*. De quo latius agemus Diſp. XVII. Sect. 1.

Non itaque hîc probandum ſuſcipimus, nunquam poſſe contingere, vt Romanus Pontifex, vel materialiter erret in Fide, aut in hæreſim etiam labatur, aliquid pertinaciter credendo Fidei contrarium. Quamuis enim exiſtimemus, nullum vnquam Romanum Pontificem Hæreticum verè fuiſſe; ab hac tamen veritate, non omnimodis certa, nolumus Veritatem pendere, quam in præſenti ſtatuimus, adeòque certam exiſtitimant grauiſſimi authores, (quorum verba afferremus Diſput. XII.) vt oppoſitam ſententiam cum Bellarmino cenſeant *erroneam*, & *hæreſi proximam*. Neque contendimus, Romanum Pontificem, quoties de aliqua controuerſia interrogatus reſpondet, infallibili Spiritus Sancti præſentia muniri, ne in errorem labatur. Neque enim omnia, quæ Pontifex, etiam conſultus vt iudex, inſtar viri docti & poteſtatem habentis reſpondet, accipienda illico ſunt pro definitione Apoſtolicæ Sedis. Tunc igitur ſolùm non poſſe errare contendimus, cùm ex Cathedra loquitur: ſcilicet cùm in controuerſijs ad mores & fidem ſpectantibus (vt quando dubitatur revelatum ne aliquid ſit, aut vtrum ex revelatis ſequatur nec ne) ipſe ceu ſupremus Eccleſiæ Magiſter, Paſtorque vniuerſalis, re diligenter diſcuſſa alterutram partem determinat, & toti Eccleſiæ proponit, omnibus pro Apoſtolica poteſtate & imperio ad eam credendam obſtrictis. Manifeſtò ſiquidem patet, quoties, exorta inter Catholicos dubitatione, Romanus Pontifex alteram partem vt hæreticam, vel erroneam, aut temerariam condemnat; alteram verò ceu Catholicam atque ſanam proponit; ſingulos quoſque Fidelium arctiſſimo iure conſtringi, vt ſuum ſupremi Magiſtri ac Paſtoris iudicio iudicium ſubmittant, eique præcipienti poſitiuè obediant, &, vt S. Hieronymus in Epiſt. ad Damaſum loquitur, *Cathedræ Petri Fidei communione ſocientur*. Hæc enim obedientia Chriſti Vicario debetur, ratione ſui in vniuerſa Eccleſia Primatus. Nam, vt ſapienter ſcribit P. Valentia Tom. 3. col. 199. *Non aliud nomine eius Primatus intelligimus, quàm talem authoritatem, cui omnes Fideles in vtroque foro interno & externo parere debent, in ijs, quæ ſpectant vel ad mores, vel ad cultum, vel ad Fidem, id eſt, in ſalutis negotio*.

Denique in eo ſenſu, in ijſque definiendis Quæſtionibus Romanum Pontificem è Cathedra loquentem errare non poſſe affirmamus, in quibus Catholici omnes Doctores. Concilia Generalia approbata errare non poſſe contra Hæreticos docent. Quare, cùm Catholici omnes apud Bellarm. lib. 2. de Concilijs cap. 2. conſtanter doceant *Concilia Generalia à Summo Pontifice confirmata errare non poſſe, nec in Fide explicanda, neque*

neque

que in tradendis morum præceptis toti Eccleſiæ communibus; idem prorſus de Romano Pontifice dicendum eſt, quoties è Cathedra Petri totam Eccleſiam alloquitur, eique ceu ſupremus Doctor exponit, quid tanquam Catholicum dogma credere debeat, quid tanquam hæreticum figmentum vitare: quam doctrinam amplecti ceu ſanam, quam cauere ceu noxiam: & quoties, pro vniuerſalis Paſtoris officio, commiſſis à Chriſto ſibi ouibus ſalubria hinc demoſtrat paſcua virtutum, vt ad immortalem ijs vitam alantur; venenifera inde vitiorum, ne ijs deguſtandis ſempiternam ſibi mortem conſciſcant.

Iuxta hunc itaque ſenſum probandum ſtatuendumque nobis in hac Tractatione omni argumentorum genere eſt, tanquam omnino certum, Romanum Pontificem, dum è Cathedra Petri vniuerſam Eccleſiam, ceu communis Magiſter, & ſupremus Quæſtionum ad mores atque Fidem ſpectantium Iudex alloquitur, errare neutiquam poſſe. Euidens namque nobis apparet, vel nullum in aliquo cœtu ſupremum Iudicem eſſe, vel hoc munus ad eum, qui toti præeſt cœtui, pertinere: vt ſanè nón certum minùs nobis ſit, Pontificem è Cathedra toti Eccleſiæ loquentem errare non poſſe; ac certum ſit, Pontificem toti Eccleſiæ præeſſe. Neque aliud propoſitum habet, aut reſpicit præſens Diſputatio, totaque Tractatio, quam Deo aſpirante aggredimur.

SECTIO II.

Præmittuntur aliqua principia apud omnes Catholicos certa, ad conficiendam primam rationem.

ANtequam primam rationem conficiamus, operæ pretium eſt breuiter præmittere illa principia Fidei, quæ inter Catholicos ſunt omninò indubitata, ex quibus illa ratio ſua ſpontè fluit.

§. I.

PRIMVM PRINCIPIVM:

Non poſſe totam Eccleſiam errare in materia Fidei.

1. CErtum eſt, nullum Catholicum infra Romanum Pontificem, habere priuilegium ex Dei lege, & Chriſti promiſſione, nunquam excidendi à vera Fide in hæreſim. Conſtat namque ſæpe à vera Fide in hæreſim prolapſos fuiſſe viros Catholicos, & hæreſum fuiſſe ſeminato-

res. Prolapſus eſt Arrius, negans Chriſti Diuinitatem: Prolapſus eſt Macedonius negans Diuinitatem Spiritus Sancti: Prolapſus eſt Neſtorius adſtruens in Chriſto duas perſonas. Prolapſi ſunt Eutyches, & Dioſcorus aſſerentes vnam in Chriſto naturam. Prolapſi ſunt Pelagiani negantes peccatum originale, & neceſſitatem gratiæ. Prolapſi ſunt Lutherus & Caluinus, & alij plures; & non ſolùm errarunt, ſed errores ſuos diſſeminarunt, & ex hæreticis facti Hæreſiarchæ.

2. Sicut autem certum eſt, poſſe aliquam Eccleſiæ partem errare in Fide: ita apud omnes Catholicos certiſſimum eſt, non poſſe errare totam Eccleſiam, ita ſcilicet, vt omnes Chriſtiani aliquod dogma falſum credant tanquam veritatem indubitatam; vt conſtabit legenti Bellarminum tom. 2. lib. de militante Eccleſia cap. 14. cuius Capitis titulus eſt, *Eccleſiam non poſſe errare*; & legenti Patrem Becanum in Manuali lib. 1. de controuerſijs communibus, cap. 3. de Eccleſia, concluſione 4. in qua probat, quòd Eccleſia non poteſt errare in Fide. Conſtatque hæc veritas ex eo, quòd iuxta Apoſtolum 1. ad Timoth. 5. *Eccleſia Dei eſt Columna, & Firmamentum Veritatis*. Quomodo enim eſſet columna veritatis, ſi ſuſtentare poſſet falſitatem & errorem?

3. Idque ratione conſtat; quia ſi ſemel Eccleſia tota aliquam falſitatem crederet, vt fidei veritatem; Eccleſiæ fides etiam circa veritates, quas credit, non eſſet fides Diuina, ſine qua impoſſibile eſt placere Deo, ſed eſſet purè humana & fallibilis; ſiquidem motiuum credendi eſſet fallibile, vtpote ſe extendens etiam ad falſitates, proindeque deficeret regula infallibilis credendi. Sic Mahumetani credunt aliquas veritates, v.g. quòd ſuperſit alia vita, quòd Deus virtutem remuneret, & vitium puniat, quòd Chriſtus ſit Meſſias promiſſus in Veteri Teſtamento, quòd fuerit Propheta ſanctiſſimus, quòd Deus dederit hominibus Scripturas Veteris & Noui Teſtamenti, & alia huiuſmodi. Sed has veritates credunt fide purè humana, & ex motiuo fallaci, & ex regula credendi fallibili: credunt enim hæc, quia Mahumetus illa narrat in Alcorano; Mahumetus autem ſicut in Alcorano narrat has veritates, narrat multas falſitates, & inſignia mendacia. Similiter hæretici Lutherani, & Caluiniſtæ multa dogmata Catholica credunt, nimirum Deum eſſe Vnum & Trinum, Verbum factum eſſe hominem, Chriſtum eſſe Deum, & in vna perſona habere duas naturas, Diuinam ſcilicet & humanam, futurum eſſe diem iudicij vniuerſalis, & Chriſtum futurum Iudicem; & ex hominibus alios in vitam æternam, alios in ignem æternum miſſurum, & alia huiuſmodi. Cæterum hæc dogmata credunt ex motiuo, & regula credendi fallibili, & ducente in errores: credunt ſiquidem, quia ita docet Scriptura, prout expoſita & intellecta per ſpiritum priuatum cuiuſlibet hominis. Scriptura autem vt expoſita per ſpiritum priuatum, non eſt regula infallibilis, ſed fallibilis, & ducens in errorem, & in ſenſus omnino oppoſitos, & ſibi inuicem contradicentes,

ſicut

ſicut iudicia hominum, qui non ſpiritu Dei, ſed proprio, vel diabolico ducuntur, poſſunt eſſe, & paſſim ſunt inter ſe oppoſita. Verbi gratia, hæc verba, *hoc eſt corpus meum*, prout expoſita per ſpiritum priuatum Lutheranorum, ſignificant, in Euchariſtia ſimul cum ſubſtantia panis eſſe verum Chriſti corpus; prout expoſita per ſpiritum priuatum Caluiniſtarum, ſignificant in Euchariſtia non eſſe corpus Chriſti verum, ſed dumtaxat figuratiuum, id eſt figuram, & repræſentationem corporis Chriſti.

4. Idem autem contingeret Eccleſiæ Catholicæ, ſi ſemel tota illa crederet aliquid falſum tanquam articulum fidei, vel dogma certum: hoc enim poſito, non haberet circa dogmata vera niſi fidem purè humanam, & ex motiuo, & regula credendi fallibilem. Crederet enim Trinitatem, Incarnationem, præſentiam Chriſti in Euchariſtia ſub ſpeciebus panis (deficiente vi conſecrationis ſubſtantia panis, & ſuccedente loco illius ſub accidentibus panis corpore Chriſti) & alia myſteria, quia Eccleſia Catholica illa credenda proponit: quæ regula eſſet fallibilis, ſi ſemel Eccleſia poſſet fidelibus aliquod dogma falſum proponere credendum, vt contingeret, ſi tota ipſa erraret in fide: fieri enim non poteſt, vt omnes fideles conueniant in credendo aliquo dogmate, niſi quia ſciunt, Eccleſiam, quæ eſt columna & firmamentum veritatis, illud credendum propoſuiſſe: in re enim obſcura & difficili credenda impoſſibile eſt, vt omnes conueniant, niſi impellantur ab aliquo primo mouente, quod omnes ad idem credendum inducat. Ergo ſi ſemel tota Eccleſia poſſet errare in aliquo articulo vel dogmate, non haberet fidem diuinam, & ex motiuo ſuo, & regula credendi infallibilem; ſed fidem purè humanam, ex motiuo ſuo, & regula credendi fallibilem, & erroribus expoſitam. Quæ ratio copioſè explicabitur poſtea, quando ſeorſim in Diſputatione peculiari oſtendemus, nec ex Concilio Conſtantienſi, nec ex Baſilienſi poſſe probari excellentiam Concilij Generalis ſupra Papam certum, & indubitatum.

§. II.

§. I I.

SECVNDVM PRINCIPIVM:

Chriſtum reliquiſſe in Eccleſia ſua tribunal aliquod viſibile ſupremum, à quo reſoluantur dubia circa Fidem, & Religionem; ſeu à quo determinentur controuerſiæ fidei, & morum, quæ inter Catholicos occurrere poſſunt; & proponatur, quid ab omnibus tenendum ſit.

1. IN hoc principio omnes Doctores Catholici conueniunt: quia de fide eſt, Chriſtum fundaſſe Eccleſiam viſibilem, in qua ſcilicet Epiſcopi & Paſtores viſibiliter debent gubernare ſuos ſubditos, viſibiliter docere, hortari, Sacramenta adminiſtrare, peccantes corripere, contumaces ab aliorum communione ſeparare; apud quam poſſint accuſari, qui correctionem fraternam ſecretam noluerunt admittere, iuxta illud Matth. 8. 17. *Dic Eccleſiæ: ſi Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus & Publicanus*: in qua Concilia publicè indici, & celebrari poſſint, vt in eis communi conſilio ſanciantur canones, & dirimantur controuerſiæ de fide & religione, vt ab Apoſtolis Actor. 15. 28. indictum, & celebratum eſt Concilium Hieroſolymitanum, in quo facta eſt hæc conſtitutio: *Viſum eſt Spiritui Sancto & nobis, nihil vltra imponere vobis, quàm hæc neceſſaria, vt abſtineatis vos ab immolatis ſimulacrorum, & ſanguine, & ſuffocato.* Et poſt Apoſtolorum tempora celebrata ſunt quatuor Concilia generalia, quæ ab Hæreticis ipſis huius ſeculi tanquam legitima admittuntur, nimirum Nicænum, Conſtantinopolitanum, Epheſinum, & Chalcedonenſe.

2. Et veritas iſta conſtat ex Symbolo Fidei, in quo dicimus, *Credo in vnam Sanctam Eccleſiam Catholicam*. Hunc enim articulum intelligendum eſſe de Eccleſia viſibili docent non ſolùm omnes Catholici, ſed etiam multi ex hæreticis, vt Caluinus lib. 4. inſtitut. cap. 1. §. 2. vbi ex profeſſo diſputat de Eccleſia viſibili; & Philippus Melancthon in examine ordinandorum titulo de Eccleſia.

3. Idque ratio ipſa comprobat: cùm enim Eccleſia Catholica ſit veluti arca Noë, extra quam nemo ſaluari poteſt, vt conſtat ex Symbolo Athanaſij, & ſit veluti arx munitiſſima, in quam ſe recipere debent, qui in captiuitatem æternam à Diabolo abigi nolunt, debet eſſe viſibi-

lis,

Digitized by Google

lis, & ita conſpicua, vt quicumque ſeriò deſiderat æternam ſuam ſalutem, & facit quantum poteſt, vt illam conſequatur, dignoſcere poſſit Eccleſiam Catholicam, in qua ſola ſalus obtineri poteſt. Quomodo autem id poſſet dignoſcere, ſi illa non eſſet viſibilis? & talibus notis inſignibus, & prærogatiuis ornata, vt omni homini illa rite contemplanti ſtatim appareret, Eccleſiam talibus ſignis ornatam, non poſſe non eſſe illam, quam Chriſtus ſupra Petrum fundauit, vel fundare promiſit per illa verba, *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam*.

4. Et ideo Dauid Pſalm. 18. 6. Eccleſiam Chriſti deſignans, dixit: *In Sole poſuit tabernaculum ſuum*, id eſt, vt ibidem explicat Auguſtinus, *in manifeſtatione poſuit Eccleſiam ſuam, non in occulto.* Et vt ait epiſt. 116. ad Donatiſtas: *Ipſa eſt Eccleſia in Sole poſita, id eſt in manifeſtatione omnibus nota vſque ad terminos terræ.* Et huc ſpectant verba Chriſti Matth. 5. 15. *Non poteſt ciuitas abſcondi ſupra montem poſita, neque accendunt lucernam, & ponunt eam ſub modio, ſed ſuper candelabrum, vt luceat omnibus, qui in domo ſunt.* Hæc enim intelligenda eſſe de *Eccleſia*, docet Auguſtinus in libro de vnitate Eccleſiæ cap. 16. his verbis: *Non eſt operta Eccleſia, quia non eſt ſub modio, ſed ſupra candelabrum. Et de illa dictum eſt, non poteſt Ciuitas abſcondi ſupra montem poſita. Sed Donatiſtis velut operta eſt, qui audiunt tam lucida & manifeſta teſtimonia, quæ illam toti orbi demonſtrant, & malunt clauſis oculis offendere in montem, quàm in eum aſcendere.* Et Epiſt. 170. ad Seuer. *Facile tibi eſt, attendere, & videre ciuitatem ſupra montem conſtitutam.*

5. Certum ergo eſt & indubitatum, Chriſtum fundaſſe Eccleſiam viſibilem, & hanc eſſe vnam, vt conſtat ex Symbolo: *Credo in vnam Sanctam Eccleſiam Catholicam*. Hinc autem euidenter infertur, eſſe in Eccleſia Catholica tribunal aliquod ſupremum viſibile, à quo determinentur dubia circa Fidem, & Religionem; & à quo non ſit appellatio ad aliud. Nullum enim eſt regnum, nulla Reſpublica, in quibus non ſit ſupremus aliquis Magiſtratus, à quo cauſæ determinentur vltimò & finiantur; alioqui lites, & controuerſiæ nunquam finirentur, ſed eſſent interminabiles. Et ſanè ſi in Eccleſia non eſſet ſupremum aliquod tribunal viſibile, ad quod attineret proponere omnibus fidelibus ea, quæ ab omnibus tenenda, & credenda ſunt, & cui omnes tenerentur obedire; non poſſet vnitas Eccleſiæ conſeruari, ſed ſcinderetur Eccleſia in ſectas diuerſas, vt videmus contingere in Secta Lutherana & Caluiniana, quæ non habent aliquid fixum & ſtabile, quod ab omnibus teneri debeat; quia non habent ſupremum tribunal viſibile, ad quod ſpectet omnibus proponere, quæ credenda ſunt; ſed ſpiritu priuato vnuſquiſque ducitur, ideoque quot capita, tot inter eos ſententiæ.

6. In hoc tribunali viſibili ſupremo admittendo omnes Catholici conueniunt; licèt non omnes omnino conueniant in aſſignando ſubiecto,

cto, in quo ſit hæc ſuprema poteſtas vltimò determinandi controuerſias circa fidem & religionem. Nam pauci aliqui dicunt, ſupremam authoritatem eſſe ſolùm in Concilio generali legitimo: communis verò ſententia cum D. Thoma 2. 2. qu. 1. art. 10. & 4. contra gent. cap. 76. docet, ſupremam authoritatem ad determinandas fidei & morum controuerſias eſſe in Romano Pontifice & in generali Concilio, & extra illud.

7. Dum ergo diſputatur, quis debeat eſſe Iudex controuerſiarum, quæ oriuntur inter Chriſtianos circa fidem & religionem, Hæretici huius temporis docent, Scripturam eſſe normam & iudicem, & omnes fidei controuerſias ex ſola Scriptura definiri ac decidi poſſe: Catholici verò diſtinguunt inter Iudicem & normam, & iudicem vocant, qui fert ſententiam inter partes litigantes; normam verò, ſecundum quam fertur ſententia à Iudice: & hac ſuppoſita diſtinctione tria aſſerunt. Primum, Eccleſiam eſſe iudicem controuerſiarum: ſecundum, normam, quam ſequitur Eccleſia in ſententia ferenda, non eſſe ſolam Scripturam, ſed Scripturam & traditionem: tertium, Eccleſiam iuxta hanc normam dupliciter ſententiam pronuntiare poſſe; vel per Pontificem, qui eſt Caput, & Paſtor Eccleſiæ; vel per Concilia à Pontifice approbata, quæ repræſentant Eccleſiam: & vtroque modo ſententiam eſſe infallibilem. In hoc omnes Catholici conueniunt, & ſolùm diffident in eo, quod aliqui exiſtimant, requiri Concilium generale ad hoc: vt ſententia ſit infallibilis & vltima.

8. In refellenda autem ſententia Hæreticorum omnes conueniunt, & vtuntur multis validiſſimiſque argumentis. Vnum autem ex præcipuis deſumunt ex officio Iudicis, quod Scripturæ conuenire nequit: Iudex enim inter duos litigantes debet ita pronuntiare ſententiam, vt vterque litigantium manifeſtè intelligat, quænam ſit ſententia Iudicis, & alter eorum fateatur illam pro ſe, alter contra ſe latam eſſe; alioqui non ceſſabunt à lite, ſed vterque ſuam cauſam proſequetur. Scriptura autem nequit eſſe talis iudex controuerſiarum. Quod vel inde patet, quòd ipſi Lutherani & Caluiniſtæ, qui conueniunt in aſſerendo, ſolam ſcripturam eſſe poſſe iudicem controuerſiarum, de multis fidei articulis inter ſe digladiantur, videlicet de præſentia Chriſti in Euchariſtia, de Baptiſmo paruulorum, de numero, & Canone Scripturæ, de exorciſmo, & alijs; & vnaquæque pars pro ſe Scripturam allegat, & adhuc ſententiam Scriptura non ita pronuntiauit, vt pars altera intellexerit contra ſe ſententiam eſſe latam, ſed pergunt adhuc eo quo cæperunt ardore, & pergent vſque ad diem iudicij, ſi pro declarando Scripturæ ſenſu, de quo vtrimque litigatur, alium Iudicem non admittant; Scriptura enim omnem, quam latura eſt, ſententiam iam dudum pronuntiauit.

9. Alterum argumentum deſumunt ex eo, quod aliquæ ſunt fidei controuerſiæ, quæ ex ſolis Scripturis determinari non poſſunt, quia

Scri-

Scripturæ vel de illis nullam mentionem faciunt, vel ſi faciunt aliquam, illa non eſt ſufficiens ad ferendam ſententiam. Talis fuit controuerſia illa olim inter Patres agitata, an Baptizati ab Hæreticis eſſent rebaptizandi; in qua affirmauit Cyprianus, negauit Auguſtinus: qui tamen ſuam ſententiam, quamuis veram, & dogma fidei, non potuit ſufficienter ex Scripturis probare, ſed neceſſe habuit ad traditionem recurrere: ſic enim ſcribit lib. 5. de Bapt. contra Donatiſtas cap. 23. *Conſuetudo illa, quæ opponebatur Cypriano, ab Apoſtolorum traditione exordium ſumpſiſſe credendum eſt*. Talis eſt etiam controuerſia, An libri Tobiæ, Iudith, Sapientiæ, Eccleſiaſtici, & Machabæorum ſint Canonici. In qua Lutherani, & Caluiniſtæ negant, & affirmant omnes Catholici. Talis etiam eſt controuerſia de numero Sacramentorum nouæ legis; in qua hæretici iſti dicunt eſſe tantùm duo, nempe Baptiſmum & Euchariſtiam: Catholicorum omnes eſſe ſeptem; & aliæ ſimiles, de quibus nulla habetur mentio in Scriptura. Vnde niſi aſſignetur Iudex aliquis viſibilis controuerſiarũ fidei, impoſſibile erit controuerſias illas finiri, & determinari.

10. Atque adeò ex articulo fidei, qua credimus in vnam Sanctam Eccleſiam, neceſſariò infertur, Chriſtum Dominum reliquiſſe in Eccleſia ſua aliquem ſupremum iudicem viſibilem controuerſiarum fidei, vel aliquod ſupremum tribunal viſibile, à quo eiuſmodi controuerſiæ vltimò determinentur, & fidelibus proponatur, quid credere debeant. Vt enim inquit S. Thomas 4. contra gentes cap. 76. *Ad vnitatem Eccleſiæ requiritur, quòd omnes fideles in fide conueniant: circa verò ea, quæ fidei ſunt, contingit quæſtiones moueri; per diuerſitatem ſententiarum diuideretur Eccleſia, niſi in vnitate per vnius ſententiam conſeruaretur*. Ergo vt Eccleſia in vnitate conſeruetur, requiritur iudex aliquis viſibilis ſupremus, vel tribunal aliquod viſibile, quod in controuerſijs fidei ſententiam ferat, & toti Eccleſiæ proponat, quod credendum & tenendum ab illa ſit. Hic autem Iudex eſt Summus Pontifex, vt ibi, & alibi ſæpe docet S. Thomas, & cum eo omnes ferè Theologi; vel ſaltem eſt Concilium generale à Pontifice confirmatum. Sicut enim in Republica ciuili non ſufficiunt codices legum, ſed requiritur Iudex viuus, qui ſententiam ferat inter litigantes: ita in Eccleſia non ſufficiunt codices Scripturarum ſine alio iudice, qui exorientes de fide controuerſias decidat. Quod vel inde conuincitur: nam ſicut in Republica ciuili ſæpe exoritur lis de ipſa interpretatione; ita in Eccleſia ſępe exoritur controuerſia de ſenſu Scripturæ. Vnde ſicut, quando de mente legis dubitatur, non poteſt lex ipſa per ſe litem dirimere; ita quando dubitatur de ſenſu Scripturæ, non poteſt ipſa Scriptura de ſeipſa ſententiam ferre. Quare, ne Chriſtus relinqueret in perpetuis controuerſijs Eccleſiam ſuam, neceſſarium fuit, vt in ipſa relinqueret ſupremum aliquem Iudicem controuerſiarum, ad quem in dubijs fideles recurrerent, & à quo ſententiam acciperent, quæ ipſos in veritate firmaret.

§. III.

Iudex iſte ſupremus, vel ſupremum tribunal ad decidendas fidei & morum controuerſias in Eccleſia Catholica, debet eſſe authoritatis infallibilis.

1. ASſumptum manifeſtè infertur ex dictis. Cùm enim manifeſtum ſit, omnes Chriſtianos debere obedientiam exhibere ſupremæ Poteſtati, quam Chriſtus reliquit in Eccleſia ſua ad ipſius gubernationem, & iudicium ſuum ſubijcere iudicio ſupremi Magiſtri, quem deſignauit ad docendum ſuam Eccleſiam; & ſtare ſententiæ ſupremi Iudicis, quem conſtituit ad judicandas cauſas fidei & religionis; ſanè ſi ſuprema iſta authoritas poſſet errare in determinandis fidei & morum controuerſijs, omnes Chriſtiani poſſent, ac deberent errare. Si enim illa ſuprema authoritas declararet tanquam veritatem fidei aliquod dogma falſum; omnes Chriſtiani errarent, accipiendo aliquod dogma falſum tanquam veritatem fidei. Illa ſuprema authoritas declarauit Sacramenta eſſe ſeptem, tales & tales libros eſſe Canonicos; animas Sanctorum videre Deum ante diem iudicij vniuerſalis. Hæc omnes credunt tanquam veritates fidei. Vnde ſi illa ſuprema authoritas errauiſſet ſic declarando, & definiendo dogma falſum pro veritate certa: omnes Chriſtiani crederent tanquam veritatem certam dogma aliquod falſum. Cùm ergo certum omnino ſit, & de fide, non poſſe totam Eccleſiam errare in credendo: certum & de fide eſt, non poſſe ſupremam poteſtatem, vel authoritatem Eccleſiæ errare in definiendo.

2. Qui voluerit rationes exactè dignoſcere, ob quas Chriſtus in Eccleſia ſua reliquerit tribunal aliquod viſibile infallibile ad determinandas fidei & morum controuerſias, ſeu regulam viuam viſibilem fidei falli neſciam, ad quam ſpectet proponere fidelibus, quid credere debeant; conſulat P. Suarez lib. 1. Defenſionis fidei aduerſus Regem Angliæ cap. 11. & P. Gregorium de Valentia to. 3. quæſt. 1. de fide punc. 7. §. 1. vbi huius regulæ viſibilis neceſſitatem præclarè manifeſtat, primò; ex parte prouidentiæ diuinæ; *quia* niſi talis aliqua extaret regula infallibilis, magiſtra & iudex doctrinæ fidei, non ſatis eſſet à Deo proſpectum hominibus de neceſſarijs ad ſuam æternam ſalutem comparandam. Secundò; ex humani ingenij conditione; cùm enim mens noſtra non ſolùm imbecilla ſit, & omnino impar viribus, vt ipſa per ſe neceſſariam doctrinam fidei & reuelationem diuinam perueſtigare poſſit, ſed in eâ ipſa doctrina nobis diuinitus reuelata facillimè hallucinetur & aberret: indiget Magiſtro aliquo viſibili authoritatis infallibilis, à quo

diſcat,

Digitized by Google

diſcat, quid à Deo reuelatum ſit; vt propter authoritatem Dei reuelantis firmiter credat myſteria reuelata. Tertiò; ex natura ipſius fidei. Cùm enim fides ex proprio conceptu *argumentum ſit rerum non apparentium*; iuxta Apoſtolum ad Hebræos 11. id eſt, cùm ſit cognitio non euidens, ſed quæ nitatur infallibili teſtimonio, & pariatur ex *auditu*, vt docet Apoſtolus ad Rom. 10. ſitque proinde certiſſima; neceſſe eſt, vt ſupponat aliquam viuam regulam falli neſciam, quæ proponat Dei teſtimonium, res enim, quæ obſcurè iſto modo, & tamen certò ac infallibiliter ſciuntur, eas neceſſe eſt, alicuius authoritatis infallibilis iudicio, atque aſſeueratione diſcere. Quartò; Ex neceſſitate damnandi hæreſes in Eccleſia. Nulla enim poteſt oriri de aliqua fidei quæſtione hæreſis, quæ non poſsit ac debeat ab Eccleſia damnari ac reijci, dicto anathemate eius authoribus, iuxta mandatum Apoſtoli ad Galat. 1. *ſi quis vobis euangelizauerit præter id, quod accepiſtis, anathema ſit*. Hoc autem minimè fieri poſſet, niſi in Eccleſia authoritas extaret aliquia viua atq; viſibilis, quæ in omni quæſtione de rebus fidei certò doceret, quid rectæ fidei conſentaneum ſit, & quid eidem repugnans. Vnde S. Auguſtinus lib. de vtilitate credendi cap. 16. probat, à Deo *authoritatem aliquam conſtitutam eſſe, qua velut gradu certo nitentes attollamur in Deum.* Hanc autem authoritatem agnoſcit in ipſa Eccleſia viſibili: & ideo in libro contra epiſtolam fundamenti cap. 5. dixit. *Euangelio non crederem, niſi me* Eccleſiæ Catholicæ *moueret authoritas*.

SECTIO III.

Iam conficitur demonſtratio: quia certum eſt, nec Chriſtum reliquiſſe authoritatem infallibilem ad decidendas fidei & morum controuerſias in cumulo, collectione, ſeu aggregato omnium Chriſtianorum tanquàm in ſubiecto; nec in cumulo ſeu collectione optimatum, id eſt, in collectione omnium Epiſcoporum: ergo certum eſt, reliquiſſe in vno aliquo Epiſcopo, nempe in Petro & Succeſſoribus eius.

IAm conficiamus argumentum. Authoritas iſta infallibilis ad decidendas fidei & morum controuerſias, eſt aliquod accidens ſpirituale, quod debet eſſe in aliquo ſubiecto: Videamus ergo in quo ſubiecto

biecto ſit. Cùm autem Eccleſia Catholica *ſit cætus hominum eiuſdem Chriſtianæ fidei profeſſione, & eorundem Sacramentorum communione colligatus, ſub regimine legitimorum Paſtorum, ac præcipuè vnius Chriſti in terris Vicarij Romani Pontificis*; vt definit Bellarminus tom. 2. lib. 3. de Eccleſia militante cap. 2. neceſſe eſt, vt hæc authoritas exiſtat tanquam in ſubiecto vel in cætu & congregatione, ſeu collectione omnium fidelium; vel in collectione aliquorum, nempe optimatum, nimirum in collectione omnium Epiſcoporum; vel in aliquo indiuiduo, nempe in Petro & ſucceſſoribus eius, ſcilicet in Romano Pontifice, qui eſt caput viſibile Eccleſiæ, & Vicarius Chriſti, ita vt idcirco dicatur Chriſtus hanc infallibilem authoritatem reliquiſſe in Eccleſia; quia reliquit in capite Eccleſiæ pro bono totius Eccleſiæ. Euidens namque eſt, Chriſtum nec reliquiſſe hanc authoritatem in ſingulis Chriſtianis, nec in ſingulis Epiſcopis ſeorſim; cùm euidens ſit nec ſingulos Chriſtianos, nec ſingulos Epiſcopos habere poteſtatem ad ferendas leges pro tota Eccleſia, & authoritatem infallibilem ad determinandas fidei, & morum controuerſias, cum poteſtate obligandi omnes fideles ad credendum ea omnia, quæ ipſe definierit. Vnde ſi probemus, Chriſtum non reliquiſſe hanc ſupremam authoritatem in collectione, ſeu aggregatione omnium Chriſtianorum, nec in collectione, ſeu aggregatione omnium Epiſcoporum; euidenter concluditur, illam reliquiſſe tanquam in ſubiecto primario, principali & immediato in Romano Pontifice: & inde per neceſſariam conſequentiam deducemus, Papam extra Concilium generale poſſe cum infallibilitate controuerſias fidei determinare, & non expectato Eccleſiæ conſenſu.

§. I.

Oſtenditur, hanc authoritatem infallibilem non eſſe relictam immediatè in collectione, ſeu vniuerſitate Chriſtianorum.

1. QVòd hanc ſupremam authoritatem non reliquerit, tanquam in ſubiecto primario & immediato in vniuerſitate, ſeu collectione omnium Chriſtianorum, probatur; quia cùm Chriſtiani ſint diſperſi per vniuerſum terrarum orbem, & naturaliter conuenire non poſsint in vnum locum ad determinandas fidei & morum controuerſias, manifeſtum apparet, infinitam Chriſti ſapientiam non poſuiſſe hanc ſupremam authoritatem determinandi dubia fidei & morum tanquam in ſubiecto, in cumulo & collectione omnium Chriſtianorum. Quoties enim ſuprema authoritas ad gubernandum regnū, Rempublicam, vel So-

cietatem hominum conſtituitur tanquam in ſubiecto in collectione multorum, illi non poſſunt cauſas determinare, & dubia reſoluere; niſi in vnum locum conueniant ad ferenda ſuffragia, & dandum vota ſua. Vnde non poteſt hæc ſuprema authoritas collocari in ijs, qui nunquam in vnum locum conuenire poſſunt ad determinandas cauſas per communia vota ſeu ſuffragia.

2. Præterea quis non videat, omnino ridiculum eſſe aſſerere, quòd ſumma Chriſti ſapientia, communicauerit poteſtatem & authoritatem ad determinandas fidei & morum controuerſias grauiſſimas, hominibus ignorantibus, mulierculis, ruſticis, pueris, ſutoribus, lippis atque tonſoribus. Ergo euidens apparet, hanc authoritatem ſupremam ad determinandas fidei & morum controuerſias non eſſe relictam à Chriſto tanquam in ſubiecto, in collectione & cumulo omnium Chriſtianorum. Quare Vniuerſitas ſeu collectio Fidelium eſt quidem infallibilis in credendo; quia non poteſt ſecundum ſe totam falli in credendo, nimirum habendo pro veritate fidei aliquod dogma falſum. Non tamen eſt infallibilis in docendo: quia ad communitatem fidelium non attinet docere, ſed doceri: non paſcere, ſed paſci; cùm nec oues poſſint eſſe ſupra Paſtorem; nec diſcipulus ſupra Magiſtrũ. Infallibilitas ergo iſta debet eſſe vel in comunitate Paſtorum, ſeu Epiſcoporum, vel in vno aliquo determinatè.

§. II.

Infertur ex dictis, quàm debili fundamento nitatur doctrina D. Dupini, & recentium Gallorum, nimirum, quòd claues immediatè Chriſtus tradiderit communitati Eccleſiæ.

1. HInc apparet, quàm debili fundamento nitatur doctrina, quam nouiſsimè ſtabilire conatus eſt Ludouicus Ellies Dupinus, Sacræ Theologiæ Pariſienſis Doctor, in Diſſertationibus hiſtoricis de antiqua Eccleſiæ diſciplina, impreſſis Pariſijs anno 1686. & iure merito confixis à Sanctiſs. Domino Noſtro INNOCENTIO XI. ſpeciali Decreto.

Nam hic Autor diſſertatione 4. §. 3. pag. 337. explicans ſententiam Gallorum de authoritate Romani Pontificis, tanquam mediam inter ſententiam hæreticorum, qui authoritatem Romanæ Sedis nimis deprimunt, & communem Doctorum Catholicorum, quos ipſe appellat *Theologos Romanæ Curiæ placitis nimiùm addictos*, qui eius prærogatiuas defendunt, & ſpecialiter nominans *Turrecrematam*, *Sanderum*, *Bellarminum*,

Digitized by Google

num, Baronium, & Lupum; explicans, inquam, ſententiam Gallorum, inquit: *Primò itaque ſtatuunt, in Eccleſia iure Diuino eſſe quandam Monarchiam, hoc eſt, in ea primum eſſe Romanum Pontificem. Attamen aiunt, Chriſtum immediatè, ac per ſeſe claues toti Eccleſiæ collectim ſumptæ dediſſe, & ſubiectum, vt loquuntur, immediatum poteſtatis Eccleſiaſticæ non eſſe Papam, aut Prælatos, ſed totam Eccleſiam, ita tamem vt per Prælatos ius clauium exerceatur, non per Summum Pontificem, licèt primus ſit inter eos, qui ius illud habent*. Hæc ibi.

2. Et diſſert. 6. tanquam principium omninò neceſſarium ad defendendam Concilij Generalis ſupra Romanum Pontificem authoritatem, §. 1. pag. 379. ſtatuit, *Poteſtatis Eccleſiaſticæ immediatum ſubiectum eſſe vniuerſam Eccleſiam*; hic enim eſt titulus illius paragraphi primi, ſub quo immediatè ſubiungit: *Propoſitarum quæſtionum* (illarum ſcilicet, in quibus comparatur poteſtas Pontificia cum authoritate Concilij Generalis) *definitio tota dependet ex huius principij determinatione, quod hiſce verbis à noſtris Theologis concipitur. Quodnam ſit ſubiectum immediatum poteſtatis Eccleſiaſticæ. Senſus eſt, An poteſtas clauium ſit immediatè conceſſa vniuerſitati Eccleſiæ, vt per eius miniſtros, ac per Summum Pontificem exerceatur; an verò Summo Pontifici, aut etiam Epiſcopis ſit immediatè collata: hoc eſt ſcilicet quæſtionum propoſitarum fundamentum. Nam ſi clauium poteſtas eſt penes ſolum Romanum Pontificem, haud dubium eſt, quin ſuper vniuerſam Eccleſiam poteſtatem habeat; cùm aliam poteſtatem in hac hypotheſi non habeant Eccleſia & Prælati, quàm quæ illis ab ipſo communicatur: ſecus verò, ſi vice verſa Eccleſia ſupremam habet poteſtatem, quæ ab ea in Miniſtros eius, Summumque Pontificem deriuatur; operæ pretium eſt ergo, antequam vltra progrediamur, opinionis noſtræ fundamentum ex traditione confirmare. Vt ergo pateat mentem antiquorum omnium fuiſſe, claues non vni Petro, ſed in perſona Petri vniuerſæ Eccleſiæ collatas fuiſſe, quas illa miniſtris ſuis, atque ipſi Summo Pontifici communicat, nonnulla veterum id diſertè aſſerentium teſtimonia referam*. Hæc ille. Vbi, vt vides, tanquam fundamentum omnino neceſſarium ad defendendum, Concilium generale eſſe ſupra Papam, & hunc non habere authoritatem infallibilem ad determinandas fidei & morum controuerſias extra Concilium generale, & non expectato Eccleſiæ conſenſu, tanquam fundamentum, inquam, ad hoc omnino neceſſarium ſtatuit, claues immediatè non fuiſſe collatas Petro, ſed vniuerſitati Eccleſiæ, & hanc illas Miniſtris ſuis, atque ipſi Summo Pontifici communicare. Vnde ſi oſtendamus, hoc fundamentum eſſe manifeſtè falſum, conſtabit, recentium doctrinam Gallorum fundamento carere.

3. Quòd autem hoc fundamentum ſit falſum, ſuadetur: quia cùm communitas Eccleſiæ, quatenus componitur ex collectione omnium Chriſtianorum, nequeat in vnum locum conuenire ad determinandas fidei & morum controuerſias, & cùm componatur ex multitudine hominum

num

num ſimplicium & ignorantium, qui capaces non ſunt reſoluendi dubia fidei, & ferendi iudicium de rebus iſtis; omnino improbabile eſt, quòd Chriſtus poſuerit in collectione omnium Chriſtianorum, tanquam in ſubiecto authoritatem ſupremam, & infallibilem ad decidendas fidei & morum controuerſias.

4. Præterea cùm omnis poteſtas ſit propter actum, & ad illum tanquam ad finem ordinetur; non poteſt eſſe ſubiectum poteſtatis illud, cui repugnat exercitium talis poteſtatis. Atqui communitati, ſeu collectioni omnium Chriſtianorum repugnat exercitium definiendi controuerſias fidei, tum propter ignorantiam repertam in plerisque Chriſtianis, tum propter impoſſibilitatem conueniendi in vnum locum ad decidendas controuerſias illas. Ergo collectio Chriſtianorum non eſt ſubiectum authoritatis infallibilis ad decidendas fidei & morum controuerſias.

5. Quod ſi reſpondeas, totam Eccleſiam collectiuè ſumptam non poſſe immediatè exercere illam ſupremam authoritatem ſibi collatam ad determinandas fidei & morum controuerſias; poſſe tamen mediante Concilio generali ipſam repręſentante; hoc probabit, Chriſtum non reliquiſſe hanc ſupremam authoritatem in collectione omnium Chriſtianorum, tanquam in ſubiecto; ſed in collectione omnium Epiſcoporum, qui dum congregantur in Concilio, Eccleſiam repræſentant vniuerſalem: quia in illa dumtaxat communitate hominum exiſtere poteſt authoritas ad determinandas controuerſias fidei, quæ poteſt conuocari ad definiendas res fidei: Sola autem communitas Epiſcoporum poteſt conuocari ad definiendas res fidei, non autem communitas omnium fidelium: ergo ad ſummum poteſt dici, Chriſtum reliquiſſe ſupremam authoritatem ad terminandas fidei & morum controuerſias, in Eccleſia vniuerſali repræſentatiuè ſumpta, id eſt, in communitate Epiſcoporum, qui conuenire poſſunt in Concilium generale. Quod tamen eſſe falſum, poſtmodum videbimus. Maneat ergo fixum, eſſe omnino abſurdum, & improbabile, quòd Chriſtus in communitate omnium fidelium tanquam in ſubiecto collocare voluerit ſupremam authoritatem ad decidendas fidei & morum controuerſias.

§. III.

§. III.

Manifeſtè falſum eſt, quod Dupin aſſumit tanquam fundamentum omnino neceſſarium ad defendendam excellentiam Concilij ſupra Papam, & huius fallibilitatem; nempe quòd Papa accipiat ſuam poteſtatem ab Eccleſia.

1. PRæterea falſiſſimum eſt, Summum Pontificem accipere poteſtatem ab Eccleſia, ſeu ab Eccleſia deriuari poteſtatem in Pontificem. Nam ſi ab Eccleſia collectim ſumpta, ſeu à communitate Chriſtianorum accipit Romanus Pontifex poteſtatem, & authoritatem ſuam: ergo Eccleſiæ collectim ſumptæ conuenit inſtituere Summum Pontificem, & illi dare totam authoritatem, quam habet: At hoc eſt planè falſum; quia ſi hoc illi conueniret, vel conueniret authoritate propria, vel authoritate Superioris hoc ſibi committentis. Neutro autem modo illi conuenit: non authoritate propria; quia poteſtas Papalis includit aliquid excedens omnem poteſtatem humanam, nempe poteſtatem ſoluendi & ligandi in foro interno, ita vt quod ipſe ſoluerit in terra, ſit ſolutum in cœlo, & quod ligauerit in terra, ſit ligatum in cœlo: & includit etiam poteſtatem liberandi à pœna debita in foro Dei per conceſſionem indulgentiarum: nequit autem Eccleſia authoritate propria inſtituere id, quod excedit omnem poteſtatem humanam. Neque item authoritate ſibi commiſſa à Superiore, nempe à Chriſto: Sicut enim Chriſtus fundans Eccleſiam, non dedit communitati Apoſtolorum authoritatem eligendi caput, quod vice ipſius Chriſti, poſt eius aſcenſionem in cœlum, gubernaret Eccleſiam; ſed ipſe Chriſtus immediatè elegit Petrum in ſui Vicarium, qui loco ipſius viſibiliter gubernaret Eccleſiam: ita non dat nunc communitati Chriſtianorum authoritatem inſtituendi Pontificem, qui ſuccedat Petro in regimine Eccleſiæ; ſed ipſe per ſe immediatè concedit Romano Pontifici munus & poteſtatem Vicarij ſui, ſicut ipſe immediatè concedit Sacerdoti poteſtatem conſecrandi corpus ſuum. Nec inuenitur textus vllus in toto Euangelio, in quo Chriſtus Eccleſiæ, vel communitati fidelium contulerit authoritatem inſtituendi poteſtatem Petri, vel cuiuſque Succeſſoris eius. Et ratio à priori eſt: *quia illam poteſtatem inſtituere propria authoritate, qua aliquis vtitur vt Vicarius alicuius Domini, ad nullum alium pertinet, niſi ad illum Dominum, cuius ille, qui tali poteſtate vtitur, eſt Vicarius: Sed poteſtas Papæ, de qua loquimur, eſt poteſtas, qua ipſe Papa vtitur vt Vicarius Chriſti in terris: ergo iſtam poteſtatem inſtituere, ad nullum alium pertinet, niſi ad Chriſtum.*

2. Præ-

2. Præterea hoc ipſum probatur ex plenitudine poteſtatis conuenientis Romano Pontifici: quia ſi Papa acciperet poteſtatem ſuam Papalem ab Eccleſia, Eccleſia poſſet poteſtatem Papæ limitare & reſtringere; ad illum enim pertinet reſtringere facultatem, qui facultatem conceſſit. Vnde, quia Eccleſia concedit Sacerdoti poteſtatem iuriſdictionis in tales vel tales ſubditos, poteſt illam poteſtatem limitare ad hos vel illos, vel etiam totam poteſtatem iuriſdictionis tollere, vt facit, quando degradat Sacerdotem, vel ſuſpendit; quia abſolutio collata à Sacerdote degradato, vel ſuſpenſo, aut excommunicato non ſolùm eſt illicita, ſed inualida. Et quia Eccleſia non concedit Sacerdoti poteſtatem conſecrandi, ſed hanc ille accipit immediatè à Chriſto, non poteſt iſtam poteſtatem conſecrandi limitare vel tollere: vnde Sacerdos degradatus, ſuſpenſus vel excommunicatus illicitè quidem conſecraret, ſed validè, vt latè dicemus diſputat.2. Quare ſi Eccleſia communicaret authoritatem & poteſtatem iuriſdictionis Romano Pontifici, poſſet illam etiam limitare: vnde ad placandam diſcordiam inter Romanum Epiſcopum, & Epiſcopum Conſtantinopolitanum, poſſet vnum conſtituere Papam Occidentis, & alterum Orientis: Similiter ſi totus orbis Chriſti fidem eſſet amplexus, poſſet diſponere Eccleſia, quòd vnus præficeretur vni Hemiſphærio, alter alteri. Aſſerere autem, quòd Eccleſia hoc poſſit facere, eſſet manifeſta hæreſis, vt inquit P. Salmeron tom.4. Commentariorũ in Euangelia 3:par.tract.5.p. 418. *Quia Chriſtus* (inquit) *vnum caput, & ſingularem tantùm Monarchiam inſtituit: & ſicut eſt Saluator omnium hominum, ſiue illi ad Orientem Solem ſpectent, ſiue ad Occidentem, ſiue in noſtro hemiſphærio viuant, ſiue in alio nobis oppoſito: ita Vicarius eius, qui eum refert in terra, vnus tantùm eſſe debet, quia repugnat eſſe duos, & vtrumque Summum, cùm Chriſtus vnum tantùm Summum conſtituerit.* Quare vt in toto eo Tractatu latè & neruosè probat P. Salmeron, *non iuris humani, ſed iuris Diuini eſt, vt vnus ſit Eccleſiæ ſupremus Paſtor & Rector.* Quod copiosè probat etiam Bellarm. libr. 2. de Romano Pontifice cap. 12.

§. IV.

Dupin ſibi ipſi contradicit, dum ex vna parte docet Romanum Pontificem accipere ſuam poteſtatem ab Eccleſia; & ex alia docet, eius primatum eſſe de iure diuino.

1. IMò ipſe Dupin, qui pag. 379. affirmat, *quòd Eccleſia ſupremam habet poteſtatem, quæ ab ipſa in miniſtros eius deriuatur*: Et qui pag. 384. aſſerit, Eccleſiam habere ſupremam poteſtatem, quia illam habet in origine, & in virtute; Romanum verò Pontificem non habere ſupremam, quia tantùm habet poteſtatem acceptam ab alio, nempe ab Eccleſia, (hæc enim habet ibi formalia verba: *Nemo eſt, qui non ſtatim intelligat, illum ſupremam habere poteſtatem, qui poteſtatem ipſam habet ſecundùm originem & virtutem; eum verò poteſtatem non habere ſupremam, qui tantùm poteſtatem habet ab alio ſibi commiſſam quoad vſum. Patet autem ex dictis, poteſtatem Eccleſiaſticam eſſe penes Eccleſiam, Romanum autem Pontificem, cæteroſque Prælatos eam accipere ab Eccleſia quoad vſum tantummodò. Non ergo Summus Pontifex habet poteſtatem in vniuerſam Eccleſiam, licèt habeat in vniuerſa Eccleſia; ſed vice verſa Eccleſia poteſtatem habet in Pontificem, & quemadmodum mortuo Pontifice, alium ſufficit, ita poteſt eum corrigere atque deponere.*) Qui, inquam, hæc in his locis poſterioribus aſſerit, oppoſitam doctrinam ſtatuerat pagina 334. initio: nam exponens, qualis ſit Primatus Romani Pontificis ex ſententia quorundam Gallorum, quam ipſe ſequitur, tanquam mediam inter ſententiam hæreticorum, & ſententiam Romanorum: qui Papam ſupra Concilium generale extollunt; & loquens de Gallis, quorum ſententiam ſequitur, ſubiungit: *Quoad hunc Primatum Pontificis Romani, aiunt illum eſſe de iure diuino, quia ſcilicet Petrus à Chriſto Collegij Apoſtolici primus eſt inſtitutus, eo conſilio, vt ad huius rei exemplum ſemper Eccleſia primum aliquem agnoſceret Epiſcopum. Cùm ergo conſtet Romanum Pontificem omnium primum ſemper habitum fuiſſe, haud dubium eſt, quin ad eum ille primatus Petri peruenerit. Hoc ipſum tradit Bellarminus lib. 2. de Romano Pontifice c. 12. Oportuit*, inquit, *Petro aliquem ſuccedere in primatu Eccleſiæ, cùm certum ſit primatum hunc eſſe propter Eccleſiam: igitur moriente Petro non debuit interire primatus, ſed ſubſiſtere debet ac perſeuerare, quamdiu manet Eccleſia: atqui*, inquit, *quòd iſte Petri Succeſſor ſit Romanus Pontifex, facilè probari poteſt, nullus enim eſt, nec fuit vnquam, qui ſe Petri Succeſ-*

ſorem vllo modo aſſeruerit, vel pro tali habitus ſit præter Romanum.

2. Poſtea verò opponit ſibi obiectionem quandam ex Caluino, & deinde ſubiungit: *Vt huic reſpondeas, duo ſunt diſtinguenda cum Bellarmino ſucceſſio Romani Pontificis, & ratio ſucceſſionis: ſucceſſio eſt ex Chriſti inſtituto, ratio ſucceſſionis non item, quia ſcilicet ex inſtituto Chriſti eſt aliquem eſſe primum in Eccleſia; at Romanæ Vrbis Epiſcopum eſſe primum non eſt ex inſtituto Chriſti, ſed ex facto Petri, & Eccleſiæ conſenſione, ſicut Epiſcopos eſſe in Eccleſia eſt ex iure diuino & inſtituto Chiſti: Verùm licèt non ſit de iure diuino Romanum Pontificem, qua Romanus eſt, eſſe primum, de iure diuino eſt eum eſſe primum, quatenus ſuccedit Petro. Vt enim dicatur iure diuino primus, ſufficit vt habeatur Succeſſor Petri, cùm ipſa ſucceſſio in primatu Diui Petri (cuicumque tandem Epiſcopo competat) ſit de iure diuino, vtpote cùm in Eccleſia debeat ſemper aliquis ordo ſeruari, vt à Chriſto inſtitutum eſt: igitur dato quòd Romanus Pontifex ſit nunc, fueritque ſemper habitus vt Succeſſor Petri in primatu, nemo negare debet dici poſſe ipſum iure diuino primatum habere, & licèt negaretur Romanum Pontificem Petro in Epiſcopatu ſuccedere, negari tamen non poſſet eum ſuccedere in primatu, vt antea probatum eſt. Porrò ſi quæras, cur potiſſimùm Romana Eccleſia ſit electa, quæ primatum obtineret, reſponderi poteſt id factum, quia Romana Vrbs erat prima, nec alia congruentior ratio videtur reddi poſſe.*

Ergo ſecundùm Dupinum Primatus, & Poteſtas Papalis Romani Pontificis eſt de iure diuino: ergo hanc authoritatem non accipit ab Eccleſia, ſed immediatè à Chriſto: nam quod Eccleſia poteſt dare & tollere, non eſt de iure diuino, ſed de iure humano.

§. V.

Amplius detegitur abſurditas doctrinæ Dupini aſſerentis Romanum Pontificem accipere ſuam authoritatem ab Eccleſia.

1. SEd age probemus ampliùs, eſſe omnino abſurdam, & improbabilem doctrinam Dupini aſſerentis Romanum Pontificem ſuam authoritatem accipere ab Eccleſia. Imprimis eximius Doctor Franciſcus Suarez diſp. 10. de fide ſect. 3. num. 7. dicit, quòd eſt concluſio de fide, *Dignitatem Summi Pontificatus, quæ hactenus ſemper fuit in Epiſcopo Romano, non ab hominibus, ſed immediatè ab ipſo Chriſto creatam eſſe, & ex ipſius præcepto, & inſtitutione continenter perſeuerare.* Quia de fide eſt, Chriſtum Dominum in Petro inſtituiſſe dignitatem Summi Pontificis, & Vicarij ſui in terris, vt latè conſtabit ex diſp. 2. & 3. & probat idem Suarez ibi ſect. 1. Et vt probat ſect. 2. de fide eſt, Chriſtum non fundaſ-

Digitized by Google

ſe illam dignitatem, vt in Petro finiretur, ſed vt tranſiret ad Succeſſores; ac proinde de fide eſt, Chriſtum voluiſſe, vt aliquis Epiſcopus ſuccederet Petro in munere Summi Pontificis, & Vicarij Chriſti. Et traditione Apoſtolica conſtat, hunc Epiſcopum ſuccedentem Petro in ratione Papæ eſſe Epiſcopum Romanum.

2. Ad quod explicandum rectè obſeruat Bellarmin. lib. 2. de Romano Pontif. cap. 12. ſucceſſionem Romani Pontificis in Pontificatu Petri eſſe ex Chriſti inſtitutione, & iure diuino, quia Chriſtus ipſe inſtituit in Petro Pontificatum duraturum vſque ad finem mundi, proindèque quicumque Petro ſuccedit, à Chriſto accipit immediatè Pontificatum, ſicut quicumque ordinatur ab Epiſcopo in Presbyterum, accipit immediatè à Chriſto poteſtatem conſecrandi corpus Chriſti. Rationem autem ſucceſſionis, qua Epiſcopus Romanus potiùs quàm Antiochenus ſuccedit Petro, initium ſumpſiſſe ex facto Petri, & non ex prima Chriſti inſtitutione: quia nimirum Petrus cùm poſſet Sedem ſuam Pontificalem vel nulli Epiſcopatui alligare, ſicut fecit primis quinque annis, vel figere Antiochiæ, vbi commoratus eſt per aliquod tempus: tamen vel ex præcepto priuatim ipſi intimato à Chriſto ipſi apparente, vt aliqui Patres volunt apud Bellarminum & Suarez, vel ſaltem ex inſpiratione diuina Romam tranſtulit Cathedram Papalem, & illam alligauit Epiſcopatui Romano, in quo obijt.

3. Vnde licèt non ſit de iure Diuino, quòd Epiſcopus Romanus, quatenus Epiſcopus Romanus, ſit Papa; quia licèt in Euangelio habeatur, quòd aliquis Prælatus debet ſuccedere Petro in Papatum; tamen, quod hic Prælatus ſit Epiſcopus Romanus, non habetur in Euangelio: cæterùm abſolutè loquendo dici debet hoc de iure diuino, vt docet Bellarminus: quia certum omnino eſt, & euidens euidentia facti, quòd nullus alius Epiſcopus de facto ſuccedit Petro in Summo Pontificatu, niſi Romanus Epiſcopus: & aliunde de iure diuino ipſa eſt ſucceſſio, quia certum eſt, ordinarium officium Eccleſiam vniuerſam cum ſumma poteſtate gubernandi, non eſſe ab hominibus, ſed à Deo immediatè inſtitutum: ſicut non ab hominibus, ſed à Deo immediatè eſt inſtitutum, quòd legitimus Sacerdos proferens ritè ſuper panem triticeum illa verba, *Hoc eſt corpus meum*, conficiat Euchariſtiam.

4. Sed quidquid ſit, an ſit de iure diuino, quòd Romanus Epiſcopus ſit ſummus Pontifex, tamen de facto abſolutè de fide eſt eſſe Summum Pontificem illum, de quo conſtat eſſe legitimè electum in Epiſcopum Romanum; licèt de fide non ſit, Epiſcopatum Romanum nunquam ſeparandum eſſe à Summo Pontificatu; vt docet Bellarminus lib. 4. c. 4. de Rom. Pontifice, & lib. 2. cap. 12. quia de fide eſt, quòd omnis homo legitimè electus in Epiſcopum Romanum, eſt verus Chriſti Vicarius, & legitimus Petri Succeſſor in Summo Pontificatu, vt probabo ad finem huius operis, & latè oſtendi in tract. de fide. Siquidem vt propoſitio

parti-

particularis ſit de fide, ſatis eſt, quòd ſit omnino vel phyſicè, vel metaphyſicè, vel ſaltem moraliter certum, quòd contineatur ſub propoſitione expreſsè reuelata. Eſt autem expreſsè reuelatum, quòd aliquis Epiſcopus ſuccedit Petro, & aliunde eſt omnino certum, quòd hic Epiſcopus non eſt alius, quàm Romanus. Vt enim inquit Bellarminus lib. 2. de Romano Pontifice cap. 12. *id habetur ex traditione Apoſtolica Petri, quam traditionem Concilia generalia, Pontificum decreta, & Patrum conſenſus declarauit.*

§. VI.

Iterum demoſtratur contra Dupinum, Papam non accipere poteſtatem ſuam ab Eccleſia, & oſtenditur debilem eſſe rationem, qua probatur Concilium eſſe ſupra Papam, ex eo quòd repræſentet vniuerſam Eccleſiam.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITT. EMANUELE

1. AVthor iſte diſſert. 6. §. 1. pag. 384. ex principio manifeſtè falſo, quod nuper impugnauimus, cui totam molem illius operis & ruinoſi ædificij impoſuit, ſic concludit: *Non ergo Summus Pontifex habet poteſtatem in vniuerſam Eccleſiam, licèt habeat in vniuerſa Eccleſia; ſed vice verſa Eccleſia poteſtatem habet in Pontificem: & quemadmodum, mortuo Pontifice, alium ſufficit, ita poteſt corrigere atque deponere, non quidem ipſa per ſe, nam vniuerſam Societatem Eccleſiæ conuenire aut iudicare, non eſt poſſibile, ſed per Concilium generale, quod cum Eccleſiam vniuerſalem repræſentet, habet vniuerſam Eccleſiæ poteſtatem in ſe vnitam, cùm præſertim Eccleſia vniuerſa habeat aſſenſum. Cum ergo Eccleſiæ poteſtas ſit ſuperior poteſtate Papæ; cùm Eccleſia leges dicere poſſit Papæ; cùm Eccleſia poſſit auferre à Papa iuriſdictionem, quam ipſi commiſit, nemo dubitare poteſt, quin hæc omnia fieri poſſint à Concilio generali ipſam repræſentante.*

2. Hæc in fine illius paragraphi, quæ ſingillatim magis expendit initio paragraphi ſecundi, cuius titulus eſt, *Maiorem eſſe Concilij Generalis quàm Pontificis Romani authoritatem*. Vt enim hanc Concilij ſupra Papam probet excellentiam, iterum repetit fundamentum illud ruinoſum, & apertè falſum, quod nuper impugnauimus, ſic enim ait: *Ad probandum maiorem eſſe Concilij præſertim generalis* (nota particulam *præſertim*, qua ſignificatur, etiam maiorem eſſe authoritatem Concilij Prouincialis, *quàm Romani Pontificis authoritatem*) *hoc vnum obſeruaſſe ſuffi-*

ſufficeret, à Concilio generali Eccleſiam vniuerſam repræſentari, non item à Romano Pontifice; quippe cùm ſuprema poteſtas ſpiritualis toti Eccleſiæ in commune à Chriſto collata ſit, vt paragrapho ſuperiori abundè probatum eſt; aliunde verò certum ſit, Concilium generale vniuerſam Eccleſiam repræſentare, non item Romanum Pontificem; quis negare poſsit, quin maior eſt Concilij, quàm Romani Pontificis authoritas? Hucuſque ille.

3. Vbi vides, hunc Authorem tanquam principium omnino neceſſarium ad defendendam ſententiam recentium Gallorum de ſuperioritate Concilij in Pontificem, ſtatuere, quòd ſumma Chriſti ſapientia contulerit ſupremam poteſtatem ſpiritualem, qualis eſt poteſtas determinandi fidei & morum controuerſias, edendi Symbolum fidei, ferendi leges vniuerſales, concedendi indulgentias &c. toti Eccleſiæ in commune, id eſt communitati omnium fidelium, & conſequenter poſuiſſe hanc ſupremam poteſtatem tanquam in ſubiecto, non minus in hominibus ruſticis & ignorantibus, in pueris, in fœminis, quàm in Epiſcopis & Doctoribus, non minus in ouibus, quam in paſtoribus, non minus in diſcipulis, quàm in Magiſtris. Quæ aſſertio non ſolùm eſt apertè falſa, ſed ex terminis apparet omnino ridicula.

4. Quamuis enim Chriſtus in conferenda hac ſuprema poteſtate ſpirituali ſuæ Eccleſiæ, reſpexerit tanquam ad finem ad totam Eccleſiam in commune, quia intendebat omnium fidelium ſalutem, firmitatem & vnitatem in fide; non tamen reliquit illam tanquam in ſubiecto in communitate Eccleſiæ, ſed reliquit tanquam in ſubiecto in Romano Pontifice, vt infra probabo cum Diu. Thoma aſſerente in 4. diſt. 20. art. 4. in corp. & 2. 2. quæſt. 11. art. 2. ad 3. *authoritatem vniuerſalis Eccleſiæ reſidere penes Romanum Pontificem.* Nam vt ſapienter ſcripſit Petrus Paludanus Patriarcha Hieroſolymitanus, & Author Gallus in tractatu de cauſa immediata Eccleſiaſticæ poteſtatis art. 2. concluſ. 8. in 3. probatione: *Tota poteſtas Eccleſiæ fuit collata Petro, imò non eſt collata Eccleſiæ, niſi in perſona Petri*: vnde Auguſtinus dicit, (& habetur 24. quæſt. 1. cap. Quæcumque) *quod quando Petrus claues accepit, Eccleſiam ſignificauit*; quaſi diceret: *Eccleſia in Petro, & Petrus pro Eccleſia à Chriſto claues accepit.*

5. Ipſaque ratio, quam hic Author hic allegat, id ſuadet: nam ſi *vniuerſam Societatem Eccleſiæ conuenire, aut iudicare non eſt poſſibile*; quomodo Chriſtus ſupremam poteſtatem iudicandi cauſas fidei, & determinandi controuerſias morum potuit tradere Societati Eccleſiæ tanquam ſubiecto? Fruſtra enim traduntur claues perſonæ, quæ nunquam poteſt illis vti ad aperiendum: fruſtra traduntur cõmunitati hominum, qui nunquam poſſunt in vnum conuenire ad deſignandum, & eligendum Miniſtrum, qui loco communitatis clauibus vtatur.

6. Quare cùm ſoli Epiſcopi poſſint conuenire in vnum ad examinandas controuerſias fidei, & de illis deliberandum, ſolis Epiſcopis ad ſum-

ſummum debuit Chriſtus tradere ſupremam poteſtatem ſpiritualem determinandi cauſas fidei & morum, non autem communitati omnium fidelium, ſeu immediatè toti Eccleſiæ. Ac proinde, quamuis permitteremus Romanum Pontificem non habere authoritatem infallibilem ad decidendas fidei & morum controuerſias; adhuc non poſſet admitti doctrina illa Dupini: ſed tunc deberet dici, Chriſtum tradidiſſe Eccleſiæ ſupremam authoritatem ad decidendas fidei & morum controuerſias; quia illam tradidit Paſtoribus Eccleſiæ, dum conueniunt in Concilium generale; cùm enim Epiſcopi ſint pars præcipua Eccleſiæ; quod illis conceſſum eſt à Chriſto, meritò dicitur Eccleſię conceſſum, præſertim cùm non ſit conceſſum ipſis propter ipſos, ſed ipſis propter Eccleſias; non enim Eccleſiæ ſunt propter Epiſcopos; ſed Epiſcopi propter Eccleſias. Rurſus cùm ad Epiſcopos tanquam ad paſtores ſpectet oſtendere ouibus paſcua ſalutaria, & ad illos tanquam ad Magiſtros docere populos; illis ſolis debuiſſet à Chriſto tradi authoritas infallibilis ad determinandas fidei & morum controuerſias, & ſeparandum pretioſum à vili, & diſcernendum inter dogmata vera & falſa, inter doctrinam ſanam & periculoſam. Vnde omnino indubitatum deberet eſſe, vel ſupremam hanc authoritatem eſſe in ſolo Papa ſeorſim à Concilio generali, vel ſaltem in Papa ſimul cum Concilio generali: dicere autem, quòd ſit in tota communitate fidelium, eſt res omnino abſona, & nullam habens veritatis ſpeciem.

7. Inde rurſus patet, quàm abſurdæ ſint illæ propoſitiones, quas habet Dupinus diſſert. 6. §. 1. pag. 380. nimirum iſtæ: prima, *Eccleſia ſupremam habet poteſtatem, quæ ab ipſa in Miniſtros eius, Summumque Pontificem deriuatur*: item ſecunda; *Claues non vni Petro, ſed in perſona Petri vniuerſitati Eccleſiæ collatæ ſunt, quas illa Miniſtris ſuis ac Summo Pontifici communicat*. Patet, inquam, quàm abſurdæ ſint iſtæ propoſitiones. Cùm enim cauſa deriuans poteſtatem in alios, debeat eſſe diſtincta ab illis, in quos deriuat poteſtatem; & cauſa communicans claues debeat eſſe diſtincta à ſuppoſito recipiente: ſanè ſi Eccleſia deriuat poteſtatem in miniſtros ſuos, & Summum Pontificem, id eſt in Epiſcopos & cæteros Prælatos habentes iuriſdictionem aliquam, & Summum Pontificem; ſequitur, Eccleſiam quatenus diſtinctam ab omnibus Epiſcopis & Prælatis, atque vt diſtinctam à Summo Pontifice deriuare poteſtatem ſpiritualem in ipſos; & cùm Eccleſia vt diſtincta ab omnibus Epiſcopis & Prælatis, & Pontifice, includat ſolos Laicos, & Eccleſiaſticos non habentes vllam iuriſdictionem; ſequitur perſonas laicas, ruſticas, & ignorantes deriuare in omnes Epiſcopos, & Summum Pontificem totam poteſtatem ſpiritualem, quam habent. Quis autem non videat hoc eſſe abſurdum? Rurſus ſi Eccleſia communicat claues miniſtris ſuis, & Summo Pontifici, ſequitur Eccleſiam vt diſtinctam ab omnibus Sacerdotibus, ab omnibus Epiſcopis, & à Summo Pontifice, communicare

ipſis

ipſis poteſtatem clauium: Eccleſia autem vt diſtincta ab omnibus iſtis, eſt Eccleſia quatenus conſtans ex perſonis laicis, & non Sacerdotibus. Quis autem admittat, Laicos communicare Epiſcopis, & Summo Pontifici poteſtatem ſpiritualem, qua gaudent, & alijs dare, quod ipſi non habent, nec plerumque habendi ſunt capaces?

§. VII.

Oſtenditur contra Dupinum, Concilium vt contradiſtinctum à Papa non repræſentare vniuerſam Eccleſiam; è contra verò Papam vt contradiſtinctum à Concilio eam repræſentare.

1. PRæterea ratio, quam adducit, vt probet Concilium generale eſſe ſupra Papam, quia ſcilicet Concilium generale Eccleſiam vniuerſam repræſentat, & habet vniuerſæ Eccleſiæ poteſtatem in ſe vnitam, habet inſuper Eccleſiæ vniuerſæ aſſenſum: Ratio, inquam, iſta debilis eſt, vt latè oſtendam libro 2. vbi omni argumentorum genere probabo, Papam eſſe ſupra Concilium. Nunc breuiter reſpondeo, quando diſputatur, an Concilium generale ſit ſupra Papam, Concilium generale non ſumi vt includens Papam; quia cum euidens ſit, Papam non eſſe ſupra ſeipſum, euidens quoque eſt, Concilium generale vt includens Papam non eſſe ſupra Papam; ſed ſumi Concilium generale quatenus contradiſtinctum à Papa, & quatenus non includens Papam. Concilium autem ſic ſumptum non repræſentat vniuerſam Eccleſiam; ſed illam repræſentat, quatenus componitur ex alijs Epiſcopis, & ex Pontifice Romano: quia eatenus Concilium generale repræſentat vniuerſam Eccleſiam, quatenus ad Concilium generale conuocantur omnes Epiſcopi, & vnuſquiſque affert ſecum vocem ſuæ Eccleſiæ, & oues ſuas repræſentat: vnde non poſſunt repræſenrare vniuerſam Eccleſiam, niſi accipiantur vt coniuncti cum Romano Pontifice, qui præſcindendo à munere Summi Pontificis, & ſumptus præciſè vt Epiſcopus Romanus, repræſentat diœceſim Romanam, & oues illius Eccleſiæ particularis. Vnde Concilium vt repræſentans vniuerſam Eccleſiam includit Papam, ac proinde ex eo quòd Concilium generale repræſentet vniuarſam Eccleſiam, numquam poteſt probari, quòd Concilium generale quatenus diſtinctum à Papa, ſit ſupra Papam, vel quòd ſit ſupra Papam reduplicatiuè quatenus generale; quia quatenus generale includit authoritatem Papæ, qui illud debet conuocare, & confirmare, & per ſe, vel per legatos ſuos præcipuas partes in Concilio agere.

2. Vnde

2. Vnde patet, quàm debile ſit fundamentum à priori, quo Dupinus probat Concilium generale eſſe ſupra Papam; quia Concilium generale ſcilicet repræſentat vniuerſam Eccleſiam, Papa autem non repræſentat vniuerſam Eccleſiam: falſum eſt namque Concilium generale vt contradiſtinctum à Papa repræſentare vniuerſam Eccleſiam. Falſum rurſus, Papam vt contradiſtinctum à corpore Concilij non repræſentare vniuerſam Eccleſiam. Si enim ſinguli Epiſcopi repræſentant omnes fideles ſuæ diœceſis, quia ſunt omnium illorum paſtores; Romanus Pontifex debet omnes omnino totius orbis fideles repræſentare, cùm ſit omnium etiam collectiuè ſumptorum paſtor vniuerſalis, vt expendemus diſputatione ſequenti, dum ponderabimus illa verba, *Paſce oues meas*. Et propterea Auguſtinus citatus in iure canonico 24. quæſt. 1. cap. *quodcumque*, dixit: *Petrus quando claues accepit, Eccleſiam Sanctam ſignificauit*; quia nimirum cùm eſſet Vicarius Chriſti, & Magiſter & Paſtor vniuerſalis, accepit claues vniuerſales, pro omnibus omnino, quia ſcilicet eius iuriſdictio ſe extendit ad omnes, & poteſt in toto orbe Chriſtiano totum id, quod poteſt Epiſcopus in ſuo Epiſcopatu. Vnde eadem ratione, & eodem iure, quo Epiſcopus particularis repræſentat gregem particularem ſibi commiſſum, Papa repræſentat totum Chriſti ouile, quia totum ipſius curæ commiſſum eſt.

3. Eſt & alia ratio, cur totam Eccleſiam repræſentet, quia videlicet, vt inquit Auguſtinus tract. 50. cap. 12. Ioannis, *in perſona Petri ligandi atque ſoluendi Eccleſia poteſtatem accepit*; id eſt; quia Petro tanquam capiti Eccleſiæ dedit Chriſtus totam iuriſdictionem Eccleſiaſticam, vt ſcilicet à Succeſſore Petri deriuaretur in cæteros paſtores particulares. Vt enim inquit S. Leo ſerm. 2. aſſumptionis ſuæ ad Pontificatum: *Cùm multa ſolus Petrus acceperit, nihil in quemquam ſine illius participatione tranſijt*. Et vt ait S. Optatus Milleuitanus Epiſcopus (de quo mentionem facit S. Hieronymus de Scriptoribus Eccleſiaſticis) lib. 7. aduerſus Donatiſtas: *Præferri Petrus cæteris Apoſtolis meruit, & claues regni cælorum cæteris communicandas ſolus accepit*.

4. Papa ergo vt diſtinctus à Concilio totam Eccleſiam verè repræſentat; Concilium verò vt contradiſtinctum à Papa nullo pacto verè poteſt totam Eccleſiam repræſentare, falſiſſimumque eſt, Papam ab Eccleſia poteſtatem accipere; ſed potiùs veriſſimum eſt, totam poteſtatem iuriſdictionis, quæ eſt in Eccleſia, vel eſſe in Papa, vel à Papa deriuari. Vnde conſtat, non Eccleſiam ſupra Papam, ſed Papam eſſe ſupra reliquum corpus Eccleſiæ.

5. Vnde illa propoſitio Dupini, quam habet pag. 384. in fine: *Eccleſia poteſt auferre à Papa iuriſdictionem, quam ipſi commiſit*, falſa ſuppoſitione laborat: ſupponit namque Papam accipere poteſtatem iuriſdictionis ab Eccleſia; hoc autem eſt planè falſum, & conſtat ex dictis. Vn-

de Gelaſius Papa in Concilio ſeptuaginta Epiſcoporum declarauit, *Eccleſiam Romanam à Chriſto Domino habere primatum.*

§. VIII.

Quando de nouo creatur Papa, perſonæ eligentes non communicant ipſi poteſtatem, ſed deſignant perſonam, cui à Deo immediatè communicatur ex vi primæuæ inſtitutionis factæ à Chriſto in perſona Petri.

1. VNde quando Cardinales eligunt aliquem in Pontificem Romanum, non communicant, nec Eccleſia per ipſos illi homini poteſtatem ſpiritualem, & iuriſdictionem; ſed tantùm deſignant perſonam, cui Chriſtus ex vi primæ inſtitutionis concedit poteſtatem Papalem; id eſt tantùm deſignant & conſtituunt perſonam, quæ ſuccedat in dignitate à Deo inſtituta, eodem prorſus modo, quo inſtituta eſt, & ſine authoritate vel poteſtate illam immutandi, augendi vel diminuendi, vt explicat P. Suarez lib. 3. aduerſus Regem Angliæ cap. 2. num. 16. Vnde licèt hîc interueniat actio humana, hoc non ſatis eſt, vt non detur immediatè à Deo illa dignitas. Sic dignitas Apoſtolatus data eſt Mathiæ immediatè à Deo, & tamen data eſt interueniente actione aliqua Apoſtolorum. Atque hic modus quoad Pontificiam dignitatem ſeruatus eſt in veteri lege, ſecundum ſucceſſionem carnalem; in lege autem noua fit per legitimam electionem, qua perſona deſignatur: ſicut enim in veteri lege Deus inſtituit Summum Pontificatum in Aarone, & voluit, vt eſſet Summus Pontifex, qui per carnalem generationem ab Aarone traheret originem cum iure primogenituræ: ita in lege noua Chriſtus inſtituit Summum Pontificatum in Petro, & voluit, vt tranſiret ad perſonam illam, quam Eccleſia deſignaret pro Succeſſore Petri; non taxauit autem modum eligendi, ſed hunc reliquit arbitrio & determinationi Eccleſiæ, quæ ſecundum temporum differentias determinaret modum aptiorem ad præcidendam ambitionem, ad impedienda ſchiſmata, & ad perſonam digniorem collocandam in ſede Petri celeriter, & ſine incommodis, quæ longa Sedis vacantia afferre ſolet. Vnde opera hominum, quæ collocatur in deſignanda perſona, non tollit, quominùs dignitas Pontificia immediatè conferatur à Deo. *Et ratio eſt* (inquit eximius Doctor Suarez) *quia ſemper confertur poteſtas ex vi primæuæ inſtitutionis, & ſo-*

Digitized by Google

& ſolius voluntatis Dei, cuius ſignum eſt, quia integrè & immutabiliter, prout inſtituta eſt, confertur, & quia ſucceſſio etiam in eadem poteſtate ab eadem inſtitutione originem habet, ideo enim in lege veteri per generationem carnalem in Pontificatu ſuccedebatur, quia ita à Deo ipſo inſtitutum erat, nunc autem deſignatio perſonæ alio, magiſque ſpirituali modo fit, quia Eccleſiaſtica traditio docet, ita eſſe à Chriſto inſtitutum, qui modum electionis, ſeu deſignationis perſonæ Vicario ſuo definiendum commiſit.

2. Idque exemplo naturali explicatur. Nam cùm homo generat hominem, non producit animam rationalem, nec illam infundit corpori, ſed ſolùm generat corpus, & diſponit materiam, cui Deus infundat animam rationalem, quam per creationem ipſe ex nihilo producit. Sic ergo eligentes Pontificem, non cauſant eius poteſtatem ſpiritualem, nec illam communicant ipſi, ſed ſolùm deſignant perſonam, cui Deus communicet poteſtatem ſpiritualem, & authoritatem Pontificiam à ſe inſtitutam.

§. IX.

Quàm abſurda ſit Doctrina Dupini, qui cùm docuiſſet, Romanum Pontificem non accipere immediatè à Chriſto poteſtatem Pontificiam, ſed mediante communitate Eccleſiæ; poſtea expreſsè docet, poteſtatem Regiam immediatè eſſe à Deo, & ab illius ſolius poteſtate pendere:

Vbi expenduntur duodecim eius abſurdæ Propoſitiones.

1. QVòd hic Author primum docuerit, conſtat ex dictis. Nam, hic Author diſſert. 6. in præloquio §. 2. pag. 384. habet has formales propoſitiones.

1. *Eccleſia poteſtatem habet in Pontificem.*
2. *Eccleſia Pontificem corrigere poteſt, atque deponere.*
3. *Eccleſiæ poteſtas eſt ſuperior poteſtate Papæ.*
4. *Eccleſia leges poteſt dicere Papæ.*
5. *Eccleſia poteſt auferre à Papa iuriſdictionem, quam ipſi commiſit.*

Et pag. 380. habet iſtas.

6. *Eccleſia ſupremam habet poteſtatem, quæ ab ipſa in Miniſtros eius, ſummumque Pontificem deriuatur.*

Digitized by Google

7. *Mens antiquorum omnium fuit, claues non vni Petro, ſed in perſona Petri vniuerſitati Eccleſiæ, collatas eſſe, quas illa Miniſtris ſuis, Summoque Pontifici communicat.*

Quòd autem docuerit ſecundum, conſtabit legenti diſſertationem ſeptimam; nam ibi cap. 2. §. 1. p. 456. in ipſo titulo paragraphi hanc habet propoſitionem.

8. *Poteſtas regia immediatè eſt à Deo.*

9. *Cùm ſolus Deus Reges conſtituat, ita ſolus eis regnum adimere poteſt*, & pag. 461. *Poteſtas ciuilis & temporalis Regum à ſolo Deo emanat.*

10. *Poteſtas Regum non aliam ſupra ſe agnoſcit præter diuinam.*

11. *Romani Pontifices neque directam, neque indirectam in temporalia Regum authoritatem habent.*

12. Et §. 3. pag. 465. habet hanc
Eccleſia non poteſt vi & armis reſiſtere Regibus, etiam poteſtate ſua abutentibus, ſed tenetur eos patienter ferre.

2. Quis has propoſitiones legens, & ignorans, à quo Authore eſſent aſſertæ, credere poſſet, illas fuiſſe aſſertas ab aliquo Doctore Catholico, qualis eſt Doctor Ludouicus Ellies Dupin? Ego ſanè mihi nunquam hoc perſuadere poſſem, niſi vidiſſem. Video tamen nunc fuiſſe aſſertas, & acriter propugnatas ab homine Catholico. Qui quamuis in doctrina iſta tradenda longè à veritate aberrauerit, nihilominus laudandus eſt in proteſtatione, quam huic operi præmiſit: nam in monito ad Lectorem mentem ſuam Catholicam ſic exponit: *Imprimis verò*, inquit, *proteſtor me Sedem Apoſtolicam, & qui in ea ſedet INNOCENTIVM XI. Pontificem venerari, Eccleſiam Romanam vt cæterorum omnium caput, vero & ſincero honore proſequi; eius communionem quàm ſtudioſiſſimè poſſum fouere, & amplecti, nec vnquam me vel latum vnguem ab eius obedientia receſſurum.* Et poſtmodum ſubiungit, *Peſſimè illi de Sede Apoſtolica merentur, qui authoritatem eius nimiùm extollunt, & indebita Romano Pontifici priuilegia quoquo tandem pacto illi tribuere non verentur.*

3. Hoc verè dictum eſt; ſed in eo maximè fallitur Author iſte, dum exiſtimat, eos nimiùm Romani Pontificis authoritatem extollere, qui dicunt illum habere authoritatem infallibilem ad decidendas fidei & morum controuerſias extra Concilium generale, & non expectato Eccleſiæ conſenſu, & eius authoritatem eſſe Concilijs generalibus, & Regibus ſuperiorem, & poſſe illos excommunicare, ſi leges ferant contrarias bonis moribus, & ſubditos ſuos velint à vera fide & religione auertere; & in hæreſim trahere &c. poſſeque gladio ſpirituali illos cogere, vt ab incepto deſiſtant; cùm omnes iſtæ propoſitiones ſint doctrina communis omnium ferè Theologorum, Sanctorum Patrum, & Sacrorum Canonum, & quæ ex Concilijs, & Sanctiſſimorum Pontificum decretis neceſſariò colliguntur, vt probant præcipui Doctores Catholici in hoc opere citandi.

4. Sed

Digitized by Google

4. Sed quod hic Author dicit,tangens eos,qui Sedem Apoſtolicam defendunt, potiori iure dici poteſt de ijs, qui plus quàm par eſt, poteſtatem Regum extollunt. *Peſſimè illi de Regia Maieſtate merentur, qui authoritatem eius nimiùm extollunt, & indebita Regibus priuilegia quoquo tandem pacto illis tribuere non verentur.*

5. Et mirandum eſt, quòd Vir, qui tales propoſitiones in fauorem Regum contra authoritatem Romani Pontificis defendit, confidenter aſſerat, ſe omni paſſione vacuum, opus illud meditatum fuiſſe. Sic enim effatur in Præloquio ad Diſſertationem quartam, quæ eſt de Primatu Romani Pontificis, pag.303. *Vetus*, inquit, *eſt, & celebris de Primatu Romani Pontificis quæſtio, de qua innumeri ferè ſcripſerunt; ſed quoſdam adulatio, alios odium ad ſcribendum impulit, ita vt vix vllum inuenias, qui ſolius veritatis defendendæ ſtudio, & ab omni affectu vacuus ad hanc quæſtionem tractandam acceſſerit. Percurre omnium fermè, qui hucuſque ea de re ſcripſerunt, lucubrationes, aut fœda aſſentatione, aut acerbis conuitijs ſcatent, inde conſilium mihi ſine ira & ſtudio de Primatu Romani Pontificis diſſerere.* Ergo nec S.Thomas, nec S. Bonauentura, nec Alexander Alenſis, nec B. Albertus Magnus, nec S.Antoninus, nec Cardinalis Caietanus, nec Cardinalis Bellarminus, nec Baronius, alijque innumeri virtute, & ſapientia illuſtres, qui priuilegia illa Romanæ Sedis, quæ Dupinus impugnat, ſtrenuè & validè propugnarunt, ad ſcribendun acceſſerunt ſolius veritatis amore; & ſolus Dupin hanc laudem meretur.

6. Inter viros ſanctitate illuſtres, qui pro authoritate Romani Pontificis latè & neruosè ſcripſerunt, non poſtremum locum obtinet Beatus Ioannes Capiſtranus ex Ordine S. Franciſci, S.Bernardini Senenſis amiciſſimus, prædicatione Apoſtolica, & miraculis illuſtris, cuius egregium elogium habet in ſua hiſtoria Æneas Siluius, poſtea Pius Secundus eius nomine Pontifex Maximus, quod apponitur initio tomi operum B. Capiſtrani, excuſi Venetijs anno 1580. Hic vir ſanctus, qui laboribus maximis pro Eccleſia perfunctus obijt anno 1456. ſcripſit doctiſſimum tractatum *de Papa & Concilij, ſiue Eccleſiæ authoritate*, in quo viginti quatuor argumentis probat ſuperioritatem Papæ in Concilia omnia; eiuſque infallibilitatem, & poteſtatem ad deponendum Reges, ſi oues Chriſti à via ſalutis auertant, in hæreſim, & praua dogmata inducendo, defendit. In huius autem operis proœmio ſic præfatur ad finem columnæ. *Cùm non dubitem me inter ignem & enſem huius operis ſtudio coarctari, & multos in me æmulos excitare, apud Deum formidine nulla concutiar, qui ad intentionem magis reſpicit, quàm ad opus, cùm non intendam niſi ſincera, recta & ſolida conſcientia (iuxta Sanctorum Patrum, ac præcedentium Doctorum traditiones & dogmata) perquirere veritatem, nulla mentis paſſione commotus, nulla formidine pœnæ, nulla ſpe præmij niſi cæleſtis, nulla affectione priuata, non odio, non amore cu-*

iuſquam,

iuſquam, niſi quantum diuina charitas, & proximi dilectio me compellit pro gloria Redemptoris, & Catholicæ Sponſæ Chriſti indagare, quantum meæ puſillitatis vires efflagitant, & ruditas ingenij valuerit attingere palpitando.

7. Iudicet prudens Lector, cui potiùs credere debeamus, an huic Sancto Viro, an Doctori Dupino, de cuius ſanctitate non habemus Eccleſiæ teſtimonium. Ego non dubito, Dupinum locutum eſſe prout ſentiebat; quia nefas eſſet de Viro graui ſuſpicari contra mentem locutum fuiſſe: cæterùm illum locutum eſſe ex errore intellectus, ſeu ex dictamine falſo, non dubito: quia certus ſum doctrinam ab ipſo in illis propoſitionibus aſſertam, eſſe falſiſſimam. An verò error ille intellectus ſit craſſus & culpabilis, ortus ſcilicet ex negligentia culpabili inquirendi veritatem, vel ex paſſione aliqua ſecreta obcæcante intellectum, ob nimium fortaſſe ſtudium erga dignitatem regiam, vel ob deſiderium faciendi ſibi nomen ex nouitate doctrinæ, Deo iudicandum relinquo. Poteſt enim quis peccare tradendo aliquam doctrinam malam & pernicioſam, quamuis in illa tradenda exiſtimet ſe obſequium præſtare Deo: ſicut peccabant illi, de quibus loquitur Chriſtus Ioan. 16. 2. *Venit hora, vt omnis, qui interficit vos, arbitretur ſe obſequium præſtare Deo*. Et patet ex illo Prou. 16. 25. *Eſt via quæ videtur homini recta, & nouiſsima eius ducunt ad mortem*. Et ex illo Iſaiæ 5. 20. *Væ qui dicitis malum bonum, & bonum malum, ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras*. Vt enim inquit Auguſtinus epiſt. 154. ad Publiolam: *Si quis bonum putauerit eſſe, quod malum eſt, & fecerit hoc recitando, vtique peccat; & ea ſunt omnia peccata ignorantiæ, quando quis bene fieri putat, quod malè fit*. Legenti autem contextum manifeſtè conſtabit, Auguſtinum loqui de èrrore vincibili, in quem homo ſuâ culpâ incidit. Vnde Dupin in re tam graui timere debet, ne per errorem culpabilem tam pernicioſam doctrinam tradiderit: & bene debet inſpicere, an cum Auguſtino lib. 5. Confeſs. cap. 10. dicere aliquando debeat: *eò inſanabiliùs peccabam, quò me non peccare arbitrabar*. Attentè conſideret illud monitum ſalutare Venerabilis Cardinalis Bellarmini ad nepotem ſuum Epiſcopum Theanenſem: *Agitur de ſumma rei, dum de ſalute æterna tractatur; & facillimum eſt conſcientiam erroneam exemplo aliorum induere, & eo modo conſcientia non remordente, ad eum locum, vbi vermis non moritur, & ignis non extinguitur, deſcendere.*

8. Conſideret Dupinus illam ſuam propoſitionem, *Eccleſia non poteſt vi & armis reſiſtere Regibus, etiam poteſtate ſua abutentibus, ſed tenetur eos patienter ferre*; in qua negat Romano Pontifici id, quod ius naturale ſingulis conceſſit hominibus, quòd ſcilicet poſſint vim ſibi iniuſtè illatam vi repellere; quod etiam ſubditis aduerſus legitimos ſuperiores conceditur: quamuis enim ſubditus non poſſit ſuperiorem iudicare, poteſt tamen ſuperiori iniuſtè ipſum aggredienti reſiſtere. Vnde communis ſententia omnium ferè Doctorum Catholicorum aſſerentium, pri-

primam

mam Sedem à nemine poſſe in terris iudicari, nihilominùs affirmat, quòd ſi Papa degeneraret in tyrannum, & vellet Eccleſiam deſtruere, poſſent Principes & fideles ei reſiſtere, vt videre eſt apud Bellarminum lib. 2. de Concilijs cap. vltimo. Vt enim reſpondeat argumento contendenti, poſſe Eccleſiam Pontificem iniquum deponere, quia alioqui careret remedio: aſſerit hoc non ſequi: *licet enim* inquit Bellarminus, *ſeruata reuerentia admonere Pontificem, & modeſtè corripere, repugnare etiam vi & armis, ſi Eccleſiam deſtruere velit. Ad reſiſtendum enim, & vim vi repellendam non requiritur vlla authoritas*. Id quòd latè explicat Cardinalis Turrecremata lib. 2. cap. 106. Conſideret, inquam, illam ſuam propoſitionem Dupinus, & attendat non poſſe illam Regi Chriſtianiſſimo placere, quippe cui magis arridere debet iudicium illius magnanimi Principis, & inuictiſſimi Imperatoris, Anteceſſoris ſui Caroli Magni, qui dicebat: *In memoriam Beati Petri honoremus Sanctam & Apoſtolicam Romanam Sedem, vt quæ nobis Sacerdotalis mater eſt dignitatis, eſſe debeat Magiſtra Eccleſiaſticæ rationis; quare ſeruanda eſt cum manſuetudine humilitas, vt licèt vix ferendum ab illa Sancta Sede imponatur iugum, tamen feramus, & pia deuotione toleremus*.

9. Quæ verba ex capitulis Caroli refert Gratian. in cap. 3. diſt. 19. & Nauclerus volum. 2. generat. 38. dicit eſſe vnum ex viginti tribus legum capitulis, quæ Carolus ad ſuos ſubditos miſit. Et receptum eſt à Patribus in Concilio Triburienſi canon. 3. Vnde etiam dixit Symmachus Papa in ſexta Synodo Romana: *Non licèt Imperatori, vel cuiquam pietatem cuſtodienti quidquam, quod Apoſtolicis regulis obuiet, agere*, vt refert Gratianus in cap. 2. diſt. 10. vbi ſimilia verba ex Calixto, Marcellino, & Adriano Papa referuntur. Imò idem Adrianus Papa in vltimo ſuorum capitulorum, *Generali*, ait, *decreto conſtituimus, vt execrandum anathema ſit, & veluti præuaricator Catholicæ fidei ſemper apud Deum reus exiſtat, quicumque Regum, vel Potentum deinceps Romanorum Pontificum decretorum cenſuram in quocumque crediderit, vel permiſerit violandam*; vt eſt apud Gratianum in cap. *Generali* 25. quæſt. 1.

10. Iniuriam infert Regibus Chriſtianis Doctor Dupin, dum eos eximit à poteſtate Vicarij Chriſti, & rotundè pronuntiat: *Poteſtatem Regiam non aliam ſupra ſe agnoſcere præter diuinam*. Inter oues enim Chriſti numerari non poteſt, qui non ſubeſt Summo Paſtori, quem Chriſtus Dominus loco ſui in terris reliquit, vt toti ſuo præeſſet ouili. Vt enim præclarè ſcripſit Euſebius Emiſſenus, vel potius Eucherius Lugdunenſis in ſermone de natiuitate Ioannis Baptiſtæ expendens magnificam illam Petro demandatam Prouinciam paſcendi agnos, & oues Chriſti: *Priùs agnos, deinde oues Petro commiſit, quia non ſolum Paſtorem, ſed Paſtorum Paſtorem conſtituit. Paſcit igitur Petrus agnos, paſcit & oues: paſcit filios, paſcit & Matres: regit & ſubditos, & Prælatos. Omnium igitur Paſtor eſt, quia præter agnos & oues in Eccleſia nihil eſt*. Vnde Romanus Pontifex

eſt

eſt ſpiritualis Pater, & Paſtor Summus Regum & Principum temporalium, quantumcumque in ſuo ordine ſupremi ſint. Non audiant Reges & Imperatores vocem doctoris Dupini ſibi blandientis, & ipſorum gratiam captantis: audiant potiùs vocem Sacrorum Canonum clamantium, Reges & Imperatores debere Pontificibus ſubeſſe, & non præeſſe. Sic enim textus loquitur in cap. *Si Imperator*, diſt. 96. *Si Imperator Catholicus eſt* (quod ſalua pace ipſius dicimus) *filius eſt, non Præſul Eccleſiæ. Quod ad religionem competit, diſcere ei competit, non docere. Habet priuilegia ſuæ poteſtatis, quæ adminiſtrandis legibus publicis diuinitus conſecutus eſt, & eius beneficijs non ingratus, contra diſpoſitionem cœleſtis ordinis nihil vſurpet. Imperatores Chriſtiani ſubdere debent executiones ſuas Eccleſiaſticis Præſulibus, non præferre.*

11. Vt autem cum communi Theologorum & Patrum probat Suarez lib. 3. aduerſus Regem Angliæ cap. 22. Reges Chriſtiani non ſolùm quoad perſonas, ſed etiam quoad Regiam poteſtatem, id eſt, non ſolùm vt homines, ſed etiã vt Reges Chriſtiani poteſtati Pontificis ſubijciuntur. Et ideo P. Suarez vbi nuper n. 7. ex Theologorum Principe, & Sanctæ Eccleſiæ lumine D. Thoma 2. 2. quæſt. 40. art. 2 ad 3. meritò dixit; *bella ſubordinari poteſtati Papæ, quia Potentia, virtus, vel ars reſpiciens ſuperiorem finem, habet ſibi ſubordinatas facultates inferiores in ordine ad eundem finem*: Et quæſt. 60. art. 6. ad 3. inquit S. Tho. *Poteſtas temporalis ſubditur ſpirituali, ſicut corpus animæ; & ideo non eſt vſurpatum iudicium, ſi ſpiritualis Prælatus ſe intromittat de temporalibus.*

§. X.

Non ſolùm eſt abſurda doctrina D. Dupin, quatenus negat poteſtatem Eccleſiaſticam Romani Pontificis eſſe immediatè à Deo, ſed etiam quatenus affirmat poteſtatem Politicam & temporalem Regum eſſe immediatè ab ipſo.

1. POteſtatem Regum eſſe verè & propriè à Deo, dubitari non poteſt, vt patet ex illo Prou. 8. *Per me Reges regnant*; & ex illo Sap. 6. *Audite Reges &c. quoniam data eſt à Domino poteſtas vobis*: & ex illo Apoſtoli Rom. 13. *Non eſt poteſtas niſi à Deo, quæ autem ſunt, à Deo ordinata ſunt.* Vnde veritas Catholica eſt, politicum Principatum debito modo introductum, iſtum & legitimum eſſe. Non enim ſolùm ſunt à Deo,

Digitized by Google

à Deo; quæ ab ipſo ſolo fiunt tanquam à cauſa particulari, ſed quæ fiunt ab ipſo mediante cauſa ſecunda.

2. Hoc ſuppoſito, dum Doctor Dupin illam propoſitionem protulit: *Poteſtas Regia immediatè eſt à Deo, & ab illius ſolius poteſtate dependet*, videtur renouare doctrinam Iacobi Angliæ Regis, qui in Apologia ſua, & in Præfatione monitoria ad omnes Chriſtiani Orbis Principes, non ſolùm nouo & ſingulari modo opinatur, Regem non à populo, ſed immediatè à Deo ſuam poteſtatem habere, ſed etiam acriter inuehitur in Cardinalem Bellarminum, eò quòd aſſeruerit, *Non Regibus authoritatem à Deo immediatè perinde ac Pontificibus eſſe conceſſam*, vt refert P. Suarez lib.3. aduerſus Regem Angliæ cap.2.

3. At eximius iſte Doctor ibi maxima doctrinæ vbertate, atque authoritatis & rationis inſigni pondere, tanquam egregium Theologiæ axioma, in ſe veriſſimum, & ad intelligendos fines & limites ciuilis poteſtatis maximè neceſſarium ſtatuit, nullum Regem vel Monarcham habere, vel habuiſſe poteſtatem immediatè à Deo (ſecundum ordinariam legem,) vel ex diuina inſtitutione, ſed mediante humana voluntate & inſtitutione; & oſtendit contra Regem Angliæ, hoc non eſſe nouum, aut à Cardinali Bellarmino inuentum, ſed priùs traditum à D. Thoma, Caietano, Caſtro, Driedone, Victoria, Soto, Molina, Nauarro, & Couarruuia; & non ſolùm à Theologis, ſed à Iuriſperitis, & deductum ex doctrina Patrum.

4. Hoc probare, noſtri inſtituti non eſt, ſatis nobis ſit breuiter inſinuare principia, quibus vtuntur Bellarminus, & Suarez, ad axioma illud ſtabiliendum. Imprimis, vt rectè probat Bellarm. tit. 3. de Verbi Dei
„ interpret.cap.9. Principes & Reges non habent poteſtatem niſi huma-
„ manam, quia nihil poſſunt vltra virtutem à ſuis cauſis acceptam. Cauſæ
„ autem Principatus ſecularis humanæ & naturales ſunt; nam efficiens
„ eſt electio populi; finis eſt pax & tranquillitas temporalis Reipublicæ.
„ Ergo non habet Ptinceps authoritatem niſi humanam, qualem popu-
„ lus dare potuit, & qualis requiritur ad conſeruandam temporalem
„ pacem.

Vnde quando Apoſtolus Rom.13. dicit: *Non eſt poteſtas niſi à Deo, & qui poteſtati reſiſtit, Deo reſiſtit*, non ſignificat Regiam poteſtatem eſſe immediatè à Deo, ſed mediatè, quia Deus inſtinctum illum naturalem poſuit in hominibus, vt crearent ſibi Regem; ſicut etiam leges humanæ dici poſſunt à Deo, quia fiunt lumine naturali, quod Deus menti humanæ in creatione impreſſit.

5. At principatus Eccleſiaſticus cauſas habet diuinas & ſupernaturales: nam efficiens immediatè eſt Deus: neque enim Pontifex ab Eccleſia authoritatem habet, ſed à Chriſto, qui dixit ei, *Paſce oues meas*, Ioan. vlt. Et *Tibi dabo claues &c.* Matth. 16. Finis autem eſt æterna Beatitudo.

6. Item Bellarm. lib. de Laicis cap. 6. col. 1279. obſeruat, Politi-

cam poteſtatem in vniuerſum conſideratam, non deſcendendo in particulari ad Monarchiam, Ariſtocratiam, vel Democratiam, immediatè eſſe à ſolo Deo, nam conſequitur neceſſariò ad naturam hominis, proindeque eſt ab illo, qui fecit naturam hominis. Prætereà hæc poteſtas eſt de iure naturæ, non enim pendet ex conſenſu hominum; nam velint, nolint, debent regi ab aliquo, niſi velint perire humanum genus, quod eſt contra naturæ inclinationem. At ius naturæ eſt ius diuinum: iure ergo diuino introducta eſt gubernatio; & hoc videtur propriè velle Apoſt. Rom. 13. *Qui poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit*.

Secundò notat, hanc poteſtatem immediatè eſſe tanquam in ſubiecto in tota multitudine.

Tertiò, hanc poteſtatem transferri à multitudine in vnum vel plures eodem iure naturæ.

Quartò, in particulari ſingulas ſpecies regiminis eſſe de iure gentium, non de iure naturæ; nam pendet à conſenſu multitudinis conſtituere ſuper ſe Regem, vel Conſules, vel alios Magiſtratus.

Quintò, ex dictis ſequi, hanc poteſtatem in particulari eſſe quidem à Deo, ſed mediante Concilio, & electione humana.

Sextò, duas eſſe differentias inter poteſtatem Politicam & Eccleſiaſticam: prima eſt ex parte ſubiecti: nam Politica eſt in multitudine: Eccleſiaſtica in vno homine, tanquam in ſubiecto immediatè. Secunda, ex parte efficientis; quòd Politica vniuersè conſiderata eſt de iure diuino; in particulari conſiderata eſt de iure gentium: Eccleſiaſtica verò omnibus modis eſt de iure diuino, & immediatè à Deo.

7. Molina tom. 1. tract. 2. diſp. 26. num. 4. & 5. affirmat regiam, & quamuis aliam ſupremam poteſtatem in Republica deſcendere à iure naturali, ſed eſſe ſimpliciter de iure humano Reip.

Suarez verò lib. 3. aduerſus Regem Angliæ cap. 3. vt declaret, quid ſit poteſtatem aliquam eſſe immediatè à Deo, ſeu Deum eſſe immediatam cauſam, & authorem alicuius poteſtatis, imprimis dicit, ad hoc non ſufficere, quòd Deus tanquam prima & vniuerſalis cauſa tribuat poteſtatem, ſed requiri, quod ſit cauſa proxima, ſua voluntate ſpeciali poteſtatem illam tribuens. Deinde notat, duobus modis poſſe Deum immediatè concedere aliquam poteſtatem; vel quia dat naturam, ad quam neceſſariò conſequitur illa poteſtas, ſicut dat animæ rationali potentiam intellectiuam & volitiuam: & ad hunc modum dat parentibus poteſtaſtatem moralem in filios, quia hæc poteſtas neceſſariò conſequitur ad generationem: vel quia ſuppoſita natura, ad quam non conſequitur illa poteſtas, nec illi ex proprijs meritis debetur, Deus ſpeciali conceſſione donat illam poteſtatem. Talis eſt poteſtas patrandi miracula conceſſa à Deo hominibus, & poteſtas remittendi peccata, & poteſtas conficiendi Euchariſtiam; item poteſtas iuriſdictionis ad gubernanandam totam Eccleſiam, & ad paſcendas oues Chriſti, paſtu veræ fidei, & virtutis.

8. Cùm

8. Cùm ergo poteſtas regia non conſequatur ad naturam huius hominis, qui eſt Rex, nec originem trahat ex inſtitutione peculiari, qua Deus immediatè per ſeipſum, & ſine conceſſione voluntaria facta à populo decreuerit, vt talis perſona ſit Rex talium vel taliũ Prouinciarum, & quòd ei ſuccedant in regno filij & nepotes eius, vel alij ſanguine coniuncti; nec originem trahat ex inſtitutione peculiari, qua Deus per ſeipſum, & non mediante libera electione facta à communitate populi, creauerit poteſtatem regiam, & deſignauerit amplitudinem eius, non relinquendo hominibus poteſtatem illam coarctandi, & ſolùm reliquerit populis liberam electionem perſonæ, in quam tranſeat illa poteſtas regia ab ipſo ſolo inſtituta. Cùm ergo hæc ita ſint, ſit conſequens, vt regia poteſtas non ſit de iure diuino, ſed humano, & immediatè ſit ab homine, non immediatè à Deo, & non tranſeat in perſonas Regum præcisè per deſignationem perſonæ, cui Deus communicet poteſtatem ex vi inſtitutionis primæuæ à ſe ſolo factæ, ſed tranſeat ex vi donationis & electionis primæuæ factæ à communitate populi.

„ 9. Hoc explicat eximius Doctor exemplo ſeruitutis. Nam ſi aliquis homo, inquit, ſe vendat in ſeruum alteri, ſeruitus illa ſimpliciter eſt de iure humano, & poteſtas quam Dominus in ſeruum accipit, ab ipſo ſeruo immediatè data eſt per poteſtatem, & libertatem naturalem, quam ipſe immediatè habuit ab authore naturæ. Ita ergo eſt in præſenti de ſubiectione totius communitatis humanæ ad vnum Principem, nam immediatè procedit à voluntate communitatis, & ideo immediatè eſt ab homine, & de iure humano, licèt originem trahat à poteſtate naturali, quam eadem communitas ſupra ſe ipſam à ſuo Authore accepit. Et ratio clara eſt, quia in his & ſimilibus caſibus nec ſufficit deſignatio perſonæ, neque eſt ſeparabilis à donatione vel contractu, aut quaſi contractu humano, vt habeat effectum conferendi poteſtatem; quia ſola naturalis ratio non inducit tranſlationem poteſtatis ab vno homine in alium per ſolam deſignationem perſonæ ſine conſenſu, & efficacia voluntatis eius, à quo poteſtas transferenda, ſeu conferenda eſt. Vnde intelligi non poteſt collatio poteſtatis, quæ à Deo immediatè fiat, media generatione, electione, aut ſimili deſignatione humana, niſi vbi ſucceſſio eſt ex diuina inſtitutione poſitiua, ſed ſolùm ex ratione naturali ducit originem, media libera voluntate humana, & ideo neceſſariò eſt ab homine immediatè conferente, & non tantùm perſonam deſignante.

„ 10. Et hinc etiam oritur (quod eſt clarum indicium huius veritatis) vt hæc Regia poteſtas non ſit æqualis in omnibus Regibus, neque cum eiſdem proprietatibus durationis, perpetuitatis, aut ſucceſſionis, & ſimilibus. In quibuſdam enim poteſtas eſt ſimpliciter Monarchiæ, in alijs verò cum miſtione Ariſtocratiæ, ſeu cum dependentia ab aliquo Senatu, etiam quoad ſuffragia deciſiua, & interdum

,, tantùm in certis caſibus, interdum in omnibus grauioribus, vel
,, aliquando in multis, aliquando in paucioribus. Item quibuſdam Re-
,, gibus data eſt poteſtas non ſolùm perſonæ, ſed etiam eius generatio-
,, ni (vt ſic dicam) id eſt, vt poſſint ad filios, vel nepotes dignitatem
,, transferre: alijs verò interdum datur pro perſona, & ſine carnali ſuc-
,, ceſſione, vt vno Rege mortuo alter eligatur, ſicut modò in regno Po-
,, loniæ, & in ipſo Imperio Romano fit; imò etiam poſſet Rex ad certum
,, tempus eligi, ſi ita fuiſſet alicubi in principio introductum, quia ex
,, natura rei hoc non repugnat. Ergo ſignum manifeſtum eſt, hanc eſſe
,, immediatam inſtitutionem humanam, & ideo recipere poſſe totam
,, illam varietatem, quæ rationi non repugnet, & ſub humano arbitrio
,, cadere poſſit.
,, 11. Atque hinc tandem fit, vt hæc Regia poteſtas, ſeu denomina-
,, tio varijs modis obtineri poſſit, quos hic etiam adnotare oportet, vt
,, pleniùs reſolutio tradita intelligatur. Primus enim modus conferen-
,, di vni Principi hanc poteſtatem, in primæua inſtitutione, eſt per vo-
,, luntariùm populi conſenſum. Hic autem conſenſus varijs modis in-
,, telligi poteſt: vnus eſt, vt paulatim, & quaſi ſucceſſiuè detur, prout
,, ſucceſſiuè populus augetur. Vt v. g. in familia Adæ vel Abrahæ, aut
,, alia ſimili in principio obediebatur Adamo tanquam parenti, ſeu pa-
,, trifamilias, & poſtea creſcente populo, potuit ſubiectio illa continua-
,, ri, & conſenſus extendi ad obediendum illi etiam vt Regi, quando
,, communitas illa cepit eſſe perfecta, & fortaſſe multa regna (& in
,, particulari primum regnum Romanæ ciuitatis) ita inceperunt. Et in
,, hoc modo (ſi quis rectè conſideret) Regia poteſtas, & communi-
,, tas perfecta ſimul incipere poſſunt. Alius verò modus eſſe poteſt,
,, quando communitas iam perfecta voluntariè Regem eligit, in quem
,, ſuam transfert poteſtatem, qui eſt modus per ſe maximè conueniens,
,, & rationi conſentaneus. Poſtquam verò hæc tranſlatio ſemel facta
,, eſt firma & perpetua, tunc non eſt vlteriùs neceſſaria noua electio, vel
,, nouus populi conſenſus, ſufficit enim ille, qui in primordio regni
,, datus eſt, vt ex vi illius eadem Regia dignitas, & poteſtas per ſucceſ-
,, ceſſionem transferatur. Et hoc modo in regnis ſucceſſiuis Reges
,, etiam dici poſſunt habere poteſtatem immediatè à populo, non per
,, nouum conſenſum, ſed ex vi antiqui; à parentibus enim habent filij
,, eadem regna in virtute primæ inſtitutionis magis, quàm parentum
,, voluntate, nam etiamſi pater nolit, primogenitus ſuccedit in regno,
,, & ideo pater ſolùm ſe habet quaſi applicans, ſeu conſtituens perſo-
,, nam, in quam eadem poteſtas ex vi eiuſdem primi contractus tranſ-
,, feratur.
,, 12. Præter hunc autem voluntarium modum ſolent interdum
,, prouinciæ, ſeu populi liberi inuoluntariè ſubijci Regibus per bel-
,, lum, hoc autem contingit & iuſtè, & iniuſtè fieri. Quando ergo bel-

lum

„ lum iuſtum habuit titulum, tunc re vera priuatur populus poteſtate, „ quam habebat, & Princeps, qui contra illum præualuit, verum „ ius, & dominium talis regni acquiſiuit, quia ſuppoſita iuſtitia bel- „ li, illa eſt iuſta pœna, ſicut capti in iuſto bello priuantur libertate „ à natura conceſſa, & efficiuntur verè ſerui in pœnam iuſtam. Et „ ideo ſupra dixi, poteſtatem regiam fundari in contractu, vel quaſi „ contractu: nam iuſta punitio delicti vicem contractus habet quoad „ effectum transferendi dominia, & poteſtates, ideoque æqualiter ſer- „ uandus eſt. Sæpius verò contingit occupari aliquod regnum per „ bellum iniuſtum, quo ferè modo clariora orbis imperia amplificata „ fuere, & tunc quidem in principio non acquiritur regnum, nec vera „ poteſtas, cùm titulus iuſtitiæ deſit, ſucceſſu verò temporis contingit, „ vt populus liberè conſentiat, vel vt à ſucceſſoribus regnum bona ſi- „ de præſcribatur, & tunc ceſſabit tyrannis, & incipiet verum do- „ minium, & regia poteſtas. Atque ita ſemper poteſtas hæc aliquo „ humano titulo, ſeu per voluntatem humanam immediatè obti- „ netur.

13. Nec ſolùm Bellarminus, Suarez, & reliqui Theologi omnes, qui tuentur Papam eſſe ſupra Concilium, ita ſentiunt de poteſtate Regum; ſed etiam Pariſienſes, qui cum Gerſone tuentur oppoſitum, vt patet in Iacobo Almaino, qui in tract. de poteſt. Eccleſiæ cap. 1. apud Vindicias doctrinæ Maiorum Scholæ Pariſienſis libr. 4. pag. 26. expreſsè affirmat, *Poteſtatem, qua Rex vtitur, eſſe poteſtatem communitatis*; & propterea dicitur, quod Rex agat authoritate publica: & laudat dictum Guilelmi Pariſienſis affirmantis, *Dominium Principum eſſe miniſteriale, quia videlicet operantur nomine communitatis regni, ac proinde ſunt Miniſtri ipſius*.

§. XI.

Iam oſtenditur Chriſtum non reliquiſſe ſupremam authoritatem ad decidendas ſidei & morum controuerſias in Vniuerſitate ſeu cumulo omnium Epiſcoporum.

1. SAtis, vt arbitror, probatum manet, Chriſtum Dominum non ideo reliquiſſe in Eccleſia ſua ſupremam, & infallibilem authoritatem ad decidendas fidei, & morum controuerſias, quia illam reliquerit in vniuerſitate Eccleſiæ, ſeu in cumulo omnium Chriſtianorum tan-

tanquam in ſubiecto. Nunc probandum eſt; nec eam reliquiſſe in Vniuerſitate ſeu cumulo omnium Epiſcoporum.

2. Id autem probatur; quia cùm Eccleſia Chriſti ſit diſperſa per vniuerſum orbem, & vniuerſitas Epiſcoporum neceſſariò diſperſa eſſe debeat per regna & regiones remotiſſimas: non potuit ſumma Chriſti ſapientia committere ſupremam authoritatem ad gubernandum ſuam Eccleſiam, ad occurrentes controuerſias fidei & morum determinandas pro euitando ſchiſmate, & conſeruanda vnitate fidei, ſine qua ipſius Eccleſiæ vnitas ſubſiſtere nequit, ad praua dogmata & periculoſa damnanda, ad ſanas doctrinas à periculoſis ſeparandas: non potuit, inquam, ſumma Chriſti ſapientia hanc ſupremam authoritatem relinquere alligatam vniuerſitati, ſeu cumulo Epiſcoporum, qui nonniſi rarò, & cum magnis impenſis & ſummis difficultatibus poſſunt ad vniuerſale Concilium congregari. Eſſet profectò Eccleſiæ regimen infelicisſimum, ſi ſuprema poteſtas ad ipſam gubernandam, & authoritas infallibilis ad ipſi declarandum, quam doctrinam debeat amplecti vt ſanam, quam fugere vt noxiam, tradita fuiſſet à Chriſto vniuerſitati hominum, qui rarò poſſunt in vnum conuenire ad hoc munus præſtandum. Quotieſcumque enim ſuprema poteſtas ad gubernandum regnum vel rempublicam eſt penes multos, id eſt penes Optimates, illi debent eſſe ita diſpoſiti, vt facilè poſſint in vnum conuenire ad prouidendum bono communi. Et patet ſuo modo in regno Poloniæ, in quo ſuprema negotia concernentia bonum commune totius Regni determinantur in Comitijs generalibus.

3. Fuiſſet ſanè prouidentia Chriſti erga Eccleſiam ſuam valde manca & imperfecta, ſi illi pro ſupremo iudice controuerſiarum fidei deſignaſſet Vniuerſitatem Epiſcoporum, nec elegiſſet medium proportionatum ad conſeruandam vnitatem & vniformitatem in Fide; ſi commiſiſſet authoritatem infallibilem ad proponendos articulos fidei, non vni ſupremo totius Eccleſiæ Magiſtro, ſed Vniuerſitati & cumulo omnium Epiſcoporum orbis. Chriſtus vult, vt omnes Chriſtiani vbique terrarum eandem fidem habeant, eoſdem articulos credant, & eaſdem veritates profiteantur: cum hac autem eius voluntate & intentione non rectè cohæret, quòd priuatiuè commiſerit Vniuerſitati & cumulo Epiſcoporum authoritatem infallibilem ad reſoluenda dubia circa fidem & religionem, quæ frequentia eſſe ſolent.

4. Deinde ſi exurgat in Eccleſia aliquis Dogmatiſta & Nouator, qui noua dogmata cudat, & fidem antiquam ſubuertere velit, ad quam poteſtatem attinebit congregare Concilium, ſi in Eccleſia non eſt aliquis Epiſcopus, qui ſupremam in totam Eccleſiam habeat authoritatem? hæc enim poteſtas nequit eſſe penes Reges, quia eorum poteſtas eſt temporalis & politica, poteſtas autem congregandi Concilium debet eſſe

ſpi-

Digitized by Google

ſpiritualis & Eccleſiaſtica. Deinde ſi ſuprema poteſtas ad imperandum toti Eccleſiæ, ad ferendas leges vniuerſales circa fidem, & religionem, ad determinandas fidei & morum controuerſias, eſt in vniuerſitate & cumulo Epiſcoporum: ergo non in vno potius quàm in alio: ergo non ad vnum potius quàm ad alium attinebit congregare Concilium; nam penes illum debet eſſe poteſtas congregandi Concilium, penes quem eſt ſuprema poteſtas gubernandi Eccleſiam, & ſuprema authoritas ad conſeruandam vnitatem fidei & puritatem morum: ergo ſi hæc eſt in vniuerſitate Epiſcoporum, quatenus Vniuerſitas eſt, non eſt potiùs in vno quàm in alio, ac proinde non pertinebit ad vnum potiùs quàm ad alium conuocare Concilium. Quis ergo congregabit? quis obligabit Epiſcopos vt veniant ad Synodum generalem, ad prouidendum neceſſitati Eccleſiæ?

§. XII.

Demonſtratur aſſertio à poſteriori, & ab abſurdo; quia ſi hac ſuprema & infallibilis authoritas relicta eſſet immediatè in Communitate Epiſcoporum; inde ſequeretur poſſe in Concilio per maiorem partem ſuffragiorum ſine conſenſu & ſuffragio Romani Pontificis controuerſias fidei definiri, quod eſt manifeſtè abſurdum.

1. SEd age, demus Concilium eſſe legitimè iam congregatum, vel quia Epiſcopi per epiſtolas inter ſe fœdus inierunt de conueniendo in Concilium, vel quia ad id precibus Imperatoris & Regum moti ſunt, vel quia Romanus Pontifex ſaltem tanquam habens primam Sedem inter alios Epiſcopos, illos ad Concilium conuocat. Sanè poſtquam Epiſcopi fuerint cõgregati, vbi iam agitur de determinatione controuerſiæ fidei, Pontifex in Concilio in ordine ad definitionem, erit tanquam vnus ex reliquis, ſi ſemel authoritas infallibilis ad definiendum reſidet primariò, & immediatè in Vniuerſitate Epiſcoporum, ſeu in omnibus collectiuè ſumptis: ita vt communitas ipſa Epiſcoporum ſit ſubiectum immediatum & primarium illius authoritatis. Nam vt communitas, ſeu Synodus Epiſcoporum per ſuffragia exerceat poteſtatem, quæ in ipſis collectiuè ſumptis reſidet, non eſt neceſſe, vt omnes vniformiter con-

conueniant in eandem ſententiam, ſed ſufficit quòd conueniat maior pars: illud enim cenſetur Concilium, Senatus, Synodus, Congregatio, vel Capitulum decernere, quod maior pars decernit, vt patet in omni Republica, in omni regno, & in omni Senatu, & Congregatione. Idque patet per rationem, quia ſi ad valorem decretorum & definitionum Concilij Generalis requireretur, vt omnes omnino Patres in idem votum, eandemque omnino ſententiam conſpirarent, redderentur valde difficiles, & ferè moraliter impoſſibiles definitiones Conciliorum, & nunquam terminarentur cauſæ conciliariter decernendæ; cùm moraliter videatur impoſſibile, vt in re inter Catholicos controuerſa & dubia, ad quam determinandam conuocatur Concilium generale, vniformis ſit conſenſus omnium; præſertim ſi numerus Patrum ſit magnus, vt contigit in Concilio Lateranenſi 4. ſub Innocentio III. in quo ſederunt 1212. Patres. Ergo ſi ſemel ſuprema & infallibilis authoritas ad determinandas fidei & morum controuerſias, eſſet à Chriſto relicta in communitate & cumulo Epiſcoporum, ſufficeret, quòd maior pars Patrum aliquid definiret, ad hoc vt definitio eſſet infallibilis, & vniuerſam obligaret Eccleſiam, vtpote orta à ſuprema authoritate in vniuerſam Eccleſiam; maior autem pars poſſet in vnam ſententiam conuenire, non conſentiente, imo contradicente, & reclamante Romano Pontifice: ergo ſine conſenſu & confirmatione Romani Pontificis poſſent controuerſiæ fidei definiri in Concilio, & illa definitio rem faceret certam de fide. At hoc eſt manifeſtè abſurdum. Vt enim verè pronuntiauit doctiſſimus Ferdinandus de Salazar in tomo de conceptione cap. vltimo, in quo de authoritate Conciliorum egit, pag. 451. *Fide Catholica certum eſt, nec plures Concilij Patres, nec omnes efficere poſſe doctrinam aliquam de fide, niſi accedat eorum ſuffragijs approbatio Summi Pontificis.* Idque conſtat teſtimonio Paſchalis primi Summi Pontificis ad cathedram Petri exaltati ann. 817. in cap. *ſignificaſti* de electione dicentis; *Omnia Concilia per Eccleſiæ Romanæ authoritatem & facta ſunt, & robur acceperunt.* Et ideo Nicolaus Primus Papa ſapientiſſimus, & ſanctiſſimus ad Pontificatum euectus anno 858. hanc doctrinam tanquam indubitatam ſupponens, epiſtola 7. ad Epiſcopos Orientales aiebat: *In vniuerſalibus Synodis quid ratum, quid prorſus acceptum, niſi quod Sedes Petri probauit, vt ipſi ſcitis, habetur?*

2. Idque etiam patet ex Concilio Carthaginenſi magno, cui interfuit S. Auguſtinus ſub Innocentio Primo ad Pontificatum euecto an. 402; nam Concilium hoc cuncta acta ſua confirmationis ergo ad Innocentium remiſit, ex epiſtola 92. Auguſtini: *Vt ſtatutis*, inquiunt, *noſtræ mediocritatis etiam Apoſtolicæ Sedis adhibeatur authoritas.* Quorum litteris reſpondens Innocentius inter cætera ait: *Patres olim non humanâ, ſed diuinâ decreuere ſententiâ, vt quidquid in diſiunctis, remotiſque Prouincijs ageretur, non priùs ducerent definiendum, quàm ad illius Sedis notitiam perueniret, vbi tota eius authoritate iuſta quæ fuerit pronuntiatio firmaretur*, apud Auguſt. epiſt. 93.

3. Hinc

3. Hinc grauiſſimus Author Andreas Dwalius in Diſputatione quadripartita de ſuprema Romani Pontificis in Eccleſiam poteſtate par. 4. cap. 5. teſtatur id conſtare ex perpetua praxi Eccleſiæ, quâ *nihil vnquam de fide, aut de moribus abſque Romani Pontificis authoritate decretum legimus.* Nam Concilia ipſa generalia animaduertentia non poſſe ſua decreta fideles obligare, nec robur firmum habere, niſi confirmarentur authoritate Romani Pontificis, ad ipſum recurrunt pro confirmatione, vt conſtat ex Concilio Nicæno epiſt. 1. ad Silueſtrum, vt enim ſcribit Baronius tom. 3. ad ann. 325. pag. 304. impreſſionis Romanæ ann. 1592. Oſius, & alij Epiſcopi Nicæni litteras ad eum dederunt ſub hoc verborum tenore. *Quæ ad robur pertinent Sanctæ Eccleſiæ Apoſtolicæ, ad Sedem tuam Romanam explanata, & de Græco redacta ſcribere confitemur: nunc itaque ad veræ fidei augumentum accurrimus .... Quidquid autem conſtituimus in Concilio Nicæno, precamur veſtro oris conſortio confirmetur &c. Porrò cum his litteris miſſum æqueſuiſſe decretum Fidei & reliqua in Concilio geſta, certum eſt;* ſubiungit Baronius, & immediatè addit. *Caterùm quoad magnæ Synodi confirmationem ſpectat: etiamſi dicta epiſtola non extaret; vel omnino reijceretur vt ſpuria: quis ignorat aliqua Eccleſiaſtica iura, quibus traditum, & obſeruatum eſt, omnia decreta Synodica ab Epiſcopo Romano Eccleſiæ accipere firmitatem:* inde apud Socratem libr. 2. cap. 13. *Canon Eccleſiaſticus vetat, ne decreta abſque ſententia Epiſcopi Romani Eccleſijs ſanciantur. Sed quinam iſte Canon, qui in re tanta, tanta decernat, vt inuiolabiliter & ſemper fuerit vbique ſeruandus? Non equidem in Synodo aliqua reperitur eſſe ſancitus, ſed potius antiquo vſu, vti Apoſtolica inſtitutio, ad poſteros iugi obſeruatione omnium appareat ſtabilitus.* Hactenus Baronius. Item Concilium Calcedonenſe in epiſtola Synodica ad Leonem Primum Papam loquens de Canone 28. à ſe ſtabilito; *Rogamus,* inquit, *& tuis decretis noſtrum honora iudicium &c.* Idemque præſtiterunt reliqua Concilia, vt patet de Tridentino, quod confirmationem petiuit à Pio Quarto. Conſulatur M. Cano libr. 5. cap. 5. paulò poſt initium.

4. Quapropter Concilia, quæ confirmatione Romani Pontificis caruerunt, nullius vnquam authoritatis aut roboris in Eccleſia extiterunt, vt Ariminenſe Concilium 600. Epiſcoporum, Synodus Iconomachorum ſub Conſtantino Copronymo: & quod efficaciſſimum eſt, cùm in Concilio Calcedonenſi generali proximè poſt Romanum Pontificem Patriarcha Conſtantinopolitanus, intercedente Imperatoris deſiderio & voluntate, nominatus ac recenſitus fuiſſet, nunquam tamen locum hunc potuit obtinere propter Romanos Pontifices formiter in contrarium reclamantes, donec Iuſtiniani Imperatoris tempore, ideſt poſt annum Domini quingenteſimum, tum Imperatoris operâ, tum Pontificum Romanorum permiſſione cępit Conſtantinopolitanus Epiſcopus in numero Patriarcharum haberi, nullo amplius reclamante, vt refert Bellar. lib. 1.

de Rom. Pontif. cap. 24. Et poſtea Patres ſextæ Synodi petierunt, vt Eccleſia Conſtantinopolitana obtineret primum locum poſt Romanam, & eſſet ſecunda inter Patriarchales, vt conſtat ex cap. *Renouantes* 22. Diſt. vnde ante ſextam Synodum non ex poſitiua conceſſione, ſed ex diſſimulatione, & tolerantia Romanorum Pontificum cæperunt tempore Iuſtiniani Imperatoris Conſtantinopolitani Epiſcopi appellari Patriarchæ: poſt ſextam vero Synodum ex poſitiua conceſſione obtinuerunt dignitatem Patriarchalem.

5. Eſtque doctrina iſta adeò conſtans in Eccleſia, vt illam ad traditionem Apoſtolicam referat poſt Baronium, Grauina tom. 4. Catholicar. præſcriptionum pag. 216. nam Socrates lib. 2. Hiſtoriæ cap. 13. meminit Canonis Eccleſiaſtici vetantis, ne Conciliorum decreta abſque ſententia Romani Pontificis ſanciantur, neue ſancita promulgentur: cumque iſte Canon quo tempore ceperit, non reperiatur, nec ab aliquo Concilio, vel Pontifice initium ſumpſerit, ad traditionem Apoſtolicam, inquit Grauina, referendum eſt, iuxta regulas traditionis ab ipſo expoſitas in tractatu de traditionibus tom. 1.

SECTIO IV.

Inſtauratur breuiter, & denuò confirmatur ratio probans infallibilitatem Romani Pontificis in definiendo, ex eo quòd ille debeat eſſe ſupremus controuerſiarum fidei Iudex.

QVia multa dicta ſunt contra Doctorem Dupin, quæ curſum legentis morari potuerunt, rationem hucuſque fuſiùs propoſitam, breuiùs in hac Sectione contraham, addendo nonnulla, quæ tacta non ſunt, & robur adijciunt.

§. I.

Proponitur ratio.

1. SIc igitur argumentor: certum eſt in Eccleſia Chriſti, quæ eſt perfecta, id eſt ex capite certo & omnibus membris conſtans, reperiri ſupremam authoritatem ad decidendas fidei controuerſias, quia certum eſt in Eccleſia dari poteſtatem Eccleſiaſticam ſupremam: vt autem

tem

Digitized by Google

tem inquit Almaynus in tract. de authoritate Eccleſiæ cap. 2. *duo ſunt de integritate poteſtatis Eccleſiaſticæ. Primum eſt, authoritatiuè poſſe ius dicere, ſiue definiendo, ſiue aliquid, quod conferat multùm ad fidei conſeruationem, ſtatuendo. Secundum eſt, poſſe prædictum ius non obſeruantem aliquâ punire pœnâ*; ergo certum eſt in Eccleſia dari ſupremam authoritatem ad decidendas fidei controuerſias: At hæc ſuprema authoritas ſubiectiuè exiſtit in Romano Pontifice: ergo hic habet authoritatem infallibilem ad decidendas fidei & morum controuerſias.

2. Subſumptam probo; quia hæc ſuprema poteſtas nequit conuenire Eccleſiæ, quin exiſtat ſubiectiuè vel in vno, vel in multis, vel in omnibus Eccleſiæ membris, ſeu partibus illam conſtituentibus: at non eſt ſubiectiuè in multis, ſcilicet in collectione Optimatum, ſeu Prælatorum Eccleſiæ, nec in omnibus, id eſt in collectione omnium Chriſtianorum: ergo eſt in vno, ſcilicet Romano Pontifice. Patet conſequentia; quia ſi ſubiectum huius ſupremæ authoritatis debet eſſe vnus tantùm homo, hic nequit eſſe alius quàm Romanus Pontifex ſucceſſor Petri, & Chriſti Vicarius; nemo enim aduerſariorum ſomniauit, vllum Epiſcopum præter Romanum Pontificem habere authoritatem obligandi totam Eccleſiam. Maior eſt certa à ſufficienti partium enumeratione; ſola minor probatione eget.

3. Etenim, quòd hæc ſuprema poteſtas non exiſtat ſubiectiuè in collectione omnium Chriſtianorum, eſt manifeſtum; quia licèt Chriſtus eam Eccleſiæ conceſſerit propter bonum omnium, ſcilicet ad conſeruandam fidem & ſanctitatem in ſingulis, & omnes dirigendos in finem ſalutis æternæ, tamen ſubiectiuè nequit exiſtere in collectione omnium; ſicut poteſtas Regia eſt quidem propter bonum omnium ſubditorum, non tamen in collectione omnium exiſtit: cùm enim Chriſtiani ſint per totum orbem diſperſi, & impoſſibile ſit in vnum locum omnes conuenire, vt per ſuffragationem, ſeu ſuffragiorum collectionem controuerſias fidei determinent, non potuit Chriſtus ſupremam iudicandi authoritatem toti Chriſtianorum collectioni tanquam ſubiecto communicare. Præterquam quòd ſi ita communicaſſet, regimen omnium infimum, id eſt populare, & Democraticum inſtituiſſet, quod non poſſet exercere, niſi populus Chriſtianus vnum veluti tribunum plebis eligeret, qui nomine omnium controuerſias definiret, & leges ferret.

4. Deinde dici nequit, poteſtatem hanc ſupremam ſubiectiuè exiſtere in collectione omnium Epiſcoporum. Primò, quia ſic Chriſtus non regimen Monarchicum, ſed Ariſtocraticum inſtituiſſet, quod poſtea monſtrabimus eſſe falſum. Secundò, quia cùm Epiſcopi ſint per totum orbem diſperſi, alienum fuiſſet à ſumma Chriſti ſapientia, ſupremam authoritatem decidendi fidei & morum controuerſias collectioni om-

nium Prælatorum tanquam ſubiecto tradere. Quoties enim aliqua Reſpublica per Optimates Ariſtocraticâ formâ gubernatur, illi debent in eadem ciuitate, vel ſaltem in eadem prouincia commorari, vt poſſint facilè congregari ad prouidendum Reipublicæ, & lites dirimendas: ſicut Senatores Reipublicæ Venetæ Venetijs exiſtunt, & Reipublicæ Hollandicæ in præcipua Batauiæ ciuitate, vel propè. Vnde ſi penes Epiſcopos eſſet ſuprema poteſtas determinandi controuerſias fidei & morum, & regendi Eccleſiam, Reſpublica Chriſtiana omnium miſerrima foret, ſiquidem non haberet ſupremum Magiſtratum, qui continuò adminiſtraret commune bonum, & toti Eccleſiæ inuigilaret.

5. Cùm enim pares inter ſe ſint Epiſcopi, quomodo poſſent, dum ſunt diſperſi, communi conſilio & ſuffragio decreta formare pro reformatione totius Eccleſiæ, & errores atque hæreſes damnare? aut quomodo poſſent in vnum aliquem locum ad Concilium congregari, ſi non daretur ſupremus Magiſtratus, cui omnes illi tenerentur obedire? Vnde quamdiu non congregaretur Concilium generale, Eccleſia careret Rectore, & ſupremo Magiſtratu; & cùm hæc Concilia non poſſent ex toto orbe Chriſtiano colligi, niſi eſſet aliquis ſupremus Paſtor omnibus & ſingulis Epiſcopis ſuperior, qui præcepto ſuo illos obligaret: ſanè, ſi non daretur ſuprema poteſtas Eccleſiaſtica in vno aliquo homine, careret Eccleſia ſupremo Magiſtratu, qui illius totius curam gereret. Quis autem non videat abſurdiſſimum eſſe, Eccleſiam Catholicam, quæ adeò vna eſt, vt in ſcripturis dicatur vna ciuitas, vna domus, vnum corpus, nullum in terris habere Magiſtratum, qui illius curam gerat, & ab omnibus Epiſcopatibus hæreſes atque periculoſas doctrinas arceat, & in omnibus vnitatem fidei conſeruet?

6. Secundò, ſi in collectione Epiſcoporum reſideret ſuprema poteſtas decidendi controuerſias fidei, non poſſent hæ decidi, niſi vel omnes Epiſcopi, vel ſaltem maior illorum pars ſuffragio ſuo controuerſiam determinarent, nam in regimine Ariſtocratico, in quo poteſtas ſuprema eſt penes optimates, vel debent omnes, vel ſaltem maior pars conuenire in ferenda ſententia, vt illa rata ſit. At certum eſt ad ratam deciſionem controuerſiarum fidei non requiri, quòd maior pars Epiſcoporum Orbis Chriſtiani ſuffragijs ſuis rem determinet: ergo ſuprema poteſtas decidendi controuerſias fidei non reſidet in collectione Epiſcoporum. Probatur minor: nam in Concilio primo Conſtantinopolitano, quod eſt vnum è quatuor, quæ S. Gregorius vt quatuor Euangelia ſuſpiciebat, ſolùm conuenerunt anno 381. 150. Epiſcopi, quæ non erat maior, ſed potius exigua pars Epiſcoporum orbis Chriſtiani, quod vel inde conſtat, quòd in Concilio Ariminenſi anno 359. 600. Epiſcopi conuenerant, vt teſtatur Bellarminus, lib. 1. de Concilijs cap. 6. ex Hieronymo, Auguſtino, Ambroſio, Baſilio, & ex Rufino lib. 10. cap. 21. & So-

cra-

crate lib.2. cap.27. & in Oriente eodem anno conuenerunt in Concilio Seleuciæ 160. Epiſcopi, teſte Athanaſio, nam, vt inquit Cabaſuccius pag. 148. vno eodemque anno Chriſti 359. Conſtantius Cæſar duas toto Orbe Synodos indixit, vnam Seleuciæ in Oriente, alteram Arimini in Occidente.

7. Tertiò: quia ſi Chriſtus communicaſſet immediatè ſupremam poteſtatem decidendi controuerſias fidei collectioni Epiſcoporum, ſanè ſi omnes eſſent congregati, ibi Romanus Pontifex foret tanquam vnus ex alijs; & quamuis ipſe diſſentiret, ſi maior pars conſentiret, & rem determinaret, definitio foret infallibilis, quia oriretur à ſuprema poteſtate vt tali, quæ hoc ipſo quòd ſuprema foret, non haberet ſuperiorem, ad quam ſpectaret ſententiæ ſuæ contradicere: hoc autem eſt falſum, quia Concilia non habent infallibilem authoritatem, niſi authoritate Romani Pontificis fulciantur, vt abundè nuper probauimus.

§. II.

Præcluditur effugium quorundam Pariſienſium aſſerentium, eſſe collatam à Chriſto Eccleſiæ authoritatem infallibilem vt exercendam per vnum, *nempe per Romanum Pontificem, tanquam per Vicarium, & Miniſtrum Eccleſiæ, ſeu Concilij.*

1. RESpondebis ex Theologis Pariſienſibus, qui anno 1683. Vindicias doctrinæ Maiorum illius Scholæ ediderunt in lucem lib.1. pag.8. Chriſtum Dominum immediatè contuliſſe infallibilem authoritatem toti Eccleſiæ, *vt per vnum exerceretur*. Quam doctrinam habet Almainus in tract. de authoritate Eccleſiæ. Nam cùm cap.6. aſſeruiſſet, Chriſtum immediatè contuliſſe Eccleſiæ poteſtatem, accipiendo Eccleſiam ſiue pro collectione omnium Prælatorum maiorum & minorum, qui ſuccedunt Apoſtolis & diſcipulis, ſiue pro Concilio Generali Eccleſiam repræſentante; poſtea cap.8. ad argumentum ſecundum, & quartum Caietani dicit, quòd quia poteſtas Eccleſiaſtica regulariter exerceri non poteſt per totum, Chriſtus communicauit eam vni ſuppoſito vice totius. Et hæc eſt ſolutio, quam Nauarrus in cap. *nouit* de iudicijs notabili 3. num.17. tribuit Pariſienſibus, dicens eos docere, Chriſtum tribuiſſe ſupremam poteſtatem ſpiritualem Eccleſiæ *vt exercendam per vnum*, quod perinde eſt ac dicere, ſupremam poteſtatem principaliter & authoritatiuè

Digitized by Google

tiuè eſſe in Concilio, in Pontifice autem inſtrumentaliter, & executiuè; vt explicat P. Amicus diſp. 8. de fide ſect. 7. hanc ſententiam tribuens quibuſdam, quos ipſe non nominat. Verùm hanc ſolutionem latè impugnaturi ſumus diſp. 2. ſect. 6. & §. 4. Nunc verò breuiter reijcitur, quia falſiſſimum eſt, Chriſtum communicaſſe immediatè infallibilem authoritatem ſoli Eccleſiæ collectiuè ſumptæ, vt monſtrauimus ſupra; & inſuper firmatur, quia nihil à ratione magis alienum, quàm vbi agitur de diſcernendis doctrinis noxijs à ſalutaribus, iudicium ea de re ipſis ouibus tribui: paſtorum enim hoc munus proprium eſt. Quapropter Paulus ad Epheſios 4. officium Paſtoris & Doctoris coniunxit, dicens; *Alios dedit Paſtores & Doctores*; & ipſe Dominus Hieremiæ 3. *Dabo*, inquit, *Paſtores, & paſcent vos ſcientia & doctrina*, & Deuteronom. 17. *Si difficile & ambiguum apud te iudicium eſſe perſpexeris, venies ad Sacerdotes Leuitici generis*. Hinc perpetua in Eccleſia Chriſtiana conſuetudo ſemper fuit, vt ſoli Prælati maiores ad Concilium generale euocarentur, vt eruditè oſtendit Turrecremata lib. 3. c. 12. & nuſquam legimus communitati Eccleſiæ aliquid iuriſdictionis à Chriſto tributum eſſe ratione ſuæ totalitatis, ſeu pro communitate, ſed potiùs Hebræorum 15. & alibi legimus, præcipi populis, vt ſubijciantur Paſtoribus ſuis; eſſetque planè indignum ſummâ Chriſti ſapientiâ tribuere ruſticis, pueris, & vetulis ius ſuffragandi per votum in definitione fidei.

2. Præterea cùm dicitur, Chriſtum immediatè contuliſſe authoritatem toti Eccleſiæ collectiuè ſumptæ, vt per vnum exerceretur, videtur ſignificari tribuiſſe communitati Eccleſiæ authoritatem infallibilem, cum facultate eam delegandi alicui ſuppoſito, quod vice ipſius eiuſmodi poteſtatem exerceret: hoc autem eſt apertè falſum, quia vt oſtendimus ſupra contra Dupinum, certum omnino eſt, authoritatem Romani Pontificis eſſe de iure diuino, ipſi immediatè communicatam à Chriſto, & non mediante Eccleſia.

3. Dices ex Almayno vti ſupra cap. 7. Petrum, eiuſque Succeſſores vti clauibus vice Eccleſiæ, ſicut Rex quilibet exercet iuriſdictionem vice regni, à quo mediatè vel immediatè eſt electus. Quamuis enim Eccleſia de facto non communicauerit poteſtatem Romano Pontifici, ſicut populus eam communicauit Regi, quia Chriſtus Eccleſiam præuenit, & per ſe Romano Pontifici communicauit poteſtatem illam: potuiſſet tamen ac debuiſſet illam Eccleſia communicare, niſi fuiſſet præuenta à Chriſto ſicut in ſententia Caietani Petrus ratione primatus viâ ordinariâ habebat authoritatem communicandi reliquis Apoſtolis poteſtatem ordinis & iuriſdictionis, quam tamen de facto non communicauit, quia Chriſtus ipſum præuenit, & per ſe ipſum Apoſtolis poteſtatem illam dedit: quod priuilegium in Apoſtolis finitum eſt, & ad Epiſcopos eorum ſucceſſores non tranſiuit, quippe qui iuriſdictionem mediante Romano Pontifice habent.

4. Quod

4. Quòd explicat Almaynus eo cap. his verbis: *Quemadmodum Deus condens humanum genus indidit ei naturalem poteſtatem iuriſdictionis ad finem naturalem, & non alicui ſuppoſito regulariter: hæc enim poteſtas communicata eſt particularibus ſuppoſitis à communitate, quæ ſunt veluti Communitatis miniſtri in exercitio illius iuriſdictionis: ita Chriſtus regens Eccleſiam ad finem ſupernaturalem, ei illam poteſtatem poſitiuam ad illum finem communicauit, quam poſſet, & etiam teneretur (cùm non ſemper poſſit eſſe congregata) alicui ſuppoſito communicare, quod vt miniſter Eccleſiæ hanc poteſtatem exerceret: & ſicut Communitatem aliquam Deus præuenit, communicans alicui ſuppoſito ciuilem poteſtatem, vt Moyſi ſuper populum Iſrael: ita & Chriſtus Eccleſiam præuenit, communicando Eccleſiaſticam poteſtatem poſitiuam Petro, vt vice Eccleſiæ eam exerceret, quam Eccleſia ei potuiſſet communicare, cùm prius eſſet à Chriſto inſtituta, & Eccleſiæ collata.* Hæc ibi. Quòd autem Eccleſiaſtica poteſtas priùs tempore in Eccleſia fuerit, quàm in Petro, probat ad finem illius capitis: quia Eccleſiaſtica poteſtas inſtituta eſt à Chriſto, & Eccleſiæ collata Matth. 18. tunc autem nullus erat adhuc Summus Pontifex, nec fuit vſque ad reſurrectionem, cùm dictum eſt Petro Ioan. vltimo, *Paſce oues meas*. Hinc infert Almaynus, quòd quamuis non inſtituiſſet Petrum Summum Pontificem, hoc potuiſſet facere Eccleſia.

5. Sed hæc Almaini doctrina abſurda eſt, quia ex illa ſequeretur, Romanum Pontificem non eſſe Vicarium Chriſti, ſed Vicarium Vicarij, ſcilicet Eccleſiæ, cui Chriſtus iuxta hunc Authorem immediatè conceſſit ſupremam poteſtatem, vel quatenus Eccleſia ſignificat collectionem omnium fidelium, vel quatenus ſignicat collectionem omnium Prælatorum maiorum & minorum, vel ſaltem quatenus ſignificat Concilium generale, nam Chriſtus illum Magiſtratum ſui Vicarium in terris conſtituit, cui immediatè conceſſit ſupremam poteſtatem tanquam Iudici ordinario. At hanc poteſtatem iuxta Almainum Chriſtus conceſſit ſoli Communitati Eccleſiæ, non autem Romano Pontifici; ergo &c. Vndè iuxta hunc Authorem Romanus Pontifex ſolùm erit Vicarius Eccleſiæ, & poteſtatem exercebit loco illius, & quaſi eius vices gerens, & non erit immediatus Vicarius Chriſti: hoc autem eſt contra deciſionem Concilij Conſtantienſis approbatam à Martino V. nam inter errores Wiclefi à Concilio damnatos 37; cui fuit ille. *Eccleſia Romana eſt Synagoga Sathanæ, nec Papa eſt proximus & immediatus Vicarius Chriſti*: ergo definitum eſt tanquam articulus fidei, quòd Papa eſt proximus & immediatus Vicarius Chriſti, definitioni opponitur doctrina Almaini. Imò ex illa doctrina fieret, Romanum Pontificem non eſſe verè & propriè Vicarium Chriſti: nam ſicut Vicarius Epiſcopi non eſt Epiſcopus, Vicarius Papæ non eſt Papa, Vicarius Regis non eſt Rex: ita Vicarius Vicarij Chriſti non erit ſimpliciter & abſolutè, & propriè Vicarius Chriſti. Quod tamen eſt manifeſtè erroneum, imò & hæreticum; quia in Concilio Florentino

rentino (vt videbimus diſp. 3. ſect.8.) definitum eſt Romanum Pontificem *eſſe verum Chriſti Vicarium, & totius Eccleſiæ caput*.

6. Idemque apertè declarauit Innocentius IV. approbante Concilio Lugdunenſi Generali in cap. *Ad Apoſtolicæ* de re iudicata in 6. §. *nos itaque* ibi: *Cùm Ieſu Chriſti vices teneamus in terris, nobiſque in B. Petri perſona ſit dictum, quodcumque ligaueris* &c. quòd pluribus alijs textibus ex iure Canonico depromptis conuincit Iacobatius lib. 5. c.8. pag. 280. ex quibus concludit tanquam certum & indubitatum, Romanum Pontificem eſſe caput totius Chriſtianitatis, & Eccleſiæ vniuerſalis, vel ſaltem Vicarium capitis, ſcilicet Chriſti. Vnde meritò D. Thomas 2. 2. quæſt.11. art.2. ad vltimum inquit, quòd *authoritas vniuerſalis Eccleſiæ reſidet in Romano Pontifice principaliter*; & in 4. diſ.20. art.4. quæſt. 3. in corpore articuli dicit, quòd *Papa habet plenitudinem poteſtatis, ſicut Rex in Regno; quia ſuprema iuriſdictio eſt penes vnum ſolum & vnicum caput*: clauis enim iuriſdictionis ſupremæ data fuit à Deo in Petro etiam Succeſſoribus tanquam Vicarijs Ieſu Chriſti.

7. Ideo Romanus Pontifex non eſt Petri Vicarius, ſed Succeſſor, vt dicitur in Clemētina *Romani Principes* titulo de iure iurando. Et licèt in iure aliquando appelletur Vicarius Petri, vt cap. *Ego Ludouicus* diſt.63. & cap. *nam quales* 1. quæſt. 1. & cap. *Quotiens* 1. quæſt. 7. §. illud eſt ex impropria locutione, ſolùmque ſignificat; Romanum Pontificem gerere Vicariam, quam geſſit B. Petrus, nam *Vicarius non dat Vicarium*, vt dicitur in cap. *Clericos* de officio Vicarij. Vnde Gloſſa in Clement. de iure iurando cap. *Romani*, vbi Clemens V. in Concilio Viennenſi appellat *Romanum Pontificem Redemptoris noſtri Vicarium*, notat, quòd cùm dicitur quòd Romanus Pontifex eſt Vicarius *Petri*, eſt impropria locutio, vel debet exponi, id eſt *gerit Vicariam*, quam geſſit Petrus. *Vicarius enim non dat Vicarium*, vt conſtat ex caſ. *Clericos* de officio Vicarij; nam in eo cap. Alexander III. Noruicenſi Epiſcopo ſcribens, inquit; *Clericos in Præsbiteratu, vel in alijs inferioribus ordinibus conſtitutos in Vicarijs Eccleſiarum, quas adepti ſunt, alios ſibi ſubſtituere non permittas, cùm id ſatis ſit abſonum & abſurdum*.

8. Falsòque aſſeritur, Eccleſiam habere authoritatem communicandi poteſtatem Papalem alicui ſuppoſito, ſicut populus habet poteſtatem eligendi ſibi Regem. Diuerſa enim eſt ratio, quia populus ex ſe illam poteſtatem habet; Eccleſia autem ex ſe non habet, neque ei communicata eſt à Chriſto, qui voluit Eccleſiam potius ſubeſſe Romano Pontifici tanquam capiti, & ſupremo Monarchæ in ſpiritualibus, quàm præeſſe. Quod ſi Eccleſia poſſet poteſtatem Papalem communicare, poſſet formam regiminis mutare de Monarchia in Ariſtocraticam, vt poſſunt populi, qui eligunt ſibi Regem; imò poſſent Papam deponere, & alium loco illius ſubſtituere, ſicut Ordinarius poteſt Vicarium ſuum mutare.

9. Hoc

Digitized by Google

9. Hoc fundamento ductus Thomas de Courcellis Canonicus Ambiacenſis in Concilio Baſilienſi ſeſſione 33. contendebat poſſe Concilium deponere Papam, & alium loco eius ſufficere, dicebat enim Papam veriùs dici Vicarium Eccleſiæ, quàm Chriſti; nullum autem eſſe dubium, quin Dominus Vicarios ſuos poſſit ad nutum ſuum deſtituere: ita ex Ænea Siluio narrat Spondanus ad annum 1439. num. 24. vbi huius Thomæ argumenta appellat *vana & penè veſana*, vtpote quæ non aliud haberent fundamentum, niſi obliquas quaſdam Scripturarum ac Patrum interpretationes, eaſdem omnino, quibus noſtri temporis hæretici aduerſus Romanum Pontificem abutuntur. Merum ergo eſt figmentum Almaini, quòd Eccleſia ex ſe habeat poteſtatem communicandi authoritatem Papalem alicui ſuppoſito, ſicut in ſententia Caietani Petrus habuit, quantum eſt ex ſe, poteſtatem communicandi Apoſtolis iuriſdictionem, licèt illam per accidens non communicauerit ipſis: diuerſa namque eſt ratio, ſiquidem conſtat Chriſtum conſtituiſſe Petrum caput totius Eccleſiæ, ac proinde illi communicaſſe poteſtatem ordinandi quoſlibet ſibi ſubditos ordinis capaces, & quamuis hanc poteſtatem non exercuerit in Apoſtolis præuentus à Chriſto, illam tamen exercuit in Epiſcopis eorum ſucceſſoribus. At poteſtas communicandi iuriſdictionem Pontificiam alicui homini, non eſt annexa collectioni Epiſcoporum, quia tota hæc Communitas ſubeſſe debet Chriſti Vicario, quia tota illa conſtituit ouile Chriſti, ſupra quod ipſe Petrum, eiuſque Succeſſorem Romanum Pontificem impoſuit tanquam ſupremum Paſtorem.

10. Falſum quoque eſt poteſtatem Eccleſiaſticam, præſertim completam & perfectam, priùs tempore extitiſſe, & Eccleſiæ communicatam fuiſſe, quàm Petrus electus fuerit in Papam. Primò, quia poteſtas Eccleſiaſtica completè ſumpta inuoluit poteſtatem conſecrandi, remittendi peccata, ordinandi, & confirmandi: quæ poteſtates nondum erant tunc communicatæ Apoſtolis, quia illi tunc nondum erant Sacerdotes, nec Epiſcopi, vt oſtendemus diſp. 2. ſect. 4. §. 9. Secundò, quia inuoluit poteſtatem excommunicandi, quę non eſt conceſſa, ſed promiſſa Apoſtolis Matth. 18. per illa verba, *quæcumque ligaueritis &c.* vt oſtendemus ibidem ſect. 4. & 5. Tertiò, quia inuoluit poteſtatem inſtituendi cenſuras; hanc autem ſolùm immediatè communicauit Chriſtus Petro, eiuſque ſucceſſoribus, vt probat P. Suarez tom. 5. in tertiam par. diſ. 2. ſect. 2. Siquidem poteſtas inſtituendi cenſuras eſt diuerſa à poteſtate illas ferendi, ſicut diuerſa eſt poteſtas inſtituendi Sacramenta à poteſtate illa adminiſtrandi: ac proinde ſicut licèt Epiſcopi poſſint ferre cenſuras, tamen apud ſolum Summum Pontificem reſidet poteſtas inſtituendi cenſuras: ita ſoli Petro tanquam Vicario ſuo conceſſit Chriſtus immediatè poteſtatem inſtituendi cenſuras pro tota Eccleſia, licèt Apoſtolis reliquis immediatè communicauerit poteſtatem cenſuras ferendi. Vnde eam poteſtatem inſtituendi cenſuras non communicauit Eccleſiæ, niſi

G post

poſt reſurrectionem, quando Ioan. vltimo *Petrum* ſummum Paſtorem inſtituit illis verbis: *Paſce oues meas*.

11. Denique quia Eccleſiaſtica poteſtas completè ſumpta inuoluit ſupremam authoritatem decidendi controuerſias fidei, quam Chriſtus non communicauit Eccleſiæ, niſi ratione capitis, vel ſaltem dependenter à capite, quare Matth. 18. nondum Chriſtus inſtituerat perfectam Eccleſiam, ſed inchoauerat Eccleſiam poſt reſurrectionem perficiendam, & quando ibi verſ. 17. loquens de correctione fraterna iuſſit, vt qui ſecretò admonitus nollet corrigi, deferretur Eccleſiæ, non eſt locutus de Eccleſiâ Chriſtianâ iam omnibus numeris abſoluta, ſed tunc inchoata, & poſtea complendâ, nec per Eccleſiam intellexit collectionem fidelium, vel Concilium generale, aut collectionem Epiſcoporum, ſed Prælatum Eccleſiaſticum, cui immediatè ſubeſſet ille, qui nollet corrigi fraternè. Eſt enim manifeſtum, Chriſtum non iuſſiſſe, vt qui fraternam correctionem reſpueret, accuſaretur coram Concilio generali, vel coram collectione omnium fidelium, aut Epiſcoporum.

12. Sed inſtat Almainus eo cap. 7. Chriſtus non communicauit Petro claues, ac proinde ſummam authoritatem decidendi controuerſias fidei, niſi quatenus repræſentabat Eccleſiam; ergo per amplius, & magis contulit Eccleſiæ. Antecedens probat authoritate Auguſtini, quæ refertur cap. *quicumque* 24. quæſt. 1. Verùm hoc argumentum nullius eſt momenti, quia, vt explicabo diſp. 2. ſect. 6. prope finem, Petrus non repræſentabat Eccleſiam quatenus Eccleſiæ Vicarius, ſed quatenus eius caput & Chriſti Vicarius, & ipſi traditæ ſunt claues ratione officij tranſituri ad ſucceſſores. Vnde Auguſtinus tract. 124. in Ioan. dixit, *Petrum propter primatum ſuum Eccleſiæ perſonam egiſſe*. Ex eo autem, quòd ſuprema authoritas communicata ſit Petro quatenus capiti Eccleſiæ, perperam infertur, communicatam eſſe Eccleſiæ ipſi in ſe, ſeu quatenus ſignificat collectionem omnium ſubditorum vel Prælatorum: imò oppoſitum infertur; authoritas enim, quæ communicatur alicui quatenus capiti & quatenus Superiori, non communicatur membris immediatè, neque ſubditis.

§. III.

§. III.

Impugnatur ab abſurdo illa doctrina; quia ſi Papa gubernaret Eccleſiam tanquam Vicarius Concilij, ſequeretur quòd quando hoc eſſet congregatum, non indigeret conſenſu & ſubſcriptione Papæ, ad definiendas fidei & morum controuerſias, nec ad obligandum totam Eccleſiam ad recipienda decreta ab ipſo formata, quod tamen ſine manifeſto errore affirmari non poteſt.

1. IMpugnatur inſuper illa doctrina; quia ſi Romanus Pontifex ſolùm regit Eccleſiam nomine Concilij, & quaſi eius vices gerens, & tanquam Vicarius illius, ſequitur quòd poſtquam fuerit congregatum Concilium, iam functus ſit munere ſuo; & illi non aſſiſtat tanquam Summus Pontifex, ſed præcisè quatenus Epiſcopus Romanus, & tanquam vnus ex reliquis. Nam Vicarius, quando adeſt proprietarius, ſeu ordinarius, cuius vices gerit, & vult per ſeipſum immediatè iudicare, non habet ius aliquod proferendi ſententiam quatenus Vicarius: nec proprietarius, ſeu iudex ordinarius indiget ſubſcriptione ſui Vicarij; ad hoc vt eius decreta ſint firma, eiuſque ſententia ſtabilis. Sanè ſi Rex Hiſpaniæ eſſet Neapoli, & vellet per ſeipſum immediatè aliquid ſtatuere, non indigeret ſubſcriptione, & conſenſu ſui Proregis, ad hoc vt eius ſententia firma eſſet & valida. Quando Epiſcopus per ſeipſum vult ſententiam pronuntiare, non indiget ſubſcriptione ſeu conſenſu ſui Vicarij, Prouiſoris, ad hoc vt eius ſententia ſit rata. Habet Pontifex Romanus Romæ ſuum Vicarium, & manifeſtum eſt, quòd non indiget eius ſubſcriptione & conſenſu, ad hoc vt poſſit aliquid firmiter decernere.

2. Si ergo ad Romanum Pontificem ſolùm attinet gubernare Eccleſiam, & cauſas fidei & morum iudicare tanquam Vicarium Concilij, & nomine ipſius, ſequitur manifeſtè, quòd quando Concilium eſt congregatum, & vult per ſeipſum controuerſiam aliquam fidei vel morum dirimere, & definire, ſtatuendo quid ab omnibus Chriſtianis tenendum ſit, non indigeat Concilium ſubſcriptione & conſenſu Pontificis ad hoc, vt dubium reſoluat, & vltimè definiat, & toti Eccleſiæ proponat, quid credere debeat: ſed quamuis Pontifex nolit conſentire, nec approbare

definitionem Concilij, illa erit firma, & Concilium poterit obligare totam Eccleſiam independenter à conſenſu Papæ, imò ipſo poſitiuè repugnante, & reſiſtente, quia iudex ſupremus alicuius Communitatis, qualis iuxta Authores iſtos Gallos eſt Concilium reſpectu totius Eccleſiæ, non indiget ſubſcriptione, vel conſenſu ſui Vicarij, ad hoc vt poſſit ſuis decretis totam communitatem obligare. At eſt manifeſtè falſum, & erroneum aſſerere, quòd Concilium generale contra voluntatem Romani Pontificis poſſit controuerſias fidei & morum definire, & determinare, & toti Eccleſiæ proponere, & ad acceptandum obligare.

3. Id autem probatur primò, quia, vt oſtendit D. Thomas 2. 2. q. 1. art. 10. *Quæſtio fidei exorta determinari debet per eum, qui toti Eccleſiæ præeſt, vt ſic eius ſententia à tota Eccleſia firmiter teneatur.* Atqui Concilium generale, vt contradiſtinctum à Papa legitimo & indubitato, non toti Eccleſiæ præeſt: ergo Concilium vt contradiſtinctum à Papa, ſine eius conſenſu, & multò minus ipſo contradicente, non poteſt quæſtionem fidei determinare, & toti Eccleſiæ proponere, eamque obligare, vt eius ſententiam firmiter teneat. Minor conſtat: quia in Concilio Florentino ſeſs. 25. in litteris vnionis definitum eſt, *Romanum Pontificem in vniuerſum orbem tenere primatum, eſſe ſucceſſorem B. Petri Principis Apoſtolorum, & verum Chriſti Vicarium, totiuſque Eccleſiæ caput, & omnium Chriſtianorum Patrem atque Doctorem.* Vnde ſicut Romanus Pontifex non deſinit eſſe Papa, ex eo quòd Concilium generale ſit congregatum, ita non deſinit habere primatum in vniuerſum orbem, & eſſe totius Eccleſiæ caput, & doctor: ergo toti Eccleſiæ tunc præeſt: ergo ab ipſo debet determinari quæſtio fidei. Ergo eſt manifeſtus error aſſerere, quòd ſine conſenſu Romani Pontificis veri, & indubitati, & ipſo repugnante, poſſit Concilium quæſtionem fidei exortam determinare, & toti Eccleſiæ proponere, illam obligando ad eius ſententiam firmiter tenendam. Nam Concilium vt contradiſtinctum à Papa non eſt *totius Eccleſiæ caput, & omnium Chriſtianorum Pater,* atque *Doctor*, ſed repræſentat corpus, cui tanquam caput præeſt Romanus Pontifex, & non eſt Paſtor, ſed ouile Chriſti, nec Doctor & Magiſter totius Eccleſiæ. Vnde meritò Sanctus Thomas loco citato, ex eo quod *quæſtio fidei debeat determinari ab eo, qui toti Eccleſiæ præeſt*, intulit, hoc *pertinere ad ſolam authoritatem Summi Pontificis.* Quòd autem quæſtio fidei debeat determinari ab eo, qui toti Eccleſiæ præeſt, probat: quia *vna fides*, inquit, *debet eſſe totius Eccleſiæ, iuxta illud* 1. *ad Corinth.* 1. *Idipſum dicatis omnes, & non ſint in vobis ſchiſmata: quod ſeruari non poſſet, niſi quæſtio fidei de fide exorta determinaretur per eum, qui toti Eccleſiæ præeſt.*

4. Quare certum omnino eſt, non poſſe Concilia generalia congregata tempore Pontificis certi & indubitati definitionem fidei facere, quæ Eccleſiam obliget, non conſentiente, & multò minus repugnante Romano Pontifice. Vt enim dicitur in cap. *regula* diſt. 17. *Canonibus*

præcipientibus nec vllum vnquam ratum eſt, aut erit vnquam Concilium, quòd eius (Romani Pontificis) *non fuerit authoritate fulcitum*. Et vt teſtatur ſeptima Synodus generalis, (apud Bellarm. lib. 2. de Romano Pontifice cap. 17. actione 6.) *non eſt legitimum decretum generalis Concilij, quod ſine Romano Pontifice, aut eius legato fit*. Ideo S. Gelaſius Papa huius nominis primus, qui renuntiatus Pontifex eſt anno 492. & obijt anno 496. in tomo de vinculo anathematis, qui extat inter eius Epiſtolas Decretales, & in epiſtola ad Epiſcopos Dardaniæ, latè probat, Concilia non approbata à Romano Pontifice nullam habere authoritatem. Et ratio eſt, quia Concilia generalia eatenus habent infallibilem aſſiſtentiam Spiritus Sancti, ad non errandum in decretis fidei & morum, quatenus perfectè Eccleſiam repræſentant, quæ non poteſt tota in fide errare. At Concilia non repræſentant totam Eccleſiam, niſi quatenus vnita cum ſuo capite, vt ſupra oſtendi: Ergo Concilij decreta niſi confirmata à Pontifice non faciunt authoritatem infallibilem. Quare ſicut anima noſtra non viuificat corpus noſtrum, niſi dum iſtud eſt vnitum capiti: ita Spiritus Sanctus, qui eſt veluti anima Eccleſiæ, non viuificat Concilium generale, ei aſſiſtendo, ne erret, niſi dum eſt vnitum cum capite totius Eccleſiæ Romano Pontifice. Et ideo S. Franciſcus Saleſius non minùs ſapientia cœleſti, quàm ſanctitate illuſtris, atque Eccleſiæ Gallicanæ fulgentiſſimum ſidus, lib. 2. amoris diuini cap. 14. aiebat, quòd *in Concilijs generalibus diſputationes pro indaganda veritate, adhibitis diſcurſibus, rationibus, & argumentis Theologicis inſtituantur; res autem huiuſmodi diſputationibus vltrò citròque agitatæ à Patribus, id eſt ab Epiſcopis, ſpecialiter verò à Summo Pontifice concluduntur & determinantur*.

5. Ipſeque Clerus Gallicanus in ſua declaratione de Eccleſiaſtica poteſtate facta Pariſijs anno 1682. in quarta propoſitione, quam in hoc libro impugnamus, hoc ipſum ſupponit: ſic enim habet: *In fidei quoque quæſtionibus præcipuas Summi Pontificis eſſe partes, eiuſque decreta ad omnes & ſingulas Eccleſias pertinere; nec tamen irreformabile eſſe iudicium, niſi Eccleſiæ conſenſus acceſſerit*. In qua propoſitione licèt vltima pars, quæ negat Romano Pontifici, è cathedra determinanti quæſtionem fidei, infallibilitatem in definiendo, ſit planè falſa, & hæreſi proxima, ſecundum iudiciũ Cardinalis Bellarmini & aliorum, vt ex diſputat. 12. toto hoc libro conſtabit: tamen prima eius pars manifeſtè ſupponit, definitiones Conciliorum non poſſe eſſe infallibiles ſine conſenſu, & approbatione Pontificis: quomodo enim haberet in definitionibus fidei præcipuas partes, ſi definitiones Conciliorum eſſent infallibiles, & totam Eccleſiam obligarent independenter à Romani Pontificis conſenſu & approbatione? Nam propoſitio Cleri Gallicani affirmantis in fidei *quæſtionibus præcipuas Summi Pontificis eſſe partes*, vniuerſalis eſt, ac perinde extenditur, ad quæſtiones fidei, quas Summus Pontifex cum Concilio generali determinat. Imo vero tunc duntaxat propriè verificatur *præcipuas*

puas eſſe Summi Pontifices partes in quæſtionibus fidei, ſcilicet determinandis & definiendis: quia in Concilio Generali Patres verè ſunt iudices, & habent ſuas partes in definiendo, licèt Papa habeat præcipuas. At verò quando Papa extra Concilium definit, & accedit Eccleſiæ, ideſt communitatis fidelium conſenſus, ſolus Papa propriè definit; quia definire, & determinare quæſtiones fidei non ſpectat ad oues, ſed ad paſtores, non ad diſcipulos, ſed ad magiſtros; non ad turbam fidelium, ſed ad Principes Eccleſiæ. Vniuerſitas namque fidelium habet quidem infallibilitatem in credendo, ſed non in docendo, & definiendo. Vnde tunc verè & propriè non verificatur, quod habeat præcipuas partes, ſed totum munus definiendi Romanus Pontifex. Quare ex hac Cleri Gallicani declaratione hoc ſaltem neceſſariò elicitur, quòd licèt ſine alterius cuiuſcumque Epiſcopi determinatè ſumpti ſuffragio, poſſit quæſtio fidei definiri (nec enim requiritur, quòd omnes omnino conſpirent in idem ſuffragium, eandemque ſententiam) tamen ſine ſuffragio Romani Pontificis non poſſit, & multò minùs ſine eius decreto nequeat intimari Eccleſiæ, ita vt omnes teneantur veritatem definitam à Concilio tanquam fide certam credere.

§. IV.

Quamuis definitio Concilij foret infallibilis, praſcindendò ab approbatione Papa, non poſſet tamen obligare Eccleſiam, niſi mediante approbatione Pontificis; nec inde poſſet probari, Concilium eſſe ſupra Papam.

1. Estque res iſta adeò certa, vt Andreas Duuallius Doctor Sorbonicus, in diſputatione quadripartita de ſuprema Romani Pontificis in Eccleſiam poteſtate par. 4. quæſt. 6. concl. 3. licèt contra Cardinalem Bellarminum lib. 2. de Concilijs cap. 11. contra Cardinalem Turrecrematam, & Caietanum à Bellarmino citatos, contra Alphonſum à Caſtro lib. 1. de iuſta hæreſum punitione cap. 6. contra Valent. Tom. 3. diſp. 1. quæſt. 1. punct. 7. §. 45. licèt, inquam, contra hos Authores doceat, decretum Conciliorum generalium cum conſenſu omnium Patrum & legatorum editum eſſe infallibile, (nam ſi aliqua pars Patrum, etiam minor, repugnet, ſupponit decretum Concilij non eſſe infallibile, donec accedat Papæ confirmatio) quamuis Papa nullam huius decreti Legatis inſtructionem dederit: nihilominus in eadem quæſtione concl. 4. aſſerit, „ Concilium Oecumenicum ante Pontificis confirmationem ſolùm ha-

„ bere

„ bere vim directiuam, non coactiuam, id eſt, oſtendere quidem veritatem infallibiliter amplectendam, cui obſiſtere ac refragari nemini liceat, ſed eam toti Eccleſiæ non poſſe iuridicè proponere, neque fideles ad exteriorem ſuæ definitionis profeſſionem iure compellere, minùſque pœnis & cenſuris in eos, qui contrarium ſenſerint, ſæuire, adeò vt qui ab ipſis decretis nondum confirmatis diſſentiret, & ſi erraret, non propterea tamen hæreticus & Eccleſiæ rebellis cenſeretur, niſi Pontifex fortè legatos mittendo facultatem publicandi definitiones Concilij non expectata ſua confirmatione ſpecialiter & expreſsè conceſſiſſet. Ratio concluſionis manifeſta eſt, quia cùm ſtatus Eccleſiæ ſit Monarchicus, non autem Ariſtocraticus, aliundè coactio ſeu poſitiua fidelium obligatio oriri non poteſt quàm à ſupremo moderatore, vt in regno non aliunde naſcitur legum ſeruandarum obligatio, quàm à Rege; & hæc cauſa eſt, cur ſemper Oecumenica Concilia à Summo Pontifice confirmationem expetierint, quia ſcilicet non ignorabant ſua decreta non poſſe aliter per Eccleſiam legitimè promulgari, & fidelibus obligationem poſitiuam inducere, & contradicentes pœnis & cenſuris caſtigare cap. *Significaſti*, de electione. *Omnia Concilia per Romanæ Eccleſiæ authoritatem & facta ſunt, & robur acceperunt*, diſt. 17. can. *Concilia*, vbi de Prouincialibus Concilijs à Pontifice non confirmatis ſcribitur: *Quæ quia non habent præſentiam*, id eſt confirmationem, *Pontificis, valetudinem perdiderunt*.

2. Vnde patet, decreta Conciliorum non habere vim obligandi Eccleſiam, nec poſſe rem facere de fide certam, niſi confirmentur à Romano Pontifice. Et quamuis aliqui graues Theologi affirment, fieri non poſſe, vt omnes Patres concurrentes ad Concilium generale legitimum inter ſe conueniãt in definiendo aliquo errore, vel ferè omnes in eandem ſententiam conſpirent; ac proinde dicant definitionem Concilij eſſe infallibilem, præſcindendo à confirmatione Pontificis, quando omnes vel ferè omnes conueniunt in eandem ſententiam: nihilominus conſtanter docent confirmationem Pontificis eſſe neceſſariam. Inter alios hoc docet doctiſſimus Ferdinandus de Salazar in illuſtri opere de conceptione cap. 43. §. 5. pag. 452. vbi hanc ſtatuit concluſionem: *Si ſermo ſit de Concilio ritè & legitimè congregato, ſecundum datam ſibi à legitimo Pontifice inſtructionem procedente, & ſub illius obedientia in omnibus & ſingulis manente, certiſſimum puto neque omnes Patres Concilij, neque eorum maximam partem ante confirmationem Pontificis errare poſſe*. Rationem reddit: quia multò maior Epiſcoporum pars in Concilio legitimo legitimè ſententiam dicens, multò maiorem Eccleſiæ partem, cuius ſententiam dicit, ſemper exprimit: id verò, quod longè maxima Eccleſiæ pars tradit ac ſentit, falſum eſſe non poteſt. Quapropter Theologi docent, Pontificem eam ſententiam, quam multò maior pars Concilij legitimis ſuffragijs ſuis firmauit, ſine aliqua alia diligentia, ſiue approbatione definire poſ-

ſe:

ſe: omnes enim putant eam eſſe vltimam diligentiam, & nullam aliam definitionem requiri. Exempla autem omnia, quæ vulgo adduci ſolent ad probandam, multò maiorem partem Epiſcoporum in Concilio aliquo de facto aberraſſe, (v. g. in Concilio Ariminenſi, & in Baſilienſi, & in ſeptima Pſeudoſynodo) omnia ſunt, inquit, petita ex Concilijs ſpurijs ac illegitimis, quæ vel à Pontificis obedientia iam deſciuerant, vel eius authoritate non fuerant coacta.

3. Eandem ſententiam ſectatur P. Martinon diſp. 9. de fide num. 76. & P. Magiſter Bernardus de Aldrete Primarius Salmanticenſis, & meus in Theologia Præceptor, vir profundiſſimi & acutiſſimi ingenij, tom. 2. in 1. 2. in controuerſia de immunitate Deiparæ à peccato originali, & à debito proximo illius diſp. 4. ſect. 2. num. 11. & P. Suarez diſp. 5. de fide ſect. 2. in fine, item P. Amicus diſp. 8. de fide num. 75. præter Duwalium iam citatum. Et latè M. Antonius Perez Benedictinus, Salmanticenſis Magiſter, in Pentateucho Fidei tractatu de Concilijs diſt. 7. cap. 6.

4. Ego hic non immoror in examinanda hac doctrina; quia de hoc latè acturus ſum in alio tractatu, in quo omni argumentorum genere probabo, Papam eſſe ſupra omnia Concilia. Solùm hic aduerto, rationem illam Patris Salazar, petitam à repræſentatione Concilij, ſolidam non eſſe: ex eo enim quòd maior pars Concilii repræſentet maiorem partem Eccleſiæ, non ſequitur, quòd ſi erraret maior pars Patrum Concilij, erraret maior pars Eccleſiæ; quia Papa in Concilio non tenetur ſequi maiorem partem, ſed meliorem. Vnde in illo euentu, in quo Papa cum minore parte Concilij definiret oppoſitum eius, quod maior pars iudicauit, ſubditi illius maioris partis non deberent ſequi illius iudicium, ſed iudicium Summi Pontificis; ſcientes, Chriſtum non rogaſſe pro aliorum Apoſtolorum ſucceſſoribus, ne deficeret fides eorum; rogaſſe tamen pro Petro & Succeſſoribus eius: nec alias Sedes Epiſcopales habere priuilegium, quòd à Chriſto accepit Sedes Petri, vt ſit columna & firmamentum veritatis, & ad ipſam ſpectet confirmare & ſtabilire in fide cum infallibilitate nutantes fratres, non verò alias Sedes. In eo tamen ſententiam huius Authoris probo, quòd veriſſimè doceat, adhuc ſuppoſita infallibilitate definitionis factæ à maiori parte Concilij, hinc non probari, illam facere rem certam de fide, & obligare fideles ad credendum vt dogma fidei independenter ab approbatione Romani Pontificis. Quòd ipſe optimè explicat pag. 451. quia licèt approbatio Summi Pontificis non requiratur vt dans infallibilitatem definitioni Concilij; requiritur tamen ad declarandam, & demonſtrandam illā definitionem eſſe infallibilem. Quia Epiſcoporum ſuffragia (inquit) non aliter ad definitiones dogmatum ad fidem ſpectantium præſtare poſſunt, niſi ritè, ac legitimè procedant, & directionem à Summo Pontifice acceptam tenentes ſub obedientia illius in omnibus, ac ſingulis maneant. Nam ſi aliter ſe gerant, non poſſunt loqui nomine totius Eccleſiæ, quæ nun-

quam

quam non capiti ſuo ſubiecta, ac demiſſa eſt. Quapropter poſtquam omnes Epiſcopi, aut maior ipſorum pars in aliquo dogmate concordes ſententias dixerunt, antequam id, quod ita ſuffragijs ſuis præferendum putarunt, pro certo, & infallibili habeatur, de legitimo procedendi modo, & de eorum obedientia conſtare debet. Huius autem rei iudicium ex natura rei ad ſolum Pontificem ſpectat: nam in cauſa eius ſubiectionis, quam omnes fideles ipſi debent, ipſe ſolus ſententiam dicere poteſt. Vlteriùs etiam vt tota Eccleſia aliquod fidei dogma recipiat cum obligatione credendi illud, neceſſaria eſt ſufficiens denunciatio, & propoſitio legitima:& hæc etiam cum ſit actus ſuperioris, à nullo alio, niſi à Summo Pontifice perfici poteſt. Duos igitur hos effectus præſtat approbatio Summi Pontificis in Concilio: declarat ſcilicet Epiſcopos ritè, ac legitimè ſententias ſuas dixiſſe, per quam declarationem non donat illis infallibilitatem, ſed eam, quam habent, demonſtrat. Item proponit toti Eccleſiæ credenda ea dogmata, quorum certitudo & infallibilitas reperta eſt.

5. Maximè etiam probo rationem, qua P. Martinon diſp. illa 9. n. 27. vtitur ad probandum, ex eo quod definitio Concilij pro priori ad confirmationem Pontificis ſit iam infallibilis, minimè ſequi, quod Concilium ſit ſupra Papam; nam Papa teneretur quidem tunc ſtare iudicio Concilij non vt ſuperioris, ſed vt infallibiliter adhærentis verbo Dei ſcripto vel tradito; ſicut Petrus Apoſtolus tenebatur ſtare ſcriptis Pauli, & Chriſtus ſcriptis Prophetarum, & Pontifex definitionibus Prædeceſſorum ſuorum, & Conciliorum præcedentium approbatorum. Quare vt loquitur Author iſte, tunc in Pontifice eſſet obligatio in conſcientia, non quidem erga Concilium vt ſibi ſuperius, & vt ſibi præcipiens, ſed erga Deum vt ſibi loquentem medio Concilio. *Maneret verò ipſe Pontifex*, inquit Martinon, *vt regula fidei ſuprema, quia penes ipſum eſt ſuprema deciſio iudiciaria*.

6. Eſt etiam valdè probabilis ratio, qua P. Amicus diſp. 8. num. 76. vtitur, ad probandum Concilium generale, quoad omnes omninò Patres etiam ante Pontificis confirmationem, in materia fidei errare non poſſe. *Quia qui promiſit*, inquit, *finem, promiſit conſequenter media ad finem neceſſaria: ſed Chriſtus promiſit, vt nunquam in controuerſijs fidei decidendis ſuus Vicarius eſſet erraturus; cumque ad hoc ex voluntate eiuſdem Chriſti, neceſſaria ſit præuia Doctorum conſultatio, fieri nequit, vt omnes omnino Doctores in generali Concilio congregati in cauſa fidei errent: alioqui vel Pontifex non teneretur ad ſuam ſententiam ferendam Doctorum conſultationem præmittere, vel errare poſſet determinando ſe ex præuio iudicio omnium Eccleſiæ Doctorum. Dicere autem, quod tali caſu Deus peculiari motione inclinaret mentem Pontificis, ad definiendum contrarium eius, quod omnes Patres in Concilio decreuerunt, eſt recurrere ad miracula abſque neceſſitate: cùm & abſque huiuſmodi miraculo, & congruentiùs ad*

modum agendi humanum ſit, quod nunquam Deus permittat, vt omnes Patres in Concilio errent in cauſa fidei.

7. Verùm rationes iſtæ de infallibilitate Concilij, quando omnes Patres inter ſe conueniunt, non excedunt limites probabilitatis; & ſiue Patres Concilij vniformiter conuenientes in vnam ſententiam, habeant aſſiſtentiam infallibilem Spiritus Sancti ad non errandum in decretis fidei, ſiue non habeant, certum & fixum debet eſſe, ſupremam authoritatem ad decidendas has controuerſias fidei eſſe penes Pontificem; quia, ſi Spiritus Sanctus aſſiſtit infallibiliter Patribus legitimè congregatis, & manentibus ſub obedientia Pontificis, vt non poſſint omnes ſimul errare, ideo eſt, quia Spiritus Sanctus aſſiſtit Pontifici, ne erret in definiendis rebus fidei, & aliunde vult vt capiat conſilium ab Epiſcopis, & imponit obligationem ſequendi aliquos ſaltem, nempe meliores, vnde permittere non poteſt, vt omnes errent; ac proinde aſſiſtit Patribus Concilij non propter ipſos, ſed propter Pontificem, & huic propter totam Eccleſiam. Quamuis enim Epiſcopi in Concilio generali ſint iudices, ſunt ſimul Conſiliarij Romani Pontificis (ſicut in Hiſpania Senatores Regij, qui cauſas iudicant, appellantur Regis Conſiliarij, ac perinde ſimul ſunt iudices, & Conſiliarij;) quia non ſunt iudices ſupremi, & independentes; ſed iudices ſubordinati ſupremo controuerſiarum iudici, nempe Romano Pontifici, qui poteſt iudicium eorum reformare, quando deprehenderit à vero deuiare, quod ſaltem contingere poteſt, quando non omnes, vel ferè omnes conueniunt in vnum ſuffragium. Vnde ſi Spiritus Sanctus infallibiliter aſſiſtit Concilio, ne erret in rebus fidei, quando omnes Patres conueniunt in ſuffragio; hoc ipſo aſſiſtit Pontifici, ne oppoſitum definiat; & imponit ei obligationem ſe conformandi cum iudicio communi omnium, & ſequendi conſilium ipſorum, quia, licèt ſint inferiores Papâ, omnes Patres Concilij etiam collectiuè ſumpti, eique ſubijciantur, ſicut reliqua membra corporis collectiuè ſumpta, ſubijciuntur capiti, & ouile totum ſubijcitur Paſtori: tamen, quia tunc Deus loquitur per ipſos, tenetur eorum conſilium ſequi, & ipſorum ſententiam confirmare; quia tenetur obedire Spiritui ſancto loquenti per os illorum ſuorum ſubditorum, quando inter ſe omnes conueniunt in vnum ſuffragium. Vnde ex hac infallibilitate in definiendo, quæ ſecundum ſententiam probabilem conuenit Patribus Concilij, quando conueniunt in ſuffragio, non infertur illos habere ſupremam authoritatem in definiendo; ſed hæc neceſſariò admittenda eſt in Romano Pontifice, ſiue reliqui Patres ſimul poſſint errare, ſiue non. Hæc enim prærogatiua Romani Pontificis non alligatur alicui ex illis ſententijs determinatè; ſed in vtraque ſaluari debet.

SE-

SECTIO V.

Concluditur ex dictis, ideo Chriſtum reliquiſſe in Eccleſia authoritatem infallibilem ad determinandas fidei & morum controuerſias, quia illam reliquit in capite Eccleſiæ pro bono Eccleſiæ.

1. Illatio eſt manifeſta ex dictis: quia cùm demonſtratum ſit, Chriſtum non reliquiſſe hanc authoritatem infallibilem in vniuerſitate, & communitate omnium Chriſtianorum, nec in vniuerſitate, & communitate omnium Epiſcoporum; reſtat vt illam reliquerit in Eccleſia, quia illam reliquit in capite viſibili Eccleſiæ, nempe in Vicario ſuo Romano Pontifice, pro bono, & vtilitate totius Eccleſiæ. Sicut enim reliquit in Eccleſia poteſtatem conſecrandi corpus ſuum, & poteſtatem remittendi peccata, quia illam reliquit in Sacerdotibus pro bono totius Eccleſiæ; ita reliquit authoritatem infallibilem determinandi vltimatè controuerſias fidei, & intimandi fidelibus quid credere debeant, quia illam reliquit in Romano Pontifice, qui cùm ſit caput viſibile totius Eccleſiæ, & Summus Paſtor totius ouilis Chriſti, ad illum pertinet omnibus fidelibus proponere articulos, quos credere debeant, & paſcuum ſanæ doctrinæ, quo debeant ſpiritualiter ſuſtentari. Et ideo S. Thomas 2. 2. quæſt. 11. art. 2. ad 3. dixit: *Authoritas Eccleſiæ principaliter reſidet in Summo Pontifice.* Dicitur enim 24. qu. 1. c. *Quotieſcumque fidei ratio ventilatur, arbitror omnes fratres noſtros & Coepiſcopos non niſi ad Petrum, id eſt ad ſui nominis auctoritatem referri debere. Contra cuius authoritatem nec Hieron. nec Auguſt. nec aliquis Sacrorum Doctorum ſuam ſententiam defendit. Vnde dicit Hieron. ad Damaſum Papam, Hæc eſt fides, Papa beatiſſime, quam in Catholica didicimus Eccleſia, in qua ſi minus peritè, aut parum cautè fortè aliquid poſitum eſt, emendari cupimus à te, qui Petri fidem, & Sedem tenes. Si autem hæc noſtra confeſſio Apoſtolatus tui iudicio comprobatur, quicumque me culpare voluerit, ſe imperitum vel maleuolum, vel etiam non catholicum, non me hæreticum comprobabit.* Et quæſt. 10. art. 10. probat editionem Symboli ad Papam pertinere, vt expendi ſupra ſect. 8. *quia vna fides debet eſſe totius Eccleſiæ . . . hæc autem vnitas ſeruari non poſſet, niſi quæſtio fidei de fide exorta determinaretur per eum, qui toti Eccleſiæ præeſt, vt ſic eius ſententia à tota Eccleſia firmiter teneatur; & ideo ad ſolam authoritatem Summi Pontificis pertinet editio Symboli, ſicut & omnia alia, quæ pertinent ad totam Eccleſiam, vt congregare Synodum generalem, & alia huiuſmodi.*

Digitized by Google

3. Et ſanè hanc ſupremam authoritatem Chriſtum tradidiſſe Petro, atque ſucceſſoribus eius potius quàm Collegio Apoſtolorum, & Concilijs generalibus, perſuadent efficaciter loca Euangelij, quæ expendemus diſp. ſequenti. Petrum enim, & non Collegium Apoſtolorum fecit caput ſui corporis myſtici, & fundamentum huius ſpiritualis ædificij. Soli enim Petro: *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, et portæ inferi non præualebunt aduerſus eam.* Vt autem probabimus diſput. ſequenti, eſt adeò verum, hanc promiſsionem factam eſſe ſoli Petro, vt P. Suarez lib. 3. aduerſus Regem Angliæ cap. 10. num. 4. dixerit, *euidens eſſe ex tenore verborum, promiſſionem illam factam eſſe Petro in propria perſona* (Ita ipſe) & num. 6. addiderit, Chriſtum per illa verba, *Et ſuper hanc petram*, ſine dubio eundem Petrum deſignaſſe. Et ideo Hieronymus tom. 2. epiſt. 57. aiebat: *Ego cathedræ Petri communione conſocior: ſuper illam petram ædificatam Eccleſiam ſcio.* Idque docet conſenſus totius Eccleſiæ, & Græcorum & Latinorum Patrum, quorum verba adducunt Bellarm. lib. 1. de Romano Pontifice cap. 10. Valentia in Analyſi fidei lib. 3. cap. 2. & Suarez lib. 3. defenſionis fidei cap. 10. Idque docuit totum Concilium Calcedonenſe, in quo ſederunt 630. Patres; ſiquidem act. 3. appellat *Petrum Petram & crepidinem Eccleſiæ Catholicæ.* Vt conſtabit latè dicendis diſput. 2., vbi hæc latè exponuntur.

SECTIO VI.

Permiſſo, & non conceſſo illo falſiſſimo principio, quòd Chriſtus tradiderit authoritatem infallibilem Eccleſiæ, vt exercendam per vnum, nempe per Romanum Pontificem, tanquam per Vicarium Concilij, & Miniſtrum Eccleſiæ: neceſſariò concedendum eſt, definitiones Papæ in materia fidei & morum eſſe infallibiles, nec poſſe per Concilium generale reformari.

§. I.

1. Sequelam probo. Per vos Chriſtus reliquit immediatè in Eccleſia authoritatem infallibilem, vt exercendam per vnum, quando Concilium generale non poteſt congregari; nam quando Concilium eſt congregatum, ad ipſum attinet per vos exercere hanc poteſtatem, & con-

& controuerſias fidei & morum determinare, tanquam ad ſupremum iudicem viſibilem controuerſiarum fidei. Ergo quando non poteſt Conciliũ facilè congregari, & inſtat periculum hæreſis, & quòd praua dogmata atque errores diſſeminentur, & latè ſerpant; ad Romanum Pontificem attinet exercere illam authoritatem, quàm Chriſtus reliquit in Eccleſia, & quam Eccleſia ipſa per ſeipſam immediatè exerceret, ſi eſſet congregata in Concilio generali. Ergo ſi illam poteſtatem exerceat, & controuerſias fidei & morum determinet, ſicut fecit Innocentius X. circa quinque propoſitiones Ianſenij, & Benedictus XII. circa beatitudinem animarum ſanctarum ante diem iudicij vniuerſalis, eius definitio erit infallibilis, perinde ac foret infallibilis, ſi ederetur immediatè ab ipſo Concilio: ſiquidem illa definitio eſt exercitium authoritatis infallibilis vt talis; exercitium autem authoritatis infallibilis vt talis, infallibile eſt. Quòd ſit exercitium authoritatis infallibilis patet; quia Vicarius operans vt Vicarius exercet poteſtatem iuriſdictionis, quæ eſt in iudice ordinario, cuius eſt Vicarius, & cuius vices ſupplet. Atqui per vos poteſtas & authoritas infallibilis ad determinandas fidei & morum controuerſias relicta eſt primariò in Concilio, vt exercenda tamen per Romanum Pontificem, tanquam ipſius Vicarium, quando illud non poteſt congregari: ergo quando Concilium non poteſt congregari, & Papa determinat controuerſias fidei, exercet poteſtatem illam & authoritatem infallibilem, quam Chriſtus reliquit in Eccleſia ſua; ac proinde illa determinatio & definitio eſt exercitium authoritatis infallibilis vt talis.

2. Hinc quamuis diſputandi gratia permitteretur, Papam poſſe in aliquo caſu à Concilio iudicari, & deponi, nimirum ſi fieret hæreticus, & vellet hæreſes diſſeminare, & diſſiparet bona Eccleſiæ, & ex paſtore conuerteretur in lupum (quod tamen eſſe falſum, demonſtrabimus latè lib. 2.) tamen adhuc dici deberet, Papam errare non poſſe, quando determinat fidei & morum controuerſias extra Concilium generale, eò quòd iſtud congregari non poteſt. Ratio eſt; quia in hoc ſecundo caſu agit nomine Eccleſiæ, & tanquam Vicarius Concilij, & exercet tanquam inſtrumentum Eccleſiæ authoritatem infallibilem ipſi relictam ad decidendas fidei & morum controuerſias. At quando vaſtaret Eccleſiam, hæreſes diſſeminando, & patrimonium Chriſti diſſipando, non ageret nomine Eccleſiæ, ſed contra Eccleſiam; ac proinde videri poterat, quòd Eccleſia tunc poſſet ſibi prouidere, non ſolùm reſiſtendo tyranno & deuaſtatori, ſed illum deponendo, & loco eius alium deſignando. Nec aliud, quàm hoc ſecundum ſuadere poſſunt argumenta, quibus Ioannes Gerſon, Petrus de Alliaco, Cardinalis Cameracenſis, Iacobus Almainus, & Ioannes Maior Doctores Pariſienſes conati ſunt probare Concilium eſſe ſupra Papam; vt conſtabit inferiùs, vbi etiam ex principijs Maiorum Scholæ Pariſienſis, qui excellentiam Concilij

ſupra

ſupra Papam omnium primi defenderunt, & in Scholas inuexerunt, deducemus contra ipſorum placitum infallibilitatem Romani Pontificis in definiendo.

§. II.

Quamuis ex eo, quòd Papa ſit ſupra Concilium, neceſſariò inferatur, eſſe infallibilem in definiendo controuerſias fidei: è contra verò ex eo, quòd Concilium in aliquo caſu foret ſupra Papam, non ſequitur hunc non eſſe infallibilem in definiendo: vnde certiùs eſt Papam eſſe infallibilem in definiendo, quàm in nullo caſu ſubijci Concilio vt Iudici?

1. EX eo, quòd Papa ſit ſupra Concilium, euidenter infertur, eius iudicium in controuerſijs fidei eſſe ſimpliciter vltimum, ac proinde irreformabile per iudicium Concilij. Ex hoc autem neceſſariò ſequitur eſſe infallibile, quia de fide eſt, Chriſtum reliquiſſe in Eccleſia iudicem aliquem infallibilem ad decidendas fidei & morum controuerſias: iudex autem iſte infallibilis debet eſſe ille, cuius iudicium eſt vltimum & irreformabile, & non ſubiectum iudicio alterius in terra.

E contra verò ex eo, quòd Papa ſubiaceret Concilio quoad propriam perſonam, ſi nimirum foret nimis ſcandaloſus, & deuaſtaret Eccleſiam Chriſti, & hæreſes diſſeminaret; minimè ſequitur, quòd ſubiaceat Concilio, quando determinat controuerſias fidei & morum, quæ inter Catholicos occurrere ſolent; quia nimirum, quādo Concilium non poſſet congregari, ad ipſum tanquam ad Vicarium Eccleſiæ attineret exercere authoritatem infallibilem, quam Chriſtus reliquit in Eccleſia. Vnde licèt vtraque veritas ſit certa, quòd Papa ſit infallibilis in definiendo, & quod in nullo caſu poſſit à iudice humano iudicari, prima tamen veritas eſt magis certa extenſiuè, quia dantur plures tituli ad illam probandam.

2. Vnde reijciendus eſt Ioannes Launoius, qui (vt refert author libri de libertatibus Eccleſiæ Gallicanæ in præfatione ad Lectorem) ſuis epiſtolis iter complanaſſe videtur ad Declarationem Cleri Gallicani factam Pariſijs anno 1682. Nam tom. 1. epiſtola 6. poſtquam iudicium Papæ non eſſe infallibile probare tentauit, etiam authoritate Romanorum

Pon-

Digitized by Google

Pontificum, tandem concludit pag.42. *Hæc eſt igitur Apoſtolica Sedis do-
ctrina, hæc traditio, comes indiuidua illius alterius, qua Romanus Pontifex
Concilio ſubijcitur. Qui Theologus placita iſta connexa inter ſe non aſſeue-
raret, non falleretur modò, ſed imperitum ſe, & profeſſione ſua indignum
probaret.* Nec ſolùm inter ſe has propoſitiones connexas eſſe ſenſit, ſed
etiam illam de fallibilitate Pontificis continere cauſam & rationem il-
lius alterius de ſuperioritate Concilij in Papam. *Nimirum*, inquit ille
tom.4.epiſt.5.pag.29. *ratio, cur Papa ſubeſt Concilio, ex eo tota petitur,
quòd in fide & moribus errare poſſit.*

3. Reijciendus eſt, inquam, Ioannes Launoius: quamuis enim ex
eo, quòd Papa eſſet fallibilis in determinandis fidei & morum contro-
uerſijs, obligando totam Eccleſiam ad ſequendum iudicium ipſius, eui-
denter inferretur, iudicium Papæ eſſe reformabile per Concilium, ac
proinde hæc eſſet ratio ſufficiens ſubijciendi Papam Concilio: non ta-
men eſt ratio vnica; nam Cardinalis Cameracenſis in tractatu de Eccle-
ſiæ & Cardinalium authoritate cap.4.partis tertiæ §.8. Iacobus Almay-
nus in tractatu de authoritate Eccleſiæ cap. 2. §. 2. Ioannes Maior in
Diſputatione, *An Papa ſit ſubiectus correctioni, & Concilio generali* in
ſeptima, octaua, & nona ratione §. *Arguitur ergo ſextò*, Gerſon, & Io-
annes Patriarcha Antiochenus, vt videbimus inferius. inde pro-
bant potiſſimùm Papam ſubeſſe Concilio, *quia ſi Eccleſia*, inquiunt, *non
poſſet auferre Papam regentem ipſam in deſtructionem eius, & cateruatim
animas ducentem ad inferos ſuo inſtinctu, & ſuo exemplo, ſequitur, Poli-
tiam purè naturalem & ciuilem eſſe melius inſtitutam, quàm ſit Eccleſiaſti-
ca Politia. Non enim benè inſtituta foret Politia purè ciuilis, ſi eius Regem
perturbantem eam deſtituere non poſſet.*

4. Hæc ad verbum Cardinalis Cameracenſis Magiſter & Præceptor
Gerſonis, quem ille, & poſtea Almaynus, & Ioannes Maior ſecuti ſunt,
in tractatu illo, quem edidit Conſtantiæ anno 1417. tempore Concilij
Conſtantienſis. Quis autem non videat non eſſe idem, Papam habere
illa vitia, ac Papam poſſe è cathedra definire aliquem errorem, & ede-
re Decretalem aliquam cum intentione obligandi totam Eccleſiam ad
tenendam illam doctrinam, quam ipſe proponit? Dum autem aſſerimus
tanquam certum & indubitatum Papam non poſſe errare è cathedra; &
vt Papam, ſolùm aſſerimus Papam non poſſe definire aliquem errorem
tanquam veritatem infallibilem, illumque credendum proponere toti
Eccleſiæ cum intentione illam obligandi: quidquid ſit, an ipſe poſſit in
hæreſim incidere, illamque docere in aliquo libro tanquam Doctor par-
ticularis, imò & prædicare, & perſuadere aliquibus. Quamuis enim
etiam hoc ſecundum non poſſe contingere, multi, graueſque Doctores
cum magno fundamento affirment; tamen non eſt hoc, quod nos cum
communi ſententia tanquam certum hic ſtatuimus. Vt enim etiam
ipſe Maimburgus fatetur, & à nobis initiò præmiſſum eſt, & in tractatu

Hiſto-

Hiſtoriæ *de Romana Eccleſia, eiuſque Prærogatiuis & Epiſcopis*, edito Pariſijs anno 1685. in quo quatuor propoſitiones Cleri Gallicani defendit: *Ex cathedra loqui Pontificem, nihil aliud eſt, quàm Summum Pontificem Conſtitutionem edere, quâ imponat omnibus Chriſtianis obligationem credendi aliquid.* Quis autem non videat, optimè hæc duo inter ſe cohærere, nempe quòd Deus permittat, Pontificem vt Doctorem particularem, & vt perſonam priuatam in errorem incidere, illumque docere, & obtrudere ijs, cum quibus loquitur; & tamen quòd non permittat, illum vt perſonam publicam, authoritatiuè & ſolemniter, & ex cathedra docentem totam Eccleſiam, errare, edendo Conſtitutionem cum intentione obligandi totam Eccleſiam, in qua declaret eſſe veritatem infallibilem aliquod dogma falſum? Hoc ſecundum nos dicimus contingere non poſſe; ſed Spiritum Sanctum aſſiſtere Pontifici, ne hoc faciat; & hoc priuilegium impetraſſe Chriſtum oratione ſua pro cathedra Petri, id eſt pro Petro & ſucceſſoribus eius, dum dixit, *Ego rogaui pro te Petre, ne deficiat fides tua*, vt oſtendemus diſputatione 2. ſect. 1. Quam orationem Chriſtus non fudit pro Sede aliorum Apoſtolorum. Imò cùm Luc. 22. verſ. 31. locutus fuiſſet communiter de omnibus, & cum omnibus, cum dixit; *Ecce Sathanas expetiuit vos, vt cribraret ſicut triticum*: ſtatim ſermonem conuertit vnicè & determinatè ad Petrum verſ. 32. *Ego autem rogaui pro te Petre, ne deficiat fides tua.* Non dixit verò, *Ego autem rogaui pro vobis, ne deficiat fides veſtra*. Quo ſingulari facto non ſolùm ſtabiliuit veritatem certam, quam defendimus, quòd ſcilicet è Sede Petri nunquam poſſit prodire Conſtitutio, cum intentione obligandi omnes Chriſtianos ad credendum aliquid falſum, ſed ſatis ſignificauit, Sedem Petri habituram hoc priuilegium, vt nullus in illa ſedeat, qui Hæreſiarcha ſit, & hæreſes doceat etiam vt Doctor priuatus. Et ideo in Sede Alexandrina, in Sede Conſtantinopolitana, & in Sede Hieroſolomitana ſederunt Hæreſiarchæ, vt dicemus inferiùs; nunquam verò in Sede Romana.

5. Et de hoc adducit egregiam authoritatem Sancti Cyrilli Beatus Ioannes Capiſtranus in tractatu de Papæ & Conciliorum, ſiue Eccleſiæ authoritate fol. 127. pag. 2. in fine: nam Cyrillus expendens illa verba Chriſti Matth. 16. *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram &c.* dicit: *Secundum autem hanc Domini promiſſionem Eccleſia Apoſtolica Petri ab omni ſeductione, & hæretica circumuentione immaculata manet ſuper omnes Præpoſitos & Epiſcopos, & ſuper omnes primates Eccleſiarum & populorum in ſuis Pontificibus in fide pleniſſimâ & authoritate Petri. Et cùm aliæ Eccleſiæ quorundam errore ſint verecundatæ, ſtabilita inquaſſabilitèr ipſa ſola regnat, ſilentium imponens, et omnium obturans ora hæreticorum. Et nos neceſſariæ ſalutis non decepti ſuperbia, nec vino ſuperbiæ ebriati, typum veritatis, et ſanctæ Apoſtolicæ traditionis vnà cum ipſa confitemur et prædicamus.*

6. Vn-

6. Vnde ſi Pontifex Romanus tanquam Doctor particularis teneret aliquam doctrinam falſam, & deliberaret de illa definienda, vnum è duobus neceſſariò eueniret; quod vel Deus illuminaret illum, & mutaret eius mentem, vel auferret illum è vita, antequam Conſtitutionem illam cuderet, & intimaret Eccleſiæ. Idque probat Andreas Dwalius in Diſputatione quadripartita de ſuprema Romani Pontificis in Eccleſiam poteſtate par. 2. qu. 1. pag. 202. ex Ioanne Vigeſimo Secundo, qui, vt narrant Gerſon ſerm. de Paſchate, & Adrianus Sextus quæſtione de confirmatione ſub finem, cenſuit, animas electorum diuinam eſſentiam ante diem iudicij, & reſurrectionem corporum non videre. *Ad quod definiendum, toti Eccleſiæ proponendum,* inquit Dwalius, *cùm ſeſe compararet, non ſine manifeſto diuinæ erga Eccleſiam prouidentiæ argumento mortuus eſt; quem tamen errorem pridie antequam moreretur, retractauit,* de quo tamen facto alibi.

SECTIO VII.

Eadem infallibilitas demonſtratur alia ratione.

QVia certum eſt, imò & de fide, etiam iuxta Gerſonem, & alios Authores Gallos, Chriſtum inſtituiſſe in Eccleſia regimen Monarchicum: non potuit autem Monarchæ, & ſupremo Eccleſiæ Paſtori denegare authoritatem infallibilem, quam in Eccleſia reliquit vt neceſſariam ad conſeruandam vnitatem Fidei in omnibus ouibus ſuis.

§. I.

Certum omnino eſt Chriſtum in Petro & Succeſſoribus eius inſtituiſſe regimen Monarchicum.

1. MOnarchia dicitur à *Monos*, quod eſt *vnus*, vel *ſingularis*, & *Archos*, quod eſt *Princeps*, vel *Principatus*: Ita Gloſa in capit. *Fundamenta* de electione & electi poteſtate in ſexto. Triplex eſt regiminis ſeu ſpecies ſeu genus, ex D. Tho. par. 2. quæſt. 96. art. 4. Monarchicum, in quo ſuprema authoritas ad gubernandam totam Communitatem ſimpliciter & abſolutè eſt penes vnum; Ariſtocraticum, in quo eſt penes optimos, vel optimates, qui in vnum conuenientes per maiorem partem ſuffragiorum ſolent decernere ea, quæ communitati conueniunt. Olygarchicum, in quo penes paucos diuites, & potentes; quod aliqui in Ariſtocratico includunt. Democraticum, in quo ſuprema authoritas eſt penes populum.

Digitized by Google

2. Euidens eſt, Chriſtum in Eccleſia inſtituiſſe aliquam gubernandi formam, aliàs enim Eccleſia non congregatio, ſed diſgregatio foret; latrocinium, non regnum; & confuſio Babylonica potius, quàm recta ordinatio. Idque conſtat ex illo Actor. 20. *Attendite vobis & vniuerſo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei*; & ex illo Hebræor. 13. *Obedite Præpoſitis veſtris*: Et ideo Cant. 6. Eccleſia comparatur cum acie ordinata caſtrorum, in qua regimen ad obtinendam victoriam eſt neceſſarium.

3. Ex his autem tribus gubernandi formis inter ſe omnino diſtinctis Chriſtum elegiſſe formam ſimpliciter & abſolutè Monarchicam, temperatam tamen Ariſtocraticâ, eſt omnino certum. Et ideo Bellarminus lib. 1. de Romano Pontifice cap. 5. teſtatur, *in hoc aſſerendo Authores Catholicos conuenire omnes*. Nec ſolùm P. Suarez diſp. 9. de fide, ſect. 6. num. 8. affirmat *id eſſe de fide*, ſed Gerſon ipſe in tract. de ſtatibus Eccleſiæ conſiderat. 1. *Schiſmaticum, & hæreticum* appellat *eum, qui negaret ſtatum Papalem inſtitutum eſſe à Deo ſupernaturaliter & immediatè, tanquam habentem Primatum Monarchicum, & regalem in Eccleſiaſtica Hierarchia*. Et lib. de poteſtate Eccleſiæ conſiderat. 10. inquit: *Plenitudo legis Eccleſiaſticæ ſic propriè ſumpta non poteſt eſſe de lege ordinaria, niſi in vnico Summo Pontifice formaliter & ſubiectiuè, alioqui Eccleſiaſticum regimen non eſſet Monarchicum, & habere poſſet multiplex caput ex æquo, quod eſt hæreticum*. Et in libro de auferibilitate Papæ, conſiderat. 5. ait: *Nullam aliam Politiam* (in Eccleſia) *inſtituit Chriſtus immutabiliter præter Monarchicam, & quodammodo regalem, & oppoſitum ſentientes, quòd videlicet fas eſt eſſe plures Papas, aut quòd quilibet Epiſcopus in ſua diœceſi eſt Papa, vel Paſtor ſupremus æqualis Papæ Romano, errant in fide, & vnitate Eccleſiæ contra articulum hunc*, Et vnam Sanctam Eccleſiam; *& ſi pertinaces maneant, iudicandi ſunt hæretici, ſicut Marſilius de Padua, & quidam alij*. Ergo Gerſonio regimen Eccleſiæ ita eſt Monarchicum, vt illi immutabiliter conueniat.

4. Eſtque id adeo commune, vt Andreas Duwallius in tractatu de ſuprema Romani Pontificis in Eccleſiam poteſtate parte 1. quæſt. 2. pag. mihi 40. teſtetur, *hoc affirmare Doctores omnes*. Et quia longum eſſet omnium teſtimonia adducere, citat duntaxat Pariſienſes aliquos ex ijs, qui defendunt Concilium eſſe ſupra Papam, qui tamen omnino certum exiſtimant, Chriſtum fundaſſe in Eccleſia ſua ſupra Petrum & Succeſſores eius gubernationem Monarchicam: quæ duo, an componi poſſint, latè examinabimus lib. 2. quando ex profeſſo probemus Papam eſſe ſupra Concilia omnia; & in hac & ſequenti ſectione breuiter attingemus. Citat verò Duwalius præter Gerſonem, Petrum de Alliaco ex magno Collegij Nauarræ Magiſtro Cardinalem & Archiepiſcopum Cameracenſem, in tract. de origine Eccleſiaſticæ poteſtatis concluſ. 2. & Iacobum Almaynum in tract. de ſuprema authoritate Eccleſiaſtica c. 4.

[illegible] & in-

& inſuper Ioannem de Celaya in 4. diſt. 24. quæſt. 4. & 6. Poſtea verò ipſe Duwallius ſubiungit: *Hoc autem ita certum eſt, vt à quoquam citra fidei iacturam negari non poſſit. Ezechielis enim 34. de fidelibus in noua lege longè antea fuerat prænuntiatum:* Suſcitabo ſuper eos Paſtorem vnum; & 37. Erit vnus Paſtor omnium veſtrum; *& Ioan. 10. Poſtquam Chriſtus de filijs Iſrael locutus eſſet, ſubiunxit:* Alias oues habeo, quæ non ſunt ex hoc ouili, & illas oportet me adducere, & fiet vnum ouile, & vnus Paſtor. *Quibus accedit plurium Conciliorum definitio, & vnanimis veterum Patrum, omniumque Chriſtianorum conſenſus, cui reſiſtere ex Auguſtino Epiſt. 118. ad Ianuarium, inſolentiſſimæ eſt inſaniæ.*

5. Quòd autem regimen à Chriſto Monarchicum inſtitutum ſit, euincit non minus eleganter quàm neruosè Pius II. Pontifex maximus in Bulla retractationum propè finem, cuius verba dabimus lib. 2. idque latè & efficaciter probat P. Salmeron tom. 4. par. 3. pag. 417. Nobis nunc ſufficiat proponere rationem, qua id demonſtrat D. Thomas lib. 4. contra gentes cap. 76. num. 3. dicens: *Nulli dubium eſſe debet, quin Eccleſiæ regimen ſit optimè ordinatum, vtpote per eum diſpoſitum, per quem Reges regnant, & legum conditores iuſta decernunt; optimum autem regimen multitudinis eſt, vt regatur per vnum, quòd patet ex fine regiminis, qui eſt pax. Pax enim et vnitas ſubditorum eſt finis regentis: vnitatis autem congruentior cauſa eſt vnus, quàm multi. Manifeſtum eſt igitur regimen Eccleſiæ ſic eſſe diſpoſitum, vt vnus toti Eccleſiæ præſit.* Et num. 4. *Eccleſia militans ex triumphanti Eccleſia per ſimilitudinem deriuatur: vnde et Ioan. in Apocalypſi vidit Hieruſalem deſcendentem de cælo: et Moyſi dictum eſt, quòd faceret omnia ſecundùm exemplar ei in monte monſtratum. In triumphanti autem Eccleſia vnus præſidet, qui etiam præſidet in toto vniuerſo, ſcilicet Deus. Dicitur enim Apocalyp. 21. Ipſi populus eius erunt, et ipſe cum eis erit eorum Deus: ergo et in Eccleſia militante vnus eſt, qui præſidet vniuerſis.*

6. Rationes tactas à Pio II. à S. Thoma, à P. Salmeron, & alijs proponit optimè Duwalius: Quia certum eſt, inquit, ex omnibus regendi formis, Democratica nempe, Ariſtocratica, & Monarchica, excellentiorem, ſuauiorem, & ſecuriorem eſſe Monarchicam, quod lumine naturæ cuique exploratum eſt. Primò ratione ordinis, qui perfectiùs tunc elucet, cùm ſolus ille, cui cura omnium incumbit, præeſt, reliqui verò ſubſunt, quàm cùm vel omnes præſunt, & nullus ſubijcitur, vt in Democratia: vel cùm multi, nempe Optimates dominantur, vt in Ariſtocratia. licèt enim aliquis ordo in hoc regimine reluceat, cùm populus optimatibus ſubijcitur, nullus tamen ordo eſt inter optimates, cùm ſint omnino pares, neque vnus in alterum poteſtatem habeat. Secundò ratione aſſecutionis finis, pacis ſcilicet & concordiæ, quæ tunc facilè conciliatur, quando omnes idem volunt, idem nolunt: hoc autem fit ſuauiſſimè, cùm ab vnius voluntate & ar-

„ bitrio omnes dependent. Tertiò ratione facilitatis gubernandi: fa-
„ ciliùs enim ab vno, quàm à multis ciuitas regitur; nam ex Ariſt. 8.
„ Ethic. cap. 10. faciliùs eſt vnum virtute excellere, quàm plures; &
„ faciliùs populus vni, quàm multis (quorum ſtudia plerumquè in di-
„ uerſa feruntur) obtemperat. Monarchicum ergo regimen omnium
„ optimum eſt, & excellentiſſimum, ita tamen vt (ne in tyrannidem de-
„ generet) illud Ariſtocratia conueniat temperari: Princeps enim vbi-
„ que præſens adeſſe non poteſt, nec omnium ſubditorum rebus proui-
„ dere; quo fit vt Reipublicæ maior ſit ſecuritas, ſi vnà cum Rege pru-
„ dentiſſimis etiam Optimatibus pro regimine locus aliquis conceda-
„ tur, dummodo poteſtas optimatum à Rege dependeat. Tertiò
„ certum eſt, non ideo dici Monarchiam Ariſtocratiâ temperari debe-
„ re, quòd Monarchia abſque optimatum Conſilio nihil præſtare poſſit,
„ ſed quòd eorum ſententiam in rebus grauioribus audire & ſequi de-
„ beat, quòd perperam, falsò & iniuriosè in Monarchico Eccleſiæ re-
„ gimine aſtruere conantur Richerius & Vigorius. Monarchiam enim
„ euertunt, qui Regi ad regendi officia conſortes tribuunt, neque pro-
„ fectò verè Monarcha, aut ſolus Dominus dici poteſt, qui de rebus
„ ſubditorum abſque optimatibus non valet decernere.

Omniſque poteſtas
Impatiens conſortis erit.
Fraterno primi maduerunt ſanguine muri.

„ Dicitur ergo tunc Monarchicum regimen Ariſtocratico temperari,
„ cùm Princeps, qui ſolus res ad regnum & ſubditos omnes ac ſingulos
„ pertinentes gerere non poteſt, optimates creat, quibus in ſolidum
„ rerum, quarum curam illis tradit, adminiſtratio competat; ita tamen
„ vt non aliunde quàm à Principe hanc habeant poteſtatem, & ab eo,
„ ſi quando muneri ſuo deſint, corripiantur, & in ordinem reducantur.
„ Quartò certum eſt inter Catholicos, regimen Eccleſiæ primò & per
„ ſe eſſe Monarchicum. Nemo enim ambigit, quin ex præmiſſis guber-
„ nandi rationibus meliorem, & excellentiorem Chriſtus Eccleſiæ ſuæ
„ reliquerit: quippe quæ illius ſponſa ſit, & pro qua ſemetipſum morti
„ crudeliſſimæ, & omnium maximè ignominioſæ tradiderit. 4. ad Ephe-
„ ſios, & Apoc. 20. Quare cùm gubernandi ratio optima ſit Monarchi-
„ ca, eam ſine dubio Chriſtus aſcendens in Cœlum, Eccleſiæ ſuæ reli-
„ ctis cæteris contulit; quæ cauſa eſt, cur in ſacris literis per ea, quæ
„ ſtatum habent Monarchicum, ſoleat ſignificari, Daniel. 2. comparatur
„ regno, Cant. 4. exercitui ordinato, Cantic. 7. corpori humano; 1. ad
„ Timoth. 3. Domui, 1. Petri 3. naui, & Ioan. 20. ouili: quæ omnia ab
„ vno ſupremo moderatore gubernantur.

§. II.

Digitized by Google

§. II.

Concluditur authoritatem infallibilem ad determinandas fidei & morum controuerſias relictam eſſe à Chriſto in Monarcha Spirituali Eccleſiæ, & Summo Paſtore, vt vi illius poſſet oues ſibi creditas veritate paſcere ſine periculo erroris.

1. CVm ex dictis in hac Diſput. ſect. 2. conſtet eſſe de fide, Chriſtum reliquiſſe in Eccleſia ſua ſupremam & infallibilẽ authoritatem ad proponendum fidelibus veritates fidei, quas credere debeant, & determinandum dubia fidei & morum, quæ occurrere poſſunt inter Catholicos, vt ſic omnes complectantur tanquam doctrinam à Deo reuelatam, eam duntaxat, quæ à Deo reuelata eſt, & non aliam; & tanquam à Deo præceptum, vel conſultum illud, quod Deus reipſa præcepit, vel conſuluit, & non aliud: Quis non videat, hoc priuilegium infallibilitatis, vi cuius vnitas & puritas fidei vnicè conſeruari poteſt, debuiſſe à Chriſto collocari tanquam in ſubiecto potiùs in Summo Paſtore viſibili Eccleſiæ, quàm in ouibus; potiùs in capite Eccleſiæ viſibili, quàm in membris, potiùs in fundamento huius ſpiritualis ædificij, quàm in ipſo ædificio, cùm fundamentum non capiat firmitatem de mole reliqua ædificij ſuperimpoſita, ſed potiùs ædificium capiat à fundamento. Quis non videat abſurdum eſſe, quòd Chriſtus ſupra Petrum tanquam ſupra firmiſſimam petram fundauerit Eccleſiam ſuam; & quòd firmitas & ſtabilitas fidei ſignificata per Sedem Petri debeat deſumi ab Eccleſia ipſa fundata ſupra Petrum, & ſucceſſores eius? Et ſanè ex ſe apparet manifeſtum expedire, quòd priuilegium neceſſarium ad conſeruandam communitatem, quale eſt priuilegium infallibilitatis ad conſeruationem Eccleſiæ Catholicæ, ponatur in eo, cui commiſſa eſt ſuprema authoritas gubernandi illam communitatem; hæc autem ſuprema authoritas commiſſa eſt à Chriſto Romano Pontifici, hoc ipſo quòd illum conſtituerit Monarcham ſpiritualem in regno ſuo, quod eſt Eccleſia. Implicat enim gubernationem alicuius Communitatis eſſe Monarchicam, & quòd in illa non detur vnus, cui reliqui omnes obedire debeant.

2. Vnde meritò P. Valentia tom. 3. diſp. 1. qu. 1. punct. 7. §. 45. affirmat, *eos, qui Generale Concilium Pontifice ſuperius faciunt, pugnare reuera (licèt inaduertentes) cum certiſſima regula de Diui Petri, & Romani Pontificis in Eccleſia primatu.* Si enim Concilium ſit ſupra Papam, in Concilio

lio debet reperiri primariò tanquam in ſubiecto proprio ſuprema authoritas ad ferendas leges vniuerſales pro tota Eccleſia, ſuprema authoritas ad determinandas fidei & morum controuerſias: hoc autem eſt dare primatum Concilio, & negare Petro & ſucceſſoribus eius, & eſt virtualiter aſſerere, quòd Chriſtus inſtituerit regimen ſimpliciter Ariſtocraticum, & non Monarchicum, prout aſſerere auſus eſt Edmundus Richerius Doctor Sorbonicus, bona quidem Logicâ, & conſequentia neceſſaria ad doctrinam Gallorum recentium de ſuperioritate Concilij in Papam, ſed peſſimâ & erronea Theologiâ; quia hoc eſt reuera negare Primatum Romani Pontificis, & relinquere ſolùm primatus vmbram, qualem habet in Republica Genuenſi Sereniſſimus Dux, quia primus inter Senatores ſedet, & Senatum conuocat, & materias tractandas proponit, quarum deciſio eſt penes Senatum, qui per maiorem partem ſuffragiorum decreta ſua conficit, & poteſt ſine ſuffragio Sereniſſimi Ducis, imò contra eius votum leges ſtatuere, & controuerſias definire, & omnes ſubditos obligare. Quod de Romano Pontifice ſalua fide affirmari non poteſt, vt conſtat ex dictis in hac diſput. ſect. 4.

3. Et ad id conuincendum, & probandum Concilium non eſſe ſupra Papam, præſertim in controuerſijs fidei determinandis, nec poſſe Papæ iudicium reformare, ſed potiùs ſubeſſe Papæ vt ſupremo controuerſiarum Iudici, & ab ipſo immediatè accipere poteſtatem iudiciariam determinandi, & definiendi quæſtiones fidei, vt docet communis & vera ſententia cum D. Thoma dicente in opuſculo contra impugnantes religionem: *Patres in Concilio congregati nihil ſtatuere potuiſſent, niſi authoritate Romani Pontificis interueniente*. (Quamuis enim Epiſcopi definiant in Concilio vt Iudices, non tamen vt Iudices ſupremi, nec vt Iudices infallibiles, niſi eo confirmante, cui dictum eſt: *Et tu aliquando conuerſus confirma fratres tuos*) ad id, inquam, conuincendum, ſufficere deberent verba illa Chriſti Ioan. 10. *Fiet vnum ouile, et vnus Paſtor*, quæ expendemus diſput. 2. ſect. 3. In illis namque Chriſtus prædixit futurum vt fieret vnum ouile, & vnus Paſtor. Ergo in Eccleſia Catholica, quando congregatum eſt Concilium generale, cui præſidet Romanus Pontifex inuenitur *vnum ouile, et vnus Paſtor*. Ergo Concilium vt contradiſtinctum à Papa vel eſt Paſtor, vel eſt ouile, at non eſt Paſtor; ergo eſt ouile: Ergo cùm ouile non ſit ſupra Paſtorem, ſed Paſtor ſit ſupra ouile; Concilium non eſt ſupra Papam, ſed potiùs Papa eſt ſupra Concilium.

4. Quòd Concilium non ſit Paſtor, probatur, quia cùm Paſtor diſtingui debeat ab ouibus, quas paſcit, ſanè ſi Concilium vt contradiſtinctum à Papa eſt Paſtor ſummus Eccleſiæ, erit Paſtor Summi Paſtoris Eccleſiæ, ſcilicet Romani Pontificis: ſiquidem cùm Concilium generale vt diſtinctum à Papa iuxta Gallos, aſſerentes eſſe ſupra Papam, repræſentet vniuerſalem Eccleſiam, Concilium non eſt Paſtor Eccleſiæ, ſed eſt ipſa Eccleſia moraliter, & repræſentatiue. Vnde ſi eſt Paſtor, reſtat vt ſolùm

ſit

ſit Paſtor reſpectu ſolius Papæ, & ſic erit ſummus Paſtor vnius tantùm ouis, & non totius ouilis; ac proinde non erit Paſtor Eccleſiæ, ſed Papæ.

5. Quòd ſi dicas, Concilium eſſe Paſtorem ſummum reſpectu fidelium, qui non componunt Concilium generale; contra eſt, quia inde ſequitur primò, quòd quando Concilium generale eſt congregatum, non erit in Mundo vnum ouile, & vnus Paſtor ſed vnum ouile, & duplex Paſtor: vnum ouile, quia fideles, qui non conſtituunt Concilium, componunt vnum ouile: duplex Paſtor, quia de fide eſt Romanum Pontificem eſſe Summum Eccleſiæ Paſtorem; & aliunde per vos Concilium vt cõtradiſtinctum à Papa, eſt Summus Paſtor. Sequitur ſecundò, quòd Epiſcopi, ex eo quòd ſint cõgregati in Concilio, deſinunt eſſe ouile, & ſunt Paſtor: ſiquidem per aduerſarios illi vt congregati in Concilio ſunt ſupra Papã, & ſupra ouile Chriſti: Cùm ergo non ſint ſupra ſeipſos, ſequitur quòd illi quatenus congregati in Concilio ſint Paſtor ouilis, & non ſint ouile.

6. Hoc autem eſt manifeſtè falſum: quia ſicut ſi omnes omninò fideles conuenirent in vnum locum cum Romano Pontifice, tunc eſſet vnum ouile, & vnus Paſtor, & Romanus Pontifex tanquam paſtor præeſſet reliquorum fidelium turbæ: pariter quando in vnum locum conueniunt Epiſcopi, qui repræſentant vniuerſalem Eccleſiam, & Papa; erit vnum ouile & vnus Paſtor, & Papa erit Paſtor, & Epiſcopi congregati erunt ouile, cui Papa præſidet.

7. Nec ſatisfacies, ſi reſpondeas, Romanum Pontificem eſſe Summum Eccleſiæ Paſtorem, quia eſt ſupra ſingulos Epiſcopos & Paſtores particularium Eccleſiarum; non verò quia ſit ſupra omnes, dum ſunt congregati in Concilio generali. Hanc enim euaſionem de falſitate conuincemus infra diſp. 3. ſect. 9. contra Authorem hiſtoriæ Pontificiæ iuriſdictionis: & latiùs lib. 2. diſp. 1. ſect. 3. §. 2. 3. & 4. dum contra Almaynum & Ioannem Maiorem probabimus, ad ſaluandum regimen Monarchicum à Chriſto fundatum in Petro, & ſucceſſoribus eius non ſufficere, quòd Papa ſit ſupra ſingulos Epiſcopos diuiſiuè, ſed requiri, quòd ſit ſupra omnes collectiuè. Nunc verò illa euaſio impugnatur.

8. Nam dicere, quòd Papa eſt ſupra ſingulos fideles, & ſupra ſingulos Epiſcopos ſeorſim ſumptos, & ſupra omnes, dum ſunt per vniuerſum orbem diſperſi, non autem ſupra illos ſumptos collectiuè, dum ſunt congregati in Concilio generali, perinde dictu eſt, ac ſi quis aſſereret, Paſtorem eſſe ſuperiorem ouibus ſuis, dum ſunt diſperſæ per varia loca, non autem dum ſunt coniunctæ in vno loco. Et ſanè cùm Eccleſia cætum ſignificet, & ratio cætus non impediatur, ſed potiùs iuuetur per hoc, quòd componentes cætum conueniant in vnum locum, proprietas huius nominis *Eccleſia* maximè ſaluatur, quando Epiſcopi componentes Eccleſiam ſunt in vnum locum ad Concilium congregati: ergo cùm veritas Catholica ſit, definita in Concilijs generalibus, Romanum

Pon-

Digitized by Google

Pontificem eſſe caput viſibile Eccleſiæ Catholicæ, veritas Catholica erit, quòd Romanus Pontifex ſit Caput Concilij generalis repræſentantis Eccleſiam Catholicam: Caput autem eſt ſupra membra, quorum eſt caput, non ſolùm ſeorſim & diuiſiuè ſumpta, ſed ſupra membra omnia diſtincta ab ipſo capite, etiã ſimul & collectiuè ſumpta, vt patet in capite corporis humani, prout latè ponderabimus diſp. 3. dum expendamus definitionem Concilij Florentini. Deinde cùm multitudo ouium proprijſſimè conſtituat vnum ouile, quando omnes ſunt collectæ in eadem caula: & cùm Epiſcopi particulares, licèt ſint Paſtores relatè ad ſuos ſubditos, nihilominus propriè ſint oues relatè ad Chriſtum; ſequitur manifeſtè omnes Epiſcopos proprijſſimè conſtituere vnum ouile, dum ſunt congregati in Concilio generali. Et cùm de fide ſit, Chriſtum reliquiſſe in Petro Romanum Pontificem, vt ſui Vicarium in terris in munere Summi Paſtoris ſuarum ouium, illumque præfeciſſe ouili ſuo; ſequitur neceſſariò illum eſſe ſupra omnes Epiſcopos etiam vt congregatos in Concilio generali; ſicut Paſtor eſt ſuper totum ouile ſibi commiſſum, non ſolùm quando oues ſunt diſperſæ, ſed quando ſunt in vnum congregatæ.

9. Vnde in præſenti materia bene arguitur à ſingulis ad omnes collectiuè: ſinguli Epiſcopi ſunt infra Papam; ſinguli ſubiacent ipſi, vt Vicario Chriſti; ergo ſubiacent etiam omnes collectiuè ſumpti, ſeu illi ſubiacet collectio omnium: quia Papa in poteſtate iuriſdictionis ſupra Eccleſiam eſt Vicarius Chriſti, ac proinde ille ſubſtituitur in ſuperioritate non ſolùm reſpectu ſingulorum, ſed reſpectu omnium collectiuè. Quod confirmatur: quia eam ſuperioritatem habet Papa reſpectu Epiſcoporum totius orbis (eam quidem, ſed non eam ſolùm, nam habet multò maiorem, & longè præſtantiorem), quam habet Epiſcopus reſpectu Parochorum ſuæ Diœceſis; quam habet Metropolitanus reſpectu Epiſcoporum ſuæ Metropolis; quam habet Primas reſpectu Archiepiſcoporum ſui Primatùs; & quam habet Patriarcha reſpectu Primatum ſui diſtrictus. Ergo quemadmodum ad conſeruationem vnitatis, concordiȩ ac diſciplinæ neceſſarium eſt, vnum Epiſcopum Parochis omnibus, etiam collectiuè acceptis eſſe ſuperiorem, Metropolitanum Epiſcopis, Primatem Archiopiſcopis, & Patriarcham Primatibus: ita neceſſarium eſt ad conſeruandam vnitatem fidei, & ordinem Hierarchiæ Eccleſiaſticæ, Papam eſſe ſuperiorem omnibus Epiſcopis, Archiepiſcopis, Primatibus, & Patriarchis non ſolum diuiſiuè acceptis, ſed etiam collectiuè ſumptis, & quatenus conueniunt in Concilio: quia vt ſic ſumpti ſunt membra & corpus, Papa autem eſt caput omnibus membris à ſe diſtinctis, etiam collectiuè ſumptis, & conſequenter toti reliquo corpori præſidens.

10. Quod cofirmatur: quia cùm de fide ſit Romanum Pontificem eſſe caput Eccleſiæ Catholicæ, prout definitum eſt in Concilio Con-

ſtan-

ſtantienſi quatenus generali, & nomine Eccleſiæ Catholicæ intelligatur non hæc, vel illa Eccleſia particularis, v.g. Toletana vel Pariſienſis, ſed cœtus omnium fidelium, qui obediunt Romano Pontifici, quia illi omnes conſtituunt vnam Eccleſiam, dum adhærent Vicario Chriſti, iuxta definitionem Cypriani dicentis, *Eccleſia eſt plebs adunata Sacerdoti*. Conſequens neceſſariò eſt Romanum Pontificem eſſe caput Eccleſiæ, etiam prout congregatæ in Concilio: ergo eſt caput Concilij: ergo eſt Concilio ſuperior, ſicut caput corpore.

SECTIO VIII.

Quam abſurda ſit doctrina Edmundi Richerij, qui animaduertens ex ſententia Gallorum de excellentia Concilij ſupra Papam neceſſariò inferri, regimen Eccleſiæ non eſſe Monarchicum; ne ab illa diſcederet, auſus eſt aſſerere, regimen à Chriſto inſtitutum eſſe Ariſtocraticum.

1. PRimi Authores Galli, qui in Concilio Conſtantienſi inceperunt aſſerere Concilium eſſe ſupra Papam, conſtanter aſſeruere tanquam certum, Chriſtum fundaſſe regimen Monarchicum, vt vidimus ſectione præcedenti §. 1. Rationem reddit Gerſon. in tract. de poteſtate Eccleſiaſtica conſiderat. 9. ijs verbis; *Ordinatione primaria voluit Chriſtus Eccleſiam ſuam regi principaliter ſub vno, & ab vno Monarcha, ſicut eſt vna fides, vnum baptiſma, & vna Eccleſia vnitate capitis tam primarij, quàm Vicarij, quoniam iſte eſt optimus Principatus, præſertim in ſpiritualibus ad conſeruationem vnitatis fidei, ad quam obligantur omnes*. At contrariam huic doctrinam in Eccleſiam Catholicam inuehere conatus eſt Edmundus Richerius Doctor Sorbonicus in libro *de Eccleſiaſtica & Politica Poteſtate*; quem ſine authoris nomine vulgauit anno 1611. in quo totus eſt in euertendo regimine Monarchico Eccleſiæ, & ſtabiliendo Ariſtocratico. Ille quidem ex ſententia Gerſonis, Cardinalis Cameracenſis, Iacobi Almaini, & Ioannis Maioris, quæ communior ſuo tempore erat in Academia Pariſienſi, & quam ille certiſſimam exiſtimabat, quòd ſcilicet Concilium generale ſit ſupra Papam, bona quidem Logica, ſed peſſima Theologia, & omnino erronea conſequens intulit, & conceſſit abſurdiſſimum, quòd nimirum regimen à Chriſto inſtitutum ſit Ariſtocraticum; quod nunquam Gerſon, & antiqui illius diſcipuli

Digitized by Google

auſi ſunt deuorare. Falſitas verò, & manifeſta abſurditas conſequentis euincit eſſe falſum antecedens, ex quo per neceſſariam conſequentiam ſequitur. Vnde Richerius oſtendit ſe bonum logicum, ſed peſſimum Theologum, dum concluſionem tam abſurdam ſtabilire conatus eſt: Gerſon verò oſtendit ſe bonum Theologum, dum conſtanter tanquam omnino certum defendit regimen à Chriſto inſtitutum eſſe Monarchicum; ſed malum logicum, dum non perſpexit hoc non componi cum eo, quòd Concilium ſit ſupra Papam. Edmundus, qui ob perſpicaciam ingenij præſenſit illam conſequentiam eſſe neceſſariam; Concilium eſt ſupra Papam: ergo regimen à Chriſto inſtitutum non eſt Monarchicum; debuiſſet ex abſurditate conſequentis moueri ad negandum antecedens, & deſerendam illam ſententiam Gallorum de ſuperioritate Concilij in Romanum Pontificem; quod facilè fuiſſet aſſecutus, ſi attentè expendiſſet fundamenta, quibus ſententia communis Theologorum probat Papam eſſe ſupra omnia Concilia.

§. I.

Qua occaſione ſcripſerit Edmundus Richerius librum ſuum de Eccleſiaſtica & Politica poteſtate, *in quo Monarchiam ſpiritualem oppugnat: & quanto Zelo Illuſtriſſimi Galliæ Præſules in duabus Synodis illum librum damnauerint.*

,, 2. REm hanc narrat Spondanus his verbis: *Celebrabant* Pariſijs
,, anno 1610. per menſem Martij in æde D. Iacobi Comitia
,, generalia Fratres Prædicatores, quibus præerat totius Ordinis Ca-
,, put & Magiſter Auguſtinus Galaminius, (cui poſtmodum animi do-
,, tes, ſingularis pietas, rara eruditio, eximiæ virtutes, & magna meri-
,, ta Sacram Romanæ Eccleſiæ purpuram compararunt) & inſtituta
,, pro more ſolemni diſputatione, quàm acerrimè impugnabatur pro-
,, poſitio negans fas eſſe, vt vlla vnquam Synodus ſuprà Oecumenicum
,, Apoſtolicæ Sedis Præſidem ſeſe efferat: contra eam vehementiùs
,, excandeſcens Sorbonæ Syndicus Edmundus Richerius, cùm nihil
,, proficeret, calamum exacuit, impreſſo tractu anonymo de Eccleſia-
,, ſtica & Politica poteſtate, aduerſus ſupremam Romani Pontificis in
,, omnes orthodoxas Synodos poteſtatem, ac infallibilitatem, cuius le-
,, ctione plurium animos erga Apoſtolicam Sedem minus rectè affectos

,, infici

Digitized by Google

„ inſici animaduertens Cardinalis Peronius Archiepiſcopus Senonenſis, Prouinciæ Synodum coëgit: in qua, vt ex Congregationis diplomate conſtat, Henricus Pariſienſis, Franciſcus Antiſiodorenſis, Ioannes Meldenſis, Gabriel Aurelianenſis, Rénatus Trecenſis, Euſtachius Niuernenſis, & Philippus Carnutenſis Epiſcopi prouincialiter congregati libellum, cui abſque nomine Authoris, & typographi titulus eſt, de Eccleſiaſtica & politica poteſtate, diligenter lectum & expenſum cenſura, & damnatione dignum iudicarunt, & reipſa notarunt, & notant, ob multas, quas continet propoſitiones, expoſitiones, & allegationes falſas, erroneas, ſcandaloſas, ſchiſmaticas, & vt ſonant, hæreticas &c. omnibuſque ſubditis ſuis eius libelli poſſeſſione, attrectatione, & lectione interdixerunt, vendi aut typis cudi prohibuerunt, qui ſecus facerent, pœnis & cenſuris Eccleſiaſticis obnoxios, voluerunt, & denuntiarunt Pariſijs 1612. die 9. Martij. Illorum exemplum ſequuti Paulus Aquenſis Archiepiſcopus, Carolus Reienſis, Bartholomæus Foroiulienſis, & Tuſſanus Siſtarcienſis Epiſcopi, præfato libello eiuſdem ſtyli & notæ ſtigma impreſſerunt, & publicarunt in ſequentis menſis Maij die 24. Infrendens Richerius, & abuſus obtendens appellauit: ſed fruſtra. Edicto enim regio, pariter & Decreto Sorbonæ ſyndicatu exutus eſt, remanentibus in ſuo vigore cenſuris.

„ 3. Nihilominus Cardinalis Richelius Sorbonæ Prouiſor denuntiatus, perditi hominis curam ſuſcepit, nec deſtitit, adhibitis ſaluberrimæ inſtructionis incitamentis, ad reſipiſcentiam, & ſalutem exhortari, vrgere, impellere; donec ad ſanam mentem rediens Richerius, anno huius ſeculi 29. die 7. Decembris (quod eo loci num. 9. annotauit Spondanus, Lutetiæ declarationem coram dignis teſtibus edidit à ſe ſcriptam, & obſignatam, qua ſe, libellumque ſuum *de Eccleſiaſtica & Politica poteſtate*, ac quaſcumq; eius propoſitiones Eccleſiæ Catholicæ Romanæ, & Sanctæ Sedis Apoſtolicæ iudicio ſubijcere declarauit; eam Matrem & magiſtram omnium Eccleſiarum, & infallibilem veritatis Iudicem agnoſcens: & quatenus contrariæ illæ eſſent eidem Eccleſiæ Romanæ, improbauit & condemnauit; hancque declarationem conſignauit Eminentiſſimo Card. Richelio, Prouiſori Domûs Sorbonæ.

„ 4. Ijſdemque temporibus (ſubdit continuò Spondanus) decretum factum eſt publicum ab eâdem Sorbona, vt deinceps renouaretur mos antiquus, & laudabilis, à quibuſdam omitti ceptus, vt quicunque Baccalaureus in Theologiæ actibus reſpondens, iuraret in decreta Summorum Pontificum. Iſta autem antiqui moris innouatio non eſt facta proculdubio à Sorbona, niſi de conſenſu ſui Prouiſoris Cardinalis Richelij, qui & mentem ſuam explicatiùs depromens lib. 2. pro conuerſione hæreticorum cap. 2. pag. 197. ait: *Quando dicimus*

quòd Romana Eccleſia eſt vna & indiuiſa, ſiue in ſua communione, ſiue in ſua doctrina, ſenſus eſt: Illas Eccleſias non haberi pro Romanæ Eccleſiæ membris, quæ contrarias in materia fidei profitentur opiniones, vel quæ eas iudicio ac cenſuræ eiuſdem Eccleſiæ, aut ſui capitis ipſam repræſentantis non ſubmittunt. Decreta formalia harum Synodorum adducit Dwalius initio ſui tractatus de ſuprema Romani Pontificis in Eccleſiam poteſtate.

§. II.

Quàm acriter inſurrexerunt Authores Galli contra Edmundum Richerium, & Simonem Vigorium Iuriſconſultum, qui doctrinæ illius patrocinium ſumpſit.

1. VIx prodierat peſtilens ille liber Edmundi Richerij, cùm inſignis Doctor Sorbonicus Andreas Dwalius in Academia Pariſienſi Regius Theologiæ Profeſſor, contra illum calamum ſtrinxit, & errores illius perniciosos acriter impugnauit, elenchum conficiens eorum. Sed quia poſt damnationem illius libri factam à duabus Synodis prodijt in defenſionem Richerij quidam Simon Vigorius, compulſus eſt iterum calamum arripere, vt ipſe narrat in Epiſtola Dedicatoria illius tractatus, ſeu Diſputationis quadripartitæ de ſuprema Romani Pontificis in Eccleſiam poteſtate, ijs verbis: *Hydram*, inquit, *errorum, quibus Anonymus ille de Eccleſiaſtica & politica poteſtate libellus ſcatebat, vix dum breui elencho debellaueram*, Illuſtriſſime Cardinalis, *cùm ecce de repente ex anguineo illo germine nouum erumpens caput & ſchiſmaticæ doctrinæ peſtilentem auram vndequaque ſpirans, eo vigore ſuccreuit ac repullulauit, vt iam extinctum, orcoque damnatum libellum ſuſcitauerit, & in lucem reuocauerit. Quidam enim Iuriſconſultus nomine Vigorius, ſeu ipſe Commentarij ad Reſponſionem Synodalem author ſit, ſeu ipſius nomine alius quiſpiam, huius libelli anonymi Illuſtriſſimo Cardinale Perronio, nec non Reuerendiſſimis Senoſenſis Prouinciæ Antiſtitibus condemnati defenſionem pertinaciſſimè ſuſcepit, homo minimè Theologus, & forenſibus rixis ac litibus aſſuetus magis, quàm Eccleſiaſticæ Diſciplinæ, Sacrique iuris peritus; quem ideo mirandum eſt non puduiſſe ei cauſæ patrocinari voluiſſe, quæ & peſſima ſit, omniumque iniuſtiſſima. Quid enim peius & iniuſtiùs, quàm ſupremam Eccleſiæ dignitatem, ſacratiſſimam veritatis arcem, pharum luminis Euangelici, Reipublicæ Chriſtianæ ſummum Tribunal auſu nefario allatrare & conuellere: ſed & cuius cauſa tam iniuſtæ ſtatum ipſe ignorat, nodoſque non videt, nedum poſſit explicare & definire. Sanè verò vt Parentis iniuriam generoſus filius depellit, ac vindicat fortiùs,*

fortiùs, quàm audit patienter: ſic et ego cùm primùm vidi ac perlegi Vigorij commentarium, in quo ſacroſancta communis omnium Parentis dignitas vehementer imminuitur ac deteritur, vindicandi quamprimum huius inexpiabilis ſacrilegij filiali zelo accenſus, apologeticam hanc diſſertationem adornaui.

2. Nec ſolus Dvalius zelo veritatis armatus in Edmundum Richerium inſurrexit; ante ipſum tam peſtilentem doctrinam aggreſſi ſunt alij Pariſienſis Academiæ inſignes alumni, Gimontius, Durandus, Bellio-cus, & Pelletarius, quorum lucubrationes ad manus meas non peruenerunt. Quanto zelo omnes iſti præclari viri Eccleſiam Gallicanam à tam pernicioſa doctrina liberare conati ſunt, explicat idem Dvalius initio „ operis illius, quod in lucem emiſit anno 1614. Henrico Magno, inquit, „ non ſine acerbiſſimo Gallorum omnium luctu è viuis ſublato; orta eſt „ in Academia Pariſienſi propter libellum quemdam anonymum (ſed „ cuius author poſtea è ſuis latebris erupit, & innotuit (*de ſupremi Pontificis in Eccleſiam poteſtate* grauiſſima controuerſia, tanto diſſidentium „ animorum ardore & motu agitata, odioque partium ita implacabili, „ vt à probris & contumelijs, quibus ſe mutuò proſcindebant, ad politica tribunalia ventum ſit: eos verò, qui prophanam & ſchiſmaticam „ huius libelli doctrinam ferre non poterant, de violatis Eccleſię Gallicanæ libertatibus, deque nouis opinionum figmentis contra veteris „ Scholæ placita inuectis poſtulatos grauiſſimè exercuerit. Atque vt ea „ res frangebat quorumdam animos, qui ſcilicet intelligebant quantum „ calamitatis, & periculi immineret eorum capitibus, qui libera ferrent „ ſuffragia, apertamque ſententiam dicerent: ſic & alios, qui maiore „ veritatis defendendæ ſtudio ducebantur, altiùs erigebat: qui ideo à „ partibus Sanctæ Sedis Apoſtolicæ viriliter ſtantes, prætereaque veriti ne Eccleſia Gallicana à vero Eccleſiæ corpore, aut ab eius ſupremo „ capite horrendo ſchiſmate diuelleretur, contra anonymum illum libellum decretoria quaſi refutationum acerrimarum arma conſtantiſſimè ſumpſerunt, honorificum ſibi, & glorioſum fore arbitrati, ſi „ quam hoc nomine calumniam, contumeliamque paterentur. Inter „ eos autem potiſſimum claruerunt Gimontius, Durandus, Belliocus & „ Pelletarius, quorum caſtris ego veluti ſuccenturiatus vltrò memet „ adiunxi, qui nimirum ſcriptis ſuis ſchiſmatica illa dogmata refutarunt, Scholam Pariſienſem à calumnijs Authoris vindicarunt, & antiquos eiuſdem Scholæ Doctores (de quibus tanquam ſuæ ſententiæ „ patronis gloriabatur) contrarium ſenſiſſe docuerunt, tantùmque profecerunt, vt vniuerſus Theologorum Pariſienſium ordo eorum ſcriptis tanquam diuiniore œſtro percitus, libellum hunc cenſura iam notaſſet, niſi Authoris artibus retardatus, & impeditus fuiſſet.

3. Nec intra Pariſios ſe continuit zelus ſanæ doctrinæ, & ardor defendendi authoritatem Romani Pontificis; nam anno 1622. contra Apologe-

logeticas Simonis Vigorij obiectiones eruditum, & nervoſum edidit tractatum de Summi Pontificis authoritate Ioannes le Ieau Ebroicenus Pœnitentiarius, & Canonicus, & Illuſtriſſimi Epiſcopi Vicarius generalis, quem duo Doctores Pariſienſes approbarunt. In quo opere Monarchiam ſpiritualem Romani Pontificis, eiuſque infallibilitatem contra Edmundum Richerium, & Vigorium ſtatuit, Opus totum in quatuor libros partitus. Primus eſt de Monarchia. Secundus de Infallibilitate. Tertius de Diſciplina Eccleſiaſtica. Quartus de Concilijs. Tam pernicioſam autem cenſuit illorum Authorum doctrinam,vt fronti Operis hanc ſententiam Divi Bernardi ſerm. 65. in Cant. præfixerit: *Longè plus nocet falſus Catholicus, quàm ſi verus appareret hæreticus*; & in Epiſtola Dedicatoria ad viuum depingit novitatem periculoſam ab Edmundo Richerio, & Simone Vigorio inuentam, & inuectam in Gal-
,, lias: Quod olim, inquit, Hebræorum filijs contigiſſe legimus, qui
,, media parte loquebantur Iudaicè, media parte Azoticè, iuxta lin-
,, guam populi & populi, cum quibus verſabantur; illud ipſum non-
,, nullis Galliæ Scriptoribus nuper accidit, quorum puram, mater-
,, namque Romanæ Eccleſiæ linguam ſermo peregrinus ita corrupit,
,, vt ex eorum libris non ſatis intelligas, noſtri ne ſint an aduerſario-
,, rum. Videntur enim iuraſſe in Domino, & iuraſſe in Melchon, vel
,, potius ita claudicare in duas partes, vt neutri velint adhærere. Vn-
,, de non malè quis eos Religionis Veſpertiliones dixerit, nec inter
,, fidelium volucres, nec inter mures hæreticorum. Sed profectò quàm
,, dubia eſt eorum fides, tam certa eſt ruina. Immundum eſt enim co-
,, ram Domino omne, quod reptat, & pennulas habet, quales ſunt iſti,
,, qui cùm ſcribendo pennas Catholicorum vſurpent, humi tamen re-
,, punt, vnde ſubtiliùs falſæ doctrinæ venena diffundant. Quod qui-
,, dem tum maximè moliuntur, cùm Summi Pontificis authoritatem,
,, hoc eſt, Eccleſiæ arcem, non aperto quidem Marte, ſed inſidijs, &
,, cuniculis labefactare, ac ſubuertere nituntur. Quorum doctrinæ tam
,, prauæ, ne in perniciem animarum, gentiſque noſtræ infamiam latiùs
,, ſerperet, nos ſtatim occurrendum, & pro viribus obſiſtendum pu-
,, tauimus.

§. III.

Doctrina Edmundi Richerij, Vigorij, & quorundam aliorum negantium regimen Monarchicum, & adſtruentium Ariſtrocraticum, eſt adeò abſurda, vt Vniuerſitas ipſa Pariſienſis illam tanquam hæreticam cenſurauerit in Marco Antonio de Dominis.

1. NEc mirum, quòd Dualius, & le Ieau tam acerbè exceperint illam doctrinam, eiuſque authores tam acriter carpſerint, quandoquidem ipſa Facultas Theologica Parienſienſis illam tanquam hæreticam cenſurauit in Marco Antonio de Dominis Archiepiſcopo Spalatrenſi, à fide Catholica transfuga. Hic Apoſtata typis mandauit libros peſtilentes de Republica Eccleſiaſtica, erroribus & hæreticis propoſitionibus plenos. In his more hæreticorum omni conatu debacchatus eſt in authoritatem Romani Pontificis, arcem Vaticanam aggreſſus, vnde ſibi fulmina timebat. Præcipuus ipſius ſcopus fuit probare non Petro, & ſucceſſoribus eius, ſed immediatè ipſi Eccleſiæ traditam fuiſſe à Chriſto omnem poteſtatem, & regimen à Chriſto inſtitutum non Monarchicum; ſed Ariſtocraticum eſſe, ac proinde ad validitatem Conciliorum non requiri authoritatem Romani Pontificis, & in ſuorum errorum fauorem paſſim Theologos Pariſienſes allegabat. Animaduertit hoc celebris Sorbonæ Doctor Iſambertus, & cùm eſſet Syndicus Vniuerſitatis, Facultati Theologicæ ſignificauit, vergere in magnum tam inſignis Academiæ dedecus, quòd transfuga ille errores ſuos tegere vellet vmbra Doctorum Pariſienſium; ipſique commiſit, vt libros huius hominis examinaret, & iudicium ferret de doctrinis eorum. Quod Facultas præſtitit, & multas propoſitiones illius in cenſura notauit. Catalogum propoſitionum, quas Vniverſitas cenſurauit, appendit M. Bail in Summa Conciliorum tom. 1. pag. 82. 83. & 84.

Inter alias propoſitiones Apoſtata ille lib. 2. cap. 3. num. 3. docuit, *Monarchiæ formam non fuiſſe à Chriſto immediatè inſtitutam:* Hanc propoſitionem ſic cenſurauit Vniuerſitas: *Hæc propoſitio eſt hæretica, ſchiſmatica, ordinis Hierarchici ſubuerſiua, & pacis Eccleſiaſticæ perturbatiua.*

Lib. 1. cap. 12. num. 5. protulit ille hanc propoſitionem: *Doctrina in articulis Hus contenta, nimirùm in Eccleſia non dari vnum ſupremum caput & Monarcham præter Chriſtum. Chriſtum ſuam Eccleſiam per multos Miniſtros ſine vno iſto Monarcha mortali regere perfectè & gubernare,*

eſt

eſt doctrina Catholica à Sanctis Patribus egregiè explicata & confirmata. Cenſura vniuerſitatis : *Hæc propoſitio eſt hæretica quoad ſingulas partes*.

2. Atque Vniuerſitas ipſa in illa Cenſura Marci Antonij de Dominis mentem ſuam exponens circa authoritatem Romani Pontificis, hanc ſtatuit concluſionem tanquam firmam baſim : *Summus Pontifex immediatè à Chriſto non honoris ſolùm aut dignitatis, ſed & poteſtatis ac iuriſdictionis Primatum habet in tota Eccleſia*. Atque in præfatione ad cenſuram ſuam declarauit, quòd olim non ſemel profeſſa ſit in Articulis Facultatis anno 1542. art. 23. *Romanum Epiſcopum vnum eſſe iure diuino ſummum in Eccleſia Pontificem, cui omnes Chriſtiani obedire teneantur*.

§. IV.

Alijs rationibus firmatur eadem Infallibilitas.

1. PRæterea argumentor: certum eſt Romanum Pontificem primatum habere in Eccleſia, & tanquam Summum Paſtorem præeſſe vniuerſo Chriſti gregi. Ita enim definitum eſt in Concilio Florentino expenſo alibi & in Concilio Lateranenſi vltimo, in quo inter alios articulos Lutheri iſte damnatus eſt : *Romanus Pontifex Petri ſucceſſor non eſt Chriſti Vicarius ſupra omnes totius Mundi Eccleſias ab ipſo Chriſto in B. Petro inſtitutas*. Quare, vt inquit P. Suarez diſp. 5. de fide ; ſect. 8. num. 1. *ex communi ſenſu, ac traditione Eccleſiæ, & Patrum omnium conſtat, Chriſtum inſtituiſſe primatum Eccleſiæ in perſona Petri, vt in ſucceſſoribus eius perpetuò duraret : & ita hic eſt articulus tenendus non ſolùm tanquam de fide, ſed tanquam vnum ex præcipuis fundamentis fidei, & maximè neceſſarium ad tollendas hæreſes, & ſchiſmata*.

2. Vnde ſic argumentor. Certum eſt Romanum Pontificem habere primatum in Eccleſia Dei : ergo certum eſt habere primam authoritatem : ergo certum eſt habere authoritatem infallibilem ad decidendas fidei & morum controuerſias. Probo conſequentiam: quia ſi eius authoritas eſſet fallibilis, hoc ipſo eius iudicium eſſet reformabile per authoritatem ſuperiorem, nimirum per authoritatem Concilij Generalis, vt vult Gerſonius : ac proinde eius authoritas non eſſet prima, quia non eſt prima in Regno aliquo vel Republica authoritas illa, quæ habet ſuperiorem, à quo ipſius ſententia reformari valeat. Confirmatur ; quia vt vide ſuo loco in Concilio Conſtantienſi, quatenus approbato à Martino V. definitum eſt ; *Romanum Pontificem canonicè electum habere ſupremam authoritatem in Eccleſia Dei* : ergo definitum eſt habere authoritatem infallibilem : nam authoritas fallibilis in definiendo nequit eſſe ſuprema in Eccleſia Dei ; quia hoc ipſo quòd ſit fallibilis, debet eſſe ſubiecta authoritati ſuperiori, quæ ſit infallibilis, ac per conſequens non erit ſuprema : ergo authoritas ſuprema in Eccleſia Dei debet

Digitized by Google

bet eſſe infallibilis: in determinando fidei & morum controverſias.

3. Hinc apertè concluditur ad Romanum Pontificem, tanquam ad ſupremum Eccleſiæ Magiſtrum, & ſupremum controuerſiarum Iudicem, à cuius ſententia non ſit appellatio ad Tribunal ſuperius, pertinere explicationem & editionem Symboli, id eſt eorum, quæ à fidelibus credi debent, vt præclarè probat D. Thomas ſupra relatus 2. 2. qu. 1. art. 1. *quæ veritas* (vt ait P. Valentia tom. 3. colum. 114.) *vſque adeò continet ſummam, & caput totius Chriſtianæ religionis, vt nemo Catholicus eſſe poſſit, qui illam non amplectatur, nec vllus ſit hæreticus, qui illam non neget.* Quod ibi probat luculento Cypriani teſtimonio.

4. Argumentor vltimo. De fide eſt Eccleſiam Chriſti eſſe vnam: vnitas autem Eccleſiæ pendet ab vnitate fidei, & vnitas fidei ab vnitate capitis, ſeu ab eo, quòd detur Monarcha vnus ſpiritualis, qui toti Eccleſiæ præſideat, & ab illa errores exterminet. Vnde, vt aiebat Cyprianus citatus ſupra. *Exordium ab vnitate proficiſcitur, vt Eccleſia vna monſtretur*: & vt aiebat ibidem Hieronymus: *inter duodecim vnus eligitur, vt capite conſtituto ſchimatis tollatur occaſio*. Parum autem ad hoc referret, quòd toti Eccleſiæ vnus Monarcha ſpiritualis præſideret, niſi ille haberet authoritatem infallibilem: ergo illam habet, & independenter à Concilio generali poteſt res fidei declarare.

5. Audiamus D. Thomam, qui lib. 4. contra gentes cap. 76. nu. 2. rem hanc apprimè explicat, rationem à priori reddens: nam *ad vnitatem Eccleſiæ*, ait, *requiritur quòd omnes fideles in fide conueniant; circa ea, verò, quæ fidei ſunt, contingit quæſtiones moueri, per diuerſitatem autem ſententiarum diuideretur Eccleſia, niſi vnitate per vnius ſententiam conſeruaretur*. Exigitur ergo ad vnitatem Eccleſiæ conſeruandam, quòd ſit vnus, qui toti Eccleſiæ præſit: manifeſtum eſt autem, quòd Chriſtus Eccleſiæ in neceſſarijs non deficit, quam dilexit, & pro ea ſanguinem ſuum fudit, cùm & de Synagoga dicatur per Dominum Eſaiæ 5. *Quid vltra debui facere vineæ meæ, & non feci?* Non ergo dubitandum eſt, quin ex ordinatione Chriſti vnus toti Eccleſiæ præſit. Hæc ille. Nec item eſt dubitandum, quòd præſit cum authoritate infallibili, nam ſi hanc non haberet, non poſſet vnitatem fidei conſeruare, ſed potiùs foret cauſa, vt Eccleſia tota erraret: ſupremus enim Magiſtratus, cui in cauſa fidei omnes tenentur obedire, ſeu ſupremus Magiſter, quem è cathedra loquentem omnes tenentur audire, ſi erret, cauſa eſt, vt omnes errent, quod aliàs dictum eſt, & debet ſæpius repeti, quia eſt fundamentale in hac controverſia, quod idem ob eandem rationem de nonnullis alijs in hac diſputatione facere neceſſarium eſt. Mitto, breuitatis cauſa, alia capita, quæ ſupererant, probandi noſtram ſententiam.

Digitized by Google

SECTIO IX.

In qua ex dictis contra quartam propoſitionem Cleri Gallicani ſpecialiter demonſtratur definitiones fidei factas à Romano Pontifice extra Concilium generale eſſe infallibiles pro priori ad Eccleſiæ conſenſum: ac proinde in Fidei quæſtionibus Summi Pontificis iudicium eſſe irreformabile, antequam accedat conſenſus Eccleſiæ.

HÆc eſt quaſi pars altera huius primæ Diſputationis: oſtendi auctoritatem infallibilem, quam Chriſtus ſuæ Eccleſiæ reliquit ad decidendas fidei & morum controuerſias, obligando totam Eccleſiam, eſſe in Petri Succeſſore Romano Pontifice, vt potè neceſſario controuerſiarum Iudice, totius Eccleſiæ Monarcha, Supremo Primate, Paſtore, & capite omnium Chriſtianorum: opportunè etiam inſertis, & diſiectis, quæ ad hoc fundamentum conuellendum Dupin, Almainus, Richerius commenti ſunt. Nunc agendo magis in ſpecie contra quartam propoſitionem Cleri Gallicani, oſtendam, huiuſmodi definitiones factas à Romano Pontifice etiam extra Concilium generale eſſe infallibiles pro priori ad Eccleſiæ conſenſum; nec iſtum expectandum eſſe; ſed ſtatim ac articulus ab illo ex Cathedra ſit definitus, teneri omnes ſuum iudicium Romani Pontificis iudicio ſubmittere, & aſſenſum præbere rei definitæ, tanquam fidei dogmati. His oſtenſis concluditur falſiſſimam eſſe quartam propoſitionem Cleri Gallicani *in fidei quæſtionibus irreformabile non eſſe Summi Pontificis iudicium, niſi Eccleſiæ conſenſus acceſſerit*. Difficile autem non erit illud oſtendere ex dictis nam vtrumque continetur iiſdem ferè principiis.

Digitized by Google

§. I.

Probationibus præmittitur, quòd prudens quiſque cenſere debeat, potiùs ſtandum eſſe iudicio Illuſtriſſimæ Eccleſiæ Gallicanæ, quæ anno 1653. quando ſola cauſa Religionis præmebat, communi conſenſu venerata eſt abſolutam infallibilitatem Romani Pontificis in cauſis fidei, quàm iudicio conuentus Cleri Gallicani, qui declarationem edidit anno 1682. quando ardebant diſſidia, causà Regaliæ inter Papam & Regem Chriſtianiſſimum.

1. NOtum eſt Orbi Chriſtiano, quantum laborauerit Eccleſia Gallicana, vt condemnarentur quinque propoſitiones Ianſenij. Agnouerunt Illuſtriſſimi Prælati ſolam definitionem Romani Pontificis poſſe hanc tempeſtatem ſedare; & ideo tanquam rem certam ſupponentes, in dubijs fidei reſoluendis Romanum Pontificem errare non poſſe, ad Sedem Romanam tanquam ad fidei oraculum recurrerunt; quin in eorum mentem venerit, expectandum eſſe aliarum Sedium vel Eccleſiarum conſenſum, ad hoc vt definitio Sedis Romanæ ſit abſolutè infallibilis: nam anno 1653. communi conſilio litteras dederunt ad Innocentium Decimum, quas appendemus infra diſp. 5. octuaginta quinque Illuſtriſſimi Archiepiſcopi & Epiſcopi Galliæ, in quibus hanc veritatem teſtantur his verbis: *Maiores cauſas ad Sedem Apoſtolicam referri ſolemnis Eccleſiæ mos eſt, quem fides Petri nunquam deficiens perpetuò retineri iure ſuo poſtulat. Æquiſſimæ huic legi obſequentes &c.* Vbi, vt vides, pro ratione recurrendi ad Sedem Romanam in hoc dubio fidei, reddunt infallibilitatem ipſi conceſſam à Chriſto, ne deficiat fides eius, vt nutantes fratres poſſit in fide confirmare, ſtatimque ab effectu probant, quantam efficaciam habeant ad ſedandos fluctus dubiorum in cauſis fidei inſurgentes decreta definitiua Romani Pontificis: *Experta eſt nuper Beatitudo Veſtra, quantum Apoſtolicæ Sedis in gemini capitis errore profligando valuerit authoritas. Continuò ſedata eſt tempeſtas, et ad Chriſti vocem venti et maria obedierunt.*

2. Tantùmque abeſt, quòd Illuſtriſſima Eccleſia cenſuerit, non eſſe infallibilem Romani Pontificis definitionem, niſi Eccleſiæ conſenſus acceſſerit, prout poſtea declarauit Clerus Gallicanus, vt potiùs clarè aſſe-

aſſeruerit, non eſſe neceſſarium Eccleſiæ conſenſum diſtinctum à Decreto Summi Pontificis, ad hoc vt definitio rata ſit, & totam Eccleſiam obliget ad rem definitam firmiter credendam, vt patet ex alijs litteris, quas triginta ex illis Epiſcopis, cæteris abſentibus, & propterea non potentibus ſubſcribere, dederunt eodem anno die 19. Iulij ad eundem Pontificem: *Non ſolùm*, inquiunt, *ex Chriſti Domini noſtri pollicitatione Petro facta, ſed etiam ex actis priorum Pontificum, et ex Anathematiſmis aduerſus Apollinarium et Macedonium, nondum ab vlla Synodo Oecumenica damnatos, à Damaſo paulò ante iactis, Iudicia pro ſancienda regula fidei à Summis Pontificibus lata ſuper Epiſcoporum conſultatione, ſiue ſua in actis relationis ſententiam ponant, ſiue omittant, prout illis collibuerit, Diuina æquè ac ſummâ per vniuerſam Eccleſiam authoritate niti, cui Chriſtiani omnes ex officio ipſius quoque mentis obſequium præſtare teneantur. Ea nos quoque ſententia, ac fide imbuti &c.*

3. Quod magis confirmatur ex ijs, quæ ad finem epiſtolæ addunt Illuſtriſſimi Prælati: *Porrò nos Innocentio X. cuius ore Petrus locutus eſt, vt Leoni I. acclamabat quarta Synodus, hanc diuinam lauream gratulati, ſacros inter Eccleſiæ faſtos, quod olim de Synodis Oecumenicis fieri ſolitum, Conſtitutionem iſtam ab eo editam lubenter ex animo reponemus.* Ergo Illuſtriſſima Eccleſia Gallicana recipit Conſtitutionem Innocentij X. contra Ianſenium, tanquam infallibile fidei oraculum, perinde ac ſi prodijſſet ex ore Petri; nec in mentem ipſius tunc venit dubium, an ad infallibilem illius veritatem eſſet expectandus aliarum Eccleſiarum conſenſus: Ergo manifeſtum eſt, Eccleſiam Gallicanam agnouiſſe infallibilitatem abſolutam omnino & independentem ab vlteriori Eccleſiæ conſenſu in definitionibus, quæ in dubijs fidei prodeunt à Sede Petri. Et hæc fuit ſemper praxis Eccleſiæ Gallicanæ, vt oſtendemus infra copioſè diſp. 4. ſect. 2. imò & totius orbis perpetua conſuetudo, vt conſtabit diſp. 5.

4. Eundem ſenſum circa Summi Pontificis infallibilitatem, & ſupremam authoritatem iam oſtenderat Facultas Theologica Pariſienſis in generali Sorbonæ conuentu, quia vt legitur in libello, cui titulus, *Decreta, ſeu Concluſiones Facultatis Theologicæ Pariſienſis*, Sacra Facultas Theologica in generali Sorbonæ conuentu Maleſoni errores proſcribens, palàm edixit. *Ad Sanctam Sedem Apoſtolicam pertinet authoritate iudiciali ſuprema circa ea, quæ ſunt Fidei, iudicialiter definire, ex eo quòd Fides nunquam ex vi promiſſionis Petro facta potuerit deficere.*

5. Negabat anno 1644. quidam Theophilus Brachet, in Fidei controuerſijs ad Sedem Apoſtolicam eſſe recurrendum, extra generalem Synodum, eo quòd ipſius in fide definitiones non ſint infallibiles, niſi in Concilio Vniuerſali. Vix Sorbona hanc pernicioſam doctrinam doceri animaduertit, cùm ex veritatis & ſanæ doctrinæ zelo commota, cenſuram in eam expediuit, ita decernens: *Hæ propoſitiones, in quantum infallibilitatem Eccleſiæ vniuerſali in nullo alio ſtatu, quàm in Concilio*

Oecu-

Oecumenico congregatæ tribuunt, temerariæ ſunt; & ipſi Eccleſiæ iniurioſæ & hæreticæ. Igitur & ſeorſim ab Oecumenico Concilio, Apoſtolicum vniuerſalis Eccleſiæ caput infallibilitatis gaudet prærogatiua. Denique anni proximè elapſi 63. die 9. Februarij habita ſunt Comitia extraordinaria Facultatis Theologicæ Pariſienſis in aula Collegij Sorbonæ, in quibus cenſuit Facultas, *neceſſarium non eſſe abſolutè Concilium generale ad extirpanda qualibet ſchiſmata, & quaslibet hæreſes, v.g. Pelagianam, & Ianſenianam, quas conſtat ſufficienter extinctas abſque Concilio generali*.

6. Idque ipſum cenſuerat Facultas eadem tempore Franciſci Primi Galliarum Regis; nam cũ Lutherani Regi obtuliſſent articulos ſuæ fidei, eos Chriſtianiſſimus Rex examinandos dedit Sorbonici Collegij Doctoribus: qui re diligenter inſpectâ, ex zelo conſeruandi in ſua puritate Religionem Catholicam, Regi interrogationes ſuggeſſere, quibus explorandi forent Lutheri ſtudioſi & ſequaces in Gallias dimiſſi, inter quas hæc vna eſt: *Petatur ab illis Germanis erroneis, vtrum velint fidem Summorum Pontificum canonibus atque decretis adhibere, eiſque, vt fideles omnes decet, obedire, quibus vniuerſalis Eccleſia toto orbe diffuſa paret, & obtemperat*, Ad fidem autem adhibendam, præſtandamque obedientiam Summorum Pontificum definitionibus minimè obligarentur, niſi in concernentibſis fidem, morumque diſciplinam eſſent notoriè infallibiles, quando vt Chriſti Domini Vicarij, Petrique ſucceſſores de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine pronuntiant, vel ſi ipſorum iudicium foret retractabile, ac reformabile.

7. Elapſo exinde 20. annorum curriculo, iuſſa eſt dicta Facultas per Senatum Regium maturè expendere diplomata Pontificia in fauorem Patrum Ieſuitarum à Paulo III. & Iulio III. data. Indictis eam ob cauſam ſolemnibus in Sorbonæ Collegio comitijs, deliberationi talis præmiſſa fuit proteſtatio. Antequam ipſa Theologiæ Facultas tanta de re, tantique ponderis tractare incipiat, omnes & ſinguli Magiſtri palàm, apertoque ore profeſſi ſunt, nihil ſe aduerſus Summorum Pontificum authoritatem, & poteſtatem aut decernere, aut moliri, aut etiam cogitare velle. Imò verò omnes & ſinguli, vt obedientiæ filij ipſum Romanum Pontificem, & vniuerſalem Chriſti Ieſu Vicarium, & vniuerſalem Eccleſiæ Paſtorem, cui plenitudo poteſtatis à Chriſto data ſit, cui omnes vtriuſque ſexus obedire, cuius decreta venerari, & pro ſe quiſque tueri, & obſeruare teneantur, vt ſemper agnouerunt & confeſſi ſunt, ita nunc quoque ſincerè, & fideliter, & libenter agnoſcunt, & confitentur.

8. Hæc illi: In quibus verbis ſatis perſpicuè agnoſcit ſacra Facultas Sorbonæ excellentiam Romani Pontificis ſupra omnia Concilia, cui excellentiæ abſque dubio annexa eſt infallibilitas in determinandis fidei & morum controuerſijs. Quomodo enim in Romano Pontifice eſſet plenitudo poteſtatis, cui omnes fideles obedire tenentur, ſi ipſius iudicium eſſet reformabile per iudicium Eccleſiæ vt diſtinctæ à capite, &

Pa-

Paſtor Summus Eccleſiæ teneretur ſequi iudicium ouium; quando ſunt in vnum locum collectæ, & Magiſter fidei, Doctorque omnium Chriſtianorum deberet ſequi diſcipulorum placitum? Aut quomodo plenitudo poteſtatis data eſſet Pontifici à Chriſto ad gubernandam Eccleſiam, & arcendum oues ſibi commiſſas à paſcuis venenoſis prauæ doctrinæ, ſi nihil in dubijs fidei poſſet citra errandi periculum, determinare ſine conſenſu ouium.

9. Deinde Sorbona in ijs verbis ſectatur ſententiam communem Theologorum, qui cum Sancto Thoma in 4. diſt.24. quæſt. 1. & 2. 2. quæſt.11. art.2. & ſæpè alibi cum Diuo Bonauentura, Scoto, & cum alijs multis poſtea citandis tenent, iuriſdictionem Epiſcoporum in Eccleſia non à Chriſto Domino immediate, ſed mediante Romano Pontifice in ipſos deriuari. Quam ſententiam validiſſimè in Tridentino propugnauit P. Didacus Lainez ſecundus Generalis Societatis, vt videbimus ſuo loco. Quod primi & antiquiſſimi Eccleſiæ Patres agnouere. Vnde Tertullianus in Scorpiaco dixit: *Si adhuc clauſum putas Cælum, memento claues hic Dominum Petro, & per eum Eccleſiæ reliquiſſe.* Et Optatus Mileu. lib.7. contra Parmenionem: *Beatus Petrus præferri omnibus Apoſtolis meruit, & claues Regni Cælorum communicandas cæteris ſolus accipit.* Gregorius Niſſenus tractatu in eos, qui egrè ferunt caſtigationem: *Chriſti prædicatio*, inquit, *exitum fallacem non habet: per Petrum Epiſcopis dedit claues cæleſtium bonorum.* Sanctus Leo ſer. 2. Aſſump.ſuæ: *Magnum*, ait, *& mirabile huic viro* (Petro) *conſortium ſuæ potentiæ tribuit Diuina dignatio, vt ſi quid cum eo commune voluit eſſe Principibus, nunquam niſi per ipſum dedit quicquid alijs non negauit.*

10. Ex hac doctrina communi Theologorum, quam ſectata eſt Vniuerſitas Pariſienſis in illa profeſſione ſuæ fidei, & reuerentiæ erga Sedem Apoſtolicam, manifeſtè ſequitur, Concilium non eſſe ſupra Papam; quia ſi tota poteſtas iuriſdictionis, quam habent Patres Concilij, dimanat immediatè à Papa, manifeſtum eſt, quòd ſit inferior poteſtate Papæ. Hinc autem per neceſſariam conſequentiam ſequitur, infallibilitatem relictam à Chriſto in Eccleſia, eſſe in Papa abſolutè, & independenter ab Eccleſiæ conſenſu. Facultas igitur Sorbonica non ſolum ante Concilium Conſtantienſe, ſed etiam poſt illud Concilium fuit in ſententia affirmante Papam eſſe ſupra Concilium, eiuſque definitiones in rebus fidei eſſe omninò irreformabiles, & infallibiles.

11. Hoc ipſum eodem ſeculo teſtatus fuerat tempore Ludouici XI. Senatus Regius. Sic enim per Ioannem Loſellier Inquiſitionum Ca-
„ meræ Præſidem alloquutus eſt ipſum Regem: Proteſtatur Curia Ve-
„ ſtræ Maieſtati, ſe nullo modo propter quęcumque inferius dicenda
„ velle excellenti Sanctitati, dignitati, honori, & authoritati noſtri
„ Sancti Patris Papæ, Sanctæque Sedis Apoſtolicæ derogare: ſed con-
„ tra, ei omnem honorem, reuerentiam, & obedientiam, quam omnes

boni

„ boni fideles Catholici ſupremo Eccleſiæ Paſtori præſtare tenentur,
„ ſicut veros Filios Eccleſiæ Matri Sanctiſſimæ reddere, & exhibere;
„ proteſtans ſemper, ſi quid dictum, factumque à ſe fuit quod corre-
„ ctione egeat, illud totum velle ſe omnino Eccleſiæ Sanctæ Apoſto-
„ licæ, *& Romanæ determinationi ſubijcere, quæ errare non poteſt* iuxta Canonem recta 24. quæſt. 1.

12. Hæc poſt Concilium Conſtantienſe. Innumera autem poſſem afferre teſtimonia ex Gallicis Doctoribus, & Vniuerſitatis Pariſienſis Alumnis, qui ſupremam Pontificis in omnia Concilia poteſtatem, & authoritatẽ infallibilem in rebus fidei, non aſſertionibus tantummodo, ſed præclaris quoque rationibus illuſtrarunt. Verum ſuperſedeo ab his nunc referendis, quia opportunius illa afferentur diſp. 9. & 4. in qua adducētur teſtimonia ex Concilijs Prouincialibus Galliæ, & probatio cõficietur ex iudicio multarum illuſtrium Eccleſiarum & Sanctiſſimorum Epiſcoporum illius Regni: ex ipſis liquidò conſtabit, non ſolùm Italiam, Hiſpaniam, Germaniam, Poloniam, aliaſque Prouincias, verùm etiam ab antiquis vſque temporibus Eccleſiæ Gallicanæ proceres hanc in Summis Pontificibus & Petri ſucceſſoribus infallibilitatem ſemper agnouiſſe: eoſque qui veritatem hanc impugnare conati ſunt, à ducentis aut circiter annis, quando in Eccleſiam horrenda ſchiſmata irruerunt, cœpiſſe.

Ex his conſtat (nam & in hunc ſcopum hæc præmiſſa ſunt) dum probabo eſſe in rebus Fidei decernendis infallibilem Romanum Pontificem, nec eſſe reformabiles eius definitiones ex Cathedra: conſtat, inquã, me non impugnaturum, ſed propugnaturũ potius eam quæ verè dici debet ſententia Eccleſiæ Gallicanæ, ac illius inclyti Regni. Præſertim quia etiã vltimis hiſce temporibus Sorbona hoc docuit vt teſtatur Illuſtriſs. Petrus de Marca in obſeruationibus ad Theſes Claromontanas à nu. 22.
„ Hoc quoque tempore hanc de infallibilitate Pontificis ſententiam
„ (inquit ille) in ipſa Sorbona doceri videmus; Nam 12. Menſis De-
„ cembris anno 1600. in Sorbona publicè hęc Theſis defenſa eſt:
„ videlicet, *Romanus Pontifex controuerſiarum Eccleſiaſticarum eſt*
„ *conſtitutus Iudex à Chriſto, qui eius definitionibus indeficientem*
„ *fidem promiſit*. Et infra num. 34. Maior, inquit, non ſolum Theolo-
„ giæ, ſed etiam iuris Doctorum communi opinioni adhęret, vtpote
„ fundamentis nixæ ſolutu difficillimis, ridetque antiquæ Sorbonę opiniones; Nomine Antiquæ Sorbonæ intelliguntur Doctores, qui paulò poſt Concilium Conſtantienſe in Collegio Sorbonico, ſic dicto à ſuo Fundatore Roberto Sorbona floruerunt: quia immediatè poſt hoc Concilium, in quo Gerſon, & Petrus de Alliaco defenderunt excellentiam Concilij ſupra Papam, & huius fallibilitatem, hæc doctrina per aliquod, nec longum tempus, floruit in illa Vniuerſitate, & propugnata eſt à Iacobo Almaino, & Ioanne Maiore Doctoribus Sorbonicis. Fuit

igitur infallibilitas Pontificis aſſerta ab omnibus ferè Doctoribus Vniuerſitatis Pariſienſis,excepta antiqua Sorbona. Fuſius de his diſp.4.& 9. ex qua volui pauca, quæ dixi, prelibare ob reuerentiam quam debeo Illuſtriſs. Vniuerſitati, & de Religione Catholica & de noſtra Societate optimè meritę Eccleſię Gallicanę.

13. Sed mirabitur fortaſſe aliquis, quod tanta his vltimis annis facta ſit mutatio apud aliquos in Gallia,vtConuentus Gallicanus congregatus Pariſijs anno 1682. negauerit Pontifici eã infallibilitatem, quam ab antiquiſſimis vſq; illius Illuſtriſſimę Eccleſię tẽporibus vt ſupra dixi Gallicani Doctores & Sanctiſſimi Epiſcopi agnouere,atq; etiã poſt Concilium Conſtantienſe, non multis exceptis,confeſſa eſt: imo quam tota Gallicana Eccleſia in Pontifice agnouerat paulò ante,& quidem vt omninò neceſſariam ad ſuccurrendum Eccleſiæ periclitanti in Ianſeniſmi procellis.Quæ tantæ tamq; celeris mutationis cauſę? Has fusè proſequi noſtri inſtituti nõ eſt, exponit eas latè Eugenius Lombardus in ſuo regali Sacerdotio à p.3.vſq;ad 14.&Author Reſponſionis ad Diſſertationē Natalis Alexandri de iure Regaliæ.Nobis ſufficiat dicere,cõſtare ſatis, Declarationem illam de poteſtate Eccleſiaſtica conceptam eſſe,& in lucem prodijſſe, quando cauſa Regaliæ feruebant diffidia inter Galliam & Romam,inter Regnum & Sacerdotium; commotis etiã hac occaſione ob res inde ſubnatas, aliquorum Eccleſiaſticorum animis erga Romanam Curiam. Quamuis autem nomine Cleri Gallicani publicata ſit; immeritò tamen tribuitur Communitati Illuſtriſsimi Cleri. Nam vt inquit Author pręclari Operis de libertatibus Eccleſiæ Gallicanæ numer. 6. Præfationis; *præterquam quod Epiſcopi tantùm congregati hanc Declarationem emiſere, alijs non mandantibus, nec ſua ſponte probaturis, contrariam mentem frequentibus,& liberioribus Comitijs aliàs idem Clerus aperuit.* Quod confirmat ex Actis Comitiorum generalium illius Regni, quæ anno 1614. & 1615. habita ſunt, & ex eloquentiſſima oratione celeberrimi Cardinalis Perronij, quę cum alijs Cleri Gallicani Actis tom.5. collecta eſt anno 1673. & ex Gallico in latinum conuerſa ita habet: *Conſiderate non eſſe me, quem auſcultatis. Non enim ego ſum, qui loquor in hac cauſa, ſed corpus vniuerſum ordinis Eccleſiaſtici, & corpus vniuerſum Nobilitatis, quæ ſeſe illi adiunxit, atque ex duodecim Regni gubernationibus deputauit Dominos duodecim, vt præſentia ſua authoritatem adderent verbis meis, hac occaſione teſtificantur eandem deuotionem, qua eorum Deceſſores Eccleſiam proſecuti ſunt.*

Non defuere qui dixerint, Declarationem illam non paucis illorum, qui ſubſcripſere, poſtea diſplicuiſſe, nec ab ipſis id in priuatis colloquijs diſſimulatum; quod verè relatum eſſe, valdè eorum Religio, & Gallicæ Nationis genéroſa indoles perſuadet. Fuit etiam, qui ſcripſit, Prelatos illos, eam declarationem inſtituiſſe circa poteſtatem Eccleſiaſticam, nulla acceptã procuratione ad

agen-

agendum de negotio tanti momenti, vbi alia addit, quæ conſultò prætermitto, & nouiſſimè author Galliæ vindicatæ Diſſert. 2. §. 1. aſſerit illam declarationem publicatam fuiſſe à paucis. Ego quid ibi geſtum ſit, & quomodo, ignoro; & ſolùm refero, quæ authores fide digni affirmant; quia neceſſaria ſunt ad non tribuendam illam Declarationem Communitati Illuſtriſſimæ Eccleſiæ Gallicanæ.

14. Ex his patet, prudentem quemuis debere ſtare iudicio Illuſtriſſimæ Eccleſiæ Gallicanæ, quando pro cauſa religionis vnicè pugnabatur, prout accidit in cauſa Ianſenij, & in omnibus alijs, in quibus Eccleſia Gallicana more aliorum recurrit ad Sedem Petri tanquam ad oraculum infallibile pro obtinenda ſolutione in dubijs fidei: debet, inquam, huic iudicio potiùs ſtare, quàm iudicio Cleri Gallicani explicato per illam declarationem, quę tempore veritati atque authoritati Pontificię tam parùm accõmodo concepta eſt ab hominibus erga Romanum Pontificem non bene affectis, & qui eâ tempeſtate, non habebant animum tranquillum, & à paſſionibus liberum; prout requiritur ad rectum iudicium ferendum.

§. II.

Prima probatio noſtræ Concluſionis: quia illius veritas ex confeſſione ipſius Dupin, & Gallorum neceſſariò infertur, ex eo quòd Chriſtus poteſtatem clauium non tradiderit immediatè Vniuerſitati Eccleſiæ, ſed Petro & Succeſſoribus eius. Oſtendimus autem antecedens eſſe certum: ergo certum eſt conſequens.

2. VT iam vidimus in hac diſputatione ſect. 3. §. 2. Doctor Elias Dupin diſſertat. 6. §. 1. pag. 379. diſertè pronunciat, deciſionem, ſeu definitionem harum quæſtionum, an Papa ſit infallibilis, an ſit ſupra Concilia, totam pendere ex determinatione illius principij, quodnam videlicet ſit ſubiectum ſummæ poteſtatis Eccleſiaſticæ, quam Chriſtus reliquit in Eccleſia, & quam ſignificamus nomine *clauium*, quarum mentionem Chriſtus fecit, quando dixit Petro: *Tibi dabo claues Regni Cœlorum*: an Romanus Pontifex, an Vniuerſitas Eccleſiæ; nam ſi ſubiectum immediatum ſummæ poteſtatis Eccleſiaſticæ ſit ſolus Romanus

Pontifex, *haud eſt dubium*, inquit Dupin, *quin ſuper vniuerſam Eccleſiam poteſtatem habeat; cùm aliam poteſtatem in hac hypotheſi non habeant Eccleſia & Prælati, quàm quæ illis ab ipſo communicatur: ſecus verò, ſi vice verſa Eccleſia ſupremam habeat poteſtatem, quæ ab ipſa in Miniſtros eius Summumque Pontificem deriuatur*. Atqui, vt huc uſque abundè probauimus, & ampliùs probabimus in ſequentibus diſputationibus, omnino certum eſt, Eccleſiam non habere ſupremam poteſtatem, quæ ab ipſa in Miniſtros eius, Summumque Pontificem deriuetur: ergo omnino certum eſt, Vniuerſitatem Eccleſiæ non eſſe ſupra Romanum Pontificem, ſed è contra Romanum Pontificem eſſe ſupra Vniuerſitatem Eccleſiæ, ſeu habere poteſtatem ſupra vniuerſam Eccleſiam. Ergo omnino certum eſt, definitionem fidei & morum dimanantem à poteſtate Pontificis, non indigere conſenſu Eccleſiæ, vt ſit infallibilis.

3. Probo conſequentiam hanc: nam hoc ipſo quod definitio procedat à poteſtate Pontificis, procedit à poteſtate illa ſumma, quam Chriſtus reliquit in Eccleſia; Definitio autem procedens à poteſtate ſumma vt tali, debet eſſe omninò infallibilis, quia hoc ipſo quòd procedat à poteſtate ſumma Eccleſiæ, non eſt reformabilis per vllam aliam poteſtatem Eccleſiæ, quia omnis alia poteſtas eſt inferior, & ſubordinata poteſtati ſummæ & ſupremæ; ſententia autem poteſtatis ſuperioris non eſt reformabilis per poteſtatem inferiorem. Hoc autem ipſo quòd definitio & ſententia Romani Pontificis prolata ab ipſo in materia fidei, & intimata per Conſtitutionem vel Bullam, in qua explicet intentionem obligandi omnes, ſit irreformabilis, debet eſſe infallibilis; quia hoc ipſo quòd ſit irreformabilis, nequit eſſe falſa: nam ſi eſt irreformabilis, omnes ſine vlla appellatione tenentur illam acceptare, & præcepto ſummæ poteſtatis obedire, credendo vt veritatem indubitatam illam partem, quam Pontifex definit & declarat eſſe veram, & iubet vt tanquam dogma Catholicum accipiatur, & quòd oppoſita reijciatur vt dogma hæreticum; ſicut declarauit eſſe veras quinque propoſitiones oppoſitas quinque propoſitionibus Ianſenij, & propoſitiones Ianſenij declarauit eſſe hæreticas, & pro talibus iuſſit haberi ab omnibus Chriſti-fidelibus. Vnde ſi definitio illa poſſet eſſe falſa, omnes tenerentur credere dogma falſum, tanquam veritatem fidei, ac proinde tota Eccleſia teneretur errare, quòd eſt impoſſibile: Ergo hoc ipſo quòd definitio fidei facta à Pontifice ſit irreformabilis, eſt ex ſe abſolutè infallibilis. Sed certum eſt eſſe irreformabilem, hoc ipſo quòd Pontifex non accipiat poteſtatem ſuam ab Eccleſia: ergo certum eſt eſſe infallibilem, hoc ipſo quòd Pontifex non accipiat poteſtatem ab Eccleſia.

4. Quare tam certum eſt definitionem Pontificis in materia fidei non expectare conſenſum Eccleſiæ, vt ſit omnino infallibilis, quàm certum eſt Papam non accipere poteſtatem Papalem ab Eccleſia. At certum omnino eſt, Papam non accipere poteſtatem ſuam ab Eccleſia: ergo

ergo certum omnino eſt, eius definitiones in materia fidei eſſe omnino infallibiles independenter ab Eccleſiæ conſenſu. Quare ad hoc vt fidelis teneatur credere rem definitam à Pontifice eſſe veram, non aliud requiritur, quàm quòd ipſi certò conſtet, quòd fuerit definita. Ac proinde, cùm primùm Romæ Innocentius X. publicauit Conſtitutionem ſuam, & manifeſtè conſtitit, ipſum declaraſſe eſſe hæreticas quinque propoſitiones Ianſenij, & vt tales damnaſſe, ſtatim omnes Romani potuerunt, imò & debuerunt fide diuina credere, illas eſſe hæreticas, & oppoſitas eſſe Catholicas veritates, quibus vt omninò certis aſſenſus debeatur.

§. III.

Secunda ratio: quia quarta propoſitio Cleri Gallicani contradictoria virtualiter continet, dum ex vna parte affirmat, In Fidei quæſtionibus præcipuas Summi Pontificis eſſe partes, eiuſque Decreta ad omnes & ſingulas Eccleſias pertinere: *ex alia verò aſſerit*, non eſſe irreformabile eius iudicium, niſi Eccleſiæ conſenſus acceſſerit.

1. ASſumptum probo: quia vt teſtata eſt Vniuerſitas Pariſienſis, quando ex mandato Franciſci Primi Galliarum Regis compoſuit articulos Catholicæ doctrinæ contra errores Lutheri, eoſque profeſſa eſt, vigeſimus tertius articulus ab omnibus tenendus eſt iſte: *Certum eſt vnum eſſe iure diuino Summum in Eccleſia Chriſti militante Pontificem, cui omnes Chriſtiani parere tenentur*. Ergo ſi in Fidei quæſtionibus præcipuæ ſunt partes Summi Pontificis, eiuſque decreta ad omnes pertinent; quando Summus Pontifex, quia imminet periculum ne falſa aliqua dogmata Eccleſiam inficiant, & non poteſt congregari Concilium generale, per ſeipſum, præeunte diligenti examine, & conſideratione Theologorum, aliquam fidei controuerſiam determinat, & quid tenendum ſit, definit, & proponit Eccleſiæ: omnes & ſingulæ Eccleſiæ tenentur ipſi parere, eiuſque iudicium ſequi; vt accidit in cauſa Ianſenij, in qua Innocentius X. ad inſtantiam Eccleſiæ Gallicanæ anno 1653. tanquam Summus Eccleſiæ Paſtor, ad quem attinet ouibus Chriſti oſtendere paſcua venenoſa à quibus fugere debent, quinque propoſitiones Ianſenij *hæreticas eſſe declarauit, & vt tales damnauit*, &

expreſsè mandauit *omnibus Chriſtifidelibus, ne de dictis propoſitionibus aliter ſentire, docere, & prædicare præſumerent, quàm in illa illius definitione continetur*. Ergo omnes & ſingulæ Eccleſiæ tenentur ſentire illas quinque propoſitiones eſſe hæreticas, ergo tenentur ſentire propoſitiones contradictorias eſſe veritates Catholicas, & illis aſſenſum firmum & proprium fidei præbere. Ergo definitio Innocentij Decimi ex ſe, & antecedenter ad Eccleſiæ conſenſum eſt abſolutè infallibilis.

2. Probo conſequentiam: quia ſi definitio Pontificis ex ſe non eſt infallibilis, ſed ad eius infallibilitatem neceſſarius eſt Eccleſiæ conſenſus, non tenerentur omnes Eccleſiæ, imò nec vllus fidelis ſentire, & credere quinque propoſitiones Ianſenij eſſe hæreticas, quouſque ipſi certò conſtaret Eccleſiam conſenſiſſe; hoc autem certò nulli conſtare poteſt, niſi conuocetur Concilium generale, & in illo acceptetur definitio illa, & de hoc conſtet omnibus, quando publicentur decreta Concilij. Quomodo enim, ſecluſo Concilio Generali, fideli Romæ commoranti conſtare poteſt, quòd Eccleſia Goana conſenſerit definitioni, vel Eccleſia Mexicana, aut Peruana? Vel ſi non conuocetur Concilium generale, ad videndum vtrum Eccleſia conſentiat definitioni Pontificis, ſaltèm erit neceſſarium, quòd in ſingulis nationibus, vel Prouincijs conuocentur Concilia Prouincialia, & in eis deliberetur an ſit acceptanda, vel non acceptanda definitio Pontificis: & donec homini exiſtenti Romæ conſtiterit, omnes mundi nationes acceptaſſe definitionem Pontificis, non tenebitur ſentire, ſeu iudicare illas quinque propoſitiones eſſe hæreticas, & contrarias propoſitiones credere vt veritates Catholicas. Quia ſolùm tenetur ſentire illas propoſitiones eſſe hæreticas ex vi definitionis Pontificiæ: hæc autem non obligat ad credendum, niſi quatenus eſt infallibilis, & iuxta aduerſarios non eſt infallibilis, niſi Eccleſiæ conſenſus acceſſerit: ergo nemo tenebitur credere illas quinque propoſitiones eſſe hæreticas, donec certus ſit, acceſſiſſe definitioni Pontificis conſenſum Eccleſiæ. Quomodo autem de hoc certus eſſe poterit, niſi ipſi conſtet vel in aliquo Concilio generali renouatam eſſe condemnationem factam à Pontifice, vel in omnibus Prouincijs habitas eſſe Synodos, & in illis acceptam eſſe condemnationem factam à Pontifice? nam certificari de hoc percurrendo omnes fideles in particulari, & explorando eorum ſenſum, eſt naturaliter impoſſibile.

3. Imò, ſi definitio Pontificis non eſt ex ſe abſolutè infallibilis, ſed expectari debet Eccleſiæ conſenſus vt euadat infallibilis, & rem faciat de fide certam, non ſolùm nemo nunc tenebitur credere illas propoſitiones Ianſenij eſſe hæreticas, ſed nec poterit hoc credere fide diuinâ: quia non ſolùm vt quis debeat credere, ſed etiam vt poſſit credere fide diuinâ aliquam veritatem, illa debet proponi per regulam aliquam infallibilem: nemo enim poteſt credere fide diuinâ, ſeu aſſenſu ſuper omnia, & firmiori quàm ſit aſſenſus ſcientificus, qualis debet eſſe aſſenſus omnis

nis fidei diuinæ, niſi certus ſit ſine vlla hæſitatione, rem illam eſse à Deo reuelatam. Quomodo autem hanc certitudinem poteſt habere ex vi ſolius definitionis Pontificiæ, ſi hæc ex ſe non ſit infallibilis, quouſque accedat Eccleſiæ conſenſus, & ipſe certificari nequit de illo conſenſu? Quare qui iudicauerit veram eſse Declarationem Cleri Gallicani, & ſibi perſuaſerit definitiones Romani Pontificis ex ſe non eſse abſolutè infallibiles, non poterit obedire Bullæ Innocentij X. declarantis illas quinque propoſitiones eſse hæreticas, & præcipientis, vt pro hæreticis habeantur, & quòd nemo aliter de illis ſentire audeat: quia Pontifex nequit obligare ad habendum actum fidei diuinæ, vbi non adeſt motiuum fidei ſufficienter propoſitum ad eliciendum actum ſummè certum. Vnde pars poſterior propoſitionis, dum affirmat expectandum eſse conſenſum Eccleſiæ, vt definitio Pontificis ſit infallibilis, contradicit primæ parti illius, in qua aſseritur, omnes habere obligationem obediendi Pontifici aliquid definienti, & præcipienti, vt id credatur.

4. Nè ergo hoc dicamus, firmiter aſserendum eſt, Romani Pontificis definitionem in controuerſijs fidei eſse infallibilem. Cùm enim de fide ſit Summum Pontificem eſse caput & Paſtorem totius Eccleſiæ, Summus Pontifex debet eſse ſupremus controuerſiarum Iudex in Eccleſia: *aut enim nullus eſſe debet inter homines iudex, aut is debet eſſe qui cæteris præeſt: nec id puto in controuerſiam vnquam eſſe reuocatum*, inquit ſapienter Bellarminus lib. 4. de Romano Pontifice cap. 2. Supremus autem controuerſiarum fidei iudex in Eccleſia, à quo non eſt appellatio ad ſuperiorem Iudicem, qui eius ſententiam poſſit reuocare, debet eſse infallibilis: alioqui tota Eccleſia in fide teneretur errare.

5. Quod confirmo: nam vt inquit Bellarm. lib. 4. de Romano Pontifice cap. 2. Catholici omnes in ijs duobus conueniunt, non quidem cum hæreticis, ſed ſolùm inter ſe. Primò, Pontificem cum Generali Concilio non poſse errare in conficiendis fidei decretis, vel generalibus præceptis morum: ſecundò, Pontificem ſolum, vel cum ſuo particulari Concilio aliquid in re dubia ſtatuentem, ſiue errare poſſit, ſiue non, eſse ab omnibus fidelibus obedienter audiendum. Quod ipſum affirmant Valentia, Duwallius, & Abelli citati ſupra. Ergo cùm in controuerſia illa Ianſenij tamdiu Romæ examinata & agitata, Innocentius X. definiuit quinque propoſitiones Ianſenij eſse hæreticas, & præcepit pro talibus haberi, neceſsariò fatendum eſt, omnes Chriſtianos Catholicos habere obligationem habendi illas pro hæreticis, & ad credendum propoſitiones oppoſitas tanquam dogmata fidei. Hinc autem neceſsariò infertur, non poſse falſum ſubeſse illi definitioni; alioqui vi decreti Pontificis compellerentur omnes habere pro hæreticis propoſitiones Catholicas & veras; quod eſt impoſſibile: quia cùm Eccleſia ſit columna & firmamentum veritatis, nequit tota errare in fide. Quapropter nè Eccleſia tota erret in credendo, Spiritus Sanctus aſsiſtit infallibiliter Roma-

no Pontifici, quatenus eſt caput Eccleſię, & Summus Paſtor & Magiſter omnium fidelium, ne erret, dum determinat dubia fidei & morum, & cum tota Eccleſia loquens omnibus declarat, quid in illo dubio ab omnibus teneri debet. Vnde per definitionem Pontificis, res quæ antea erat controuerſa inter Catholicos, manet omnino certa & indubitata; quia per definitionem Pontificis iam patet veritas, quæ antea latebat, ſeu quę non erat ita conſpicua, vt tolleret dubium.

§. IV.

Tertia ratio: quia ſi definitio Pontificis non eſt infallibilis, niſi accedat Eccleſiæ conſenſus, ſequitur non ſufficere ad infallibilitatem Pontificiæ definitionis, quod maior pars Eccleſiæ conſentiat, ſed requiri, quòd conſentiat tota communitas Eccleſiæ: quòd tamen eſt euidenter falſum.

1. SEquelam probo; quia Galli ideo ad infallibilitatem Pontificiæ definitionis requirunt, quòd illi accdat Eccleſiæ conſenſus; quia iuxta illos Papa non habet priuilegium non errandi in decretis ſuis, etiamſi ſint decreta fidei directa ad totam Eccleſiam: Eccleſia verò habet priuilegium non errandi in fide, quia Chriſtus Dominus illam fecit *columnam & firmamentum veritatis*. Conſenſus namque Communitatis potentis errare non poteſt *infallibilizare*, vt ità dicam, ideſt infallibilem reddere definitionem de ſe fallibilem: vnde hoc ipſo quòd conſenſus Eccleſiæ reddat definitionem Pontificis infallibilem, neceſſariò ſequitur Eccleſiam non poſſe errare in conſentiendo definitionibus Romanorum Pontificum. Tum ſic: Atquì licèt omninò certum ſit, Eccleſiam habere priuilegium non errandi in fide quoad ſe totam; non tamen eſt certum non poſſe errare quoad maiorem partem; imò eſt valdè probabile, quòd ſecundùm maiorem partem errauerit in fide tempore Arrianorum. Vt enim ex Hieronymo teſtatur Eccleſia 11. Decembris in lectionibus Sancti Damaſi, in Ariminenſi conuentu, Valentis potiſſimum & Vrſacij fraudibus damnatio Nicenæ fidei conclamata fuit: *& ingemiſcens orbis terrarum ſe Arrianum eſſe miratus eſt*. Eccleſia autem quatenus potens errare in fide, nequit conſentiendo definitioni Pontificis illam definitionem infallibilem reddere, & vt ità dicam infallibilizare: ergo ſi infallibilitas definitionis Pontificiæ deſumenda eſt ex conſenſu Eccleſię, deſu-

deſumi debet ex conſenſu totius Eccleſiæ, eò quòd tota Eccleſia non poteſt errare. Ergo ſi ſemel ad infallibilitatem definitionis Pontificiæ requiritur conſenſus Eccleſiæ, requiritur conſenſus totius Eccleſiæ, & non ſufficiet conſenſus maioris partis. At certum eſt non requiri conſenſum totius Eccleſiæ ad hoc vt definitio Pontificis ſit infallibilis: ergo certum eſt non requiri abſolutè conſenſum Eccleſiæ: atque adeò certum debet eſſe, definitionem Pontificis non ideo eſſe infallibilem, quia Eccleſia conſentit definitioni; ſed è conuerſo, ideo Eccleſiam conſentire, & acquieſcere definitioni quia hæc eſt infallibilis.

2. Minor ſubſumpta probatur. Primò, quia ſi totius Eccleſiæ conſenſus requiritur, vt definitio Pontificis ſit infallibilis, ſequitur quòd quando Romanus Pontifex in Concilio generali, ſacro approbante Concilio conficit decretum fidei, illud non eſt infallibile, niſi omnes Epiſcopi vniformiter conueniant in illo confirmando. Nam licèt Concilium generale legitimè congregatum vniuerſam repræſentet Eccleſiam, quę ſecundùm ſe totam eſt incapax errandi; nihilominus Concilium illud non definit quatenus repræſentans vniuerſam Eccleſiam, niſi quatenus omnes Epiſcopi conueniunt in definiendo, nam vnuſquiſque Epiſcopus venit ad Concilium cum voce ſuarum ouium, & repræſentat duntaxat oues ſuas: vnde ad hoc vt communitas Epiſcoporum definiat tanquam repræſentans communitatem Eccleſiæ, ſeu totam Eccleſiam, debent Epiſcopi omnes conuenire in ſuffragio & definitione. Vndè ſi ſolùm maior pars Epiſcoporum conueniat in definiendo, non verificabitur, quòd Concilium definiat quatenus repræſentat vniuerſam Eccleſiam, ſed ſolùm verificabitur quòd definiat, quatenus repræſentat maiorem partem Eccleſiæ, quæ capax eſt errandi; vnde Concilium non definiet quatenus incapax errandi, quia ſolùm iuxta aduerſarios eſt incapax errandi, quatenus repræſentat vniuerſam Eccleſiam, & non repræſentat vniuerſam, niſi quatenus componitur ex omnibus Epiſcopis vniuerſi orbis, & quatenus illi vniformiter conueniunt in ſuffragio ferendo. Vnde ſupra ſect. 2. §. 7. contra Dupinum oſtendi Concilium generale vt contradiſtinctum à Papa non repræſentare vniuerſam Eccleſiam, etiamſi componatur ex Epiſcopis totius Orbis. Quare iuxta principia Gallorum non poterit Concilium generale dare infallibilitatem definitioni Romani Pontificis, niſi componatur ex Epiſcopis omnibus totius orbis, & inſuper omnes conueniant in vno eodemque ſuffragio. Hoc autem eſt manifeſtè abſurdum: tum quia inde ſequeretur, nullius Concilij generalis definitionem eſſe infallibilem, quia nullum Concilium congregatum eſt poſt tempora Apoſtolorum, ad quod concurrerint omnes totius Orbis Epiſcopi, & vniformes fuerint in ſuffragio ferendo: tum quia inde fieret, moraliter impoſſibile eſſe, quòd in Eccleſia Chriſti edatur definitio infallibilis in Concilio generali, quandoquidem moraliter impoſſibile eſt, quòd omnes totius Orbis Epiſcopi concurrant ad Concilium

gene-

generale in eandem ciuitatem, & quòd iam congregati conueniant omnes in eandem ſententiam: quando agitur de determinando articulo aliquo, qui inter ipſos Catholicos eſt ſub controuerſia; tum demum, quia in manu cuiuslibet Epiſcopi particularis foret impedire infallibilitatem definitionis, negando ſuffragium ſuum.

3. Probatur ſecundò, certum eſſe, quòd non requiratur conſenſus totius Eccleſiæ ad hoc, vt definitio Pontificis ſit infallibilis: quia ſi hoc requireretur, nunquam definitio Pontificis extra Concilium generale edita, poſſet eſſe ſufficiens ad credendum articulum definitum, quia nunquam alicui conſtare poteſt, totius orbis fideles approbaſſe illam definitionem. Si autem totius orbis conſenſus requiritur ad infallibilitatem definitionis, nemo poteſt eſſe certus de infallibilitate definitionis, quin ſit certus illam fuiſſe acceptatam per conſenſum ab omnibus fidelibus. Ergo ſi ille conſenſus Eccleſiæ requireretur ad infallibilitatem definitionis, nunquam definitio Pontificis extra Concilium generale edita, erit ſufficiens ad credendum fide diuinâ articulum definitum; quia nemo poteſt vi definitionis elicere actum fidei diuinæ circa veritatem definitam, niſi omnino certus ſit definitionem eſſe infallibilem. Imò quamuis non requireretur conſenſus totius Eccleſiæ, ſed ſufficeret conſenſus maioris partis, nunquam definitio edita extra Concilium generale foret ſufficiens ad credendum fide diuinâ rem definitam: quia nunquam poteſt homo eſſe certus, quòd maior pars Eccleſiæ conſenſerit definitioni Pontificis, quando determinat rem antecedenter inter Catholicos dubiam, ſi aliunde ſibi perſuadeat Pontificem in tali definitione poſſe falli. Vnde enim habere poterit hanc certitudinem? nam conſenſus eſt actus interior latens in corde alterius, qui actus mihi non poteſt innoteſcere, niſi per ſigna externa: nec poteſt innoteſcere certò, niſi ſigna externa habeant connexionē cum exiſtentia conſenſus interni. Quis autem Romæ v.g. exiſtens, poteſt videre ſigna externa in maiori parte orbis Chriſtiani, & ſigna talia, quæ habeant connexionem cum exiſtentia conſenſus interni? Ergo ſi definitio Papæ ſit ex ſe fallibilis, nunquam erit ſufficiens, vt vi illius quis poſſit credere fide diuina rem definitam.

4. Quare cùm certum omnino ſit, quòd Pontifex in Concilio generali ſine ſuffragio omnium Epiſcoporum, & cum ſuffragio melioris partis Concilij, licèt non maioris; vel ſaltem cum ſuffragio maioris partis poſſit controuerſias fidei infallibiliter dirimere, vt manifeſtè demonſtrabo lib. 2. diſp. 1. ſect. 5. & per ſe patet ex praxi omnium Conciliorum ad quorum definitiones nullus eſt Author Catholicus qui dixerit, non ſufficere maiorem partem Patrum, ſi adhæreant Romano Pontifici, & cum eius approbatione definiant: Conſequens eſt, vt definitio Romani Pontificis ex ſe ſit infallibilis, neque expectare debeat Eccleſię vniuerſalis conſenſum; nam ſi ex ſe non eſſet infallibilis, non poſſet infallibiliza-

lizare minorem, imò nec maiorem partem Concilij: nam certum eſt maiorem etiam partem Concilij poſſe errare, ſi definiat contra mentem Pontificis, vt oſtendi in hac diſput. ſect. 3. §. 12. Vnde conſenſus maioris partis non dat infallibilitatem ſententiæ Pontificis, ſed potius ſententia Pontificis, & eius conſenſus infallibilizat ſententiam maioris partis. Cuius ratio eſt, quia cùm Papa ſit caput Eccleſiæ, cui tota illa ſubijcitur, ille debet eſſe ſupremus, & vltimus controuerſiarum fidei iudex, cui Chriſtus commiſit priuilegium non errandi: Patres verò reliqui licèt ſint Iudices, ſunt duntaxat iudices ſecundarij, & ſubordinati, quorum iudicium nequit eſſe firmum & ratum, niſi confirmetur iudicio Romani Pontificis: Et cùm Papa ſit vniuerſalis Paſtor omnium Chriſtianorũ, & non ſolùm ſit Paſtor agnorum, qui ſignificant communes fideles, ſed etiam Paſtor ouium, qui ſignificant Prælatos, ac proinde ſit Paſtor Paſtorum, habet titulum repræſentandi totam Eccleſiam, quæ ſecundùm ſe totam nequit errare. At maior pars Concilij vt contradiſtincta à Papa, non eſt capax repræſentandi totam Eccleſiam, cùm non omnes fideles diſtincti ab ipſa maiori parte Concilij ſint eius ſubditi; & Patres Concilij ſolùm poſſint repræſentare oues ſibi commiſſas; & certum ſit, nulli Epiſcopo niſi Romano commiſſos eſſe fideles omnes tanquam oues, de quibus curam gerere debeat.

§. V.

Quarta Ratio. Quia propoſitio illa quarta Cleri Gallicani, affirmans non eſſe infallibilem definitionem Romani Pontificis, niſi accedat Eccleſiæ conſenſus, vel non tribuit illi maiorem authoritatem quàm Doctori particulari; vel tribuit illi poteſtatem obligandi totam Eccleſiam ad credendum dogma falſum, tanquam articulum fidei: & vtrumque eſt euidenter abſurdum.

1. **S**Equelam probo. Quia ſi Pontifex in determinandis fidei & morum controuerſijs non eſt infallibilis, & nihilominus declarat aliquam propoſitionem eſſe hæreticam, & illam vt talem proponit toti Eccleſiæ: vel obligat Eccleſiam ad habendam illam pro hæretica, vel non. Si non obligat; ergo non plus authoritatis illi conceditur, quàm

Digitized by Google

Doctori particulari. Nam quando inter Catholicos Doctores diſputatur, an aliqua propoſitio ſit hæretica, ſi aliquis Doctor particularis affirmet eſſe hæreticam, licèt ipſe non poſſit obligare alios vt idem ſentiant, tamen ſi illius iudicium ſequatur tota Eccleſia, iam eius ſententia redditur infallibilis per conſenſum totius Eccleſiæ; quia fieri non poteſt, vt tota Eccleſia habeat pro hæretica aliquam propoſitionem, & quòd illa non ſit hæretica; illa autem infallibilitas non deſumitur ab authoritate illius Doctoris particularis, quæ de ſe eſt fallibilis, ſed tota prouenit à conſenſu Eccleſiæ, quæ cum ſit columna & firmamentum veritatis, nequit conuenire tota in credendo, quòd ſit hæretica propoſitio reipſa Catholica. Si ergo Pontifex vt fallibilis declaret aliquam propoſitionem eſſe hæreticam, & non habeat vim obligandi reliquos ad hoc credendum, non plus authoritatis habebit quàm Doctor particularis: quod eſt manifeſtè abſurdum.

2. Si autem inter ipſum & Doctorem particularem hoc datur diſcrimen, quòd ipſe poteſt obligare Eccleſiam; ſecus Doctor particularis: hinc ſequitur quòd ipſe ſit in definiendo infallibilis; nam ſi poteſt falli in definiendo, & per errorem declarat eſſe hæreticam propoſitionem reipſa ſanam & veram; ſanè ſi aliunde habet vim obligandi Eccleſiam, vt ſequatur ipſius iudicium, ſequitur poſſe obligare totam Eccleſiam ad credendum, quòd ſit hæretica propoſitio reipſa ſana, vera atque Catholica; quòd eſt manifeſtè abſurdum.

3. Reſpondebis cum Gerſone, Almayno, Alliacenſi, & Ioanne Maiore citandis diſput. 2. definitionem Pontificis non obligare fideles ad aſſentiendum definitioni ſuæ, ſed ad non dogmatizandum oppoſitum: ac proinde hæc duntaxat erit differentia inter Doctorem particularem & Papam, quòd Doctor particularis nec obligat ad aſſentiendum ſententiæ ſuæ, nec ad non docendam publicè contrariam: at Papa licèt non obliget ad aſſentiendum ſibi, obligat ad non docendum publicè contrarium.

4. Sed contra: quia hæc Gerſonis & ſequacium doctrina eſt manifeſtè falſa. Quia cùm de fide ſit, Romanum Pontificem eſſe ſummum Eccleſiæ Paſtorem & caput, inter omnes Doctores Catholicos conuenit, vt ait Bellarm. lib. 4. de Romano Pontifice cap. 2. *Pontificem ſolum, vel cum ſuo particulari Concilio aliquid in re dubia ſtatuentem, ſiue errare poſſit, ſiue non, eſſe ab omnibus fidelibus obedienter audiendum.* Ergo ſi Pontifex declarat, aliquam propoſitionem eſſe hæreticam, vt fecit Innocentius X. circa quinque propoſitiones Ianſenij, & præcipit vt ab omnibus fidelibus pro hæretica habeatur, omnes tenentur illius iudicium ſequi: ergo ſi ille definiendo fallitur, omnes tenentur credere eſſe hæreticam propoſitionem reipſa ſanam, veram & Catholicam. Hoc autem eſt impoſſibile, vt oſtendi in hac diſp. ſect. 2. §. 3.

5. Contra ſecundò: quia inde ſequitur non maiorem authoritatem ha-

habere Romanum Pontificem in ordine ad conciliandam infallibilitatem propoſitioni à ſe definitæ, quàm habeat Doctor particularis. Nam per te licet Pontifex definiens obliget omnes fideles ad non dogmatizandum, vel publicè docendum oppoſitum, neminem tamen obligat ad conſentiendum ſuæ definitioni, ſeu ad aſſentiendum rei definitæ. Ergo cum iuxta declarationem Cleri Gallicani definitio Pontificis non euadat infallibis, niſi accedat Eccleſiæ conſenſus, nec ad illam infallibilizandam ſufficiat, quòd nullus publicè doceat oppoſitam; ſequitur manifeſtè in ordine ad conciliandam certitudinem definitioni ſuæ, non maiorem authoritatem habere Pontificem, quàm habeat vnus Author particularis.

§. VI.

Quinta Ratio: Quia cùm Chriſtus reliquerit in Eccleſia ſua Romanam Sedem tanquam oraculum, ad quod pro ſolutione dubiorum circa fidem & mores emergentium Eccleſiæ particulares recurrerent; abſurdiſſimum eſt, quòd firmitas reſponſorum eius dependeat à fidelium & Eccleſiæ totius conſenſu.

1. CHriſtus Dominus è terris in Cœlum aſcendens reliquit loco ſui Petrum, qui tamquam Vicarius ipſius, & Caput viſibile Eccleſiæ, & tamquam Summus Paſtor totius ouilis ſui Eccleſiam gubernaret, & inſtituit, vt munus iſtud tranſiret ad Petri ſucceſſores: proindeque voluit, vt penes Romanum Pontificem tanquam penes vnicum Vicarium ſuum, & Petri ſucceſſorem eſſet rerum omnium ſumma, & paſcendi gregis Dominici cura; & vt ad illum tanquam ad vniuerſalis Eccleſiæ Magiſtrum deferrentur dubia emergentia circa fidem & mores, & ſacrarum litterarum legitimum ſenſum. Hoc conſtat ex Scriptura, & teſtimonio Conciliorum, ſacrorum Canonum, Sanctorum Patrum, atque Doctorum, & ex perpetua praxi Eccleſiæ. Et ideo Innocentius I. ad Concilium Meliuitanum ſcribens aiebat epiſt. 25. *Quoties fidei ratio ventilatur, arbitror omnes Fratres, & Coëpiſcopos noſtros non niſi ad Petrum, id eſt ſui nominis & honoris Authorem referre debere*. Et Bernardus ad Innocentium Papam epiſt. 190. dicebat: *Oportet ad veſtrum referri Apoſtolatum pericula quaque, & ſcandala emergentia in regno Dei, & præſertim quæ de fide contingunt*, &c. Ideo etiam S. Leo ad Epiſcopos Galliæ

ſcribens aiebat epiſt. 89. *Nobiſcum itaque veſtra Fraternitas agnoſcat Apoſtolicam Sedem pro ſui reuerentia à veſtræ etiam Prouinciæ Sacerdotibus innumeris relationibus eſſe conſultam*. Ipſeque Clerus Gallicanus in ſua Declaratione fatetur, *In fidei quoque quæſtionibus præcipuas Summi Pontificis eſſe partes, eiuſque decreta ad omnes & ſingulas Eccleſias pertinere*. Hoc pacto in dubijs de neceſſitate gratiæ contra Pelagium recurrerunt Epiſcopi Africani cum Auguſtino ad Innocentium I. vt conſtat ex epiſtolis 91. 92. & 93. Sancti Doctoris, quarum verba dabimus diſp. 4. ſect. 1. Hoc pacto in controuerſia de quinque propoſitionibus Ianſenij Epiſcopi Galliæ anno 1653. recurrerunt ad Innocentium X. petentes huius cauſæ vltimam deciſionem. Et ideo poſt verba, quæ retulimus in 4. ratione, in quibus fatentur, dubia fidei ad Sedem Apoſtolicam eſſe referenda, ſubiungunt: *Decennium eſt, ex quo vehementiſſimis turbis Gallia magno noſtro mœrore commouetur, ob librum poſthumum, & Doctrinam Reuerendiſſimi Cornelij Ianſenij Iprenſis Epiſcopi. Quamobrem flagitamus, Beatiſſime Pater, vt clarâ firmaque de propoſitionum iſtarum ſenſu prolata ſententiâ, cui Reuerendiſſimus ipſe Ianſenius morti proximus opus ſuum ſubiecit, caliginem omnem diſcutias, animos fluctuantes componas, diſſidia prohibeas, Eccleſiæ tranquillitatem, ſplendoremque reſtituas* &c.

2. Quapropter rectè admonet Reuerendiſſimus & ſapientiſſimus Ludouicus Abelli Doctor Gallus, Epiſcopus Ruthenenſis, primâ parte
„ Medullæ Theologicæ cap. 4. ſect. 1. §. 4. Quoties aliqua controuerſia
„ in materia fidei exoritur, quoties aliquod nouum dogma exurgit, de
„ quo dubitatur an fidei aduerſetur; certiſſimum medium ad veritatem
„ dignoſcendam, eamque à quouis errore ſecernendam, eſſe ad Sedem
„ Apoſtolicam recurrere, & inde reſponſa petere, vbi fides non poſſit
„ ſentire defectum. Ita fecit S. Hieronymus in controuerſijs quibuſdam
„ circa fidem Antiochiæ exortis, ſuper quibus iudicium Sedis Apoſto-
„ licæ exquiſiuit, vt videre eſt in epiſtola, quam ſuper hac re ſcripſit ad
„ Damaſum Papam. Idem etiam fecerunt S. Epiſcopi Victricius &
„ Exuperius, ille Rothomagenſis, hic Toloſanus, cùm primum nefa-
„ riam Vigilantij doctrinam in Gallijs emergere conſpicati ſunt. Super
„ qua Innocentium Primum conſuluerunt, vt videre eſt apud Baronium
„ tom. 1. ad annum 406. num. 47. Eodem modo ſe geſſit Alcinius Auitus
„ Epiſcopus Viennenſis, dum Hormiſdam Papam ſuper erroribus Græ-
„ corum conſuluit, vt ex eius Epiſtola ad illum Pontificem conſtat. Si-
„ mili ratione Poſſeſſor Epiſcopus Africanus eundem Hormiſdam
„ conſuluit ſuper doctrinam cuiuſdam libri à Fauſto Regienſi Epiſcopo
„ editi. Innumera propè exempla aliorum Sanctorum Epiſcoporum,
„ & Doctorum ex Hiſtoria Eccleſiaſtica afferri poſſent, qui ſimilibus in
„ caſibus, in quibus de fide agebatur, ad Petri Sedem recurrerunt, vt
„ veritatem ab errore certò dignoſcerent.

3. Hoc ſuppoſito quis non videat, eſſe manifeſtè abſurdum, quòd

omnes

omnes Eccleſiæ particulares, omnes nationes orbis, omnes Epiſcopi recurrere debeant in dubijs & controuerſijs fidei ad Sedem Petri pro ſolutione, & reſponſo firmo, cui ſtare debeant, & tamen quod firmitas, & certitudo reſponſi dependeat à conſenſu ipſorum conſulentium? Quis non videat abſurdum eſſe, quòd ſecuritas & firmitas Paſtoris iudicij, ad quem attinet ducere oues ad paſcua ſalutifera, dependeat à conſenſu ipſarum ouium? Quis non videat abſurdiſſimum eſſe, quod diſcipuli in dubijs teneantur conſulere Magiſtrum, & tamen quod iſte nihil firmum poſſit reſpondere, niſi dependenter à conſenſu & acceptatione diſcipulorum? Quid hoc eſt aliud, quàm oues inſtruere Paſtorem, & diſcipulos Magiſtrum; & membra dare capiti ſuo vigorem iudicij, & ſenſus?

4. Quare Clerus Gallicanus ſine vllo fundamento, ſine vlla veriſimilitudinis ſpecie pronuntiauit, Romani Pontificis iudicium in dubijs fidei, & morum non eſſe irreformabile, & conſequenter infallibile, niſi accedat Eccleſiæ conſenſus. Quid hoc eſt aliud, quàm firmitatem & ſecuritatem iudicij Summi Paſtoris Eccleſiæ, & Doctoris omnium Chriſtianorum facere dependentem ab vniuerſitate fidelium, id eſt à iudicio hominum ignorantium, à iudicio fæminarum, à iudicio puerorum; omnis enim hæc turba componit vniuerſitatem Eccleſiæ, à cuius conſenſu, aſſenſu, ſeu iudicio facit Clerus Gallicanus dependentem infallibilitatem, & firmitatem iudicij Romani Pontificis. Quid hoc eſt aliud, quàm tollere à Romano Pontifice primatum Eccleſiæ, & illum transferre in vniuerſitatem ſubditorum; tollere à Summo Paſtore, & transferre in oues; tollere à Magiſtro, & transferre in diſcipulos; tollere à capite, & transferre in membra? Miror, quod hæc potuerint venire in mentem tot hominum illuſtrium, & ſapientum.

Digitized by Google

§. VII.

Sexta ratio: quia cùm poteſtas definiendi controuerſias fidei, ſit authoritas exponendi legitimum ſenſum Scripturæ, & proponendi fidelibus, an aliquid ſit à Deo reuelatum; & euidens ſit, hanc authoritatem non accipere Romanum Pontificem ab hominibus, ſed immediatè à Deo, manifeſtum eſt infallibilitatem Pontificiæ definitionis non pendere à conſenſu Eccleſiæ, ſed vnicè ab aſſiſtentia Spiritus Sancti, quam Chriſtus ſua oratione impetrauit Petro & ſucceſſoribus eius.

1. EX dictis ſect. 1. §. 2. & 4. conſtat, vnam ex præcipuis rationibus, quibus Catholici Scriptores contra hęreticos probant, aſſignandum eſſe in Eccleſia aliquem viuum, & viſibilem controuerſiarum iudicem, qui dubia emergentia circa fidem & mores reſoluat, eſſe, quia ſenſus Scripturæ non eſt ita clarus, & manifeſtus omnibus, vt cuilibet etiam docto per ſe pateat; vnde neceſſarius eſt interpres aliquis, qui ſenſum illum aperiat: hic autem interpres, vt ſententiam ferat, cui omnes ſtare debeant, non debet duci ſpiritu priuato & proprio, qui fallax eſt, & errori obnoxius, & vni ſpiritus ſuus priuatus dictat interpretationem loci Scripturæ oppoſitam ei, quam dictat alteri: & ideo Lutherani & Caluiniſtæ, qui ad ſpiritum priuatum recurrunt, vſque modo inter ſe digladiantur circa ſenſum horum verborum *Hoc eſt corpus meum*, & ſequuntur interpretationes communi oppoſitas, quas impoſſibile eſt eſſe ſimul veras: vnde neceſſe eſt ex apprehenſione terminorum, vel vtramque partem falli, vel ſaltem alteram; quia licèt ex ſententijs oppoſitis poſſit contingere, vt vtraque ſit falſa, nō poteſt tamen contingere vt vtraque ſit ſimul vera: ſicut Cicero dicebat de Sectis oppoſitis Philoſophorum, fieri quidem poſſe, vt omnes eſſent falſæ, fieri tamen non poſſe, vt omnes ſint veræ. Iudex ergo ille viſibilis controuerſiarum fidei debet duci Spiritu Dei, qui neminem fallere poteſt, & errori obnoxius non eſt. Manifeſtum eſt autem, hunc Spiritum Dei non accipere iudicem controuerſiarum Eccleſiæ Catholicæ ab hominibus, ſed immediatè à Deo. Ergo manifeſtum eſt infallibilitatem definitionis Pontificiæ non pen-

dere à conſenſu hominum, qui Eccleſiam Catholicam componunt, ſicut manifeſtum eſt valorem conſecrationis non pendere à conſenſu fidelium, qui aſſiſtunt ſacrificio Miſſæ, vel qui Euchariſtiam ſuſcepturi ſunt. Patet conſequentia; quia ratio eſt par vtrobique: cùm non minus poteſtas & authoritas aperiendi, verum, & legitimum ſenſum Scripturæ ſit immediatè à Deo, quàm poteſtas conſecrandi.

2. Quod confirmo: Nam ſi ſemel definitio Romani Pontificis loquentis è cathedra toti Eccleſiæ non eſt infallibilis, niſi accedat conſenſus Eccleſiæ, id eſt vniuerſitatis fidelium, qui ipſi vt capiti obediunt &c. Eodem iure dici poterit, definitionem Concilij generalis legitimi & approbati à Romano Pontifice, non eſſe infallibilem, niſi accedat conſenſus vniuerſitatis fidelium. Quamuis enim Concilium generale ſimul cum ſuo capite Eccleſiam generalem repræſentet, ac proinde ſit Eccleſia ipſa repræſentatiuè; tamen non definit quatenus repræſentans vniuerſalem Eccleſiam, niſi quia Papa repræſentans tanquam ſupremus Paſtor omnes oues Chriſti ſibi ſubiectas, definitionem confirmat. Nam ſi præſcindamus ab eo, quòd Papa, quatenus Papa, eſt vniuerſalis Paſtor, & habet ſibi ſubditos omnes alios Epiſcopos, & eorum ſubditos, & quòd vt talis confirmat Concilium, non poſſumus verificare, quòd Concilium generale definiat aliquem articulum quatenus repræſentans vniuerſam Eccleſiam, vt ſupra dixi in ſecunda & tertia ratione. Ergo vis repræſentandi Eccleſiam vniuerſalem prouenit Concilio ab approbatione, ſeu confirmatione Pontificis. Ergo Papa definiens vt Papa, definit vt repręſentans vniuerſalem Eccleſiam: ergo ſi definitio Concilij vniuerſalis approbati, eſt ex ſe abſolutè infallibilis, pręſcindendo ab omni alio conſenſu Eccleſiæ: ſimiliter erit de ſe abſolutè infallibilis definitio fidei procedens à Papa vt Papa, id eſt vt volente docere totam Eccleſiam, & intendente illam obligare ad credendam rem definitam, quin neceſſe ſit expectare Eccleſiæ conſenſum.

3. Rem explico. Romanus Pontifex duo munera habet ſimul vnita, & eſt Epiſcopus Romanus, & eſt Summus Pontifex, id eſt Paſtor Paſtorum, habens ſuperioritatem in reliquos omnes Epiſcopos, & in eorum oues. Conſideremus illum præcisè vt Epiſcopum Romanum; ſub hac reduplicatione non poteſt repræſentare, niſi fideles illos, qui componunt Epiſcopatum Romanum, & qui eſſent ſubditi illius, quamuis Papatus ſepararetur ab Epiſcopatu Romano, & vniretur alteri Epiſcopatui, v. g. Bononienſi. Supponamus congregari Concilium, cui aſſiſtat Epiſcopus Romanus, & præcisè ſuffragium ſuum ferre vt Epiſcopum Romanum, & quatenus præcisè repræſentat oues Diœceſis Romanæ, quatenus eſt Diœceſis particularis diſtincta à Bononienſi, Florentina, & alijs. Certè in hoc caſu, ad hoc vt Concilium vniuerſale definiret aliquem articulum, quatenus repræſentat vniuerſalem Eccleſiam, deberent ſimul cum Epiſcopo Romano concurrere totius orbis Epiſcopi, &

omnes

omnes conuenire in eandem ſententiam; nam Epiſcopus particularis ſolùm repræſentat oues ſuas. Quare ad hoc vt Concilium, quatenus componitur ex Epiſcopis particularibus, repræſentet vniuerſam Eccleſiam fidelium, debet componi ex omnibus Epiſcopis totius orbis; ſi enim concurrat ſolùm maior pars, illa poterit quidem repræſentare maiorem partem fidelium, non tamen totam fidelium turbam & vniuerſitatem. Deinde quamuis componatur ex Epiſcopis totius orbis, non poterit definire articulum aliquem, quatenus repræſentat vniuerſitatem omnium fidelium, ſeu quatenus repræſentat vniuerſam Eccleſiam, niſi omnes vniformiter conueniant in eodem ſuffragio: nam ſi ſolùm definiat per maiorem partem ſuffragiorum, dicetur quidem Concilium generale, ſpecificatiuè repræſentans totam Eccleſiam, definire articulum illum; non dicetur tamen quòd definit formaliter, quatenus repræſentans totam Eccleſiam, ſed ſolùm definiet quatenus repræſentans maiorem partem Eccleſiæ. Ergo nunquam Concilium generale definit aliquam veritatem, quatenus repræſentat vniuerſalem Eccleſiam, ſeu totam multitudinem fidelium, niſi quia confirmatur à Summo Pontifice, quatenus eſt Paſtor vniuerſalis, & quatenus repræſentat vniuerſam vniuerſitatem fidelium. Quæ ratio militat in Pontifice etiam vt definiente extra Concilium vniuerſale. Ergo ſi ad hoc vt definitio facta à Pontifice in Concilio generali ſit infallibilis, non debet expectari conſenſus fidelium; ſimiliter nec debet expectari ad hoc vt ſit infallibilis definitio facta à Summo Pontifice extra Concilium generale. At nemo eſt qui dicat, definitionem prodeuntem à Concilio vniuerſali approbato à Papa, non eſſe abſolutè infallibilem, ſeu neceſſe eſſe expectare Eccleſiæ conſenſum, ad hoc vt ſit abſolutè infallibilis: ergo nemo dicere rationabiliter poteſt, definitionem fidei procedentem à Romano Pontifice cum Concilio particulari, vel ſine illo, non eſſe abſolutè infallibilem, ſed debere expectari Eccleſiæ conſenſum, ad hoc vt euadat abſolutè infallibilis.

4. Reſpondebis forſan ad principale argumentum, veriſſimum quidem eſſe, quòd Pontifex à ſolo Deo immediatè, & non ab hominibus accipiat authoritatem interpretandi ſcripturas, & declarandi quiſnam ſit earum legitimus ſenſus à Spiritu Sancto intentus; ac proinde quòd à Deo immediatè accipiat poteſtatem definiendi: hinc tamen non inferri, quod eius definitio ſit abſolutè infallibilis pro priori ad Eccleſiæ conſenſum: quia poteſt dici Deum dediſſe quidem immediatè poteſtatem definiendi Pontifici, cæterum infallibilitatem non promiſiſſe Pontificis definitioni, niſi ſub conditione quòd Eccleſia conſentiat.

5. Sed contra, quia vt ſupra dixi hoc gratis & ſine vllo fundamēto dicitur; ſimili modo dicere poſſes, Deum quidem dediſſe Sacerdoti poteſtatem conſecrandi, cęterùm valorem conſecrationis feciſſe dependentem à conſenſu fidelium. Quare ſicut fidelis tenetur adorare hoſtiam hoc ipſo quod ſciat eſſe conſecratā à legitimo Miniſtro, id eſt à vero Sacerdote; ita

fidelis

fidelis tenetur credere rem definitam, hoc ipſo quod ipſi conſtet fuiſſe definitam à Pontifice intendente obligare totam Eccleſiam, quin ad hoc credendum teneatur expectare Eccleſiæ conſenſum: quia ille fide diuinâ credit, Romanum Pontificem eſſe verum & vnicum Vicarium Chriſti, cui omnes fideles obedire tenentur. Ergo vbi primùm illi certò conſtat, Pontificem determinaſſe controuerſiam, quæ inter Catholicos agitabatur, & propoſuiſſe omnibus vnam partem credendam, tenetur obedire Pontifici, & illam partem credere, & oppoſitam reijcere.

6. Deinde idem dicere poſſes de definitione facta à Pontifice in Concilio generali. Omnino autem gratis, & ſine vllo fundamento probabilitatis dicitur, Chriſtum non promiſiſſe infallibilitatem Pontificis definitioni, niſi ſub conditione quod Eccleſia conſentiat: tum quia hoc foret contra finem intentum à Chriſto, qui infallibilitatem ad decidendas fidei & morum controuerſias reliquit in Eccleſia, ad hoc vt fides conſeruaretur pura ſine hæreſibus, & erroribus; quem finem non obtineret, ſi expectandus eſſet Eccleſiæ conſenſus; quia antequam conſenſus ille adueniret, & de illo conſtaret, ſerperet malum: tum quia ſi hanc conditionem appoſuiſſet Chriſtus definitioni Pontificis vt eſſet infallibilis, nunquam homines ſecuri eſſe poſſent, an Pontifex verum definijſſet, quia nunquam illis certo conſtare poſſet, Eccleſiam totam conſenſiſse ipſius definitioni. Tum quia cùm Chriſtus ſoli Petro coram reliquis Apoſtolis dixerit, *Paſce oues meas*, planum eſt illi omnes ſuas oues commendaſse; ita vt neque Apoſtolos excluſerit, illaſque Petro & ſucceſsoribus eius paſcendas tradidiſse. Ergo manifeſtum eſt, Petrum & ſucceſſores eius habere munus paſcendi omnes oues Chriſti, & habere hoc munus independenter ab Eccleſiæ conſenſu: neque enim Chriſtus requiſiuit reliquorum Apoſtolorum conſenſum, vt Petrum toti ouili ſuo præficeret. Ergo manifeſtum eſt, Romanum Pontificem eſſe Summum Paſtorem totius Eccleſiæ independenter ab Eccleſiæ totius conſenſu; nam per hoc præcisè quòd aliquis legitimè eligatur in Pontificem, poſt electionem ſuam ſtatim eſt abſolutè Summus Pontifex; vt omnes, quibus conſtat illum fuiſſe legitimè electum, tenentur illum vt Summum Eccleſiæ Paſtorem venerari, quin ſit neceſſe expectare, an Eccleſiæ particulares, & regna illum acceptent in Pontificem: euidenſque eſt, omnibus Fidelibus, ſuppoſita fide, non ideo Innocentium eſſe Pontificem, quia vt talis adoratur à nationibus & regnis, ſed è conuerſo ideo adorari, quia eſt verus Pontifex, quod meliùs exponetur inferiùs in vltimo §. Ergo manifeſtum eſt, non eſſe neceſsarium conſenſum Eccleſiæ vniuerſalis, ad hoc vt aliquis v.g. INNOCENTIVS XI. ſit verus Pontifex, & Summus Paſtor. Hinc autem neceſſariò infertur, non eſſe neceſſarium conſenſum Eccleſiæ vniuerſalis, vt ſit infallibilis eius definitio. Nam cùm manifeſtum ſit, ad officium Paſtoris pertinere, diſcernere bona paſcua à malis; manifeſtum eſt, quòd ad Summum Paſtorem

Eccleſiæ quatenus Summus Paſtor eſt, pertineat in dubijs fidei, & morum, controuerſiam decidere, & fidelibus proponere quid ſequi debeant, quin ſit ipſorum omnium expectandus conſenſus, ad hoc vt iudicium Summi Paſtoris firmum ſit & validum.

7. Quare poſtquam Romanus Pontifex declarat aliquam propoſitionem eſſe hæreticam, & id certò conſtat ab ipſo fuiſſe declaratum, ſi aliquis renuat illam pro hæretica habere, poteſt vt hæreticus à Iudice puniri, vt dicebat Auguſtinus de hæreſi Pelagiana, poſtquam condemnata eſt ab Innocentio I.

8. Quod confirmatur ex praxi veteris legis, in qua Deus conceſſit Summo Sacerdoti poteſtatem & authoritatem determinandi dubia fidei & morum independenter à conſenſu fidelium Synagogæ: ergo à fortiori ſummo Sacerdoti nouæ legis hanc authoritatem conceſſit indepenter ab Eccleſiæ conſenſu. Patet conſequentia: quia cùm ſummum Sacerdotium legis nouæ ſit incomparabiliter maioris authoritatis, quàm Sacerdotium veteris legis, eſſet manifeſtè abſurdum, aliquam prærogatiuam huic negari, quæ illi ſit conceſſa. Antecedens conſtat ex cap. 17. Deuteronomij, vbi dubia circa religionem exorta ad Summum Pontificem iudicanda deferuntur independenter à Synagogæ conſenſu: *Si difficile*, inquit Moyſes, *atque ambiguum iudicium eſſe perſpexeris inter cauſam & cauſam, lepram & lepram, & iudicum inter portas tuas videris verba variare. Surge, & aſcende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus, veniesque ad Sacerdotem Leuitici generis, quæreſque ab eis, qui indicabunt tibi iudicij veritatem: & facies quodcumque dixerint, qui præſunt loco quem elegerit Dominus. Qui autem ſuperbierit nolens obedire Sacerdotis imperio, qui eo tempore miniſtrat Domino Deo tuo, ex ſententia Iudicis morietur.*

9. Quis hæc legens non miretur factum Cleri Gallicani, dum ſua illa Declaratione negauit Summo Pontifici legis nouæ illud priuilegium, quod Deus conceſſit Summo Pontifici veteris legis? Eſtne æquum plus deferre vmbræ quàm corpori, plus imagini, quàm prototypo, plus figuræ, quàm rei figuratæ?

§. VIII.

Digitized by Google

§. VIII.

Septima ratio, cæteras breuiter confirmans, & declarans; quia dum Clerus Gallicanus affirmat, non eſſe infallibilem Summi Pontificis definitionem, niſi accedat Eccleſiæ conſenſus; vel nomine Eccleſiæ intelligit Concilium generale, vel multitudinem fidelium, qui Eceſiam componunt: & in vtroque ſenſu eius propoſitio eſt manifeſtè abſurda.

1. ECcleſia bifariam poteſt ſumi, vel repræſentatiuè, vel phyſicè. Eccleſia repræſentatiuè idem eſt ac illa perſona, vel cætus, qui totam Eccleſiam repræſentat: quo ſenſu Concilium generale dicitur *Eccleſia repræſentatiuè*, ſeu cætus omnium Epiſcoporum dicitur Eccleſia repræſentatiuè: *quilibet enim Epiſcopus gerit perſonam ſuæ Eccleſiæ particularis, & proinde omnes Epiſcopi gerunt perſonam totius Eccleſiæ.* Eccleſia phyſicè, eſt vniuerſitas omnium fidelium: & in vtroque ſenſu de fide eſt, non poſſe totam Eccleſiam errare in fide, vt probat Bellarmin. lib. 3. de Eccleſia militante cap. 14. quia nec fieri poteſt, vt ſit falſum, ſed neceſſariò eſt verum id, quod tenent omnes fideles tanquam de fide: nec fieri poteſt vt ſit falſum, ſed neceſſariò eſt verum id, quod docent omnes Epiſcopi tanquam ad fidem pertinens.

2. Quæro ergo à Clero Gallicano, quid in quarta propoſitione intelligat nomine Eccleſiæ? Si intelligat Concilium generale, imprimis damnat erroris praxim Eccleſiæ continuatam per omnia ſecula; quia ſemper pro hæreticis habuit propoſitiones illas, quas Romani Pontifices extra Concilium generale damnarunt, vt conſtabit diſp. 5.

Damnat erroris Eccleſiam Gallicanam, quæ Bullam Innocentij X. in qua damnauit vt hæreticas quinque propoſitiones Ianſenij, exoſculata eſt, & illas propoſitiones vt hæreticas ex tunc abominata fuit: eſt enim error nō exiguus credere tanquā dogmata Catholica doctrinas aliquas, quę ſunt duntaxat probabiles, & poſſint eſſe falſę. Deinde facit Chriſtum improuidum erga Eccleſiā ſuam: ſi enim vt pluries ſupra dixi, authoritatē infallibilem ad decidendas fidei & morum controuerſias alligauiſſet Cōcilijs generalibus, quę rarò cōgregari poſſunt; interim maneret Eccleſia expoſita omni vento prauę doctrinę, nec poſſet puritas fidei cōſeruari,

ac proinde non obtineretur finis, quem Chriſtus intendit, dum in Eccleſia ſua reliquit authoritatem infallibilem ad decidendas fidei & morum controuerſias; vt euincunt argumenta, quæ hucuſque confecimus, & in ſequentibus conficiemus. Deinde hæc doctrina pugnat cum principio ſuperius à nobis adducto, quod meritò Cardinalis Bellarminus appellat apud omnes inconcuſſum, lib. 4. de Romano Pontifice cap. 2. quod ſcilicet *aut nullus debet eſſe inter homines Iudex, aut is debet eſſe qui cæteris præeſt*. Cùm ergo de fide ſit, Romanum Pontificem præeſſe Eccleſiæ tanquam Vicarium Chriſti, & ſucceſſorem Petri, & ſummum Paſtorem, vel nullus debet eſſe in Eccleſia ſupremus controuerſiarum iudex, habens authoritatem infallibilem ad decidendas fidei & morum controuerſias, vel hic debet eſſe Romanus Pontifex, ſaltem quando Concilium generale nequit congregari.

3. Denique doctrina negans Romano Pontifici infallibilitatem extra Concilium, opponitur praxi omnium Conciliorum, quia nunquam valida in Eccleſia Chriſti habita ſunt niſi confirmata à Romano Pontifice. Quid autem conferre poſſet ad infallibilitatem definitionum Concilij, quòd ſint confirmatæ à Romano Pontifice, ſi iſte errare poteſt, dum inſtruit totam Eccleſiam in materia fidei? Si enim Papa poteſt errare, dum definit extra Concilium, cur non poterit errare dum confirmat Concilium? Vnde conſtabit potius Patres, quorum ſententiam approbauit Pontifex, attigiſſe ſcopum veritatis, quàm eos, qui oppoſitum cenſuerant, ſi Papa eſt fallibilis? Infallibilitas ergo definitionum Concilij neceſſariò ſupponit Papam eſſe infallibilem in determinandis fidei & morum controuerſijs.

4. Quod confirmatur: quia niſi Papa ſit infallibilis, non poterit Eccleſia eſſe certa de definitionibus ipſorum Conciliorum, quia non aliunde quàm ex teſtimonio Romani Pontificis poteſt Eccleſia certificari, quod Concilium fuerit legitimum, quod legitimè proceſſerit in definiendo, & quòd Patres habuerint vnionem cum capite, dum definiunt, prout eſt neceſſe ad legitimitatem definitionum. Ergo ſententia negans infallibilitatem Romani Pontificis in definiendo, tollit authoritatem ipſorum Conciliorum, quia cogitur negare infallibilitatem in confirmando definitiones Conciliorum, & in declarando quòd Concilium fuerit legitimum, & legitimè proceſſerit in definiendo.

5. Si autem nomine Eccleſiæ intelligat Clerus Gallicanus multitudinem fidelium; abſurdiſſimum eſt dicere, non eſſe infallibilem Romani Pontificis definitionem, *niſi Eccleſiæ conſenſus acceſſerit*. Quia hoc pacto nullus poterit ex vi definitionis Pontificiæ eſſe omnino certus de veritate rei definitæ, quia nunquam poterit illi conſtare totam Eccleſiam, quatenus eſt incapax errandi, conſenſum præſtitiſſe definitioni, vt ſupra oſtendi: vnde primi qui acceptant Conſtitutionem Pontificis, non

po-

Digitized by Google

poterunt elicere actum fidei ſupernaturalis, nec ſecundi, nec tertij &c. quia ad illum mouere debet definitio vt infallibilis, & per ſe definitio non eſt infallibilis, niſi acceſſerit conſenſus totius Eccleſiæ, id eſt totius Communitatis, prout incapacis errandi in fide; nam conſenſus illius quatenus ſecundùm aliquas ſui partes eſt capax errandi, non poteſt dare infallibilitatem definitioni Pontificis.

6. Deinde hæc doctrina eſt contra praxim totius orbis Catholici. Quis enim, quando prodit de nouo aliqua definitio Pontificia, qualis fuit definitio contra propoſitiones Ianſenij, antequam præbeat aſſenſum omnino firmum, & proprium fidei, explorat an omnes fideles conſenſerint definitioni? Sanè S. Hieronymus cùm primum nouit Iouinianum, & Vigilantium à Pontifice Romano damnatos eſſe, in eos vt hæreticos inuectus eſt. Similiter S. Auguſtinus poſt damnatam ab Innocentio I. Pelagij doctrinam, ipſum Pelagium, eiuſque aſſeclas eiuſmodi doctrinam pertinaciter propugnantes hæreticos paſſim appellat in eis libris, quos contra ipſos ſcripſit. Eodem pacto S. Epiphanius, vbi reſciuit Quartodecimanos à Victore Papa damnatos, eos catalogo hæreticorum adſcripſit. Et pariter Vincentius Lyrenenſis rebaptizantes, ſeu Agripinianos, quæ doctrina à S. Stephano Papa damnata fuerat, hæreticis adnumerauit. Quapropter Iuo Carnotenſis Epiſcopus ad Richerium Senonenſem ſcribens meritò pronuntiauit, *Quòd Sedis Apoſtolicæ Iudicijs & Conſtitutionibus in materia fidei contraire, planè ſit hæreticæ prauitatis notam incurrere.* Prorſuſque inexplicabile eſt, qualis debeat eſſe ille conſenſus, aut qualiter conſtare debeat, ad hoc vt per illum reddatut infallibilis definitio. An ille conſenſus debeat eſſe exrernus & publicus, & exquirendus à ſingulis Epiſcopis, qui nomine ſuarum ouium acceptent Conſtitutionem Pontificiam, & teſtificentur de acceptatione: an ſufficiat ſecretus & internus, & exhibendus à ſingulis in corde ſuo, an ſit exquirendus à Regibus, eorumque Senatibus: & quomodo in hac acceptatione non poſſint errare Reges, & Epiſcopi, ſi ſemel poteſt errare in definiendo Caput ipſum Eccleſiæ.

§. IX.

Octaua ratio: Quia ſi ſemel Definitio Summi Pontificis non eſt infallibilis niſi accedat Eccleſiæ conſenſus, non poterunt nunc vt hæretici tractari Ianſeniſtæ, ideſt homines defendentes propoſitiones Ianſenij in ſenſu proprio, in quo ab Innocentio X. & Alexandro VII. damnatæ ſunt.

1. AN ſint aliqui in Gallia, qui defendant modò aliquas, vel aliquam ex quinque propoſitionibus Ianſenij damnatis, ego certò ſcire non poſſum; quia zelus Chriſtianiſſimi Regis non permittit, vt vllus doctrinam illam à Sede Apoſtolica damnatam tanquam hæreticam, & quam abs dubio ille cum tota Eccleſia Gallicana hæreticam eſſe cenſet, in regno ſuo doceat. Vnde ſi in Gallia ſint Ianſeniſtæ, ſunt ita oculti, vt id conſtare ex ſcriptis non poſſit.

2. Vereor tamen, ne ibi & in Belgio adhuc ſint aliqui, qui in viſceribus habeant damnata Ianſenij dogmata, quamuis præ metu Pontificis Romani, & Regum Catholicorum palàm loqui non audeant. Nam cum Ianſenius vaſtum illud opus, quod viginti duobus annis parturierat, mundo propoſuit tanquam doctrinam S. Auguſtini, illud exornans hoc ſpecioſo titulo, *Auguſtinus Cornelij Ianſenij Epiſcopi Iprenſis*, tot ſectatores ſui inuenit, vt quamuis librum illum (impreſſum anno 1640. poſt obitum authoris) Vrbanus Octauus ſeueriſſimè prohibuerit anno 1641. pridie Nonas Martij, tanquam renouantem propoſitiones Michaelis Baij damnatas à ſuis Prædeceſſoribus Pio V. & Gregorio XIII. nihilominus ita multi adhæſerunt doctrinæ Ianſenij, vt ad illos compeſcendos Sedes Apoſtolica ab anno 1641. vſque ad 1647. ſupra viginti Breuia expedierit, quæ adducit P. Ioannes Martinez de Ripalda ad finem tomi contra Baianos.

3. Et quamuis, vt ſapienter ſcribit Anti Ianſenius diſp. 13: nu. 136. *Nullus ſit verè Catholicus, cui non potior eſſe debeat authoritas Summorum Pontificum Petri Succeſſorum, quibus à Chriſto promiſſa fuit infallibilitas in fidei definitionibus, quam vnius Doctoris, quicumque ille ſit*: ad huc tamen Ianſenij diſcipuli, exiſtimantes doctrinam eius eſſe doctrinam S. Auguſtini, Decretis Apoſtolicis obluctabantur. In quo & miſere decepti ſunt; cùm paſſim Doctores manifeſtè oſtendant, nullam ex propoſitionibus damnatis in Ianſenio eſſe doctrinam S. Auguſtini, ſed omnino doctrinæ

S. Au-

Digitized by Google

S. Auguſtini contrariam : & ſe ſpiritum S. Auguſtini nón habere hoc ipſo facto manifeſtauerunt : Sanctus enim doctor ſæpe docet, authoritatem Eccleſiæ quorumlibet Doctorum authoritati eſſe præferendam ; & ideo lib. 3. de Trinitate cap. 1. monet : *Noli meis libris quaſi libris canonicis inſeruire*. Vnde qui prætextu ſequendi S. Auguſtinum, doctrinam defendit, quam Sedes Apoſtolica damnauit, non ſpiritum ſequitur Auguſtini, ſed Caluini, de quo ſcribit Stapletonius tom. 2. pag. 1648. *Caluinus quò impium dogma de libero arbitrio promoueat, S. Auguſtinum in omnibus ſequi prætendit*.

4. Liber Ianſenij cum ea falſa perſuaſione lectus, quòd non niſi doctrinam S. Auguſtini contineret, multos decepit non ſolum Louanij & in alijs Belgij partibus ſed etiam in Gallia, arbitratos, Ianſenium legitimum S. Auguſtini interpretem fuiſſe ; cùm reuera non interpres, ſed corruptor fuerit ; & eas propoſitiones, quas Eccleſia damnauit, non à S. Auguſtino, Eccleſiæ ſole, & Doctorum communi Magiſtro, acceperit, ſed à Caluino, & ab alijs huius temporis hæreticis, quorum plagiarius fuit, vt euidenter demonſtrat P. Stephanus de Chams de hæreſi Ianſeniana lib. 1. ſane liber ille intra paucos annos ita Chriſtianiſſimum Galliæ Regnum turbauit, vt vigilantiſſimi Prælati Gallicanæ Eccleſiæ ſuæ obligationis eſſe iudicauerint, ad Sedem Apoſtolicam tanquam ad oraculum infallibile fidei recurrere pro remedio. Vnde vt iam ſupradictum eſt octuaginta & quinque Epiſcopi Gallicani anno 1653. eas litteras dederũt ad Pontificẽ, quas appendemus diſp. 4. in eis ſic præfantur: *Decennium eſt, ex quo vehementiſſimis turbis Gallia magno noſtro mœrore commouetur, ob librum poſthumum, & doctrinam Reuerendiſſimi Cornelij Ianſenij Iprenſis Epiſcopi*. Selegerunt autem ex libro Ianſenij, quinque illas propoſitiones, quæ erant quaſi baſes totius operis, & illas examinandas obtulerunt Innocẽtio X. *Obteſtamur ergo* inquiunt, *vt has præſertim propoſitiones, de quibus diſceptatio periculoſior, ac contentio ardentior eſt, Sanctitas tua expendat, & perſpicuam ac certam de eis ſententiam ferat*.

5. Innocentius propoſitiones illas diligentiſſimè examinari iuſſit; Dum autem cauſa Ianſenij diſcutiebatur Romæ, Defenſores eius non negabant propoſitiones illas contineri in libro Ianſenij, & eſſe veluti medullam illius vaſti operis ; ſed hoc ſupponentes tanquam rem indubitatam, totis viribus contendebant, illas propoſitiones damnari non poſſe, vtpote continentes fundamenta & baſes doctrinæ S. Auguſtini contra Pelagianos.

6. Poſtquam autem Innocentius declarauit illas propoſitiones eſſe hæreticas, & vt tales damnauit, Diſcipuli Ianſenij, ne faterentur Magiſtrum ſuum tam turpiter erraſſe, aliud effugium quæſierunt, & dixere, vel illas propoſitiones non reperiri in libro Ianſenij, vel non eſſe damnatas in ſenſu Ianſenij. Quæ res Alexandrum VII. compulit ad nouam Bullam formandam anno 1656. in qua ſic præfatur : *Cum autem, ſicut*

ſicut accepimus, nonnulli iniquitatis filij prædictas quinque Propoſitiones, vel in libro prædicto eiuſdem Cornelij Ianſenij non reperiri, ſed fictè & pro arbitrio compoſitas eſſe, vel non in ſenſu ab eodem intento damnatas fuiſſe, aſſerere magno cum Chriſti fidelium ſcandalo non reformident; Nos qui omnia, quæ hac in re geſta ſunt, ſufficienter, & attentè perſpeximus, vtpote qui eiuſdem Innocentij Prædeceſſoris iuſſu, dum adhuc in minoribus conſtituti Cardinalis munere fungeremur, omnibus illis congreſſibus interfuimus, in quibus Apoſtolica authoritate eadem cauſa diſcuſſa eſt ea profectò diligentia, qua maior deſiderari non poſſet: quamcumque dubitationem ſuper præmiſſis in poſterum auferre volentes, vt omnes Chriſtifideles in eiuſdem fidei vnitate ſeſe contineant, ex debito noſtri Paſtoralis officij, ac matura deliberatione præinſertam Innocentij Prædeceſſoris noſtri Conſtitutionem, Declarationem, & Definitionem harum ſerie confirmamus, approbamus & innouamus, et quinque illas propoſitiones ex libro præmemorati Cornelij Ianſenij Epiſcopi Iprenſis, cui titulus eſt Auguſtinus, excerpta, ac in ſenſu ab eodem Cornelio Ianſenio intento damnatas fuiſſe definimus, & declaramus &c.

7. Sed adhuc poſt Bullam Alexandri non deſunt, qui & ſentiant, & muſſitent illud ipſum, quod dicebant ij, quos Aelxander VII. appellauit *iniquitatis Filios*: & hi ne fateantur erraſſe Ianſenium, impingunt atrociſſimam iniuriam imprimis Illuſtriſſimæ Eccleſiæ Gallicanæ, quæ illas quinque propoſitiones tanquam contentas in libro Ianſenij detulit ad Sanctam Sedem; quaſi falsò & per calumniam attribuerit Ianſenio doctrinam, quam nunquam docuit. Secundo impinguut ipſi Summo Pontifici Innocentio X. qui in ſua Bulla ſupponit illas quinque propoſitiones excerptas fuiſſe ex libro Ianſenij, & occaſione eius impreſſionis ortam fuiſſe controuerſiam de illis in Gallia. Tertio, dum aſſerunt, illas propoſitiones vel non contineri in libro Ianſenij, vel Pontifices non damnaſſe ſenſum intentum à Ianſenio, id eſt, ſenſum proprium & genuinum, quem ſignificant ſcripta Ianſenij; virtualiter affirmant, Pontifices damnaſſe Ianſenium innocentem, & inauditum, ac proinde vel tam cæcos fuiſſe, vt quæ Ianſenius ſcripſerat non viderint nec per ſe, nec per Miniſtros ſuos, vel tam improuidos, iniuſtoſque, vt accuſantibus ceſſerint, & non conuicto reo, contra ipſum ſententiam tulerint, damnando vt hæreticas tot ipſius propoſitiones. Quis prudens in animum inducat, quod in re tam graui, quando agebatur de honore viri celebris, condemnatæ fuerint tanquam doctrinæ Ianſenij quinque propoſitiones, quæ ab ipſo nunquam prolatæ ſunt? Hæc eſt ergo manifeſta impoſtura: certiſſimum namque eſt, illas omnes ſententias contineri in libro Ianſenij, & fuiſſe ſtabilitas ab ipſo tanquam baſes ſuæ doctrinæ, in ſenſu litterali & proprio, qui damnatus eſt ab Eccleſia; idque à P. Stephano Dechams, ab Antonino Moraynes, & ab alijs clarè demonſtratum eſt: ſufficiat legere Eminentiſſimum Cardinalem Aguirre

in

in Defenſione Cathedræ S. Petri diſp. 21. in qua deſignat loca, in quibus Ianſenius habet illas propoſitiones, & probat eaſdem poſtea traditas fuiſſe à nonnullis eius defenſoribus in Belgio.

8. Quis non exiſtimaret Bullam illam Alexandri futuram ſatis, vt diſcipuli Ianſenij tandem faterentur, erraſſe Ianſenium? ſed nihil minus; ſiquidem adeo fixè arbitrantur, doctrinam traditam à Ianſenio eſſe veram, vt malint aſſerere erraſſe Alexandrum in illa ſua Bulla quàm fateri erraſſe Ianſenium. Excogitarunt ergo aliam ſolutionem, quæ ſi vera foret, ſufficiens eſſet ad irritas reddendas pleraſque Conciliorum generalium definitiones: ceperunt enim dicere, facti quæſtionem eſſe, quis fuerit ſenſus, in quem ſpectaſſet Author ille; Pontificem verò errare poſſe in quæſtione facti; ſicut & Concilia generalia poſſunt circa factum. Quæ doctrina ſub prætextu quæſtionis facti peſſundat Scripturas omnes, & cenſuras latas, & ferendas contra hæreſes, & Hęreſiarchas; ſiquidem ſtatim reponi poterit, eſſe quæſtionem facti, an Spiritus Sanctus intenderit in Scripturis eum ſenſum, quem illi tribuit Eccleſia per os Romani Pontificis & Conciliorum: An Sancti Patres in ſuis ſcriptis intenderint ſenſum, quem approbant Pontifex & Concilia: & ſimiliter an hæretici intellexerint ſua dogmata in eo ſenſu, in quo ab Eccleſia damnata ſunt. Vnde hac arte poterunt liberari à nota hæreſis multæ doctrrinæ hæreticorum in Concilijs generalibus damnatæ.

9. Qui hæc omnia conſiderauerit, dubitare non poterit, Diſcipulos aliquos Ianſenij, cùm alioqui Catholicos ſe reputent, in ea eſſe perſuaſione, quod Romanus Pontifex loquens è cathedra errare poſſit, & quòd de facto errauerit Innocentius X. & Alexander VII. in damnandis illis propoſitionibus. Qua enim ratione Catholicos ſe reputare poſſint, & ſimul tanta cum adhęſione perſiſtere in manutenendo dogmate illo Ianſenij v. g. quòd *ad merendum & demerendum in ſtatu naturæ lapſæ non requiritur libertas à neceſſitate, ſed ſufficit libertas à coactione*, niſi quia vident illud dogma non eſſe damnatum à Concilio Generali; & aliunde arbitrantur Papam eſſe in definiendo fallibilem, ſicut affirmat Declaratio Cleri Gallicani. Vnde ſtatim ac prodijt Bulla Innocentij contra illam, cæperunt obmurmurare Ianſeniſtæ, & appellare ad Concilium Generale: quæ res mouit P. Theophilum Raynaudum, vt componeret illum eruditum Tractatum, cui titulus Græce ΑΥΤΟΣ ΕΦΑ, id eſt, *Ipſe dixit*, ſeu *Os Domini locutum eſt*, qui tractatus eſt in tomo vigeſimo ſuorum operum à pag. 377.

10. Ex his infero, Declarationē Cleri Gallicani fouere Ianſeniſmum contra mentem Chriſtianiſſimi Regis, qui tanto zelo inſectatur omnes hæreticos, & qui abs dubio iuberet puniri vt hæreticum hominem illum, qui auderet in Regno Galliæ defendere in ſenſu proprio aliquam ex quinque propoſitionibus Ianſenij damnatis à Sede Apoſtolica. Scit enim Rex Chriſtianiſſimus propoſitiones illas damnatas fuiſſe ad inſtan-

tiam Eccleſiæ Gallicanæ, & Bullas Pontificis à ſe & ab Eccleſia Gallicana receptas fuiſſe vt infallibile fidei oraculum, & ab anno 1653. in quo publicata eſt Bulla Innocentij, ſemper habitas fuiſſe in Gallia illas quinque propoſitiones vt hæreticas. Et arbitror nunquam Regem Chriſtianiſſimum permiſſurum, vt ederetur illa declaratio Cleri Gallicani, & multò minus iuſsurum fuiſſe, vt legeretur in vniuerſitatibus Galliæ, ſi intelligeret illam declarationem fouere Ianſeniſmum, & ſibi è manibus per illam eripi gladium ad puniendum tanquam hæreticos eos, qui auderent propoſitiones illas defendere. Hoc ergo Regi zelantiſſimo perſuadere volo, per illam declarationem exarmari ſuam maieſtatem, ne poſſit punire illos homines vt hæreticos: & quamuis ſim puluis & cinis, aperiam tanto Regi veritatem, cum ea qua par eſt humilitate & reuerentia. Scio enim ſapientiſſimè dixiſſe Ambroſium lib. 1. epiſt. 17. ad Theodoſium: *Neque Imperiale eſſe libertatem dicendi denegare, neque Sacerdotale quod ſentiat non dicere. Nihil in Regibus tam amabile eſſe, quàm libertatem in ijs diligere, qui obſequio ipſis ſubditi ſunt: nihil etiam in Sacerdote tam periculoſum apud Deum, tam turpe apud homines, quàm quod ſentiat non liberè pronunciare,* cùm ſcriptum ſit Pſalm. 118. *loquebar de teſtimonijs tuis in conſpectu Regum, & non confundebar.*

11. Rem expono. Poterit quidem Rex Chriſtianiſſimus illos homines, qui in regno ſuo auderent defendere aliquam ex quinque propoſitionibus Ianſenij damnatis, punire vt rebelles ſuo præcepto, quo ſtrictiſſimè iuſſit, Bullas Pontificum contra Ianſenium editas ab omnibus ſuis ſubditis obſeruari exactè. Poterit etiam punire vt rebelles præcepto Romani Pontificis, qui iuſſit eas propoſitiones haberi pro hæreticis: quia, vt docent omnes Catholici apud Bellarminum lib. 4. de Romano Pontifice, cap. 2. verſu *deinde Catholici omnes*, certum eſt *Pontificem ſolum, vel cum ſuo particulari Concilio aliquid in re dubia ſtatuentem, ſiue errare poſſit, ſiue non, eſſe ab omnibus fidelibus obedienter audiendum*. Non tamen poterit illos vt *hæreticos punire*, quia nemo vt hæreticus poteſt puniri, niſi conſtet illum pertinaciter tenere doctrinam, quæ oppoſita ſit definitioni infallibili, quatenus infallibili, & rem definitam reddenti omnino certam. Conſtat autem definitionem editam ab homine fallibili in rebus fidei determinandis, qualis eſt iuxta declarationem Cleri Gallicani, quam Rex ipſe iubet obſeruari, Pontifex Romanus, dum extra Concilium generale determinat fidei & morum controuerſias, non eſſe abſolutè infallibilem ex ſe, ſed potiùs obnoxiam errori; ſolumque eſſe infallibilem conditionatè, ſub conditione quòd Eccleſia vniuerſalis ei conſentiat, quatenus eſt incapax errandi in materia fidei. Vnde cùm Eccleſia vniuerſalis non ſit incapax errandi ſecundùm aliquam ſui partem, etiam valde magnam, vel forſan maiorem, ſicut errauit tempore Arrianorum, & ſolùm ſit incapax errandi ſecundùm ſe totam: ſolùm poteſt eſſe iuxta Declarationis illius doctrinam certum

& infallibile, eſſe hæreticas quinque propoſitiones Ianſenij, quando fuerit certum, Eccleſiam vniuerſalem ſecundùm ſe totam conſenſiſſe definitioni Innocentij X. & Alexandri VII. Hoc autem nunquam conſtare poterit extra Concilium generale: nec eſt medium ad hoc probandum.

12. Poterit quidem Rex Chriſtianiſſimus certus eſſe, ſe conſenſiſſe; poterit eſſe certus moraliter, ex animo conſenſiſſe omnes Epiſcopos & Prælatos, qui iurauerunt ſe diligenter obſeruaturos Bullas Pontificum; poterit eſſe certus de multis alijs viris pijs & religioſis: At non poterit eſſe certus de omnibus ſuis ſubditis, & multò minus de toto orbe Chriſtiano. Quamuis enim conſtet nullam Prouinciam reclamaſſe contra illam definitionem; tamen cùm hæc duo ſint valde diuerſa, non reclamare contra definitionem Pontificis, & conſentire per internum conſenſum fidei in ſimilem definitionem, nimirum credendo tanquam dogma fidei veritatem definitam: dicere poterunt Ianſeniſtæ, ſe ob timorem Romani Pontificis, & ob timorem ſuorum Regum non auſos fuiſſe palàm ſe opponere; ceterùm in corde ſuo nunquam conſenſiſſe definitioni; vnde conſtare non poteſt acceſſiſſe Eccleſiæ conſenſum illi definitioni. Imò non dubito zelum ſuæ Maieſtatis Chriſtianiſſimæ, quo hæreſim Ianſenianam perſequitur, prudenter timere, ne adhuc ſint in ſuo regno multi, qui in corde ſuo ſint Ianſeniſtæ, quamuis præ metu Regiæ ſeueritatis loqui non audeant, & præterea continuò inuigilare, ne doctrina iſta foras erumpat. Id ſatis ſuperque oſtendit, dum à totis ſuis regnis exulare iuſſit Doctores illos, de quibus cenſebat eſſe Ianſeniſmi fautores: Et omnibus perſuaſum eſt, Regem zelantiſſimum fidei Catholicæ non permiſſurum in ſuis regnis vllum manifeſtum Ianſeniſtam. Quis ergo prudens ſibi perſuadere poterit, Regem Chriſtianiſſimum non reuocaturum Edictum, quo ſtabiliuit declarationem Cleri Gallicani, ſi ſemel illud iudicium ferret, quod nòs ſuæ maieſtati hic conamur perſuadere, nimirum illam declarationem fouere Ianſeniſmum, quem ſua maieſtas meritò auerſatur impenſiſſimè?

§. X.

Illuſtri teſtificatione Academiæ Duacenſis oſtenditur, non poſſe Ianſeniſtas à Rege Chriſtianiſſimo comprimi, niſi eliminauerit Declarationem Cleri Gallicani, quæ Papam in definiendo controuerſias fidei fallibilem facit.

1. QVanto zelo Rex Chriſtianiſſimus perſequatur Ianſeniſtas, notum eſt orbi Chriſtiano; & quantâ reuerentiâ ſuſceperit Bullas Innocentij X. & Alexandri VII. in quibus quinque propoſitiones Ianſenij tanquam hæreticas damnarunt; & quàm ſeuerè curauerit, vt Bullæ illæ in ſuo regno exactè obſeruentur. Sed dolent multi tanti Regis iuſti æſtimatores, quòd Ianſeniſtæ declarationem Illuſtriſſimi Cleri Gallicani tanquam ſcutum aſſumpturi ſint, quo conſcientiam ſuam aduerſus Chriſtianiſſimi Regis Catholicum zelum tueantur. In cuius rei confirmationem adducam Libellum ſupplicem, quem Academia Duacenſis Regi Chriſtianiſſimo obtulit, cùm primùm publicatum eſt ipſius Edictum, quo iubebatur, vt doctrina illius declararionis in vniuerſitatibus ſibi ſubditis legeretur.

2. Libellum hunc ſupplicem Gallico idiomate exaratum per Rectorem, & Conſilium Academiæ Duacenſis, in linguam Latinam conuerſum exhibet Author Mantiſſæ Doctorum contra declarationem Cleri Gallicani impreſſę Leody anno 1683. quam approbauit 1. Septembris an. 1683. D.D. Nicolaus du Bois, librorum cenſor in Academia Louanienſi, Sacrarum litterarum primarius Profeſſor. Eius autem tenor eſt, vt ſequitur.

„ 3. Octo circiter menſes ſunt (inquiunt Duacenſis Licæi Magiſtri „ cum ſuo Magnifico Rectore) quod zelus, quo erga veſtræ maieſtatis „ ſeruitium ferimur, compulerit nos ad reuerenter, omnique reſpectu „ poſſibili ipſi exponendam ingentem auerſionē, quâ ſui omnes fideles „ ſubditi viuentes in hac patria ſuæ coronæ reunita, deteſtantur doctri„ nam in Cleri Gallicani declaratione ſuper poteſtate Eccleſiaſtica cō„ tentam. Eam affirmant in his partibus prorſus inauditam, vbi non ſe„ cus, ac errores ſemper fuerint perſtrictæ opiniones illæ, quæ abſolu„ tum Summi Pontificis Primatum ac infallibilitatem conuellunt. „ Quam tanta hucuſque veneratione ſuſpexerunt, vt ſchiſmaticis ſeſe „ annumerandos credidiſſent, ſi de ſuprema inſtituti à Ieſu Chriſto Vi„ carij authoritate ad definiendum, quæ ſana ac vera, quæ falſa ſit & „ mala doctrina, dubitaſſent. Nec vident, quo pacto deinceps ſiue

„ iſtius

Digitized by Google

„ **iſtius ſuæ ſententiæ ſubſidio Ianſeniſtarum eis ingerentium, quòd**
„ **Ianſenij dogmata non per generale aliquod Concilium, ſed per ſolos**
„ **Papas fallibiles, erroribuſque obnoxios fuerint condemnata, inſulti-**
„ tibus reſiſtere valebunt. Et quamuis ad quietandos eorum animos
„ videatur Cleri Gallicani, quem perſonæ eruditione ac virtute adeò
„ illuſtres conſtituunt, authoritatem debere ſufficere: attamen repo-
„ nunt obſtringi ſe ad nihil minus deferendum contrariæ, quam plu-
„ rium Epiſcoporum, Prælatorum, Doctorum, infinitòque propemo-
„ modum celeberrimorum per omnem Europam Scriptorum numero,
„ qui oppoſitam dicti Cleri declarationi doctrinam tradiderunt, imò
„ aliqua eius puncta erroribus deputant. Et vti difficillimum eſt opi-
„ nionem, cui quis tanquam doctrinæ indubitatæ innutritus eſt, muta-
„ re, euidens eſt præterea, ac extra controuerſiam, neminem vnum
„ poſse contra propriam agere conſcientiam niſi peccando; ea propter
„ omni ſolicitudine iniquiſiuimus, quòd obiectionibus à magna homi-
„ num cuiuſque conditionis multitudine vndique congeſtis ſatisfacere
„ liceat. Eam ob cauſam doctiores Europæ Authores, qui ingentibus
„ voluminibus ſuam poſteritati doctrinam conſignarunt, perſcrutati ſu-
„ mus, vt medium quodpiam ad pacandas tam noſtras, quàm aliorum
„ conſcientias aſsequeremur: ſed hactenus deprehendimus nullum
„ &c. Et quod plus eſt, nullam omiſimus curam, & ſtudium, ad inue-
„ niendum modum docendi, ac ſuſtinendi præfatam declarationem.
„ Conſuluimus ſapientiores tam Regularium, quàm ſecularium Theo-
„ logos, & nec dum vnam aliquam ſolidam comperire potuimus ratio-
„ tionem, ad eam firmandam conſcientiam, quæ dictet fas nobis eſse ac
„ licitum prædictas docere propoſitiones, & quas omnes approbare,
„ noſtra neutiquam permittat conſcientia &c. Vnde omni qua poſſu-
„ ſumus ſubmiſſione Maieſtati Veſtræ ſupplicamus, vt nos excuſatos
„ habeat à tradenda, ac ſuſtinenda doctrina directè aduerſa illi, quæ in
„ hac ſemper patria fuit recepta, & tradita in hac Academia; quæ ruinæ
„ periculo exponitur, ſi in omnem in poſtrema Congregatione decla-
„ ratam à Clero Gallicano ſententiam ire cogatur, cùm maior eius pars
„ malle videatur ſcholas deſerere, quinimò, & omni promotioni renun-
„ ciari ac dignitati, quàm illis ſe ſubmittere opinionibus, quæ cum
„ ſuis conſcientijs pugnant. Et monſtrat experientia, iam inde ex quo
„ veſtræ Maieſtatis Edictum in acta Academica relatum fuit, neminem
„ vnum ad vllum in Theologica facultate gradum conſcendiſse &c.

4. Tali laudabiliſſimæ modeſtiæ ſtilo animorum ſuorum ſenſa ex-primentes Duaceni, Regijque edicti executionem deprecantes negarunt liberum ſibi eſse (ſi conſcientias ſuas ſaluas velint) à recto agnitæ ac ſtabilitę veritatis tramite vel latum vnguem deflectere, accepta à Maioribus per longiſſimã continuæ ſucceſſionis ſeriem dogmata de ſuprema Summi Pontificis in vniuerſam Eccleſiam authoritate, iudicijquè ſui in rebus fi-

dei

dei indubitabili infallibilitate abijcere, & contrarias Cleri Gallicani propoſitiones amplecti. Cumque ne vel ſic proficerent, ſuſtinuerunt equidem conſtantiam ſuam, & ſcholarum occluſione, & nonnullorum exilio mulctari.

5. Vtinam hæc animum tanti Regis mouiſsent ad reuocandum edictum illud. Vtinam zelo, & ſapientiâ præſtantes Viri potentiſſimo Monarchæ, qui pro dilatanda fide Catholica, & exterminanda hæreſi Calviniana tam egregia facinora perpetrauit; oſtenderent, non poſse hereſim Ianſenianam à ſua Maieſtate euelli radicitus, ſi ſemel illa quar ta Cleri Gallicani propoſitio ſubſiſtat; nec alium ſupereſse modum, quo Ludouici Magni potentia firmetur magis, & gloria creſcat, quàm Sedis Apoſtolicæ authoritatem defendendo. Vt enim Vincentius Contenſon author Gallus ex Ordine S. Dominici anno 1675. tract. 3. pag. 93. ſcri-
„ bebat: *Pleni ſunt omnes libri*, pleni nominatim Gallorum Annales feli-
„ ciſſimis euentibus, quibus regna Sedi Apoſtolicę deuotiora fortunauit
„ Deus, vt in Conſtantino, Pipino, Carolo Magno, Ludouico Pio, Lu-
„ douico Iuſto, alijſque claret. Sed Inuictiſſimi Monarchę noſtri Ludoui-
„ ci Decimi Quarti cognomento Magni exempla hodierna ſplendidio-
„ ra ſunt, quàm vt ea prætermittam, quæ omnium oculos perſtringunt,
„ omnium admirationem cient & rapiunt. Neque Hercules contra
„ duos. At noſter Ludouicus Hercule maior, fœderatis cum Batauis to-
„ tius Europæ poteſtatibus non obſiſtit modò, ſed aggreditur etiam &
„ proſternit. Interim Vrbes & Prouincias inexpugnabiles eâ celeritate
„ capit, qua venatores capiunt feras: & Cæſare felicior nunquam venit,
„ nunquam videt, quin vincat. Ne mirare, ſi vincat Heros Chriſtia-
„ niſſimus, qui ſub Deo militat, pro Deo pugnat, pro Catholicæ &
„ Romanæ Eccleſiæ fide & finibus propagandis laborat.

6. Faxit Deus, in cuius manu ſunt corda Regum, vt Rex ſapientiſſimus cognoſcat incommoda, quæ ex illa Declaratione conſequuntur, quæ maxima ſunt, & ſchiſmatibus viam aperiunt. Faxit, vt imitetur egregium exemplum Ludouici XI. qui ſtatim initio ſui regiminis cùm admonitus fuiſſet à Pio Secundo Pontifice Summo, de eliminanda à regno ſuo Pragmatica Sanctione, quæ continebat capita nonnulla contra authoritatem Sedis Apoſtolicæ, tactis ſanctis Euangelijs palàm promiſit, eam ſeſe prope diem abrogaturum, & breui poſt præſtitit ſcriptis ad Pontificem literis in hæc verba:

„ 7. Te Vicarium Dei viuentis ea veneratione proſequimur, vt Sa-
„ cra tua præſertim in Eccleſiaſticis monita, veluti vocem Paſtoris au-
„ dire, illiſque parere prompta mente velimus. Quapropter, Beatiſſi-
„ me Pater, etſi Conſtitutio quædam in regno noſtro, quam Pragmati-
„ cam vocant, magno Prælatorum conuentu, magna temporis delibe-
„ ratione concluſa fuerit, & iam callum obducta quietum propè fixerit
„ ſtatum, Tu tamen tuis ad nos litteris illam à noſtro regno auferri, ex-

„ plodi,

,, plodi, abrogarique flagitas &c. Omnibus itaque victimis potiorem
,, obedientiam intelligentes, aſſenſi ſumus his, quæ tuo nomine nobis
,, aperta ſunt, ipſam ſcilicet Prāgmaticam ſanctionem tibi, tuaque
,, Sedi eſſe infenſam, vtpote quæ in ſeditione & ſchiſmatis tempore, at-
,, que per ſeditionem, ſectioniſque à tua Sede figuram, nata ſit, & quæ
,, dum tibi, à quo ſacræ leges oriuntur & manant, quamtamlibet eripit
,, authoritatem, omne ius & omnem legem diſſoluit; abroganda ſit ipſa
,, Pragmatica, pellendaque à noſtro regno: quippe quæ aduerſus tuam
,, ſedem Eccleſiarum omnium Matrem ab inferioribus Prælatis lata ſit,
,, tanquam, vt Scriptura loquitur, quomodo ſi eleuetur virga contra
,, leuantem ſe, aut baculus, qui vtique lignum eſt. Quæ quidem, Bea-
,, tiſſime Pater, licèt plerique docti homines confutare niterentur atq;
,, diluere, multiſque nos dehortarentur abrogare Sanctionem ipſam,
,, Te tamen Principem totius Eccleſiæ, Te antiſtitem Sacrorum, Te
,, Dominici Gregis Paſtorem profitemur & ſcimus, teque iubentem
,, ſequimur, Tibi & Beatiſſimi Petri Cathedræ conſentimus & iungi-
,, mur. Itaque, ſicut mandaſti, Pragmaticam ipſam à noſtro Regno,
,, noſtroque Viennenſi Delfinatu, & omni ditione noſtra per præſentes
,, pellimus, deijcimus, penituſque abrogamus, & quam qualemque ante
,, Pragmaticæ ipſius editionem, circa Eccleſiarum, Beneficiorum, alia-
,, rumque rerum ſpiritualium diſpoſitionem, cenſuram, moderatio-
,, nem in Regno noſtro, omnique ditione noſtra tui Prędeceſſores Mar-
,, tinus V. & Eugenius IV. Romani Pontifices habebant, & exerce-
,, bant, talem, eandemque noſtro adiutori Beatiſſimo Petro, tibique
,, ipſius Succeſſori reddimus, præſtamus, & reſtituimus cum ſummo im-
,, perio, cum iudicio libero, cum poteſtate non coarctata &c.

§. XI.

Concluditur ex dictis in hac Sectione: vt omnes teneantur credere vt omnino certam veritatem definitam à Romano Pontifice in materia fidei, ſatis eſt quòd Pontifex ediderit Conſtitutionem cum voluntate obligandi Eccleſiam ad credendam eam partem tanquam veritatem certam, & reijciendam oppoſitam tanquam hæreticam vel erroneam, & quòd hæc Conſtitutio publicetur Romæ, & eius notitia certa perueniat ad Prouinciam, in qua quis commoratur.

1. CVm lex in communi, prout definiunt Theologi cum S. Thoma 1.2.qu.90.præſertim art.4. definiatur, *Recta ratio agendorum à publica Poteſtate communitati denuntiata cum voluntate obligandi*. manifeſtum eſt neminem habere obligationem credendi tanquam dogma fidei articulum illum, de quo eſt controuerſia inter Doctores Catholicos, an contineatur in ſcriptura, vel non contineatur, an ſit reuelatum, vel non ſit reuelatum, donec Pontifex Summus controuerſiam quæ nondum erat definita definiat, & Eccleſiæ denuntiet ſuam definitionem: ac proinde requiritur, quòd Decretum Pontificium Romæ publicetur, & quòd eius notitia certa perueniat ad notitiam eius, qui crediturus eſt.

2. Deinde certum eſt, non requiri ad infallibilitatem Pontificiæ definitionis, & ad valorem & firmitatem decreti, quo Papa iubet vt omnes ita ſentiant ſicut ab ipſo definitum eſt, quòd iſtud decretum acceptetur à fidelibus. Ratio eſt, quia adhuc loquendo de legibus ciuilibus factis à Monarcha temporali, vel à Republica aliqua; non eſt neceſſe ad ipſarum valorem, quòd acceptentur à populo. Quamuis enim aliquorum ſententia ſit, vim & ſubſtantiam legis humanæ ciuilis à populi acceptatione pendere, *eo quòd ea tacita conditione leges ad populum ferri cenſeantur, ſi ab ipſo acceptatæ fuerint, alioqui vim nullam obligandi habituræ:* Tamen veriſſima communis ſententia Doctorum docet, leges Principis vel Magiſtratûs abſoluti minimè pendere à populi acceptatione & conſenſu, ſed mox, vt legitimè promulgatæ ſunt, obligari populum ad acce-

acceptationem. Ita docent Ioannes de Medina *cod. de reſtit. quæſt.* 36. *ad* 5. Gregorius de Valentia *tom.*2.*diſp.*7.*quæſt.*5.*p.*5. *quæſt.*4. Bartholomæus de Medina 1. 2. *quæſt.*90. *art.*3. *ad finem*, Caſtro *lib.* 1. *de lege pœnali cap.*1. Vazquez 1. 2. *diſput.*156.*cap.*5. Molina *tom.*1.*tract.*2.*diſp.*23. Suarez *de legibus lib.*3. *cap.*19.*num.*4. & Layman eos referens. *Ratio eſt*, inquit; *Quia poſtquam populus omnem ſuam poteſtatem in vnum Regem, vel paucos optimates abſolutè contulit, poſſunt hi, &, niſi aliud ſignificent, cenſendi ſunt etiam velle iuſtis ſuis legibus obligare ſubditos ad recipiendum, & parendum: cùm alioquin vltima & ſuprema poteſtas gubernandi non penes Regem, vel optimates, ſed penes populum foret, adeòque non eſſet forma Reipublicæ Monarchicæ, vel Ariſtocraticæ, ſed potius Democraticæ. Quod verò attinet ad legem Pontificiam, ea multo minus à populi acceptatione dependet, quandoquidem Summus Pontifex ſupremam in Eccleſia poteſtatem non à populo per electionem, ſed immediatè à Chriſto accipit, ex vi primæ inſtitutionis ac promiſſionis S. Petro factæ Matth.*16. *Ion.* 21. Quæ ſententia aſſertiua obligationis ad acceptandam legem iam omnino certa eſt, poſtquam Alexander VII. damnauit hanc propoſitionem: *Populus non peccat etiamſi abſque vlla cauſa non recipiat legem à Principe promulgatam.* Quę propoſitio inter damnatas ab ipſo eſt vigeſima octaua.

3. Quod ſi leges Pontificiæ, quamuis ſint purè humanæ, & iniungentes aliquam actionem poſitiuam ab homine Chriſtiano exequendam, ſeu quamuis ſint præceptiuæ alicuius actionis, non dependent in vi obligandi ab acceptatione fidelium; ſed cùm primùm ſufficienter promulgatæ ſunt, obligant omnes ad ſui acceptationem: à fortiori obligabit definitio Pontificis, qui in re controuerſa inter Catholicos, tanquam Magiſter Eccleſiæ, & interpres legitimus ſcripturarum, exponit fidelibus quiſnam ſit legitimus ſenſus, vel exponit quid nobis in ea Deus reuelauerit. Vt enim declarat Concilium Tridentinum ſeſſ. 4. *Eccleſiæ* (per os nimirum ſui Capitis vel in Concilio generali, vel extra illud) *eſt iudicare de vero ſenſu & interpretatione Scripturarum.* Manifeſtum namque eſt, hanc poteſtatem interpretandi Scripturas, & paſcendi oues Chriſti ſolis paſcuis veritatis & virtutis, conceſſam eſſe immediatè à Chriſto Petro, & Succeſſoribus eius illis verbis, *Paſce oues meas*, ſine vlla dependentia ab ouibus ipſis. Ergo manifeſtum eſt, non eſſe expectandum Eccleſiæ conſenſum, ad hoc vt obliget definitio Pontificis, in qua declarat aliquam propoſitionem eſſe hæreticam, & iubet vt ab omnibus pro hæretica habeatur, & propoſitio oppoſita tanquam veritas Catholica credatur: Sed hoc ipſo quòd ſufficienter ſit promulgata, omnes obligat, & rem facit certam de fide. Quamuis enim diceremus legem ciuilem non obligare, niſi acceptetur à populo: (quod tamen eſt falſum;) Tunc duntaxat poſſet dici non obligare, niſi ſub conditione, quòd acceptetur à populo, quando legislator poteſtatem accepit immediatè, vel mediatè à populo, & ſic non cenſetur velle obligare niſi ſub

conditione quòd populus acceptet. At vero lex, quæ fertur à Legiſlatore nullam habente dependentiam à populo in poteſtate legiſlatiua, non poteſt dependere ab acceptatione populi. Præterea licèt Deus cenſeretur apponere tacitam conditionem legi latæ à Pontifice in materia variabili ſecundùm temporum differentias; eam tamen non poteſt cenſeri apponere in lege de definitione fidei declarante ſenſum Scripturæ; quia hæc eſt inuariabilis, & non poteſt pro temporum varietate mutari, eſſetque planè ridiculum dicere, quòd Deus voluerit, quòd definitio Pontificis ſit infallibilis,& obliget ad credendum ſolùm ſub conditione, quòd populus Chriſtianus conſentiat definitioni, & credat id quod definitio proponit.

4. Quænam legis promulgatio & publicatio ſit neceſſaria, inquirunt Authores. In primis tanquam quid indubitatum ſupponit Layman lib.1. cap.2. non eſſe neceſſarium, legem omnibus ac ſingulis è communitate denuntiari, vel innoteſcere, ſed cùm primùm publicè v.g. in Curia propoſita fuit, vt ab vna communitatis parte ad alios eiuſdem communitatis notitia legis deferri poſſit, cenſeri legem, quatenus eſt ex ſua parte,conſecutam eſſentialem vim obligandi omnes: quamquam quoad actum ſecundum, id eſt, vt re ipſa aliquem obligatione præcepti conſtringat,requiratur eam inuincibiliter non ignorari. Qua de re S.Thom. *cit. art.4. ad 2.* Nauar. *lib.1. conſil. 1. de conſtit. qu. 4. & in man. cap. 23. num.44. & 45.* Molin. *tract.5. diſp.70.* Sotus *lib.1. de iuſt. quaeſt.1. art.4.* Rodriq. *lib.1. regul.99. v.6. art.4.* Vaſquez *tom. 2. diſp. 56. cap. 2.* & ſumitur *ex cap. 1. de conceſſ. præben. in 6.* ibi: *Quòd lex ſeu conſtitutio, & mandatum nullos aſtringunt*, (actu ſecundo) *niſi poſtquam ad notitiam peruenerint eorundem, aut niſi poſt tempus, infra quod ignorare minimè debuiſſent*. Etenim ſicut ignis habet quidem naturalem poteſtatem vrendi omnes, ſed neminem vrit, niſi quem propinquum comprehenderit: ita lex etiam promulgatione acquirit veluti eſſentialem omnes obligandi poteſtatem; ſed actu ipſo obligat illos tantùm ſub peccato, vel pœna, qui eius notitiam acceperunt, vel accipere culpâ ſuâ neglexerunt.

5. Sed diſputant Doctores, qualis debeat eſſe promulgatio, vt lex habeat vim obligandi, & communiter aſſignant diſcrimen inter legem Imperatoriam & Pontificiam. Quod lex Imperatoris, & aliorum Regum, ad hoc vt in ſingulis Prouincijs obliget,debet in ſingulis promulgari, & vim obligandi non acquirit, niſi à bimeſtri poſt publicationem. At lex Pontificia ſimul ac in Romana Curia promulgata eſt, omnem in toto Orbe Chriſtiano vim obligandi acquirit, quatenus eſt ex ſua parte; & vt in actu ſecundo obliget, ſatis eſt, quod notitia certa eius perueniat ad fideles: & ſecundùm hanc communem Doctorum ſententiam, vt definitio Pontificis obliget etiam in actu ſecundo quemcumque fidelem, ſatis eſt quòd Romæ publicetur, & quòd hoc illi conſtet: nam hoc

ipſe

ipſo tenetur habere pro hæretica doctrinam, quam Romanus Pontifex, vt hæreticam damnauit.

6. Et ſanè quamuis diceremus leges Pontificias, quæ aliquid præcipiunt extra materiam fidei, & quarum obiectum & materia ſunt actiones externæ, quæ poſſunt mutationem talem, & variationem ſubire, vt vnò tempore expediant, in alio non, poſtulare ad obligandum publicationem in ſingulis Prouincijs; tamen de Conſtitutionibus declarantibus veritates fidei, & proponentibus quid tenendum ſit, cùm earum materia ſit inuariabilis, veriſſimum eſt, obligare certiſſimè omnes, ad quorum notitiam certam peruenerint, poſtquam Romæ publicatæ ſunt.

7. Ergo certiſſimum eſt non requiri acceptationem Eccleſiæ, ad hoc vt definitio Pontificis ſit infallibilis; & omnes obliget ad credendam rem definitam, ſed ſatis eſſe ſufficientem eius promulgationem, & intimationem. Non enim ideo eſt infallibilis, & obligans ad credendum; quia acceptatur; ſed ideo acceptatur, quia eſt infallibilis; & obligat ad credendum.

§. XII.

Soluitur obiectio contendens non eſſe abſurdum, quòd conſenſus Eccleſiæ requiratur ad hoc, vt definitio Pontificis ſit abſolutè infallibilis.

1. OBiectio deſumitur ex doctrina ſatis nunc communi inter Theologos, quòd ſcilicet ſit de fide *hunc* numero *hominẽ* v.g. INNOCENTIVM XI. qui modò gubernat Eccleſiam, eſſe verum Chriſti Vicarium, & Succeſſorem Petri. Quam doctrinam ego latè defendi in ſelectis Diſputationibus de Fide, quas dictaui Salmanticæ anno 1684. eamque diſputationem ad finem huius tractatus adijciam, tanquam coronidem huius operis de infallibilitate Romani Pontificis in definiendo. Aliqui namque Doctores, vt defendant hanc concluſionem, requirunt tanquam conditionem, quòd homo ille prius ſit communi conſenſu totius Eccleſiæ receptus vt verus Pontifex. Ex primis, ſi non primùs ex Scholaſticis Theologicis, qui hoc docuerunt, fuit R. P. Franciſcus Suarez, qui diſput. 5. de fide ſect. 8. num. 12. teſtatur fuiſſe ſuo tempore quæſtionem valde controuerſam, An ſit de fide, *hunc Pontificem* eſſe verum Pontificem; & addit: *Multi ſentiunt non eſſe de fide: ſed vix poterunt ſuſtinere certitudinem fidei in rebus definitis à Pontifice, niſi conſequenter dicant, non ſolum Pontificem verum, ſed nec etiam reputatum ab Eccleſia poſſe errare definiendo, quod cenſet Bellarminus.* Ego tamen ferè ante trigin-

ginta annos, hoc eſt, anno 1584. docui Romæ, eſſe de fide, hunc Pontificem eſſe verum Pontificem, poſtquam ſufficienti conſenſu totius Eccleſiæ receptus eſt, & ita approbatus vt omnes illi obedire teneantur, etiam in definitionibus fidei: quia hæc obligatio neceſſariò ſupponit illam certam fidem, & illa veritas particularis eſt ſufficienter contenta in vniuerſali dogmate, quòd Succeſſor Petri eſt verus Pontifex, & tunc ſufficienter applicatur, & fidelibus proponitur. Quam ſententiam poſtea noſtri vel publicis diſputationibus, vel typis etiam nonnulli mandarunt. Hæc ibi P. Suarez, qui poſtea diſput. 10. ſect. 5. num. 2. poſtquam aliorum Theologorum ſententias retulit, ſubiungit: *de fide eſſe hunc hominem, qui communi Eccleſiæ conſenſione acceptus eſt vt caput Eccleſiæ, cui ipſa tenetur obedire, eſſe verum Eccleſiæ Pontificem, & Petri Succeſſorem.*

2. Hinc videtur validum confici argumentum ad probandum, ſine abſurdo dici poſſe, quòd requiratur Eccleſiæ conſenſus, ad hoc vt definitio Pontificis ſit abſolutè infallibilis, & rem faciat de fide certam, ſicut requiritur pacifica acceptatio huius nunc hominis electi in Papam, vt ſit de fide certum, illum eſſe verum Chriſti Vicarium, & legitimum Petri Succeſſorem, & non ſufficit illum fuiſſe reuera legitimè electum.

3. Reſpondeo tamen diſparem eſſe rationem. Nam acceptatio pacifica huius hominis in Papam, non eſt neceſſaria vt hic num. homo ſit verus Papa, ſed eſt applicatio neceſſaria, vt omnibus certò conſtet, eius electionem fuiſſe legitimam. Si enim independenter ab acceptatione pacifica omnibus ſufficienter conſtaret certò, eius electionem fuiſſe ritè & canonicè factam, independenter ab acceptatione pacifica tenerentur omnes credere, hunc num. hominem eſſe verum Papam. Vt enim ex-
„ plicat P. Suarez diſp. illa 10. ſect. 5. num. 6. cùm Chriſtus reuelauit
„ Petrum eſſe caput Eccleſiæ, pariter reuelauit generaliter de omnibus
„ eius Succeſſoribus, ſolumque deeſt, inquit Suarez, ſufficiens propo-
„ ſitio huius vel illius contenti ſub illa reuelatione; talis verò propo-
„ ſitio habetur per vniuerſalem teſtificationem, & approbationem Ec-
„ cleſiæ. Quod planè explicatur & confirmatur à ſimili caſu: nun-
„ quam enim videtur Deus reuelaſſe Epiſcopum Romanum eſſe potius
„ Pontificem Summum, quàm Alexandrinum, quia nunquam hoc ex-
„ preſſit Deus, ſed in confuſo tantùm dixit, quando reuelauit Petro di-
„ gnitatem & ſucceſſionem, quia talis reuelatio ſeſe oſtendit, & cadit
„ in eos Epiſcopos, vel in eorum Epiſcopatum, in quo Petro ſuccedi-
„ tur, poſtquam illa ſucceſſio ſufficienter eſt Eccleſiæ propoſita per tra-
„ ditionem, vel vniuerſalem conſenſionem. Quando verò intelligen-
„ dum ſit dari ſufficientem propoſitionem, ita vt omnes obliget, qui-
„ buſdam videtur tunc dari, cùm ritè, & verè electus, atque adeò verus
„ Pontifex proponitur: & hoc quidē ſufficiens eſt, vt ex præcepto obe-
„ dientiæ, & charitatis teneamur tali Pontifici obedire, atque vt non
„ poſſit quiſpiam iure ab illo diſiungi ſine ſchiſmate; attamen loquen-

„ do,

Digitized by Google

„ do, vt re ipſa loquimur, de aſſenſione per fidem, fortaſſe non erit
„ ſufficiens propoſitio, donec moraliter conſtet, illum eſſe acceptatum
„ à tota Eccleſia, & pacificè poſſidere ſuum primatum, atque adeò
„ poſſe obligare omnes fideles ad credendum quidquid definierit:tunc
„ enim certiſſimè credendum eſt, non poſſe accidere errorem in vniuer-
„ ſali Eccleſia in re adeò graui, qualis eſſet deceptio in ipſa viua regu-
„ la fidei credenda, nam is error æquipararetur errori in fide. Si enim
„ regula poſſet eſſe falſa, etiam regulatum; atque ſi intolerabilis error
„ eſſet in Eccleſia, quando tota crederet librum aliquem eſſe canoni-
„ cum, qui verè non eſſet, cùm tamen ille ſit quædam regula fidei in-
„ animata,multò intolerabilius eſſet errare in viua regula; quin potius,
„ ſi circa hanc poſſet ſemel dari error in vniuerſali Eccleſia, nunquam
„ eſſet verum, illam habere certam, & infallibilem regulam viuam fi-
„ dei ſibi loquentem Chriſti nomine.

4. Itaque eximius Doctor non quidem firmiter, ſed dubitanter, & cum formidine (vt indicat particula *fortaſſe*) cenſet, neceſſariam eſſe pacificam acceptationẽ Pontificis,ad hoc vt ſit de fide hunc num. hominem eſſe legitimum Petri Succeſſorem, & verum Chriſti Vicarium, & vt omnes teneantur fide diuinâ credere, quæ ab illo in materia fidei & morum determinantur, & definiuntur; quia illa acceptatio videtur neceſſaria, vt conſtet authenticè de legitimitate electionis; quia quouſque non fuerit pacificè acceptatus, non videtur ſufficienter conſtare de legitimitate electionis: ſiquidem quamdiu pars aliqua orbis, ſeu aliqui Reges Catholici renuunt illum agnoſcere pro legitimo Pontifice, datur aliqua ratio dubitandi, an electio eius fuerit legitima & Canonica; quia non poteſt præſumi tam ingens piaculum de Principibus Catholicis, quod ſcilicet nolint recipere pro legitimo Pontifice illum hominem, quem conſtat eſſe ritè & legitimè electum. Quare ſi independenter ab acceptatione eſſet moraliter omninò certum, electionem fuiſſe ritè & legitimè factam, independenter ab acceptatione eſſet obligatio credendi illum eſſe verum Pontificem. Nam in Concilio Conſtantienſi in Bulla Martini V. diſponitur, *vt ab hæreticis, qui Eccleſiæ Catholicæ volunt reconciliari, primùm omnium exigatur, an credant, Papam canonicè electum, qui pro tempore fuerit (eius nomine expreſſo) eſſe Succeſſorem Petri, & habere ſupremam authoritatem in Eccleſia Dei.* Eſt ergo hoc, vt Concilium cum Pontifice, vel Pontifex cum Concilio ſupponit, de fide credendum, vt rectè notat P. Suarez ea diſp. 10. ſect. 5. num. 2. *neque enim infra certitudinem fidei proponitur res immediatè credenda à Pontificibus*, inquit ille. Ergo omnis ille, cui certò conſtiterit, hunc hominem v. g. INNOCENTIVM XI. fuiſſe canonicè electum,tenetur credere eum eſſe Succeſſorem Petri, & habere ſupremam authoritatem in Eccleſia Dei.

5. Ergo ſi quis pro priori ad pacificam acceptationem faciendam à nationibus,& à regnis, certus moraliter fuerit, hunc hominem fuiſſe ca-

nonicè

nonicè electum in Papam, tenetur credere illum eſſe Succeſſorem Petri, & habere ſupremam authoritatem in Eccleſia Dei. Sic Eminentiſſimi Cardinales, qui faciunt electionem, quando certi ſunt, talem virum fuiſſe canonicè electum, tenentur credere eſse Succeſſorem Petri, quin neceſſe ſit expectare, an pacificè recipiatur, nec ne: Deus enim valorem electionis non alligauit acceptationi faciendæ à Regibus & Nationibus. Ratio eſt, quia hoc ipſo, quòd propoſitio vniuerſalis ſit reuelata, poteſt quis credere fide diuina indiuiduum contentum ſub illa, per hoc præciſè quòd certus ſit, indiuiduum illud contineri ſub illa vniuerſali. Sic homo Chriſtianus, qui fide diuinâ credit hanc vniuerſalem, *Omnis infans ritè baptizatus eſt in gratia*, poteſt credere fide diuinâ, eſse in gratia infantem, quem ipſe baptizauit, ſiquidem poteſt eſse certus, ſe applicuiſſe veram materiam baptiſmi ſub forma à Chriſto inſtituta, & cum intentione verum Baptiſmum adminiſtrandi. Ergo cùm hæc vniuerſalis ſit reuelata, *Omnis homo ritè electus in Summum Pontificem, eſt Petri Succeſſor, & verus Chriſti Vicarius*: quicumque certus eſt INNOCENTIVM XI. fuiſſe ritè electum, certus eſt INNOCENTIVM contineri formaliter ſub illa vniuerſali, ac proinde poteſt ac debet credere, INNOCENTIVM eſſe Succeſſorem Petri, ac verum Chriſti Vicarium.

6. Quia verò hanc certitudinem habere non poſſunt, qui non interfuerunt electioni, niſi quatenus ſciunt Pontificem pacificè fuiſſe adoratum & acceptatum, ideo dicit P. Suarez, forſan requiri hanc acceptationem, vt ſit de fide, hunc num. hominem eſſe Pontificem, id eſt, vt ita ſit de fide, vt omnes teneantur hoc credere: atque adeò illa acceptatio pacifica requiritur per modum applicationis, vi cuius ſufficienter toti Eccleſiæ innoteſcat, hunc numero hominem fuiſſe ritè electum. Acceptatio autem hæc, quæ per modum applicationis deſideratur, non eſt acceptatio petenda à communitate omnium fidelium, ſeu à ſingulis fidelibus, nec à communitate omnium Epiſcoporum, ſeu à ſingulis Epiſcopis: abſurdiſſimum enim foret dicere, quòd nemo poſſit credere hunc numero hominem eſſe verum Pontificem, niſi certus ſit, eius electionem acceptatam fuiſſe à ſingulis fidelibus, vel ſaltem à ſingulis Epiſcopis. Sed pro his, qui ſunt Romæ, ſatis eſt, quòd videant Papam electum pacificè adorari à Collegio Cardinalium, quod in ordine ad eligendum Pontificem repræſentat Eccleſiam, & nomine Eccleſiæ facit electionem; & quòd videant non opponi exceptionem, quæ poſſit dubitationem ingerere de validitate electionis. Pro his verò, qui ſunt extra Romam, vel extra Italiam, ſatis eſt, quòd notitia certa de electione & adoratione pacificâ facta in perſona huius numero hominis perueniat ad ipſos, & quòd ſciant, nullam adduci rationem, quæ poſſit dubitationem prudentem cauſare de legitimitate electionis.

7. Hinc autem non poteſt argui, quod ſimiliter conſenſus Eccleſiæ ſit neceſſarius, ad hoc vt definitio Pontificis ſit infallibilis; quia inde-

pen-

pendenter à conſenſu Eccleſiæ nobis certò conſtat, Romanum Pontificem eſſe Vicarium Chriſti, & vt talem determinaſſe controuerſiam fidei & morum; & aliunde nobis ex Scripturis, Patribus, & Concilijs certò conſtat, definitionem ab ipſo prouenientem eſſe infallibilem regulam fidei; ac proinde ille conſenſus Eccleſiæ nec eſt neceſſarius, vt detur infallibilitas in definitione, neque vt nos certificemur quòd Papa definierit: ſicut acceptatio pacifica huius hominis pro Papa, communiter cenſetur neceſſaria, vt Orbis Chriſtianus certificetur de eo, quòd electio eius fuerit legitimè facta, quamuis nullo pacto ingrediatur ad conſtituendum valorem electionis.

§. XIII.

Breuis Epilogus totius Diſputationis.

1. ET ſanè cum de fide ſit, Chriſtum reliquiſſe in Eccleſia aliquam regulam infallibilem viuam, quæ ſit iudex controuerſiarum; hęc regula nequit eſſe communitas fidelium: licèt enim Communitas Eccleſiæ ſit infallibilis in credendo, quia nequit ſecundùm ſe totam errare in fide, nequit tamen eſſe regula fidei in docendo: tum quia impoſſibile eſt totam Eccleſiam conuenire ad aliquid definiendum, ac proinde ad loquendum, & docendum per modum viuæ regulæ; tum quia magna pars Eccleſiæ eſt incapax docendi: denique quia docere ex cathedra definiendo, pertinet ad clauem ſcientiæ, & eſt actus ſpecialis poteſtatis à Chriſto datæ ad regendam Eccleſiam in doctrina; Chriſtus autem non contulit hanc poteſtatem toti corpori Eccleſiæ, ſed capiti pro bono corporis, vt probatum manet.

2. Rurſus hæc regula viua infallibilis nequit eſſe Concilium vt contradiſtinctum à Papa, quia regula iſta viua debet eſſe ſuprema, à qua non ſit appellatio ad aliam regulam viuam ſuperiorem: Concilium autem vt contradiſtinctum à Papa non eſt regula ſuprema; quia eſt veritas Catholica, Romanum Pontificem *habere ſupremam authoritatem in Eccleſia Dei*: ergo regula iſta ſuprema debet eſſe Papa, cui in perſona Petri Chriſtus dixit, *Paſce oues meas*. Euidens enim apparet, vel in communitate aliqua non eſſe ſupremum Iudicem, & viuam regulam, à qua non ſit appellatio, vel hunc Iudicem, & viuam regulam eſſe illum, qui toti Communitati præeſt, & eſt caput illius; cùm manifeſtum ſit, corpus non eſſe ſupra caput, nec oues ſupra Paſtorem, nec diſcipulum ſupra Magiſtrum. Si autem Papa eſt regula viua ſuprema, nequit eſſe regula ſuprema Concilium, cùm implicatorium ſit eſſe duas poteſtates ſupremas in eodem regno vel communitate. Quare Concilium ſolùm poteſt eſſe

regula ſecundaria ſubordinata regulæ primariæ, & in tantum poteſt eſſe regula fidei, in quantum adhæret capiti, & in quantum eius decreta à Papa confirmantur. Vnde in Eccleſia non ſunt reuera duæ regulæ viuæ infallibiles, ſed vna tantùm, quæ eſt Summus Pontifex, qui poteſt varijs modis vti ad definiendas fidei & morum controuerſias, nimirum tum extra Concilium generale, tum in Concilio generali. Solet definire extra Concilium generale, quando imminet periculum hæreſis, & non poteſt commodè Concilium congregari. Definit etiam aliquando in Concilio generali, quia id interdum expedit ad maiorem Eccleſiæ ſatiſfactionem, vtque magis conſtet de communi ſenſu eius, & ad maiorem confuſionem hæreticorum, vel quorumcunque contradicentium, vt rectè nobis declararunt Apoſtoli exemplo ſuo Act. 15. & ad Gal. 2. prout ſapienter notauit Eximius Doctor Franciſcus Suarez, diſp. 5. de fide.

Quæ contra aſſertam infallibilitatem opponi poſſunt, proponentur ſuo loco: per illa magis ea, quæ dicta ſunt, exponentur; Nunc enim probatio continuanda eſt.

DI-

Digitized by Google

DISPVTATIO II.

In qua ex Euangelio probatur authoritas infallibilis Romani Pontificis ad decidendas fidei & morum controuerſias ſine Concilio Generali.

SECTIO I.

Primum Caput probandi hanc infallibilitatem ex illis verbis Chriſti, Rogaui pro te Petre, ne deficiat fides tua.

1. ARGVMENTOR primò ex illis verbis Chriſti Lucæ 22. verſu 31. *Simon, Simon, ecce Satanas expetiuit vos, vt cribraret ſicut triticum: ego autem rogaui pro te, vt non deficiat fides tua, & tu aliquando conuerſus confirma fratres tuos.* Vbi Chriſtus ſignificauit Satanam petijſſe à Deo Patre licentiam, vt perpetuò poſſet agitare, atque concutere omnes Chriſti diſcipulos, vt in vera religione non manerent ſtabiles, ſed mouerentur omni vento Doctrinæ, ſicut triticum in cribro perpetuò agitatur: ipſum verò Chriſtum impetraſſe ſua oratione, vt nunquam deficeret vera fides à Sede Petri, id eſt, vt neque Petrus, nec vllus ex ſucceſſoribus eius falſa dogmata poſſit è cathedra credenda proponere fidelibus: vt enim hic notat Maldonatus, ſic dicit, *ego rogaui pro te, vt non deficiat fides tua,* quomodo Mathęi 28. dixit *Ego vobiſcum ſum omnibus diebus vſque ad conſumationem ſeculi,* comprehendendo ſcilicet etiam futuros omnes illorum ſucceſſores. Vt autem idem Maldonatus aſſerit, reſpexit Chriſtus tentationem, & fidem totius Eccleſiæ.

2. *Vt non deficiat fides tua:* Petri autem, etiam vt erat priuata perſona, nunquam defecit fides. Quamuis enim Petrus negauerit Chriſtũ in atrio Pontificis, fidẽ tamen non amiſit: tum quia oretenus negauit ob metum, non autem in corde: fides verò non amittitur, niſi per errorem intus pertinacem: tum quia nec externè fidem Chriſti negauit: ſolùm enim negauit ſe eſſe diſcipulum Chriſti, & illum nouiſſe; quòd autem Petrus eſſet

by Google

Christi diſcipulus, & illum nouiſſet, non erat articulus fidei: nullum ergo articulum fidei negauit nec externè: & quamuis externè negaſſet, ſufficit non negaſſe internè ad verificanda verba Christi: ergo non defecit fides Petri, ſed ſolùm defecit charitas, & confeſſio externa fidei. Christus autem non dixerat, rogaui pro te, ne deficiat charitas tua, & ne deficiat confeſſio fidei tuæ, ſed *ne deficiat fides tua*, quæ eſt in corde: vt enim ait Apoſtolus Rom. 10. *Corde creditur ad iuſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem*. Et hæc Christi oratio exaudita eſt à Patre pro filij ſui reuerentia, quia Petrus ſemper Christi fidem in corde retinuit. Vnde Chryſoſtomus homilia 83. in Matth. *Non dixit*, inquit, *non negabis, ſed vt non deficiat fides tua, cura enim ipſius & fauore factum eſt, ne omnino Petri fides euaneſceret*. Et Theophylactus in cap. 22. Lucę, *quamuis*, inquit *breui tempore concutiendus ſis, habes recondita ſemina fidei, & etiamſi folia abiecerit ſpiritus inuadentis, radix tamen viuet, & non deficiet fides*. Quibus verbis eleganti ſimilitudine explicat, Petrum negando Christum amiſiſſe confeſſionem fidei, quæ ore fit, folia enim verba ſignificant, fidem tamen, qua corde creditur ad iuſtitiam, non amiſiſſe.

3. Itaque ex hoc loco, vt notat Maldonatus, antiqui graueſque Doctores collegerunt, Eccleſiæ Romanæ, & ſucceſſorum in ea fidem fore perpetuam: iis enim Eccleſiæ fides aſſerebatur in Petro, qui Eccleſiæ caput futurus eſſet. *Commune erat omnibus Apoſtolis*, inquit S. Leo ſermone 2. in natali Apoſtolorum Petri & Pauli, *periculum de tentatione formidinis, & Dominicæ protectionis auxilio pariter indigebant, quoniam Diabolus omnes exagitare, omnes cupiebat elidere, & tamen ſpecialis à Domino Petri cura ſuſcipitur, & pro fide Petri propriè ſupplicatur, tanquam aliorum ſtatus certior ſit futurus, ſi mens Principis victa non fuerit*. In Petro ergo omnium fortitudo munita, & Dominicæ gratiæ ita ordinatur auxilium, vt firmitas, quam per Christum Petro tribuitur, per Petrum Apoſtolis conferatur.

4. Quare in præfatis verbis duo priuilegia Christus Petro impetrauit: primum, vt ipſe nunquam veram fidem amitteret, quamuis tentaretur à Diabolo: Secundum, vt tanquam Pontifex non poſſet vnquam docere aliquid contra fidem, ſiue vt in ſede eius nunquam ſederet, qui errores ſeminaret, & falſa dogmata fidelibus credenda proponeret. Idque ſatis euincunt verba illa, *Et tu aliquando conuerſus confirma fratres tuos*. Vt enim probat Maldonatus, manifeſtum eſt, nec de illo ſolùm tempore, quo negauit Petrus, nec de ipſo ſolùm Petro, ſed de omnibus eius ſucceſſoribus loqui Christum: nec enim tempore paſſionis cęteros Apoſtolos Petrus confirmauit; & confirmandi cęteros neceſſitas perpetua futura erat: ergo in perſona Petri omnibus eius ſucceſſoribus præcipit Christus vt fratres in fide confirment. Quomodo autem id præſtare poſſent, ſi errare ipſi poſſent? propterea enim Christus pro fide orauit

Pe-

Petri, vt alios confirmare poſſet, probè ſciens, alios confirmare non poſſe, ſi ipſe in fide deficeret: idque ſignificat etiam verbum illud *aliquando*, id eſt, ſi quando opus fuerit, ſi quis aliquando in fide nutauerit; quod omne futurum reſpicit tempus.

5. Illud autem *conuerſus* Hebraiſmus eſt, teſte Maldonato, quo repetitio ſignificatur, vt ſit ſenſus, *tu conuerſus confirma fratres tuos*, id eſt, ſicut ego te confirmaui, tu iterum fratres tuos confirma, quemadmodum verba illa Pſalmi 82. *tu conuerſus viuificabis nos*, hunc reddunt ſenſum, id eſt, tu qui occidiſti: Bellarminus ſic exponendum cenſet, vt ly *conuerſus referatur ad fratres*, & ſit ſenſus: tu cuius fides non poteſt deficere, quando videris aliquos nutantes, & vacillantes, ad eos conuerſus ipſos confirma: non enim videtur poſſe commodè intelligi de conuerſione à peccato ad pœnitentiam, vt ſit ſenſus; tu à peccato ad pœnitentiam conuerſus confirma fratres, nondum enim prædixerat Petro caſum ſuum, ſed paulò poſt prędicturus erat; abſurdum autem videtur, quòd priùs prędicatur conuerſio, quàm auerſio, reſurrectio quàm caſus; probabilis tamen eſt expoſitio Ambroſij, Theophylacti, & Eutimij qui conuerſum exponunt à peccato, quo Chriſtum negauit, acta pœnitentia, quaſi alijs de ſuo vulnere fecerit medicinam, ſi autem hoc modo exponamus, conuerti à negatione, non conuenit Petro, niſi vt priuatæ perſonæ, ac proinde non extenditur ad ſucceſſores; confirmare autem fratres conuenit ipſi vt Capiti ac Principi aliorum, ac proinde extenditur ad omnes Petri ſucceſſores.

6. Pariſienſes Doctores, qui defendunt Pontificem extra Concilium generale definientem errare poſſe, dicunt Chriſtum in illis verbis *rogaui pro te*, rogaſſe pro Petro, quatenus Eccleſiam vniuerſalem repręſentabat, ac proinde non rogaſſe immediatè pro Petro, quatenus erat Eccleſiæ caput; hinc autem ſolùm inferri, non poſſe vniuerſam Eccleſiam in fide errare. Verùm hanc expoſitionem violentam, & falſam eſſe, facilè euincitur. Primò, quia pro illo Chriſtus immediatè rogauit, cui iubendo commiſit fratres confirmare; hoc autē commiſit Petro, non autē toti Eccleſiæ, nam fideles non ſunt fratres Eccleſię, ſed filij. Secundò quia cùm Chriſtus præmiſiſſet, ecce Satanas *expetiuit vos* &c. vſus verbo plurali ad ſignificandam Eccleſiam, quæ ſolis Apoſtolis & diſcipulis tunc conſtabat, non ſubiunxit, ego autem rogaui pro vobis, ne deficiat fides veſtra, ſed ſtilum mutans, & ſermonem ad Petrum, eiuſque ſucceſsores dirigens, ideſt ad Petrum quatenus Eccleſię Caput, & propter capitis prętogatiuam, in ſingulari dixit, *ego autem rogaui pro te Petre*: ergo rogauit immediatè pro Petro, quatenus erat totius Eccleſiæ caput; rogauit ergo ne deficeret fides à Sede Petri, & ſua oratione obtinuit, vt nec Petrus, nec vllus Petri ſucceſſor errare poſſit dum Eccleſiam inſtruit in fide & moribus: & in hoc ſenſu dicitur ex conſequenti rogaſſe pro Eccleſia, quatenus rogauit pro eius Capite vt tali; bonum enim Capitis eſt

bonum corporis. Sic claues datæ ſunt Eccleſiæ, quia datæ ſunt Petro, eiuſque ſucceſſoribus: nec minùs immediatè verba illa, *rogaui pro te ne deficiat fides tua*, diriguntur ad Petrum, quàm iſta, *paſce oues meas*: certum autem eſt hæc verba dicta eſſe Petro, & non toti Eccleſiæ. Denique cùm Chriſtus toties perſonam Petri deſignauerit, dicens bis, *Simon, Simon*, & nomen ſecundæ perſonæ identidem repetens, *pro te, fides tua, & tu fratres tuos*, manifeſtè colligitur aliquod ſpeciale priuilegium Petro præ cæteris Apoſtolis oratione ſua impetraſſe: non ergo ſolùm impetrauit; ne deficeret fides à tota Eccleſia, quam tunc cœtus Apoſtolorum componebat, ſic enim nihil ſpeciale pro Petro obtinuiſſet. ergo obtinuit ne deficeret fides à ſede Petri, ſeu ne Petrus & ſucceſſores eius contra fidem aliquid docerent è cathedra. Et hunc eſſe legitimum & literalem huius loci ſenſum teſtata eſt communis expoſitio Patrum, quorum verba ſcribit Bellarminus lib.4. de Romano Pontifice cap.3.

SECTIO II.

Secundum idem probandi caput ex illis verbis, Tu es Petrus, & ſuper hanc petram, *&c.*

1. SEcundò argumentor principaliter ex verbis Chriſti ad Petrum Matth.16.verſ.18. *Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam* &c. Interrogauerat Chriſtus Apoſtolos omnes; *vos autem quem me eſſe dicitis?* Petrus autem plenus fide ceteros in confeſſione præueniens reſpondit, *Tu es Chriſtus filius Dei viui*: Chriſtus autem laudans confeſſionem Petri, ad eumque ſermonem dirigens ipſi determinatè dixit, *Et ego dico tibi*; non dixit autem *vobis*, quaſi comprehendere voluiſſet Apoſtolos omnes, quatenus vnam conſtituebant Eccleſiam; *tu es Petrus*, id eſt non ſolùm vocaris, ſed reuera es Petrus, ſeu Petra, rupeſque firmiſſima ratione immobilis fidei, ſupra quam fundabo Eccleſiam meam. Illa autem verba, & ego *dico tibi*, continent elegantem antitheſin, quaſi dicat, *tu*, qui *homo es*, filium Dei viui me eſſe dixiſti, ego verò, qui filius Dei viui ſum, dico te eſſe Petrum, ſeu firmiſſimam Petram, ſupra quam ædificabo Eccleſiam meam, id eſt, dico *te eſſe Vicarium meum*, nam Eccleſia, quæ ſuper me ædificata eſt, ſupra te tanquam ſecundarium quoddam etiam fundamentum ædificabo.

2. Cùm autem Chriſtus dixit, *tu es Petrus*, non tunc primùm impoſuit Simoni nomē Petri, id enim antea præſtiterat, cùm primùm Andreas ipſum adduxerat ad Chriſtum: Ioannis 1. verſ. 12. tunc enim eum intuitus Chriſtus dixit, *Tu es Simon filius Iona, tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus*; quaſi diceret: deinceps non vocaberis Simon, ſed

Pe-

Digitized by Google

Petrus: & in hac nominis mutatione reſpexit Chriſtus tempus futurum, in quo illum facturus erat Eccleſiæ ſuæ fundamentum, ſicut dum nomen mutauit Abræ, geneſ. 17. *nec vltra vocabitur nomen tuum Abram, ſed appellaberis Abraham*, quia Patrem multarum gentium &c. ſicut enim Chriſtus duodecim Apoſtolos ad ſimilitudinem duodecim Patriarcharum elegit, ita conueniens fuit, vt Apoſtolorum Principi nomen mutaret, ſicut mutauit nomen Patriarcharum Principi, idque ob eandem rationem. Abræ enim ideo mutatum eſt nomen, quia ob eminentiam fidei Pater multarum gentium futurus erat: & hac eadem ratione mutatum eſt nomen Simoni, quia omnium Chriſtianorum futurus erat Pater, & non minùs inter Apoſtolos fide eminuit, quàm Abram inter Patriarchas: idem autem eſt nomen Petri in lingua græca & latina, ac in Hebræa & Syriaca Cephas in vtraque enim lingua, inquit Beda, nomen à petra deriuatur, vocatur autem Petrus ob fidei firmitatem.

3. Vnde hunc locum, *tu es Petrus* &c. ſic ad literam exponit Caietanus, quaſi Chriſtus diceret; ecce ad quid eſt Petrus, ad quid eſt ſaxum, ad officium ſcilicet fundamenti: pronomen ſiquidem *hanc* demonſtrat ſaxum de quo eſt ſermo: de nullo autem ſaxo præmiſſus eſt, aut ſequitur ſermo, niſi de Petro: ipſe ergo Petrus ſecundùm planum contextum literæ demonſtratur per pronomen *hanc*, ac ſi apertius diceret, tu es ſaxum, & ſuper hoc ſaxum ædificabo Eccleſiam meam: te, qui iam es ſaxum, efficiam fundamentum, ædificando Eccleſiam meam ſuper te; quam expoſitionem, priùs tradiderat in opuſculo de Romani Pontificis inſtitutione & authoritate cap. 2. vbi dixerat, vt in hac promiſſione, *tu es Petrus, & ſuper hanc petram* &c. triplex inueniatur intellectus, exponendo per *hanc petram* vel Chriſtum, vel Petrum, vel confeſſionem Petri, vnicum tamen ſenſum literalem eſſe, quòd per hanc petram demonſtretur Petrus.

4. Et hunc eſſe vnicum literalem ſenſum huius loci planè euincunt Maldonatus hìc, & Bellarminus lib. 1. de Romano Pontifice cap. 10. & oſtenditur à ſufficienti partium enumeratione: quia vel particula illa *ſuper hanc petram* determinat Petrum, vt docent prædicti Doctores, & communiter contendunt Interpretes, vel deſignat confeſſionem fidei factam à Petro, vt proinde ſenſus ſit, ſuper hanc petram, id eſt in hac fide & confeſſione ædificabo Eccleſiam meam, prout exponunt Hilarius, Gregorius Niſſenus, Chryſoſtomus, Cirillus Alexandrinus, & Auctor Commentariorum in Epiſtolas Pauli, qui Ambroſio tribuuntur: vel denique perſonam Chriſti, vt vult Auguſtinus tract. 27. & 123. in Ioannem, & ſermone 13. de verbis Domini ſecundùm Matthæum, quanquam alibi primam expoſitionem ſecutus ſit. Vnde lib. 1. retractationum cap. 21. inquit: *Dixi in quodam loco de Apoſtolo Petro, quòd in illo tanquam in petra ædificata eſt Eccleſia; ſed ſcio me poſtea ſæpiſſimè expoſuiſſe*, quòd à Domino dictum eſt, *tu es Petrus, & ſuper hanc petram* &c. *vt ſu-*

Digitized

ſuper hunc intelligeretur, quem confeſſus eſt Petrus dicens, tu es Chriſtus filius Dei viui; ac ſi Petrus ab hac petra appellatus perſonam Eccleſiæ figuraret, quæ ſuper hanc petram ædificatur: non enim dictum eſt illi, tu es petra ſed tu es Petrus; petra autem erat Chriſtus, quem confeſſus Simon, ſicut ei tota Eccleſia confitetur, dictus eſt Petrus. Harum autem duarum ſententiarum quæ ſit probabilior, eligat lector.

§. I.

Impugnantur hæretici negantes Eccleſiam fundatam fuiſſe à Chriſto ſupra Petrum.

HOs patres paulò ante citatos, reuerenter interpretatur Maldonatus, acriter inuectus in hæreticos huius temporis, qui ne cogantur fateri Romanum Pontificem caput eſſe, ſiue Eccleſiæ fundamentum, negant Eccleſiã ſupra Petrum fundatam eſſe, & totis viribus contendunt verba illa *ſuper hanc petram* referenda non eſſe ad Petrum. Cæterum ſuper ipſum Petrum Eccleſiam ædificatam fuiſſe, omnes prorſus, præter hæreticos, veteres Authores docuerunt, inquit Maldonatus in præſenti. Vnde ſic arguo per illa verba *ſuper hanc petram* nec perſona Chriſti, nec fides in Chriſtum deſignatur: ergo deſignatur perſona Petri.

§. II.

Oſtenditur per illa verba ſuper hanc petram, *non deſignari Chriſtum, ſed Petrum, atque adeò ſupra hunc, & ſucceſſores eius fundaſſe Eccleſiam.*

1. QVòd non deſignetur perſona Chriſti, probat Caietanus in opuſculo iam citato c. 2. col. 5. quia ſi ſeipſum demonſtraſſet Chriſtus per illa verba *ſuper hanc petram*, non dixiſſet *ædificabo*, ſed ædifico, quoniam tunc verè ſuper ſeipſum ædificabat, faciendo de Simone Petrum: ſuper petram autem non tunc, ſed poſt reſurrectionem ædificare cępit, & propterea dixit in futuro, *ædificabo*: ac ſi apertè diceret; *te, quem nunc facio Petrum, poſtea faciam fundamentum Eccleſiæ meæ.* Verùm hæc probatio efficax mihi non videtur: Primò quia falsò ſupponit, tunc Chriſtum feciſſe de Simone Petrum, quia, vt inquit Auguſtinus lib. 2. de conſenſu Euangeliſtarum *nullus* arbitretur quòd tunc Petrus nomen acceperit; non enim accepit hoc nomen, niſi vbi Ioannes com-

commemorat ei dictum eſſe; *tu vocaberis Cephas*, id eſt quando à fratre ſuo Andrea adductus eſt ad Chriſtum: tunc enim Chriſtus non promiſit; ſed impoſuit Simoni nomen Petri, quę nominis mutatio ortum duxit ex electione æterna, qua prædeſtinatus erat in Principem Eccleſiæ, quia enim Deus decreuerat eam fundare ſuper illum, ideo ipſi mutauit nomen Simonis in Petrum.

2. Secundò, quia ſicut Chriſtus non cæpit ædificare Eccleſiam ſuam ſuper Petrum, tanquam ſupra lapidem ſecundarium, niſi poſt reſurrectionem, ita nec ſupra ſeipſum tanquam ſupra primarium; lapis enim primarius non ædificat actu Eccleſiam, quouſque lapis ſecundarius ipſi innitens Eccleſiam actu ædificet. Vnde cùm Chriſtus nomen Simoni in Petrum mutauit, non fundauit Eccleſiam ſupra ſeipſum, ſed ſignificauit, ſe poſtea illam fundaturum ſupra Petrum, tanquam ſupra lapidem ſecundarium, & ſupra ſeipſum vt primarium: nec enim ante electionem Petri in Principem Apoſtolorum erat iam Eccleſia fundata, imò nec tunc fundata eſt, cùm Petrus electus eſt per illa verba, *tu es Petrus, & ſuper hanc petram* &c. nec tunc facta eſt promiſſio Eccleſiæ poſtea fundandæ; ſicut cùm dixit Chriſtus, *tibi dabo claues Regni cælorum*, non claues tum dedit, ſed promiſit: Chriſtus ergo per illa verba *Tu es Petrus* &c. Solùm declarauit, Petrum ob fidei firmitatem iam eſſe tunc petram dignam, quæ aſſumeretur in fundamentum ædificij: & ideo, vt obſeruant S. Leo, S. Gregorius, & Beda, Chriſtus hoc loco non dixit, tu vocaris Petrus, ſed tu es Petrus, vt ſcilicet firmaret, tu es Petrus re & nomine, hoc eſt ſolidus, & firmus, & in fide conſtans tanquam Petra.

3. Melius id probat Caietanus, & communiter Doctores, quia niſi verba illa, *& ſuper hanc petram*, referrentur ad perſonam Petri, impertinenter Chriſtus præmiſiſſet, *tu es Petrus*, cum tamen pro maxima re hoc Petro dictum, Euangelium inſinuet, cùm Dominus quaſi reddens vicem Petro dixerit *tu es Petrus*. Quid enim tam magnum ſonaret eſſe Petrum, aut quorſum *tu es Petrus*, niſi ſubſequenter demonſtraretur, *& ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam*? Dubium ergo eſſe non poteſt, Chriſtum aliquid magnum, & ſingulare tanquam fidei confeſſionis præmium Petro concedere voluiſſe: quid autem magnum promiſiſſet, ſi ſolùm illi tunc dediſſet nomen Petri; vel nomen antea datum tunc repeteret? illis ergo verbis, *& ſuper hanc petram, ædificabo Eccleſiam meam*, ſignificauit, ſe illi hanc eximiam & ſingularem dignitatem conceſſurum, vt ſuper eum Eccleſiam ædificaret, id eſt, eum Eccleſiæ caput, & ſuum in terris Vicarium faceret. Vnde Hilarius, *en*, inquit, *dignum planè confeſſio Petri præmium conſecuta eſt, quia ſcilicet filium Dei in homine vidiſſet*.

4. Confirmatur: quia cum dicitur *ſuper hanc* petram, pronomen illud ſuper *hanc* demonſtrat aliquam petram, de qua Dominus paulò ante locutus

cutus fuerat: at tum Chriſtus non ſeipſum, ſed Simonem vocauerat Petram, Syriacè namque loquebatur; in lingua autem Syriaca Petrus & petra eiuſdem generis ſunt, eandemque terminationem habent, vt docet Hieronymus in caput 2. ad Galatas; & res certiſſima eſt, inquit Bellarminus, nam vbicumque in textu Hebræo eſt *Sella*, id eſt petra, in Syriaco eſt *Cepha*; quin etiam *Cepha* Hebraicè rupem ſignificat: quare vbi in verſione græca atque latina legimus, *tu es Petrus & ſuper hanc petram*, &c. in Syriaca atque Hebraica, in qua Matthæus ſcripſit, legitur, *tu es Cephas, & ſuper hoc cephas ædificabo* &c. quâſi diceret latinè, *tu es Petræ, & ſuper hanc petram*, &c.

5. Vnde, teſte Bellarmino, Auguſtinus ex ſola ignorantia linguæ Hebreæ eſt deceptus, dum exiſtimauit verba illa, & *ſuper hanc petram* deſignare Chriſtum, eò quòd immediatè antea Chriſtus non dixerat, tu es Petra, ſed *tu es* Petrus. Quo argumento minimè moueretur, ſi ſciret in lingua illa in qua loquutus eſt Chriſtus, eodem nomine ſignificari. Hinc quia Caluinus ad negandum primatum Petri obſeruauit, non ſine cauſa Euangeliſtam orationem variaſſe, cumque dixiſſet, *tu es Petrus*, ſecundo loco non dixiſſe ſuper Petrum, ſed ſuper *hanc petram*, vt aliam petram ſignificaret: hanc Caluini obſeruationem puerilem, & ridiculam appellat Maldonatus, quia cùm certum ſit Matthæum Euangelium ſuum ſcripſiſſe in lingua Hebraica aut Chaldaica, in quibus non eſt iſta generis differentia, quæ græcè & latinè reperitur, ſed vno eodemque nomine Petrus & petra ſignificantur; Chriſtus in illa lingua dixit, *tu es petra*, & *ſuper hanc petram* &c. dubiũ ergo eſſe non poteſt pronomen illud ſuper *hanc* deſignare Petrum. Si dicas, cur interpres græcus Matthæi illam generis diſtinctionem adhibuerit? Reſpondet idem Author in promptu rationem eſſe, quia quamuis græcè petros genere maſculino; & petra fæminino dicatur: tamen Petrus, quia vir erat, non petra fæminino, ſed Petrus maſculino nomine vocandus erat: ſecundo autem loco, vbi de ædificij fundamento agebatur, non petrum, ſed petram, quia in eiuſmodi ædificijs nomen Petræ fæmininum magis vſitatum eſt:

6. Confirmatur ſecundò: quia licèt Chriſtus poſſit dici petra, & ita in Scriptura nominetur, tamen hoc loco à Petro confitente non eſt appellatus *petra*, *ſed Chriſtus* filius *Dei viui*: illud autem ſuper *hanc* ad eum referri debet, qui nominatus eſt petra, ſic autem non Chriſtus, ſed ſolùm Petrus nominatus: ergo ad iſtum, & non ad illum referri debet.

§. III.

§. III.

Oſtenditur Chriſtum per illa verba: Tibi dabo claues Regni cœlorum : *Petro & ſucceſſoribus eius promiſiſſe principatum ſuper totam Eccleſiam.*

1. PRæterea idem aſſumptum principaliter probatur ex verbis, quæ Chriſtus immediatè ſubiunxit, *Et tibi dabo claues Regni cœlorum*: hęc enim dicta eſſe Petro, manifeſtum eſt; ergo etiam immediatè præcedentia, *tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi* &c. directa ſunt ad perſonam Petri, quatenus ratione firmitatis fidei meruit fieri fundamentum Eccleſię. Probatur conſequentia, quia abſurdum eſt tam paucis verbis rerum aut perſonarum fieri mutationem: ergo ſicut poſteriora verba, *tibi dabo claues Regni cœlorum*, ſignificant Petro dandas claues, ita priora, *& ſuper hanc petram* &c. ſignificant ſupra Petrum ędificandam eſſe Eccleſiam: per vtramque enim metaphoram clauium & fundamenti idem ſignificatur, vt probant Maldonatus hic, Bellarminus lib. 1. de Romano Pontifice cap. 10. & P. Suarez lib. 3. aduerſus Regem Angliæ cap. 10. num. 13. atque adeò ſub duabus metaphoris promiſſus eſt Petro Eccleſiæ principatus. Prior metaphora eſt fundamenti, ac ędificij; quod enim eſt in ędificio fundamentum, id eſt in corpore caput, in ciuitate Rector, Rex in Regno, Paterfamilias in Domo, poſterior eſt clauium; cui enim tribuuntur claues ciuitatis, ille inſtituitur Rex, vel certè Gubernator ciuitatis, qui quos vult, admittat, & quos vult, excludat.

2. Et quidem quòd illa verba *tibi dabo claues Regni cœlorum*, principatum Petri ſignificent, eo quòd ſolent Domus, aut Vrbis claues penes eum eſſe, qui in Domo, vel Ciuitate princeps eſt, probat Maldonatus ex Scriptura, in qua per claues principatus ſignificatur. Primò ex illo Eſaiæ 22. *Et dabo clauem Domus Dauid ſuper humerum eius, & aperiet, & nemo erit qui claudat, & claudet, & nemo erit, qui aperiat*, id eſt ſupremam illi in regno Dauid poteſtatem dabo. Notat autem ſuper *humerum* dixiſſe, cùm tamen claues non ſuper humerum, ſed in zona geſtari ſoleant; quia vt ſæpe in Scriptura fieri ſolet, duas confundit metaphoras idem ſignificantes, alteram clauium, alteram Sceptri, quarum vtraque ſummum declarat imperium: quia ergo ſceptrum ſuper humerum geſtari ſolet, dixit, ſe claues Domus Dauid ſuper humerum eius poſiturum. Secundò probat ex Apocalypſi 1. vbi Chriſtus in eodem ſenſu dicitur *habere claues mortis & inferni*, id eſt, Dominus eſſe vitæ & mortis, & *habere clauem Dauid, aperiat, & nemo claudat,*

claudat, & nemo aperiat. Hoc ergo ſenſu claues Petro datæ ſunt, id eſt, ſuprema poſt Chriſtum in Eccleſia poteſtas, vt claudat, & nemo aperiat, aperiat, & nemo claudat, id eſt, vt quæ ſoluerit, nemo ligare, quæ ligauerit, nemo ſoluere poſſit.

3. Inde poteſtas Summi Pontificis ad reſeruandos, quos vocant, caſus, efficaciſſimè probatur; id etiam inde colligit, quòd ſoli Petro hoc loco dicatur, *tibi dabo claues Regni cœlorum*, & ita dicatur quaſi alijs dandæ non eſſent, quia ſolus reſpondit, *tu es Chriſtus filius Dei viui*, ſicut ſoli dictum eſt, *ſuper hanc petram* &c. diuerſis enim metaphoris, altera fundamenti, altera clauium, vnus, idemque principatus ſignificatur, & vna alterius explicatio eſt.

4. Et quidem quòd per claues hic principatus Eccleſiæ Petro ſit promiſſus à Chriſto, probat alio argumento Maldonatus, eo quòd Chriſtus infra cap. 18. verſ. 18. ligandi atque ſoluendi omnibus Apoſtolis poteſtatem dedit, nullam de clauibus mentionem faciens quia nimirum ſolus Petrus eas claues habuit, quibus ita aperiebatur, vt nemo clauderet, ita clauderet vt nemo aperiret, ſicut in Domo etiamſi multi famuli ſuas claues habeāt, ſolus tamē Dominus domi omnes, & ſecretas habet, quibus, cùm vult, ita claudit, vt nemo aperiat, & aperit vt nemo claudere poſſit: quare cæteris Apoſtolis tribuit quidem Chriſtus quandam authoritatem vſus clauium, vt ſcilicet aperirent & clauderent cęlum; claues tamen ipſas, id eſt principatum, plenamque poteſtatem id omne faciendi promiſit ſoli Petro, atque conceſſit; & ideo in Euangelio nunquam legimus Chriſtum omnibus Apoſtolis claues tradidiſſe. Dum ergo eas Petro promiſit, nil aliud promiſit, quàm poteſtatem regendi Eccleſiam, quæ eſt regnum ad cælum conſequendum, vt explicat rectè P. Suarez vbi ſupra num. 15.

§. IV.

Oſtenditur Chriſtum non ſoli Petro, ſed etiam ſucceſſoribus eius dediſſe primatum ſupra totam Eccleſiam.

1. HVnc autem principatum conceſſit Chriſtus non ſoli Petro, ſed omnibus eius ſucceſsoribus: cùm enim Eccleſia ſit immortalis, non potuit à Chriſto ſuper mortalem hominem ædificari; ſic enim eo mortuo ipſa corrueret. Deinde quis ſit tam inſanus, vt credat pro regenda Eccleſia vſque ad finem Mundi duratura, Chriſtum tradidiſse claues ſoli Petro, & non eius ſucceſsoribus, & ouili perpetuo Paſtorem temporarium ſubfeciſse? Ergo Chriſtus claues tradidit Petro ratione officij, id eſt non tam perſonæ quàm dignitatis, ac proinde pro ſe & ſucceſsoribus.

Idque

2. Idque euincit Chriſti oratio expenſa §. 1. nam ille cum omnibus Apoſtolis loquebatur Matthæi 28. quando dixit *Docete omnes gentes*; & Ioannis 20. quando dixit: *Sicut miſit me viuens Pater, & ego mitto vos.* Pro omnibus item orauit Patrem, quando Ioannis 17. dixit; *Sanctifica eos in veritate; ſermo tuus veritas eſt: ſicut tu me miſiſti in Mundum, & ego eos mitto in Mundum, & pro his ego ſanctifico meipſum, vt ſint & ipſi ſanctificati in veritate*. Ergo omnibus impetrauit doctrinæ firmitatem, & ne errare poſſent docentes: vt enim exponit ad literam Toletus, *ſanctificare eos in veritate* eſt per Spiritum Sanctum veritatem Euangelicam perfectam infundere, vt fiant Doctores & Magiſtri doctrinæ Euangelicę, & hoc per Spiritum Sanctum, qui non nuda verba & conceptus doceat, ſed gratiam infundat, vt fiant digni Magiſtri & Doctores tantæ doctrinę, vt ſanctè veritatem accipiant & doceant. Cùm enim futuri eſſent orbis Magiſtri, petijt Chriſtus, vt a Spiritu Sancto digni fierent Doctores omni inſtructi virtute ac veritate: nec dubium quòd impetrauerit, quod petijt; nam pro hoc impetrando ſeipſum ſanctificauit, id eſt, in ſacrificium obtulit, vt communiter Doctores expendunt: ergo Chriſtus obtinuit ſua oratione, vt Apoſtoli in veritate doctrinę ſtabiles permanerent, & ne errare poſſent in tradenda fide. Hinc autem infero, quando Chriſtus rogauit Lucæ 22. ſpecialiter pro Petro, ne deficeret fides eius, non tantùm impetraſſe, ne Petrus per ſeipſum falſa dogmata doceret Eccleſiam, ſed ne Sedes Petri vllo vnquam tempore in docendo errare poſſet.

3. Præterea, ſi verba illa *ſuper hanc petram*, & illa, *tibi dabo claues* &c. de ſolo Petro, & non de ſucceſſoribus eius intelligenda forent, etiam illa Ioannis 20. *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis peccata, remittentur eis, quorum retinueritis, retenta ſunt*, de ſolis Apoſtolis, & non de Epiſcopis eorum ſucceſſoribus, & Sacerdotibus ab ipſis ordinatis intelligenda eſſent: hoc autem eſt manifeſtus error in fide, & contra Tridentinum ſeſſione 24. Can. 3. *de fide namque eſt, Epiſcopos & Sacerdotes ex vi poteſtatis à Chriſto conceſſæ, per illa verba poteſtatem habere remittendi peccata fidelibus illa ritè confitentibus*, ergo &c.

4. Probatio hucuſque facta nititur in eo, quòd per illa verba illa *ſuper hanc petram* &c. & per illa *tibi dabo claues* &c. idem omninò ſignificetur. Verùm quamuis cum Caietano in opuſculo de Romani Pontificis inſtitutione cap. 2. col. 3. dicamus, promiſſionem faciendi Petrum fundamentum Eccleſię, & promiſſionem dandi illi claues Eccleſię eſſe diuerſas, atque primam reſpicere conſtructionem Eccleſiæ, ſecundam verò ipſius auctoritatem; ſeu primam ad ſubſtantiam, ſecundam ad officium pertinere: idem argumentum conficitur; nam vtraque promiſſio ad eandem omninò perſonam directa eſt: & ſicut pronomina illa *tu* & *tibi* Petrum reſpiciunt, ita & pronomen ſuper *hanc* Petrum deſignat; incredibileque eſt, Chriſtum loquentem cum Petro, dum dixit *tu es*

Petrus, & dum dixit *tibi dabo claues*, non loqui cum Petro in clauſula intermedia, & ſuper *hanc petram*. Vnde meritò P. Suarez lib. 3. aduerſùs Regem Angliæ cap. 10. num. 4. dixit, euidens eſse ex tenore verborum, promiſſionem illam factam eſse Petro in ſua propria perſona: & num. 6. addidit Christum per illa verba, & ſuper *hanc petram* &c. ſine dubio eundem Petrum deſignaſse,

§. V.

Oſtenditur per illa verba, & ſuper hanc petram, *nec fidem, nec fidei confeſſionem, ſed perſonam Petri deſignari.*

1. HAbemus ergo Chriſtum per ly *ſuper hanc petram* non deſignaſse ſeipſum. Quòd autem non deſignauerit fidem Petri, vel fidei confeſſionem, eiſdem argumentis euincitur. Quamuis enim Chriſtus ob illam illuſtrem confeſſionem, *tu es Chriſtus filius Dei viui*, ortam ex fide firmiſſima, dixerit Petro, *tu es Petrus*, *& ſuper hanc petram* &c. tamen promiſſio non eſt facta confeſſioni fidei, ſed perſonæ confitenti; quia enim Petrus ob fidei ſoliditatem, & conſtantiam erat veluti firmiſſima petra, promiſit ei Chriſtus, ſe ſupra illum eſſe fundaturum Eccleſiam ſuam. Vnde ſicut pronomina illa *tu*, & *tibi* Petrum deſignant, cùm Chriſtus dixit, *tu es Petrus* & cum dixit, *tibi dabo claues*, ita pronomen illud *hanc*, perſonam Petri deſignat, cùm dixit, & ſuper *hanc petram* &c.

2. Hinc infero cum Maldonato, quo ſenſu exponendi ſunt Patres, qui verba illa *ſupra hanc petram* interpretantur *ſuper hanc fidem*: dicere enim voluerunt per fidem, & confeſſionem Petri Eccleſiam eſſe ædificatam, id eſt ſuper Petrum propter fidem & confeſſionem. Sic dicere ſolemus, in vnius hominis fide fundatam eſſe Rempublicam, id eſt, in vno homine propter eius fidem. Sic Ambroſius de reſurrectionis fide dixit, ſuper aquas fidem Petri ambulaſse, id eſt Petrum propter fidem, quia nimirum fides eius effecit, vt ſuper aquas ambularet,

3. Nec vrget fundamentum, quo Caluinus contendit, per petram Chriſtum ibi deſignari; quia nimirum petra erat Chriſtus, & ſolus ipſe eſt fundamentum Eccleſiæ, iuxta illud Pauli 1. Corinth. 3. *Fundamentum aliud nemo poteſt ponere præter illud quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus Ieſus*. Non inquam, vrget, quia licèt ſolus Chriſtus ſit primarium fundamentum, lapiſque primus & maximus, atque angularis huius ædificij, Apoſtoli tamen & Prophetæ etiam ſunt lapides, & fundamentum licèt ſecundarium, vt conſtat ex ipſo Apoſtolo ad Hebræos 2. Superedificati

ſuper

ſuper *fundamentum Apoſtolorum & Prophetarum*, ipſo ſummo angulari lapide Chriſto Ieſu. Apoſtolus ergo in prima ad Corinthios loquitur tantùm de primario fundamento; alioqui pugnaret ſecum, & repugnaret Ioanni, qui de Eccleſia loquens Apocalypſi 21. inquit, *Et murus Ciuitatis habens fundamenta duodecim, & in ipſis duodecim nomina duodecim Apoſtolorum*. Chriſtus ergo eſt prima petra, primumque fundamentum Eccleſiæ, poſt Chriſtum verò Petrus, & eius ſucceſſores Petra ſunt firmiſſima, cui innititur tota ædificij moles. Dicamus ergo de Petro cum Auguſtino ſer. 16. de ſanctis: *Dicitur Petra, eo quòd nationibus fidei fundamenta poſuerit, & tanquam ſaxum immobile totius corporis Chriſtiani compagem, & molem contineat*.

4. Ex hucuſque dictis fixum manet per verba illa *ſuper hanc petram* deſignari Petrum, proindeque Eccleſiam ſuper Petrum, eiuſque ſucceſſores eſſe fundatam: idque docet conſenſus totius Eccleſiæ, & Græcorum ac Latinorum Patrum, quorum verba habentur apud Bellarminum lib. 1. de Romano Pontifice cap. 10. & apud Valentiam in Analyſi fidei lib. 3. cap. 2. & apud Suarez lib. 3. defenſionis fidei cap. 10. à n. 3. Idque docuit totum Concilium Calcedonenſe, in quo 630. Patres ſederunt, ſiquidem actione 3. appellat. *Petrum petram, & crepidinem Eccleſiæ Catholicæ*. Apponam hic tanquam coronidem teſtimonium Viri Sanctitate pariter ac ſapientiâ inſignis S. Franciſci de Sales, ex Gallico idiomate fideliter in latinum tranſlatum. In diſcurſu 32. Sic habet. *Miniſtri conantur quantum poſſunt, turbare fontem Euangelij tam aſtutè vt S. Petrus non poſſit ibi ampliùs inuenire ſuas claues, & faciunt, quod poſſunt, vt create in nobis auerſionem à bibenda aqua ſanctæ obedientiæ, quam debemus Domini Noſtri Vicario. Sed quid fecerunt? Hoc cepere conſilium, vt dicerent Sanctum Petrum hanc promiſſionem à Domino Noſtro accepiſſe nomine totius Eccleſiæ, abſque eo quòd acceperit propterea priuilegium aliquod particulare in ſua perſona. Iam verò ſi hoc non eſt violare Sacram Scripturam, numquam homo illam violabit: An enim S. Petrus non eſt, cui loquebatur? & quomodo melius poterat intentionem ſuam explicare, quàm dicendo; ET EGO DICO TIBI, DABO TIBI? cùm enim proximè locutus eſſet de Eccleſia dicendo. Portæ inferi non præualebunt aduersùs eam, qui ipſum impediuiſſet, quo minùs adderet, & dabo illi claues regni, ſi eas dare voluiſſet toti Eccleſiæ: immediatè non dixit illi, ſed dabo Tibi. Si liceat hoc pacto diuinare ſuper verbis claris, nihil ſupererit in ſcriptura, quod applicari non poſſit ad ſenſus omnes*. Hactenus Sanctus Franciſcus Saleſius.

S. VII.

§. VI.

Ex eo quòd portæ inferi præualere non poſſint *aduerſus Eccleſiam fundatam ſupra Petrum, rectè concluditur, Romanum Pontificem errare non poſſe in determinandis fidei & morum controuerſijs.*

1. HInc conficitur validiſſimum argumentum pro auctoritate infallibili Pontificis extra Concilium; nam Petrus, eiuſque ſucceſſores ſunt ſolidiſſima petra, ſupra quam Eccleſia ita firma conſiſtit, vt portę inferi aduerſus eam præualere non poſſint, id eſt, non poſſint omnes inferni poteſtates facere, vt corruat: ergo nec Petrus, nec eius ſucceſsores poſsunt deficere in ſubſtentando Eccleſiæ ædificio; labefactato namque fundamento, & deficiente in munere ſuſtentandi, neceſse eſt vt ędificium corruat. At ſi Petrus, eiuſque ſucceſsores è cathedra falſa dogmata traderent, & fidelibus credenda proponerent, iam deficerent in ratione fundamenti & ſuſtentationis Eccleſiæ, quia iam illam non ſuſtentarent, ſed potiùs corruere facerent: ergo non poſsunt Petrus, eiuſque ſucceſsores falſa dogmata è cathedra tradere, atque credenda proponere. Confirmatur: Chriſtus in ea lingua in qua loquebatur, Simonem appellauit *Cephas*, quod vocabulum ſignificat ſaxum firmum, & magno ponderi ſuſtinendo aptum: ſic autem eum appellauit, vt conſtat ex contextu Euangelij, & communi Patrum expoſitione, quia in cęleſtis doctrinę ſoliditate, ac firmitudine totam Eccleſię fabricam ſuſtentaturus erat: ergo Chriſtus eam fidei conſtantiam, & doctrinę firmitudinem conceſſit Petro, eiuſque ſucceſsoribus, vt nunquam errare poſſint in his, quę credenda proponunt toti Eccleſię.

2. Dices, vt Simon meritò appellatus ſit à Chriſto Cephas, ſatis eſse, quòd poſt Chriſtum Petrus ſit primus lapis huius fabricę, contra quam portę inferi præualere non poſſint, id eſt fundamentum Eccleſię, quę congregata in Concilio generali errare non valeat, aliquid falſum determinando. Sed contra, quia hoc pacto firmitas huius ædificij non prouenirer à fundamento, ſed è contra firmitas fundamenti ab ędificio; ideo enim Pontifex non poſset errare, quia Concilium errare non valet, & non è contra: id autem eſt contra ſententiam Chriſti, qui ideo dixit, portas inferi non præualituras aduerſus Eccleſiam, quia illa fundata eſt ſupra hanc firmiſſimam petram, id eſt ſupra Petrum firmiſſimè adhęrentem Chriſto in fide, & doctrina veritatis: quia enim Petrus confeſsus

feſſus eſt Diuinitatem Chriſti ex reuelatione Patris, ideo Chriſtus promiſit ſe fundaturum ſupra ipſum, tanquam ſupra firmum, & immobile ſaxum Eccleſiæ ædificium, quod ob firmitatem fundamenti à Diabolo euerti non poſſet: & ideo Petrum ſolum vocauit Petram, & fundamentum, non Petrum cum Concilio, & ſoli Petro, non Petro cum Concilio tradidit claues.

3. Confirmatur: quia dum Chriſtus confeſſionem Petri laudauit dicens, *Beatus es Simon Bariona, quia caro & ſanguis non reuelauit tibi, ſed Pater meus qui in cœlis eſt*; & ſtatim addit, & ego dico tibi, *quia tu es Petrus, & ſuper hanc petram* &c. ſatis declarauit, quantam certitudinem habitura eſſet ea doctrina, quam poſt fundatam Eccleſiam Petrus traditurus erat per ſe, & ſucceſſores ſuos: ſignificauit enim, quòd ſicut Petrus non ex ſpiritu proprio, ſed ex Domino confeſſus eſt Diuinitatem Chriſti: ita poſt ædificatam in ipſo Eccleſiam, non eſſet docturus totam Eccleſiam, & articulos credendos propoſiturus ex ſpiritu proprio fallibili, ſed ex ſpiritu Dei infallibili.

4. *Portæ inferi non præualebunt aduerſus eam*. Hanc Eccleſiæ firmitatem in fide his verbis Eccleſiæ à Chriſto promiſſam ratione cuius errorem, & falſitatem tanquam dogma fidei, amplecti non poſſit, iam ſtabiliui in præcedenti diſputatione ſect. 2. §. 1. ex conſenſu omnium Catholicorum, adeò vt Suarez in defenſione fidei lib. 1. capit. 4. num. 2. dixerit nullum Catholicum poſſe de hoc vero dogmate dubitare. Videri poteſt Canus lib. 1. cap. 4. Bellarminus lib. 3. de Eccleſia militante cap. 11. in fine, & cap. 14. Valentia tomo 3. diſp. 1. quæſt. 1. puncto 7. §. 16. Eſt ſcilicet Eccleſia corpus myſticum, cuius caput eſt Chriſtus, anima Spiritus veritatis iuxta illud Pauli ad Eph. *vnus ſpiritus & vnum corpus*. Tali capite & Spiritu corpus quod eſt Eccleſia mouetur: non poteſt ergo Eccleſia vel inſciens moueri ad errorem. Pollicitus hanc firmitatem in fide aduersùs quam Portę inferi præualere non poſſint, Eccleſiæ ſuæ Deus fuerat Oſeæ 2. *Deſponſabo te mihi in fide in ſempiternum*: atque Iſaiæ 39. *Hoc fœdus meum cum eis: ſpiritus meus, qui eſt in te, & verba mea, quæ poſui in ore tuo, & de ore ſeminis tui à modo & vſque in ſempiternum*. Illam confirmat Auguſtinus conc. 1. in pſal. 110. exponens illa verba, *qui fundaſti terram ſuper ſtabilitatem ſuam*: per terram enim intelligit Eccleſiam. Et ſubiungit: *non inclinabitur in ſeculum ſeculi, quia prædeſtinata eſt columna & firmamentum veritatis*. Dicitur autem Eccleſia columna & firmamentũ veritatis, quia ab illa in veritate firmantur omnes credentes, vt cum Chryſoſtomo, Theodoreto, Hieronymo explicat Diuus Thomas.

5. Ex eo autem, quòd tota Eccleſia in rebus fidei errare non poſſit, inferri innegabiliter, quòd Summus Pontifex, dum definit ex Cathedra, obligando ſcilicet totam Eccleſiam, non poſſit errare: quia alioquin Eccleſia,

cleſia, quæ illi obedire tenetur, teneretur errare, iam oſtendi in præcedenti diſputatione: Quare hic ſatis eſt indicaſſe, & roboraſſe.

SECTIO III.

Tertium Caput probandi infallibilitatem Pontificis ex verbis Chriſti Paſce oues meas. *Ioannis* 21.

§. I.

Exponuntur litteraliter verba illa.

1. ANtequam argumentum conficiam, expendere oportet, qua occaſione Chriſtus hæc verba protulerit, & ea in ſenſu litterali exponere. Poſt reſurrectionem prandebat Chriſtus cum diſcipulis ſuis: peracto autem prandio Petrum ſingulariter alloquitur, & num ſe plus quàm cęteri diligat percontatur, & affirmanti gubernationem omnium ſuorum fidelium,& totius Eccleſiæ curam, & regimen committit Petro, impletque quod ante paſſionem promiſerat Matt. 16. *Super hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & tibi dabo claues Regni Cælorum*, quas nunc tradit, & eum in caput totius Eccleſiæ inter omnes Apoſtolos eligit: priùs tamen de amore, & dilectione inquirit, non quòd ignoret, qui omnia ſcit, ſed vt eum maculas præcedentis negationis deleuiſſe pœnitentia cæteris manifeſtum faciat, & oſtendat qualis eſſe debeat, qui curam aliorum ſuſcipit, & quomodo eos tractare debeat, quantoque amore ipſe Dominus ſuos proſequitur, quos amanti ſe plus cæteris tradit. Ita ex communi Patrum ad litteram exponit Toletus.

2. Poſtquam Petrus Chriſto interroganti reſponderat, *tu ſcis, quia amo te*, ſubiunxit Dominus, *paſce agnos meos*, quod perinde fuit, vt exponunt S. Chryſoſtomus, & S. Auguſtinus, ac ſi Chriſtus dixiſſet, *Si me amas*, meorum agnorum curam ſuſcipe, & quam animam pro me poſiturum promiſiſti, pro his pone. *Paſce agnos meos*, id eſt, fideles meos, non tuos, non vt rem tuam, ſed vt meam rem tracta; propterea petiui, an me amares; quia rem meam tibi commendare volui, & tanquam meam à te tractari: quem amorem erga me profiteris, erga eos exerce, eiſque exhibe. Sed iterum Chriſtus de amore Petrum interrogat, vt ſignificet probatum, & conſtantem debere eſſe amorem eius, cui committi debet fidelium cura, & gubernatio. Affirmanti autem Petro iterum agnos demandat, & committit; quo etiam ſignificat, maximæ curæ debere eſſe

Petro,

Petro, quòd Dominus non ſemel, ſed bis committit. Tertiò, etiam Chriſtus Petrum in amore examinat, vt trinæ negationi trina amoris profeſſione reſpondeat, vt notant S.Cyrillus, & S. Auguſtinus, & communiter Patres alij. Poſtquam autem tertiò Petrus reſpondit ſe Chriſtum amare, ille ſtilum mutans, non dixit, *paſce agnos meos*, ſicut bis antea dixerat, ſed *paſce oues meas*; vt ſignificaret, ſe Petro vniuerſæ Eccleſiæ gubernationem committere: *paſce*, inquit, *oues meas*, ac ſi dicat: *commiſi tibi filios, committo nunc Matres, vt omnium curam geras, omnia gubernes, & regas*. Matres, ſeu oues, Eccleſiæ ſunt ſingulæ, quibus ſingulares Paſtores incumbunt. Guberna ergo, ò Simon, & paſce ſubditos, & prælatos omnes inferiores & ſuperiores, fideles, & fidelium omnium Eccleſias, quæ ad vnum generalis Eccleſiæ corpus pertinent.

3. Hunc eſse literalem huius loci ſenſum, & aliquid per *oues* ſignificari, quod per *agnos* ſignificatum non erat, probat optimè Toletus annotatione 7. in caput illud, citans Eutimium, & forſan Maldonatum ſubindicans: *noſtris temporibus*, inquit, *aliqui pro eodem ſumunt agnos & oues, nempe fideles omnes; tamen cùm tanta ſit inter agnos & oues differentia, probabile non eſt pro eodem eſſe accepta in ea ſententia, quæ tanti momenti eſt*. Eandem expoſitionem vt literalem ſequitur P. Valentia to. 3. diſp. 1. quæſt. 1. puncto 7. §. 30. cum Ambroſio lib. 10. in Lucam cap. 22. item Bellarminus lib. 1. de Romano Pontifice, cap. 16. vbi probat, ibi *agnos* bis repetitos eſſe, ad ſignificandos duos populos, Iudaicum, & Gentilem; oues autem ſignificant Apoſtolos, & Epiſcopos, qui tanquam Matres agnos iſtos pepererunt in Chriſto. Eandem differentiam inter agnos & oues vt literalem agnoſcit Caietanus in expoſitione huius textus.

§. II.

Ex litterali textus præcedentis expoſitione manifeſtè concluditur, Petrum & eius Succeſſorem eſſe ſupremum Paſtorem totius ouilis Chriſti, ſeu totius Eccleſiæ militantis.

1. EX hac expoſitione euidenter infertur, Chriſtum conſtituiſſe Petrum eiuſque ſucceſſores ſupra omnes omnino Chriſtianos, & eum Paſtorē omnium paſtorū feciſſe, & Principem ſupremum totius Eccleſię militantis. Vt enim inquit Euſebius Emiſſenus in ſermone Natiuitatis Ioannis Euangeliſtæ, *priùs agnos, deinde oues commiſit, quia non ſolùm Paſtorem, ſed Paſtorē Paſtorum eum conſtituit*. Paſcit igitur Petrus agnos,

 paſcit

paſcit oues, paſcit filios, paſcit & Matres: regit & ſubditos, & Prælatos: omnium ergo Paſtor eſt, quia præter agnos, & oues in Eccleſia nil eſt.

2. Sed ne probationem primatus Petri, & Succeſſorum eius huic expoſitioni alligemus: admittamus expoſitionem Maldonati affirmantis, idem per *agnos*, & per *oues* Chriſtum ſignificaſſe, quemadmodum, quos apud Matthæum cap. 10. num. 16. *oues* vocat: *ecce ego mitto vos ſicut oues in medio luporum*, apud Lucam cap. 10. num. 3. *agnos* appellat: *ecce ego mitto vos, ſicut agnos inter lupos*: admittamus, inquam, hanc expoſitionem, nihilominus exploratum eſt, Chriſtum conſtituiſſe Petrum Paſtorem omnium ouium ſuarum, ac proinde inter oues comprehendiſſe alios Apoſtolos. Audiamus Bellarminum lib. 1. de Romano Pontifice cap. 16. vbi poſtquam retulit ſententiam Lutheri, & Caluini negantium per oues ibi intelligi Eccleſiam vniuerſam, poſtmodum nomine Catholicorum ſubiungit. *Nobis verò certum exploratumque eſt, omnes omnino Chriſtianos, etiam Apoſtolos Petro tanquam ouiculas commendari, cum ei dicitur, Paſce oues meas.* Maldonatus etiam hic teſtatur, præter Lutheranos & Caluiniſtas neminem inuentum eſſe qui negauerit, ibi per oues intelligi etiam Apoſtolos reliquos. Et hic eſt communis ſenſus Patrum apud Bellarminum ibi, & apud Valentiam tom. 3. columu. 215. 216.

3. Idque manifeſtè conſtat ex contextu Euangelij: cùm enim Chriſtus non dixerit, paſce has aut illas oues, ſed abſolutè paſce oues meas, apertè ſignificauit eas omnes oues Petro commendari, ad quas extenditur *pronomen meas*: certum autem eſt illud ad omnes extendi, cùm nullus ſit in Eccleſia, qui ſe Chriſti ouem eſſe non glorietur. Vnde manifeſtè ſignificauit Chriſtus, alienum fore à ſuo ouili, quicunque Petrum Paſtorem non agnoſceret.

4. Hinc ſcitè & elegantiſſimè Bernardus lib. 2. de conſideratione paulò poſt medium, Eugenium Papam alloquens inquit; *Quis eſt Sacerdos magnus, Summus Pontifex, tu Princeps Epiſcoporum, tu hæres Apoſtolorum, tu primatu Abel, gubernatu Noë, Patriarchatu Abraham, ordine Melchiſedech, dignitate Aaron, auctoritate Moyſes, iudicatu Samuel, poteſtate Petrus, vnctione Chriſtus. Tu es, cui claues traditæ, cui oues commiſſæ ſunt. Sunt quidem & alij Cæli Ianitores, & gregum Paſtores, ſed tu tantò glorioſius quantò & differentius vtrumque præ cæteris hæreditaſti. Habent illi ſibi aſſignatos greges, ſingulis ſingulos, tibi vniuerſi crediti, nec modò ouium, ſed & Paſtorum tu vnus omnium Paſtor. Vnde hoc probem, exquiris? ex verbo Domini: cui enim, non dico Epiſcoporum, ſed etiam Apoſtolorum ſic abſolutè, & indiſcretè totæ commiſſæ ſunt oues? ſi me amas Petre, Paſce oues meas: quas? illius, aut illius Populi, ciuitatis, aut regionis, aut certè Regni? oues meas, inquit: cui non planum, non deſignaſſe aliquas, ſed deſignaſſe omnes?*

§. III.

§. III.

Confirmatur præcedens argumentum, & exponitur illud, Alias oues habeo; quæ non ſunt ex hoc ouili.

1. Confirmatur: quia Chriſti ouile vnicum eſt, compoſitum ex Iudæis & Gentilibus, vt conſtat ex verbis Chriſti Ioannis 10. *Alias oues habeo, quæ non ſunt ex hoc ouili*, nimirum oues errantes inter gentes, quæ non erant de ouili Synagogæ, & illas oportet me adducere, nimirum per prædicationem Apoſtolorum & ſucceſſorum in munere prædicandi Euangelium. Quibus verbis vocationem Gentium ſignificat, vt docent Baſilius, Gregorius, Auguſtinus, Chryſoſtomus apud Toletum. Subiungit Chriſtus, *& vocem meam audient, & fiet vnum ouile, & vnus Paſtor*. Quæ verba manifeſtè probant primatum Petri, & ſucceſſorum ipſius ſupra totam Eccleſiam. Vt enim præclarè Toletus litteraliter exponit, Chriſtus hoc loco prædicantium, & Apoſtolorum voces ſignificat, quos ad Gentium oues conuocandas miſit: audient, inquit, oues iſtæ, tam errantes, quàm quæ intra ouile illud fuerint, vocem Chriſti per Apoſtolos clamantis, non ſolùm auditu aurium, ſed cordium, quia fide, & dilectione, & obedientiâ conuertentur ad Paſtorem ſuum verum, & fiet vnum ouile ex vtroque: nam ex Synagoga Iudæorum, & Gentium, Eccleſia, vna, vniuerſalis, & Catholica fiet Eccleſia, extra quam non erit ſalus: vbi iam non eſt diſtinctio Iudæi & Græci, ſed vnum eſt ouile, vnus Populus, vna fides, vnica Religio, eadem Sacramenta, vnum ſacrificium: & ſicut vnum erit ouile, erit etiam vnus Paſtor, vnum caput religionis, & vnicus ſupremus Gubernator.

2. Hoc non ſolùm ad Chriſtum Dominum refertur, ſed ad ſuos Vicarios, quos in ouili viſibili militantis Eccleſiæ habet; vnus enim Paſtor Petrus poſt Chriſti aſcenſionem, vnicus etiam Paſtor ſucceſſor Petri, qui vices Chriſti in terris gerens, vnius ouilis Paſtoris munere fungitur, ſub quo inferiores militant multi, non toti ouili, vt ille, ſed ſingulis quilis partibus præſidentes. Et perpende artificium: Eccleſia vna ab initio per mille aliquot annorum vſque ad Abraam proceſſit, diuiſuſque eſt poſtea in eo Populus, vt duo eſſent ouilia: per Chriſtum autem ablata diuiſione, ad vnitatem reducta eſt Eccleſia, in qua in æternum manebit. Et hanc eſſe genuinam, & litteralem huius textus expoſitionem, teſtantur etiam Caietanus, & Maldonatus cum communi Patrum.

§. IV.

In hoc textu, alias oues habeo *&c. per oues non intelliguntur ſoli Prædeſtinati.*

1. PEr oues in illis verbis, *alias oues habeo*, non intelliguntur prę-deſtinati, vt apud Maldonatum volunt aliqui interpretes, quos ipſe impugnat; ſed intelliguntur illi, qui ex Gentibus intraturi erant in Eccleſiam per prædicationem Apoſtolorum, qui vel per anticipationem dicuntur oues, quia tales futuri erant, vt vult Maldonatus; vel quia illos ad fidem ſuſcipiendam Deus ab æterno elegerat, vt ego exiſtimo, & ratione huius electionis dicebat Chriſtus, ſe alias oues habere. Omnes ergo, qui intra Eccleſiam Chriſti tunc exiſtebant, vel aliquando futuri erant, à Chriſto oues appellantur in hoc loco: intra Eccleſiam autem Chriſti non ſolùm ſunt prædeſtinati, ſed etiam reprobi, vt contra Caluinum manifeſtè demonſtrat Bellarminus lib. 3. de Eccleſia militante cap. 7. ex Matth. cap. 3. 22. & 25.

2. Cùm autem dicit Chriſtus, *quæ non ſunt ex hoc ouili*, indicat aliud eſſe ouile, præter id de quo loquebatur: ouile autem vocat, vt exponit Maldonatus, multitudinem hominum eiſdem legibus viuentium, qua ratione totus Iudæorum Populus vnum erat ouile, omnes verò Gentiles alterum; quia etſi non omnes Gentes eiſdem prorſus viuebant legibus, tamen in hoc omnes errore conueniebant, quòd multos haberent Deos: quare à Iudæis diſtinguebantur, alterumquę ouile efficiebant: eas ergo oues dicit oportere ſe adducere ad id ouile, id eſt efficere, vt Deorum multitudine relicta, vnum cæli ac terræ colant Deum, & non quidem eiſdem, quibus antea Iudæi, ſed eiſdem, quibus illi, qui ex Iudæis in ſe crediderint, legibus Euangelij viuant. *Et fiet vnum ouile, & vnus Paſtor*, id eſt, rumpetur per me intermedia maceries, quæ nunc hæc duo Iudæorum, & Gentilium diuidit ouilia, & ex duobus ouilibus vnum fiet, *quia non erit Iudæus aut Græcus, nec circumciſio, nec præputium, ſed noua creatura*, vt loquitur Paulus ad Rom. 10. & Galat. 6.

3. Ergo manifeſtum eſt ex Euangelio, omnes, qui & è Synagoga, & ex Gentibus ad fidem Chriſti conuertuntur, pertinere ad illud ouile, quod Petro Chriſtus commiſit: ergo omnes ſubijciuntur ſucceſſoribus Petri; hoc enim ouile, cùm viſibile ſit, Paſtorem viſibilē debet habere in terris: & ſicut Chriſtus in cælū aſcenſurus Petrum in terris ſui Vicarium reliquit, vt paſceret oues ſuas, quia Grex viſibilis indigebat Paſtore viſibili; ita deficiente Petro, eius ſucceſſorem huic gregi præfecit: non enim Chriſtus Petrum ſummum Eccleſiæ Paſtorem fecit propter bonum ipſius Petri, ſed propter bonum Eccleſiæ; nec enim Eccleſia eſt propter

Digitized by Google

Pontificem,ſed Pontifex propter Eccleſiam vt ſupra diximus: vnde cùm hæc perpetua ſit, ſucceſſores Petri ſummos Eccleſiæ Paſtores Chriſtus conſtituit. Omnes ergo,qui in ouili Chriſti ſunt, Romanū Pontificē audire, & ſequi debent vt Paſtorem:ergo manifeſtum eſt ex Euangelio Romanum Pontificem habere ſuperioritatem reſpectu omnium Prælatorum Eccleſiæ: ergo, omnes vt fide certum debent complecti illud, quod ille omnibus vt veritatem certam proponit credendum.

§. V.

Conficitur ex dictis, iudicium Romani Pontificis definientis è Cathedra controuerſias fidei, non poſſe reformari à Congregatione reliquorum Epiſcoporum etiam in Concilio generali.

1. ET quamuis nomine ouium nō venirent intelligendi cæteri Apoſtoli, nec Epiſcopi ipſorum ſucceſſores,ſed duntaxat fideles,qui Prælati non ſunt; nihilominus hoc ipſo quòd Chriſtus Petrum, eiuſque ſucceſſores non tantùm præfecit ouibus Epiſcopatus Romani, ſed omnibus per totum orbem diſperſis, ſequitur omnes debere obedire Pontifici Romano controuerſias fidei decidenti. Ergo quamuis Prælati particulares reſiſterent,& oppoſitum præciperent,tamen ipſorum ſubditi non ijs, ſed Romano Pontifici obedire deberent,& paſcua doctrinæ ab eo deſignata accipere: ergo iudicium Pontificis in definiendis fidei controuerſijs, non eſt reformabile per Prælatos Eccleſiæ, etiamſi in Concilio generali congregentur auctoritate legitimi Pontificis, & ſic congregati oppoſitum definire velint eius, quod ab illo prius definitum erat, & toti Eccleſiæ propoſitum, ac proinde fas non eſt fidelibus à iudicio Pontificis ad iudicium Concilij appellare: non enim licet appellare à Principe ſupremo, qualis eſt Summus Pontifex, ad Iudicem inferiorem, quales ſunt omnes Epiſcopi, non ſolùm ſeorſim, ſed etiam ſimul ſumpti.

2. Confirmatur; quia nomine ouilis certum eſt hic intelligi veram Chriſti Eccleſiam, id eſt Eccleſiam Catholicam. Vnde gloſſa interlinearis ad illa verba *qui non intrat per oſtium in ouile*, exponit, id eſt in Eccleſiam Catholicam: ergo cùm Eccleſia tota ſit vnum ouile, & ouile, non ſit ſupra Paſtorem, ſed ſub Paſtore, ſequitur totam Eccleſiam Catholicam, vt condiſtinctam à Summo Pontifice eſſe ſub illo, tanquam ſub Principe, & Summo Paſtore: ergo Epiſcopi in Concilio generali congregati ſubiecti ſunt Pontifici, nam vt ſic congregati omnes fideles repræſentant,& ouile Chriſti conſtituunt: ergo adhuc vt ſic congregati

Digitized by Google

ti non ſunt Paſtor vniverſalis Eccleſiæ, ſed ouile, ac proinde ſubditi. Nec fieri poteſt, vt ſummus Eccleſiæ principatus ſit in Pontifice vt contradiſtincto à Concilio, & in Concilio vt contradiſtincto à Papa, ſic enim non eſſet vnus Eccleſiæ Paſtor, ſed eſſent duo, vnde neuter foret ſupremus: quia implicat reſpectu eiuſdem corporis eſſe duo capita, reſpectu eiuſdem gregis duos ſupremos Paſtores, & reſpectu eiuſdem Reipublicę duos ſupremos Principes, ſic enim vterque eſſet ſupremus, & neuter foret ſupremus. Foret vterque, quia ſupponitur, neuter foret, quia qui alteri obedire tenetur, Princeps ſupremus non eſt.

3. Hinc Bonifacius VIII. in Extrauaganti ex communibus, quæ incipit, *vnam Sanctam &c.* de maioritate & obedientia num. 2. veritatem hanc ſic definit: *Igitur Eccleſiæ vnius, & vnica vnum corpus, vnum caput, non duo capita, quaſi monſtrum, Chriſtus videlicet, & Chriſti Vicarius Petrus, Petrique ſucceſſor, dicente Domino, Petro,* paſce oues meas: *meas, inquit, generaliter, non ſingulariter has vel illas, per quod commiſiſſe ſibi intelligitur vniuerſas: ſiue ergo Græci, ſiue alij ſe dicant Petro, eiuſque ſucceſſoribus non eſſe commiſſos, fateantur neceſſe eſt de ouibus Chriſti non eſſe, dicente Domino in Ioanne, vnum ouile, & vnicum eſſe Paſtorem.*

4. Ego non video, quomodo Authores Catholici vim huius argumenti declinare poſſint, niſi recurrant ad hæreticorum aſylum, qui, ſicut apud Bellarminum lib. 1. de Romano Pontifice cap. 12. initio, reſpondent Chriſtum promiſiſſe claues Petro, vt repræſentanti Collegium Apoſtolicum; ita hic reſpondebunt, cùm Chriſtus dixit Petro, *paſce oues meas*, Petrum perſonam omnium Apoſtolorum geſſiſſe, ac proinde ex hoc loco ſolùm inferri, Chriſtum vniuerſas ſuas oues Collegio Apoſtolico commiſiſſe, cuius auctoritatem, repræſentabat Petrus, non autem vni Petro, eiuſque ſucceſſoribus. Sed contra, quia manifeſtum eſt ex contextu, Chriſtum aliquam prærogatiuam ſpecialem conceſſiſſe Petro præ cæteris Apoſtolis, dum illi dixit, *paſce oues meas*.

§. VI.

Demonſtratur, Petrum non geſſiſſe perſonam omnium Apoſtolorum, cùm illi à Chriſto dictum eſt, Paſce oues meas, *ſed verba illa directa fuiſſe ad perſonam Petri, vt contradiſtinctam à cæteris Apoſtolis.*

1. ID conſtat primò ex occaſione, quam habuit interrogandi Petrum, an ipſum plus diligeret quàm cęteri; vt enim probat Maldo-

donatus, hanc occaſionem ſumpſit ex recenti eius facto, quòd ſe vnus omnium, cęteris in naui relictis, audito Chriſtum eſſe qui in littore apparebat, in mare conieciſſet, quod ſingularis amoris fuerat; quaſi Chriſtus dicat, diligis me plus his, quemadmodum videris modò demonſtrare voluiſſe? ſi ergo ita eſt, paſce oues meas. Quid ſequitur? niſi, ſi non ita eſt, nolo vt paſcas oues meas. Atqui ſi Petrus non plus Chriſtum, quàm cæteri diſcipuli, diligeręt, non proptereà minorem quam illi paſcendarum ouium Chriſti poteſtatem accepiſſet: ergo ea poteſtas, quam ita Chriſtus illi dat, vt daturus non fuiſſet, niſi ſe plus quàm cæteri diligeret, maior vtique, quàm poteſtas aliorum Diſcipulorum erat.

2. Quare cùm Chriſtus non ſolùm dilectionem à Petro exegerit, ſed dilectionem maiorem, quàm cęteri Apoſtoli erga eum habeſent, ſequitur quòd diligenti plus cæteris maiorem quàm cæteris poteſtatem dederit; quod Auguſtinus ſatis expreſſit, dicens: *Chriſtus eleuandus in cælum, amoris ſui Vicarium Petrum reliquit, & ideo quia ſolus profitetur ex omnibus, omnibus antefertur*; id eſt, pro rata dilectionis poteſtate donatur, alioqui Paſtorem illum vulgarem, ac cæteris ſibi præſentibus parem ordinaturus ſi eſſet, dilectionem ab eo abſque comparatione aliorum exegiſſet, hoc enim ad parem & communem poteſtatem ſuffeciſſet; imò ſanè ex omnibus Apoſtolis ibi præſentibus parem, & æqualem dilectionem exegiſſet Chriſtus, ſi paſcendi poteſtatem omnibus æqualem daturus fuiſſet.

3. Conſtat ſecundò, quia clarum apparet, Petrum non egiſſe perſonam omnium, dum Chriſtus ab illo quæſiuit, an plus ipſum diligeret, quàm cęteri diligebant: ſi enim cum illo vt repræſentante totum Collegium Apoſtolicum loqueretur, profectò non dixiſſet, diligis me plus his, ſed abſolutè diligis me? Collegium enim Apoſtolicum non poterat cum ſeipſo comparari quoad maioritatẽ amoris, cùm per ſe notum ſit, dum quis alium diligit, non eſſe ſeipſo ſuperiorem in amando. Tum ſic: Chriſtus illi dixit *paſce oues meas*, cui antea dixerat, diligis me plus his; ſed hoc dixerat peculiariter Petro: ergo & illud &c.

4. Conſtat tertiò: quia Chriſtus Petrum interrogaturus de amore, non eum appellauit Petrum, quod erat nomen officij, vi cuius totum Collegium repræſentare poterat, ſed nomine primitiuo Simonis, *Simon Ioannis diligis me plus his*? Ergo homini illi particulari, qui Simon appellabatur, & erat filius Ioannis, Chriſtus commiſit oues, quia comperijt, illum præ cæteris ipſum diligere, ſicut Matth. 16. illi præ cæteris promiſit claues, quia ille præ cæteris Diuinitatem eius confeſſus eſt, & vtrobique illum nomine Simonis appellauit, vt intelligeremus, illi præ cæteris nunc tradere claues, & committere oues propter prærogatiuam maioris amoris erga Chriſtum, cui antea claues, & principatum

Ec-

Eccleſiæ promiſerat propter prerogatiuam firmioris fidei in credenda,& confitenda Diuinitate Chriſti.

5. Conſtat quartò: quia vt inquit Auguſtinus tract. 123. in Ioannem, Chriſtus ter Petrum interrogauit de amore, quia ter ipſum negauerat, *redditur negationi trinæ trina confeſſio, ne minus amori ſeruiat lingua quàm timori. Sit amoris officium paſcere Dominicum gregem, ſi fuit timoris indicium negare Paſtorem*. Ergo ſolus ille interrogatur, qui negauerat; at ſolus ipſe ter negauit, & dum negauit, alios non repræſentabat: ergo ſolus ipſe interrogatur,& dum ſic interrogatur, non aliorum perſonam agebat: ergo ſoli Petro vt contradiſtincto à cæteris, & non vt agenti perſonam illorum oues commiſſæ ſunt.

6. Conſtat quintò: quia illi Chriſtus commiſit oues, qui contriſtatus eſt, quòd ipſum toties interrogauerit de amore: ſolus autem Petrus de hoc contriſtatus eſt, quia cauſa triſtitiæ ſoli Petro conueniebat, qui Chriſtum negauerat: *contriſtatus eſt enim*, vt ait Chryſoſtomus, *quia timebat, ne fortè falleretur quando dixit, tu ſcis Domine, quia amo te, ſicut falſus fuerat, cùm dixerat: etiamſi oporteret me mori tecum, non te negabo.* Ergo ſoli Petro ibi Chriſtus dixit, *paſce oues meas*. Denique conſtat, quia poſt hæc verba immediatè ſubiunxit Dominus: *cùm eſſes iunior, cingebas te, & ambulabas vbi volebas, cùm autem ſenueris, extendes manus tuas, & alius cinget te*. Ergo illi dixit illud primum, cui dixit hoc ſecundum: at manifeſtum eſt, hoc ſecundum dixiſſe Petro, vt condiſtincto à reliquis; ergo & illud primum *Paſce oues meas*.

7. Quæ omnia confirmantur: quia, vt ſupra oſtendimus, dum Chriſtus Matth.16. Petro promiſit, ſe ſupra illum ædificaturum Eccleſiam ſuam, & illi traditurum claues Regni cœlorum, aliquid ſpeciale Petro promiſit; hanc autem promiſſionem vbi nam Chriſtus impleuit, niſi vbi dixit, *paſce oues meas*? Ergo peculiarem ibi conceſſit Petro poteſtatem præ cæteris Apoſtolis, ſcilicet ſuperioritatem reſpectu totius ouilis ſui. Vnde Ciprianus lib. de vnitate Eccleſiæ, *ſuper illum*, inquit, *vnum ædificat Eccleſiam ſuam, & illi paſcendas mandat oues ſuas*.

8. Duæ in Petro ſingulares virtutes fuerunt, propter quas meruit Eccleſiæ principatum, ſcilicet fides, & charitas. Fidem Matth. 16. ante paſſionem Chriſtus explorauerat, ideoque Eccleſiam ſuper eum ſe fundaturum promiſerat: charitatem verò poſt reſurrectionem cùm in Cœlum eſſet aſcenſurus Ioan.21. etiam atque etiam explorat, eaque explorata, ædificium Eccleſiæ ſupra Petrum imponit dicens, *paſce oues meas*.

9. Dum autem hoc Chriſtus dixit, ſummam poteſtatem conceſſit Petro, eiuſque ſucceſſoribus Eccleſiam gubernandi. Vt enim dicit P. Valentia tom. 3. colum. 215. Verbum *paſcere, vſum authoritatis ſalutarem in ſubditos regendo, & docendo ſecundum Scripturæ Sacræ conſuetudinem ſignificare, nulli dubium eſt*; idque apertè contra hæreticos probat

Bel-

Bellarmin. lib. 1. de Romano Pontifice cap. 15. varijs Scripturæ teſtimonijs,& conſtat ex teſtu græco,in qua lingua Ioannes ſcripſit ſuum Euangelium, nam ibi ponitur verbum, quod ſignificat *paſcere*, regendo & præſidendo. Vnde in ſcriptura, vbi nos legimus, *ex te exibit Dux qui regat populum meum*, textus græcus habet, *ex te exibit Paſtor, qui regat populum meum*: & Homerus lib. 2. Iliados ſæpe appellat Regem Agamemnonem paſtorem populorum; quare Cardinalis Turrecremata lib. 2. Summæ cap. 77. in 5. concluſ. aſſerit, poteſtatem plenam iuriſdictionis in vtroque foro datam eſſe Petro per illa verba *paſce oues meas*: paſcere enim propriè eſt regiæ poteſtatis, vnde olim Reges Paſtores appellabantur.

§. VII.

Concluditur ex dictis infallibilitas Romani Pontificis in determinandis fidei & morum controuerſijs.

PEr illa verba *paſce oues meas* dedit præcipuè Chriſtus Petro, eiuſque ſucceſſoribus ſupremam auctoritatem decidendi controuerſias fidei, ſeu docendi totam Eccleſiam, quid circa doctrinam fidei tenendum ſit, nam præcipuè doctrinæ paſtum commendauit, ſiquidem oues rationales veritate & doctrinâ paſcuntur, & ideo Deus Ieremiæ 3. dicit: *Dabo paſtores iuxta cor meum, & paſcent vos ſcientiâ & doctrinâ*. Nec enim Chriſtus mandauit Petro, & ſucceſſoribus eius, vt paſcerent omnes Chriſtianos, illis prædicando per ſeipſos veritates neceſſarias ad rectè credendum, & viuendum, nec vt per ſcriptos à ſe commentarios eos inſtruerent, ſed vt illos paſcerent determinando, & definiendo, quid circa mores agendum, & quid circa doctrinam fidei tenendum ſit. Vnde ad Pontificem, tanquam ad ſupremum Paſtorem ſpectat oues ſibi creditas pabulo ſanæ doctrinæ reficere, & à paſcuis venenoſis arcere, lupos, id eſt hæreticos, & falſos Prophetas fugare, ne ouibus noceant; his non ſolùm pabulum præbere, ſed eas ducere, reducere, tueri & regere, & baculo cogere vt pareant. Et hæc omnia ſignificauit Chriſtus, dum Petro dixit, *paſce oues meas*, id eſt, Paſtorem age, & omnia munia Paſtoris exple.

SECTIO IV.

Obiectio quædam contra dicta, cuius occaſione exponitur, quomodo in honore & in poteſtate pares fuerint Apoſtoli: & multa dicuntur de poteſtate ordinis, & de poteſtate Iuriſdictionis.

§. I.

Proponitur argumentum hæreticorum, contendentium Apoſtolos pares omnino fuiſſe in poteſtate, ac proinde Petrum non fuiſſe ſuperiorem reliquis.

1. CONtra primatum Petri, & ſingularem poteſtatem ei, eiuſque Succeſſoribus conceſſam, vnde hucuſque deduximus, Romanum Pontificem habere auctoritatem infallibilem decidendi controuerſias fidei, arguunt Sectarij apud Valentiam controuerſ. 1. lib. 7. cap. 2. & apud Stapletonum controu. 2. lib. 6. cap. 7. apud Ioannem Iebonum de Eccleſiaſticis dogmatibus lib. 4. cap. 3. part. 3. & apud Bellarminum lib. 1. de Romano Pontifice cap. 12. arguunt, inquam, parem omnino fuiſſe Apoſtolorum poteſtatem, ac proinde Petrum ſuperioritatem non habuiſſe reſpectu aliorum.

2. Aſſumptum probant primò, quia generaliter Chriſtus Matth. 28. omnibus Apoſtolis dixit: *Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo & in terra: euntes ergo docete omnes gentes* &c. Secundò, quia claues quas Chriſtus Eccleſiæ promiſerat Matth. 16. per illa verba, *Tibi dabo claues Regni cælorum*, omnibus æquè Apoſtolis tradidit Matth. 18. verſ. 16. illis verbis: *Amen amen dico vobis, quæcumque ligaueritis ſuper terram, erunt ligata & in cælo, & quæcumque ſolueritis ſuper terram, erunt & in cælo ſoluta*: & Ioannis 2. verſ. 21. æqualiter omnibus dixit; *Sicut miſit me Pater, ego mitto vos &c. accipite Spiritum Sanctum, quorum retinueritis peccata, retenta erunt, & quorum remiſeritis, remittentur eis* &c. Tertiò, quia Dauid Pſalmo 44. æqualiter de omnibus Apoſtolis prædixit, *conſtitues eos ſuper omnem terram.*

3. Quartò, quia Paulus ad Galatas 2. verſ. 7. æqualitatem ſui Apoſtolatus cum Apoſtolatu Petri, & aliorum agnoſcit his verbis: *mihi qui videbantur eſſe aliquid nil contulerunt, ſed è contra cum vidiſſent, quòd creditum*

ditum

Digitized by Google

ditum eſt mihi Euangelium præputij, ſicut & Petro circumciſionis (qui enim operatus eſt Petro in Apoſtolatum circumciſionis, operatus eſt mihi inter gentes) & cum cognouiſſent gratiam, quæ data eſt mihi, Iacobus, & Cephas, & Ioannes, qui videbantur columnæ eſſe, dexteras dederunt mihi & Barnabæ Societatis, vt nos in gentes, ipſi autem in circumciſionem &c. Quæ Apoſtoli verba exponens Ambroſius inquit: *ſicut Petrus primatum accepit ad fundandam Eccleſiam Iudæorum, ita & Paulus primatum accepit ad fundandam Eccleſiam gentium.*

4. Quintò, quia multi Eccleſiæ Patres hanc Apoſtolorum æqualitatem agnoſcunt: nam Cyprianus lib. de vnitate Eccleſiæ pares Petro facit cæteros Apoſtolos dicens: *hoc erant vtique cæteri Apoſtoli, quòd erat Petrus, pari conſortio præditi, & honoris, & poteſtatis*; quòd etiam tribuit Anacleto caput *in nouo* diſt. 21. vbi de Petro loquens inquit: *hic ergo ligandi atque ſoluendi poteſtatem primus accepit à Domino, cæteri verò Apoſtoli cum eodem pari conſortio honorem, & poteſtatem acceperunt.* Id ipſum habet Auguſtinus pluribus in locis, nam tract. 50. in Ioann. inquit: *Si in Petro non eſſet Eccleſiæ Sacramentum, non ei diceret Dominus, tibi dabo claues*; & tract. 124. quando ei dictum eſt, tibi *dabo claues*; &c. vniuerſam ſignificabat Eccleſiam: & in Pſalm. 168. *quædam dicuntur, quæ ad Apoſtolum Petrum propriè pertinere videantur, nec tamen habent illuſtrem intellectum, niſi cum referantur ad Eccleſiam, cuius ille cognoſcitur in figura geſtaſſe perſonam, propter primatum, quem in diſcipulis habuit, ſicut eſt, tibi dabo* &c. Sentit ergo, Petrum accipientem claues repræſentaſſe Eccleſiam, ac proinde huic immediatè traditas fuiſſe claues. Denique S. Hieronymus claues datas fuiſſe omnibus Apoſtolis docet his verbis: *at dicit ſuper Petrum Eccleſiam fundatam eſſe* &c. licet idipſum alio loco (nempe Ioannis 20.) ſuper omnes Apoſtolos fiat, & cuncti claues Regni cœlorum accipiant, & ex æquo ſuper eos Eccleſiæ fortitudo ſolidetur.

§. II.

Exponitur, in quo fuerint Apoſtoli æquales ex communi ſententia Patrum & Doctorum Catholicorum. Vbi multa de poteſtate ordinis, & de poteſtate Iuriſdictionis, & earum diſtinctione.

1. Antequam hic ad obiectiones reſpondeamus, explicandum nobis eſt, in quo fuerint Apoſtoli æquales, iuxta communem ſententiam Patrum, & Doctorum Catholicorum, & in quo Petrus fuerit

omnibus Apoſtolis ſuperior. In hac re explicanda non conueniunt omnino doctores. Vt autem rem facilius enodemus, notandum eſt primò ex Caietano in opuſc. de auctoritate Papæ & Concilij cap. 2. duo dubia hic inuolui; alterum de æqualitate poteſtatis Petri & Apoſtolorum; alterum de modo habendi poteſtatem, ſcilicet an omnes immediatè habuerint illam à Chriſto, an ſolus Petrus habuerit immediatè, alij verò mediante ipſo.

2. Notandum eſt ſecundò, duplicem eſſe poteſtatem ſpiritualem, nempe poteſtatem ordinis, & poteſtatem iuriſdictionis, & hanc ſecundam eſſe duplicem, alteram iuriſdictionis interioris, quę refertur ad regendum populum Chriſtianum in foro conſcientię, & nil aliud eſt quàm poteſtas remittendi, & retinendi peccata in tribunali confeſſionis: retinere autem peccata non eſt aliud, quàm iudicare indignum abſolutione eſſe peccatorem propter ipſius indiſpoſitionem, quia non qualis debet accedit, vt explicat Toletus in cap. 28. Ioannis; alteram verò eſſe poteſtatem iuriſdictionis in foro exteriori, quę nil aliud eſt, quàm poteſtas regendi populum Chriſtianum in foro exteriori in ordine ad beatitudinem ſupernaturalem, vt explicat Cardinalis Turrecremata; & reipſa eſt poteſtas excommunicandi, vel abſoluendi ab excommunicatione, diſpenſandi, concedendi indulgentias, leges Eccleſiaſticas condendi &c. vt definit Toletus lib. 1. Summę cap. 3. Poteſtas ordinis ſiue Sacramentalis eſt illa, quæ alicui confertur ad conficiendum & adminiſtrandum Sacramenta. Licet autem poteſtas ordinis ſeu Sacramentalis propter reſpectum ad corpus Chriſti verum ſit æqualiter in omnibus Sacerdotibus, quoniam omnes æqualiter conficiunt Sacramentum Euchariſtię, tamen in ordine ad corpus Chriſti myſticum maior eſt in Epiſcopo quàm in ſimplici Sacerdote, nam Sacramentum confirmationis à ſolis Epiſcopis (nimirum tanquam ordinarijs miniſtris) perfici poteſt, vt dicitur in cap. *manus* de conſecratione diſt. 5. Sacramentum etiam ordinis à ſolis Epiſcopis confertur tanquam ordinarijs miniſtris: nam facultas conferendi minores Ordines etiam non Epiſcopo à Summo Pontifice committi poteſt.

3. Poteſtati autem ordinis ad conficiendam Euchariſtiam annexa eſt poteſtas animam purificandi à peccatis per abſolutionem Sacramentalem, vt docet & probat D. Thomas 4. contra gentes cap. 74. Cùm enim poteſtas ordinis dirigatur ad diſpenſationem Sacramentorum, & inter Sacramenta nobiliſſimum, & conſummatiſſimum ſit Euchariſtia, per comparationem ad hoc Sacramentum præcipuè conſiderari debet poteſtas Ordinis, nam vnumquodque denominatur à fine; & cùm eiuſdem virtutis videatur eſſe, aliquam perfectionem tribuere, & ad illius ſuſceptionem materiam pręparare, vt cernitur in igne, qui hoc ipſo quod habeat virtutem, vt formam ſuam transfundat in alterum, habet etiam virtutem vt materiam diſponat ad formæ receptionem: hinc ſequitur,

quitur, poteſtatem ordinis, quæ tanquam finem reſpicit Sacramentum corporis Chriſti conficere, & illud fidelibus tradere; ad hoc etiam ſe extendere, quòd fideles aptos reddat, & congruos ad huiuſmodi Sacramenti perceptionem. Redditur autem aptus, & congruus fidelis ad huiuſmodi Sacramenti perceptionem, per hoc quòd ſit à peccato immunis: non enim poteſt aliter Chriſto ſpiritualiter vniri, cui ſacramentaliter coniungitur, hoc Sacramentum percipiendo: oportet ergo, vt poteſtas ordinis ſe extendat ad remiſſionem peccatorum per abſolutionem Sacramentalem. Vnde Chriſtus diſcipulis, quibus commiſit ſui corporis conſecrationem in cœna, dedit etiam poſt reſurrectionem poteſtatem remittendi peccata; quæ quidem poteſtas maxime per claues intelligitur. De quibus Dominus Petro Mat. 16. dixit: *Tibi dabo claues regni cælorum: Cælum enim vnicuique clauditur vel aperitur, per hoc quod peccato ſubiacet, vel à peccato purgatur. Inde & vſus harum clauium dicitur eſſe ligare, & ſoluere, ſcilicet à peccatis*; vt inquit ibi S. Thomas.

4. Ad remittendum autem peccata per Sacramentum pœnitentiæ neceſſaria eſt poteſtas ordinis, & poteſtas iuriſdictionis, & vtrumque de fide eſt. Primum patet, quia de fide eſt ſolum Sacerdotem eſſe miniſtrum huius Sacramenti, vt definitum eſt in Concilio Conſtantienſi in Bulla Martini V. & in Concilio Florentino in Decreto Eugenij, & tandem in Tridentino ſeſs. 14. cap. 6. & Can. 4. ergo de fide eſt, Sacerdotalem ordinem eſſe neceſſarium ad conficiendum hoc Sacramentum: hic autem ordo vocatur poteſtas ordinis: ergo de fide eſt requiri poteſtatem ordinis ad remittenda peccata per Sacramentum pœnitentiæ. Si quæras in quo conſiſtit hæc poteſtas, reſpondeo cum Suarez diſp. de pœnitentia 13. in re nil aliud eſſe quàm characterem Sacerdotalem, quatenus ex Dominica ordinatione per illum quis deputatur, vt poſſit eſſe Iudex animarum in foro pœnitentię.

5. Secundum etiam, nempe poteſtatem iuriſdictionis eſſe neceſſariam, vt Sacerdos remittat peccata in Sacramento pœnitentiæ, etiam de fide eſt, quia iuxta Tridentinum ad valorem abſolutionis requiritur, quòd Sacerdos habeat poteſtatem ordinariam, vel delegatam ad abſoluendum pœnitentem. Ratio eſt, quia hæc poteſtas iuriſdictionis eſt poteſtas iudiciaria, ſiquidem Chriſtus inſtituit Sacramentum pœnitentię per modum cuiuſdam iudicij, vt definit Tridentinum ſeſs. 14. can. 5. his verbis: *Dominus noſter Ieſus Chriſtus è terris aſcenſurus ad cælos, Sacerdotes ſui ipſius Vicarios reliquit tam Præſides quàm Iudices &c.* & Can. 3. definit ibidem; *abſolutionem Sacramentalem Sacerdotis eſſe actum iudicialem. Iudicium autem vt validum ſit, requirit iuriſdictionem*, iuxta Paulum, *quid enim mihi de his, qui foris ſunt, iudicare?* Vnde meritò Caietanus opuſc. 3. circa finem dixit, *de neceſſitate Sacramenti iudicialis eſſe iuriſdictionem*.

§. III.

§. III.

An per Sacerdotium conferatur poteſtas iuriſdictionis ad remittenda peccata.

1. DVbium autem eſt, an hæc poteſtas iuriſdictionis concedatur per ipſum Sacerdotium, ſitque proinde inſeparabilis à poteſtate Sacerdotali. Ratio dubitandi eſt, quia quando Epiſcopus ordinem presbyteratus confert, duas præcipuè cęremonias exercet: vnam, qua porrigit futuro Presbytero patenam cum hoſtia dicens: *accipe poteſtatem offerendi ſacrificium &c.* alteram cùm poſt Miſſam manus imponit dicens: *Accipe Spiritum Sanctum, quorum remiſeris peccata &c.* Per quas cęremonias certum eſt duas conferri poteſtates, alteram conſecrandi Euchariſtiam, quæ dicitur poteſtas in corpus Chriſti verum, alteram abſoluendi à peccatis, quæ dicitur poteſtas in corpus Chriſti myſticum; quæ poteſtates ex ſe ſeparabiles ſunt, nam, vt inquit Bellarminus tom. 2. lib. de Sacramento ordinis cap. 9. omnium conſenſu Chriſtus diuiſit has poteſtates, cùm ordinaſſet Apoſtolos, & vnam tradidit in cœna, cùm ait, *hoc facite &c.* alteram poſt reſurrectionem, cùm ait: *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis peccata &c.* Quamuis autem ex ſe ſeparabiles ſint, tamen de facto coniunguntur in ordinatione Sacerdotis: ergo Sacerdos ex vi ordinationis, videtur habere poteſtatem iuriſdictionis ad remittenda peccata.

2. Quod confirmatur: nam vt definit Tridentinum ſeſs. 14. cap. 1. Chriſtus Dominus Sacramentum pœnitentiæ tum præcipuè inſtituit, cùm à mortuis excitatus inſufflauit in Diſcipulos ſuos dicens; *Accipite Spiritum Sanctum; quorum remiſeritis peccata remittentur eis, & quorum retinueritis retenta ſunt: quo tam inſigni facto, & verbis tam perſpicuis poteſtatem remittendi, ac retinendi peccata, ad reconciliandum fideles poſt Baptiſmum lapſos Apoſtolis, & eorum ſucceſſoribus fuiſſe commiſſam, vniuerſorum Patrum conſenſus ſemper intellexit.* Ergo cùm in ordinatione Sacerdotis Epiſcopus manus imponens ſupra illum, verba illa proferat, videtur communicare Sacerdoti poteſtatem iuriſdictionis ad abſoluendos quoſcunque Chriſtianos ad ſe accedentes cum debita diſpoſitione, & voluntariè ſe ſubijcientes ipſius tribunali, vt per poteſtatem à Chriſto acceptam ipſos à vinculis peccatorum abſoluat.

3. Vt autem notat optimè Toſtatus in defenſorio 2. part. cap. 62. quamuis ordo conferatur per Epiſcopum, tamen poteſtas conſecrandi confertur immediatè à Chriſto; & ideo, etiamſi nolit Epiſcopus, habebit ordinatus illam poteſtatem. Quod magis declarat: quia ſi hæc poteſtas, ait, daretur à Chriſto mediante Epiſcopo, ita vt Epiſcopus, col-

collator ordinis aliquid efficieret circa illam, poſſet illam dare cum limitatione quacumque vellet, vtpote poſſet dicere, confero tibi poteſtatem conficiendi corpus Chriſti ſolùm per duos annos, vel ſolùm quando fueris in tali vrbe, ſicut fit in commiſſione iuriſdictionis, quia comittens iuriſdictionem, limitat eam reſpectu temporis & loci, ſicut ei placet: & tamen non eſt ſic in præſenti: quia licèt Epiſcopus vellet vt ordinatus haberet poteſtatem conficiendi ſolùm per duos annos, vel in certa vrbe, habebit tamen per totam vitam ſuam, & in quocumque loco fuerit. Hucuſque Toſtatus, quod certum eſt apud omnes.

§. IV.

An ſicut poteſtas conſecrandi eſt immediatè à Chriſto: ita ſit poteſtas iuriſdictionis. Vbi impugnatur ſingularis ſententia Toſtati.

SEd dubium manet, an poteſtas iuriſdictionis conferatur quoque immediatè à Chriſto Sacerdoti, dum ordinatur ab Epiſcopo. Affirmat Toſtatus ibid. cap. 63. his verbis: *Veritas eſt, quod tam poteſtas ordinis, quàm poteſtas iuriſdictionis datur immediatè à Chriſto, Eccleſia tamen ad tollendam perturbationem, & confuſionem arctauit iuriſdictionem iſtam diſtinguendo ſubditos. Ideo quando Ordinator, vel Eccleſia, vel quicunque Prælatus dat alicui ordinato iuriſdictionem contentioſam, aut in foro conſcientiæ, nil aliud eſt, quàm tollere prohibitionem, per quam ex lege Eccleſiaſtica erant manus iſtius ligatæ, licèt competeret ei illa iuriſdictio ſimul cum ordine.* Quod ſtatim explicat magis; *quando aliquis,* ait, *ordinatur in Sacerdotem ex conditione ordinis, & inſtitutione Chriſti, cùm competit ſibi poteſtas ordinis, de qua non eſt dubium, & competit ſibi poteſtas iuriſdictionis in foro conſcientiæ ſuper omnes fideles totius orbis, competit etiam poteſtas iuriſdictionis contentioſæ ſuper totum orbem, quia poteſt excommunicare & abſoluere, Eccleſia tamen ligauit illi manus per leges, quas iuſtè condidit, quantum ad omnia iſta.* Hactenus Toſtatus, cuius ſententia falſa eſt quoad vtramque partem.

§. V.

Oſtenditur breuiter, Epiſcopos omnes immediatè accipere à Papa poteſtatem iuriſdictionis externæ. Vbi an Parochi poſſint propria auctoritate aliquando ſibi ſubditos excommunicare.

1. ET quidem quòd poteſtas iuriſdictionis in foro externo non conferatur à Chriſto omni Sacerdoti vi ordinis, à fortiori patet ex his, quæ Bellarminus adducit lib.4.de Rom. Pontifice cap. 24. vbi cum communi ſententia efficaciſſimè probat, Epiſcopos omnes immediatè à Papa accipere poteſtatem iuriſdictionis externæ, ac proinde non illam habere immediatè à Chriſto, ſicut habent poteſtatem ordinis; idque inter alia probat, quia ſi Deus immediatè conferret Epiſcopis iuriſdictionem, omnes illam haberent æqualem, ſicut habent æqualiter ordinis poteſtatem, quia illam immediatè accipiunt à Deo. Item, quia ſi Epiſcopi haberent immediatè à Deo ſuam iuriſdictionem, non poſſet Pontifex illam auferre, aut mutare, cùm non poſſit aliquid agere contra Dei ordinationem: certum autem eſt Pontificem id poſſe facere, & ſæpe feciſſe. Quod ſi de Epiſcopis verum eſt, mihi omnino improbabilis apparet opinio Toſtati affirmantis, omnes Sacerdotes ex vi ordinationis habere poteſtatem excommunicandi quoſcunque fideles.

2. Conſulatur P. Suarez tom.5. in tertiam partem, diſp.2.ſect.2.vbi diſputat, qui homines poſſint inſtituere, & ferre cenſuras, & efficaciſſimè probat, hanc poteſtatem ſolùm eſſe penes ſummum Pontificem, & ſoli Petro, eiuſque ſucceſſoribus immediatè fuiſſe à Chriſto conceſſam, ipſos autem alijs eam communicaſſe: quia ad conueniens Eccleſiæ regimen neque neceſſarium, neque expediens erat, quòd omnes Epiſcopi, & multò minùs, quòd omnes Presbyteri immediatè illam poteſtatem à Deo acciperent. Id ſatis confirmat Eccleſiæ vſus; nullibi enim ſunt aliæ cenſuræ præter illas tres, quas Pontifices in Eccleſia eſſe decreuerunt, nimirum excommunicationem, ſuſpenſionem, & interdictum; ad has enim tres ſpecies reuocat omnem cenſuram Innocentius III. in cap. *quærenti*, de Verborum ſignificatione. Quod ſignum eſt in nullo alio eſſe poteſtatem inſtituendi cenſuras, præterquam in Summo Pontifice: nam ſi fuiſſet hæc poteſtas, non defuiſſet aliquis actus, vel vſus eius. Sicut autem Epiſcopi non habent poteſtatem inſtituendi cenſuras, nec habent poteſtatem illas ferendi, niſi quam accipiunt à Summo Pontifice immediatè.

3. Et

3. S. Thomas in 4. diſtinct. 18. q. 1. art.2. inquirit, an quilibet Sacerdos poſſit excommunicare, & probat, quòd quamuis quilibet Sacerdos poſſit ſibi ſubditos abſoluere, & ligare in foro interno pœnitentiæ, non tamen poteſt in foro externo ligare per excommunicationem, redditque rationem diſparitatis, quòd in foro conſcientiæ cauſa agitur inter hominem & Deum, in foro autem exterioris iudicij cauſa agitur hominis ad hominem, & ideo abſolutio, vel ligatio, quæ vnum hominem obligat quoad Deum, tantùm pertinet ad forum pœnitentiæ: ſed illa, quæ hominem ligat per comparationem ad alios homines, ad forum publicum exterioris iudicij pertinet, & quia per excommunicationem homo à communicatione fidelium ſeparatur, ideo excommunicatio ad forum exterius pertinet, & illi ſolùm poſſunt excommuuicare, qui habent iuriſdictionem in foro iudiciali, & propter hoc ſolùm Epiſcopi propria auctoritate, & maiores Prælati ſecundùm communiorem opinionem poſſunt excommunicare. Hactenus Diuus Thomas.

4. Vnde deducitur, tempore S. Doctoris fuiſſe opinionem probabilem, quòd poſſent Parochi propria auctoritate ſibi ſubditos excommunicare. Nunc verò probabilitatem non habet illa opinio; quia communis conſenſus Doctorum apud Leandrum de cenſuris tract. 1. diſp. 2. quæſt. 17. tenet, nullo modo habere Parochos iure communi, aut ordinario poteſtatem ferendi cenſuras neque in caſu furti, & rapinæ, in quibus aliqui ex antiquis hanc poteſtatem illis tribuebant. Et ideo meritò P. Layman ex communi Doctorum lib. 1. tract. 5. part. 1. cap. 3. num. 11. affirmat, omnem & ſolum Prælatum Eccleſiaſticum, id eſt Clericum habentem iuriſdictionem in foro externo, poſſe cenſuras ferre in ſubditos ſibi contumaces, idque probat ex cap. *cùm ab Eccleſiarum* de officio Ordinarij. Et iure merito ita diſpoſitum eſt, quia ea, in quibus imminet periculum, ſunt maioribus reſeruanda; pœna autem excommunicationis eſt maximè periculoſa, niſi cum moderamine fiat: ergo non debuit cuilibet committi Parocho.

5. Quod ſi id verum eſt, nemoque nunc audebit aſſerere, poſſe Parochum propria auctoritate Parochianos ſuos excommunicare, profectò abſurdum eſt, & omnino improbabile, quòd quilibet Sacerdos ex ſe habeat poteſtatem ad excommunicandum quemlibet Chriſtianum, niſi per Eccleſiam limitetur eius poteſtas: idque perſuadet ratio, quâ Nauarrus in Manuali cap. 27. num. 5. probat, non poſſe ſimplicem Parochum excommunicare Parochianos ſuos iure communi, nec ſpecialiter, nec generaliter; *quia facultas*, ait, *excommunicandi non oritur ab ordine, imò eſt pars iuriſdictionis fori exterioris, iuxta Gloſſam receptam in cap. tranſmiſſam, quam iuriſdictionem ipſi non habent.* Vnde nec P. Suarez, nec Toletus, nec eruditiſſimus Enriquez, alijque Doctores vllam mentionem faciunt opinionis aſſerentis, poſſe vi ordinis quemlibet Sacerdotem quoſcunque Chriſtianos excommunicare; prout aſſerebat Toſtatus.

§. VI.

Oſtenditur contra Toſtatum & Armacanum, Sacerdotem ex vi ordinis non habere poteſtatem abſoluendi quoſlibet Chriſtianos à quibuſcunque peccatis.

1. RESTAT altera pars impugnanda ſententiæ huius Doctoris, quòd ſcilicet quilibet Sacerdos ex vi ordinis habeat poteſtatem abſoluendi quoslibet Chriſtianos à quibuſcunque peccatis, ſecluſa prohibitione Eccleſiæ coarctantis hanc poteſtatem,& limitantis eius vſum, quod prius docuerat Durandus in 4. diſtinct.19. q. 1. num. 5. Armacanus, qui paulò poſt Durandum floruit, & centum annis Toſtatum præceſſit; ſiquidem hic Author lib. 11. *de ritibus Armenorum* cap. 1. acriter contendit, quemlibet Sacerdotem ex iure Diuino poſſe quemlibet Chriſtianum,& à quocunque peccato abſoluere: hanc tamen poteſtatem coarctari per Eccleſiam. Et in fine cap. 2. hanc poteſtatem abſoluendi appellat poteſtatem Sacramentalem, aſſeritque in ea parem eſſe ſimplicem Sacerdotem Apoſtolis, ſicut parem in poteſtate conſecrandi. Et in hanc ſententiam vehementer inclinat Almainus in 4. diſtinct. 17. art.4.

2. Impugnatur autem, quia ex illa manifeſtè ſequitur, ſi ſimplex Sacerdos ſe ab Epiſcopo approbatum ſimulet, & audiendis confeſſionibus ingerat, validè abſoluere peccatores ad ſe accedentes, & bona fide mortalia, à quibus alias non fuerant ritè abſoluti, confitentes, quamuis in hoc grauiter peccet: at ſequela eſt abſurda; ergo &c. Sequelam expreſsè admittit Armacanus eo cap.1.vbi ait,*quòd ſi Sacerdos vellet tranſgredi præceptum Eccleſiæ, nihilominus efficaciter ac verè abſolueret*. Idem admittit Durandus vbi ſupra num.12. Quòd tamen illa ſequela abſurda ſit, conſtat ex Concilio Florentino ſeſſione vltima in decreto Eugenij, vbi definit, *Miniſtrum huius Sacramenti eſſe Sacerdotem, habentem vel ordinariam, vel delegatam poteſtatem*; & ex Tridentino ſeſs.14.cap.7.vbi inquit. *Quoniam ergo natura, & ratio iudicij illud expoſcit, vt ſententia in ſubditos duntaxat feratur, perſuaſum ſemper in Eccleſia Dei fuit, et veriſſimum eſſe Synodus hac confirmat, nullius momenti abſolutionem eam eſſe debere, quam Sacerdos in eum profert, in quem ordinariam, aut delegatam non habet iuriſdictionem*: ergo certum eſt, Sacerdotem ſimplicem ſe ingerentem audiendis confeſſionibus ſine licentia, & approbatione Ordinarij,nec licitè,nec validè à mortalibus aliàs non abſolutis abſoluere.

§. VII.

§. VII.

Quomodo inter ſe cohæreant, poteſtatem iuriſdictionis eſſe diſtinctam à poteſtate ordinis; & tamen Sacerdotem, cum ordinatur, accipere poteſtatem remittendi peccata.

1. SEd difficilè cum hac doctrina videtur componi, quod ſupra ex Tridentino probauimus, nimirum Sacerdotes cùm ordinantur, à Chriſto conſtitui Iudices in foro interno conſcientiæ, & poteſtatem accipere remittendi peccata, veriſſimumque eſt, eos non accipere ab Epiſcopo, ſed immediatè à Chriſto clauem ad aperiendum regnum cælorum peccatoribus, nec enim eos abſoluunt auctoritate Epiſcopi, vel Papæ, ſed auctoritate Chriſti. Et quidem quòd poteſtas abſoluendi à peccatis, non dimanet immediatè ab Eccleſia, ſed à Chriſto, inde etiam probatur, quòd Summum Pontificem verè abſoluit eius Confeſſarius, & non per poteſtatem acceptam ab ipſo, ſed à Chriſto: cùm enim Pontifex non ſit ſuperior ſeipſo, nequit Confeſſori tribuere auctoritatem ſupra ſeipſum. In hac difficultate enodanda non parum laborant Theologi: eam diſcutere noſtri inſtituti non eſt. Conſulantur P. Suarez diſput. 16. de pœnitentia ſect. 3. & P. Vaſquez 3. parte, quæſt. 93. art. 1. dubio 2.

2. Nos breuiter dicimus, Sacerdotem ex vi ordinis accipere quidem poteſtatem iuriſdictionis ad remittenda peccata, inchoatam tamen & incompletam, ac proinde complendam per applicationem, ſeu ſubiectionem materiæ faciendam ab Eccleſia. Quamuis enim accipiat immediatè à Chriſto Domino, vi ordinationis, poteſtatem remittendi peccata, non tamen accipit materiam, cui poteſtatem illam applicet, nec habet vi ordinationis ſuæ ſubditos, in quos poteſtatem illam exercere valeat; accipit quidem vi ordinationis à Chriſto clauem ad aperiendum, non autem ſeras, quas aperiat, id eſt ſubditos, in quos exerceat poteſtatem iudiciariam. Vnde vi ordinis non accipit poteſtatem ad validè abſoluendum omnes peccatores pœnitentes, ſed ſolùm ad abſoluendos eos, quos illi Eccleſia ſubiecerit, & vt ſubditos deſignauerit.

3. Et ſicut materia Sacramenti extremæ Vnctionis, & Chriſmatis, non eſt quodcunque oleum, ſed duntaxat oleum benedictum ab Epiſcopo, ita materia, circa quam Sacerdos exercere valet poteſtatem clauis ſibi à Chriſto immediatè traditam, eſt duntaxat peccator ab Eccleſia deſignatus, & conſtitutus ſub poteſtate Sacerdotis. Et ſicut Chriſtus impoſuit obligationem confitendi peccata, & tamen iudicio Eccleſiæ reli-

quit deſignationem temporis, in quo hæc obligatio vrgeat: ita dedit Sacerdoti poteſtatem remittendi peccata, reliquit tamen iudicio Eccleſiæ deſignationem ſubditorum, quia id magis expediebat animarum bono, & erat neceſſarium ad rectam diſpoſitionem Hierarchiæ Eccleſiaſticæ. Sicut autem Pontifex ſubijcit alios Chriſtianos poteſtati Sacerdotis, vt ab illo validè & fructuosè abſoluantur per poteſtatem ipſis à Chriſto conceſſam; ita ſeipſum voluntariè ſubijcit Confeſſario, vt per auctoritatem à Chriſto acceptam ipſum abſoluat.

4. Dicitur autem abſoluere Sacerdos per iuriſdictionem ordinariã, quando ratione officij aſſignantur ipſi oues, vt aſſignantur Epiſcopis & Parochis, & per iuriſdictionem delegatam, quando deſignantur ſubditi per commiſſionem ſpecialem. Vnde quia deſignatio ſubditorum, & applicatio materiæ dupliciter fit, aut via ordinaria, aut ex commiſſione, ideo dicitur eſſe neceſſariam iuriſdictionem, vt rectè explicat P. Vaſquez vbi ſupra num. 35. ac proinde id ſolùm intelligitur ex parte materiæ, non verò ex parte ipſius Sacerdotij, quaſi Sacerdos ab Eccleſia ipſa conſtituatur Iudex ordinarius, aut delegatus, vt contingit in alijs iudicijs, in quibus delegatur poteſtas ex parte Iudicis, & materia etiam iudicanda: non enim ab Eccleſia, ſed à Chriſto Sacerdos conſtituitur Iudex, Eccleſia verò ſolùm illi aſſignat ſubditos, circa quos exerceat poteſtatem iudiciariam.

§. VIII.

Exponitur iam, in quo fuerint æquales Apoſtoli.

1. HIs præmiſſis examinandum eſt, in quo Apoſtoli fuerint æquales. In primis æquales fuerunt in dignitate Apoſtolica, quæ multa includebat priuilegia, vt inquit P. Suarez in defenſione fidei lib. 3. cap. 12. num. 9. nimirum poteſtatem immediatè à Chriſto delegatam ad prædicandum per vniuerſum orbem, cum auctoritate, & ſpeciali poteſtate à Chriſto ipſis conceſſa illis verbis, *ſicut miſit me viuens Pater, & ego mitto vos*; item multas gratias & prærogatiuas, vt fuerunt abundantia ſpiritus cum confirmatione in gratia, & in fide, cum quadam gratiæ plenitudine, ita vt in rebus fidei nec fallere, nec falli poſſent vel docendo, vel ſcribendo, itemque, vt præter donum linguarum, quod ad docendum habebant, haberent etiam directionem ſpiritus ad canonicè ſcribendum.

2. Præter hæc in communi ſententia alia habuerunt munera propria Apoſtolatus, quæ enumerat P. Petauius tom. 3. Theologicorum dogmatum lib. 1. de Hierarchia Eccleſiaſtica cap. 5. num. 8. vbi reiectis Apoſtolatus notis deſignatis à modernis quibuſdam Lutheri, & Calui-

ni

ni diſcipulis, inquit, *Nos omiſſis iſtorum nugis, duas tantummodò veri, ac primarij Apoſtoli notas afferemus. Prima eſt, vt ſiue hominum miniſterio, ſiue immediatè ab ipſo Deo conſtituti, & ordinati munus acceperint Euangelij vbique terrarum propagandi, quod apud Ioannem Dominus ita demonſtrat,* ſicut me miſit viuens Pater &c. *& apud Marcum;* Euntes in Mundum vniuerſum, prædicate Euangelium omni creaturæ; *tum Actor.* 1. Eritis mihi teſtes in Ieruſalem, & in omni Iudæa & Samaria vſque ad vltimum terræ. *Altera conditio, quòd plenam ac perfectiſſimam vbique terrarum poteſtatem habuerint ligandi atque ſoluendi, Eccleſias inſtituendi, Epiſcopos & Clericos ordinandi, denique vt Epiſcopi totius orbis eſſent.*

§. IX.

An reliqui Apoſtoli ordinati ſint Epiſcopi à Petro, an immediatè ab ipſo Chriſto.

1. PRopterea autem vſus eſt diſtinctione illa Petauius, ſiue hominum miniſterio, ſiue immediatè ab ipſo Deo; quia licèt communis ſententia affirmet Apoſtolos pares in dignitate Epiſcopali, tamen non omnes docent illam accepiſſe immediatè à Deo: ſiquidem Petrus Paludanus Patriarcha Hieroſolymitanus in tractatu de cauſa immediata Eccleſiaſticæ poteſtatis art. 1. concluſ. 8. & Cardinalis Turrecremata in ſumma Eccleſiæ lib. 2. cap. 52. latè probant, quòd ſolus Petrus inter Apoſtolos à Chriſto immediatè ordinatus, & factus fuerit Epiſcopus quod iterum ſtatuit cap. 77. quem ſequutus eſt P. Suarez in defenſione fidei lib. 3. cap. 12. num. 10. vbi ait, ordinariam dignitatem Epiſcopalem non eſſe datam alicui Apoſtolo extra Petrum iure diuino, ſed mediante Petro. Rationes Turrecrematæ ſatis veriſimiles proponit Bellarmin. lib. 1. de Romano Pontifice cap. 23. vbi hanc ſententiam valde probabilem eſſe ſupponit, quamuis oppoſitam ſequatur lib. 4. cap. 13. eam verò Turrecrematæ opinionem impugnat Soto in 4. diſtin. 20. quæſt. 1. art. 2. in 4. concluſione, Caietanus de auctoritate Concilij & Papæ cap. 3. & P. Valentia tom. 3. column. mihi 212. & in controuerſijs pag. 76. Canus de locis, & alij. Sed in quo Apoſtoli fuerint æquales, breuiter explicat P. Valentia tom. 3. column. 110. *Ad Apoſtolatus* inquit, *prærogatiuam, atque dignitatem, duo pertinuerunt. Vnum eſt, quòd ab ipſo Chriſto proximè auctoritatem Eccleſiaſtici miniſterij Apoſtoli acceperunt, quam ob rem & ab ipſo miſſi, ſicut & ipſe miſſus à Patre, dicuntur. Alterum eſt, quòd eam auctoritatem ſic à Chriſto acceperunt, vt non tantùm in hac, aut illa Orbis parte, ſed vbique prorſus poſſent fungi muneribus Ecle-*

cleſiaſticis. In his duabus rebus, atque adeò in huiuſmodi dignitate, atque prærogatiua Apoſtolatus omnino pares Apoſtoli fuerant.

2. Sotus etiam vbi ſupra contra Turrecrematam probat, Apoſtolos omnes immediatè accepiſſe à Chriſto pleniſſimam poteſtatem in vtroque foro, & tandem concludit, quòd vnuſquiſque erat per Chriſtum Epiſcopus vniuerſi Orbis, quem ideo inter ſe partiti ſunt, vt vnuſquiſque ad ſuam plagam diuerteret. Idem docet Bellarminus lib.4. de Romano Pontifice cap.25. §. *ita verò*, & Layman lib.1. tract.4. cap. 7. numer. 5. & tandem Gibalinus lib. 5. de Iure Canonico cap. 3. quæſt. 2. num. 4. vbi affirmat ſingulos Apoſtolos pleniſſimam poteſtatem tum ordinis, tum iuriſdictionis in Eccleſiam habuiſſe, vt quæ nullius certi loci, regionum & perſonarum limitibus definiretur: ac proinde Epiſcopalem dignitatem, & iuriſdictionem accepiſſe, nulla diœceſi, aut prouincia circumſcriptam.

3. Pro dignitate diſcutere, an Apoſtoli omnes acceperint immediatè à Chriſto, tum ordinem Epiſcopalem, tum iuriſdictionem in vtroque foro, noſtri inſtituti non eſt: ſolum Petrum ordinatum fuiſſe Epiſcopum immediatè à Chriſto, reliquos autem Apoſtolos mediante Petro, docuit P. Suarez in defenſione fidei, cum Turrecremata, vt nuper vidimus: poſtea tamen diſp.10. de fide ſect.1. num.7. tanquam probabilius ſequitur, omnes Apoſtolos præter Matthiam immediatè ab ipſo Chriſto Epiſcopos ordinatos fuiſſe: quoad iuriſdictionem verò ibi lib. 3.4. de legibus cap.3. num.4. atque tomo 4. in 3. partem diſp.16. ſect.3. num.31. probabilius cenſet, eam immediatè à Chriſto accepiſſe omnes Apoſtolos, additque hanc eſſe apud antiquos Theologos communiorem ſententiam, & pro ea citat D. Thomam, Bonauenturam, Albertum, Gabrielem, Caietanum, Franciſcum Turrianum, Victoriam, Sotum, Caſtrum, Bangez, & Salmeronem. Eam etiam tuetur Bellarminus lib.4. de Romano Pontifice cap.22. in fine, & apud illum præter citatos, eam tuentur Durandus & Herbeus; tenet etiam Gibalinus lib.5. de iure Canonico cap.3. §.26. & Valentia, atque Petauius locis ſupra citatis. At Cardinalis Turrecremata lib.2. ſummæ, cap.54. & Iacobatius lib.10. de Concilijs cap.7. item Iſolanus, Ioannes Stephanus, Balenus & Magellinus apud Giballinum contendunt, cæteros Apoſtolos Iuriſdictionem accepiſſe mediante Petro.

4. Sed in vtraque ſententia ſaluatur, Petrum habuiſſe primatum in reliquos Apoſtolos. In ſententia aſſerente reliquos Apoſtolos accepiſſe poteſtatem iuriſdictionis in foro externo, mediante Petro, res eſt manifeſta; quia dare poteſtatem, ſuperioris eſt: & accipere inferioris. Sed quia Primatus Petri eſt de fide, & iſta ſententia Paludani & Turrecrematæ eſt duntaxat probabilis; non poteſt defenſio Primatus alligari huic doctrinæ. Vnde etiam in ſententia oppoſita ſaluatur Primatus Petri quia licèt dicatur, Chriſtum immediatè

com-

Digitized by Google

communicaſſe per ſeipſum omnibus Apoſtolis poteſtatem iuriſdictionis in foro externo: nihilominus aliter communicaui Petro, quam reliquis; nam Petro communicaui ſupremam, & independentem à iuriſdictione aliorum; reliquis verò communicauit poteſtatem, ſed ſubordinatam poteſtati Petri, & cum dependentia ab illa. Sicut Generalis Religionis Societatis v. g. communicat poteſtatem Prouincialibus & Rectoribus immediatè; ſed iſtis communicat poteſtatem ſubordinatam poteſtati Prouincialium.

§. X.

Quamuis communis ſententia teneat, omnibus Apoſtolis conceſſam eſſe à Chriſto iuriſdictionem Epiſcopalem in vniuerſo Orbe, nullus eſt Scripturæ textus, quo id efficaciter probetur.

1. EGo ſanè nullum textum video, quo probetur efficaciter, omnibus Apoſtolis conceſſam eſſe à Chriſto iuriſdictionem Epiſcopalem in vniuerſo orbe: imprimis enim hoc non probant verba illa Chriſti Ioannis 20. *Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos* &c. *accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis peccata* &c. Vt enim ad litteram exponit Maldonatus cum Ruperto, his verbis ſignificauit Chriſtus, quòd ſicut æternus Pater ipſum in Mundum miſerat, vt inter Deum, & homines pacem faceret, ita ipſe mittebat Apoſtolos ſuos tanquam ſui legatos, vt homines cum Deo reconciliarent; & ideo Paulus 2. ad Corinth. aiebat: *pro Chriſto legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos, obſecramur ergo pro Chriſto reconciliamini Deo*. Secundò ſignificauit, ſicut Pater ipſum miſerat, vt peccata hominum remitteret, ita ſe eos mittere ad remittenda hominibus peccata. Atque adeo ex hoc loco colligitur, Chriſtum non ſolùm Doctoris, ſed etiam Sacerdotis officium Apoſtolis tradidiſſe, eoſq; Vicarios ſuos conſtituiſſe ad abſoluendum homines à peccatis. Hinc autem ad ſummum colligitur, Chriſtum ſingulis Apoſtolis tradidiſſe poteſtatem remittendi in foro interno peccata omnibus peccatoribus ad ſe accedentibus, vel adminiſtrando ipſis Baptiſmum, vel ſi poſt Baptiſmum lapſi fuiſſent, Sacramentaliter abſoluendo omnes ritè confeſſos.

2. Præterea per verba illa, *ſicut miſit me viuens Pater, & ego mitto vos*, ſignificauit Chriſtus, ſe non minorem poteſtatem habere ad ipſos mittendos, quàm Pater habuerat, vt ipſum mitteret; ac ſi dixiſſet, qua poteſtate miſit me Pater, eadem ego mitto vos, non minorem poteſtatem habeo, vt vos mittam, quàm habuit Pater, vt me mitteret. Vnde

clarè ſignificauit ſe verum eſse Deum, non minus quàm Patrem; & eodem modo exponit Toletus, qui notat, poſtquam Chriſtus dixerat, *pax vobis*, ſtatim addidiſse, *ſicut miſit me viuens Pater* &c. quia ſignificata pace annuncianda, eos huius pacis prædicatores, & ſalutis miniſtros inſtituit: quare in illis verbis nil eſt, vnde colligatur, ſingulos Apoſtolos accepiſse à Chriſto poteſtatem iuriſdictionis pro toto Mundo.

3. Sed neque id colligitur ex verbis Chriſti Marci, & Matthæi vltimo, *Euntes in Mundum vniuerſum prædicate Euangelium omni creaturæ euntes docete omnes gentes baptizantes eos* &c. ſiquidem nec ex his verbis colligitur ſingulis iniunctum eſse munus prædicandi in vniuerſo Mundo, & vbique baptizandi. Vt enim probat Maldonatus, non ſingulis, ſed omnibus omnes docendi Gentes curam tradidit Chriſtus; nec enim fieri poterat, vt ſinguli omnes orbis partes penetrarent, Genteſque omnes docerent: & quamuis id facilè fieri poſset, non tamen erat neceſſarium; nec enim opus erat, vt omnes à ſingulis, modo omnes ab omnibus docerentur ſingulis ſingulas orbis partes tribuendo, & abſurdum dictu eſt, iuſſiſse Chriſtum Apoſtolos facere, quod nec fieri poterat, nec vt fieret, erat opus.

4. Idque patet ex Chriſti ſcopo, qui fuit opponere hanc ſecundam miſſionem primæ, in qua Matth. 10. illis dixerat, *in viam Gentium ne abieritis, & in ciuitates Samaritanorum ne intraueritis, ſed potius ite ad oues quæ perierunt domus Iſrael*. Vt enim ibi exponit Caietanus; in hac prima miſſione inhibentur Apoſtoli ire ad Gentes, & ad ciuitates Samaritanorum, quia tempus prædicandi Gentibus & Samaritanis, non erat ante Chriſti conſummatum myſterium; oportebat Chriſtum pati, & intrare in gloriam ſuam, & mittere Spiritum Sanctum, antequam prædicaretur Gentibus, quæ erant omnino infideles, & Samaritanis, qui erant fideles ſecundùm quid, & tanquam medij inter Iudæos, & Gentiles.

5. Quod magis explicat Maldonatus dicens, diſtinxiſse Chriſtum Samaritanos à Iudæis, & à Gentibus, quia propriè nec Iudæi, nec Gentiles erant: decem enim tribus, quæ adductæ fuerant in Chaldęam, non redierant; duæ tantùm tribus Iuda & Beniamin dicuntur rediјſse Eſdræ 15. quibus ſolis reditus promiſsus fuerat Ierem. 25. loco autem Samaritanorum, id eſt decem tribuum, Rex Aſsyriorum miſit Chaldęorum colonias, qui terram illam deſertam inhabitarent, quos cùm Leones deuorarent, iuſſit mitti ad eos Habræum Sacerdotem, qui eos Hebræorum ritu Deum colere doceret, Leonumque rabiem auerteret; quod cùm eſſet factum, & idola ſua more patrio, & Deum Iſrael Leonum metu colebant, vt conſtat ex 4. Regum 17. Itaque nec Iudæi erant, nec Gentiles, & tamen Iſraëlitæ videri volebant, vt conſtat ex Ioannis 4. num. 9. & propterea vetat Chriſtus Apoſtolos ad eos ire in hac prima miſſione, & iubet ire ad ſolos Iudæos, quia Iudæi filij Regni erant, vt Chriſtus

dixit

dixit Matth.8. num.12. & illis facta fuerat Regni promiſſio, Gen.17. vt docet Apoſtolus ad Rom. 15. num. 8. & non venerat Chriſtus, *niſi ad oues quæ perierant domus Iſrael*, vt ipſe dixit Matt. 15. num. 24. id eſt ad eas imprimis: illis enim oportebat primùm prædicari verbum Dei, vt dixerunt Paulus ac Barnabas Actor. 13. num. 16. ne vllam Iudæi haberent excuſationem, ſi Chriſtum non recepiſſent dicentes eum ad Gentiles & hoſtes ſuos miſiſſe Apoſtolos, vt docent communiter Patres.

6. In illis ergo verbis, quibus Chriſtus miſit Apoſtolos in ſecunda miſſione, *Euntes iu mundum vniuerſum* &c. opponit mundum vniuerſum Iudeæ, & omnes Gentiles Iudæis, & hanc ſecundam miſſionem primæ; neque nunc euellit limites illos, quos in prima miſſione poſuerat, ſed Eccleſiam dilatat, quaſi illi dicat illud Eſaiæ 52. *Dilata locum tentorij tui* &c. Vnde Maldonatus deducit, Chriſtum in hac ſecunda miſſione Eccleſiam dilataſſe, non ſingulorum Apoſtolorum poteſtatem: ergo ex hoc loco non poteſt deduci, ſingulos Apoſtolos accepiſſe poteſtatem iuriſdictionis in vtroque foro ſuper omnes homines, qui ad Chriſtum, conuertendi erant in toto Mundo.

7. Nec demum id colligitur ex illis Euangelij locis, in quibus Chriſtus videtur expreſſius loquutus de iuriſdictione in foro interno; nam de illo nullibi planiùs loquitur, quàm Matth. 16. quando dixit Petro ſpecialiter, *quodcunque ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in cœlo*, & Matth. 18. quando omnibus Apoſtolis dixit, *quæcunque alligaueritis* &c. Vt enim probat Bellarminus lib. 1. de Romano Pontifice cap. 2. per poteſtatem ligandi non ſolùm ſignificatur poteſtas retinendi peccata, ſed etiam poteſtas excommunicandi; ligantur enim homines non ſolùm peccatis, ſed etiam legibus, minuſque eſt retinere peccatum, quàm ligare peccatorem, nam retinere eſt relinquere hominem in ſuo ſtatu, ſiue non ſoluere: ligare autem eſt nouum vinculum ei imponere, quod fit per excommunicationem, interdictum, legem, &c.

8. Hinc autem arguere quiuis poteſt, poteſtatem ligandi homines per cenſuras, non eſſe conceſſam Apoſtolis omnino independenter à Petro, ſed propterea prius illam poteſtatem promiſſam eſſe Petro, quàm cæteris, vt intelligeremus, mediante Petro alijs communicandam; non enim legimus vbinam hæc poteſtas alijs Apoſtolis immediatè ſit conceſſa à Chriſto; nam vt ibidem probat Bellarminus, & P. Suarez diſp. 16. de pœnitentia ſect. 1. illis verbis, *quæcunque alligaueritis* &c. nihil datur, ſed tantùm promittitur, vel explicatur, aut prædicitur, quantam poteſtatem eſſent Apoſtoli, eorumque ſucceſſores ſuo tempore habituri. Idque ratione ſuadetur: tum quia planum eſt, Apoſtolos non eſſe factos Sacerdotes niſi in vltima Cæna, nec Epiſcopos & Paſtores, niſi poſt reſurrectionem: ergo eo tempore, quo Chriſtus Matth. 18. illis dixit, *quæcumque alligaueritis* &c. priuati homines erant, nec vllam habebant Eccleſiaſticam poteſtatem; tum quia per illa verba dicta Petro

Matth. 16. *Quodcunque ligaueris* &c. non datur reipſa Petro poteſtas ligandi, ſed promittitur ſimul cùm clauibus vt poſtea danda, vt conſtat manifeſtè, ex contextu; ergo nec per illa *quæcunque ligaueritis* &c. datur reipſa, ſed ſolùm promittitur poſtea danda. At non legimus quando poſtea data ſit, niſi quando Chriſtus aſcenſurus in cœlum dixit Petro, *paſce oues meas*, per quæ verba illi dedit omnia neceſſaria ad perfectum regimen Eccleſiæ exercendum per ipſum, & per alios Apoſtolos & Prælatos: nullus ergo eſt textus, quo conuincatur, Apoſtolos habuiſſe iuriſdictionem in foro externo pro toto Mundo.

§. XI.

Imò non eſt certum Apoſtolos omnes accepiſſe immediatè à Chriſto poteſtatem iuriſdictionis pro foro interno in vniuerſo Mundo, & fuiſſe veluti chartularios Iudices à Chriſto miſſos in vniuerſum Mundum.

1. IMò quamuis P. Vaſquez 3. parte, quæſt. 93. art. 1. dub. 2, num. 30, cum communi ſententia teneat, Apoſtolos omnes immediatè accepiſſe à Chriſto poteſtatem iuriſdictionis in foro interno pro vniuerſo Mundo, ac proinde fuiſſe velut chartularios Iudices à Chriſto miſſos in vniuerſum orbem, vt quicunque vellent poſſent ſe ſiſtere illorum iudicio in foro interno, alludendo ad quoſdam Iudices delegatos, de quibus fit mentio in Iure ciuili, qui priuilegio Imperatorum creabantur, & ab ipſo poteſtatem habebant, vt iudicare poſſent in cauſis eorum, qui ſe illis vellent ſubijcere. Quamuis, inquam, P. Vaſquez cum communi ſententia hoc teneat; tamen id certum non eſt, ſed oppoſitum eſt probabile, & defenditur à Paludano in 4. diſtinct. 19. quæſt. 2. art. 3. nam textus, quo P. Vaſquez, & alij probant Apoſtolis datam fuiſſe immediatè à Chriſto pleniſſimam iuriſdictionem ad abſoluendos quoſcunque fideles ad ſe accedentes, nempe ille ex Ioannis 20. *ſicut me miſit viuens Pater, & ego mitto vos: accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis peccata* &c. hic, inquam, textus id non euincit, nam vi illius ſolùm euincitur, Apoſtolos accepiſſe poteſtatem remittendi peccata inchoatam & incompletam, & quæ poſtea completa fuerit, quando vnicuique aſſignata eſt ſua Prouincia, vel immediatè à Spiritu Sancto, vel mediante Petro, aut Apoſtolorum Concilio, qui inter ſe Prouincias vniuerſi diuiſerunt, ſiquidem tunc vnicuique aſſignati ſunt ſubditi, in quos exerceret iuriſdictionem acceptam à Chriſto immediatè. Id poteſt probari

primò

primò à ſimili, nam per eadem verba confertur Presbyteris, quando ordinantur, poteſtas, abſoluendi à peccatis, quæ tamen non eſt completa, & expedita, quouſque Eccleſia aſſignet ſubditos. Secundò, quia cùm Chriſtus facturus eſſet Petrum reliquorum caput, & vniuerſus orbis inter ipſos eſſet diuidendus, credibile ſit Chriſtum voluiſſe vnicuique deſignare ſubditos mediante Petro, vel Apoſtolorum Concilio, & ſoli Petro conceſſiſſe immediatè omnino completam iuriſdictionem ſupra omnes per illa verba, *paſce oues meas*, per quæ adimpleuit promiſſionem ipſi factam Matth. 16. tradendo claues, quas ibi promiſerat.

2. Si diceremus, Apoſtolos alios mediante Petro accepiſſe plenam iuriſdictionem in vtroque foro, & ab ipſo immediatè factos eſſe Epiſcopos, faciliùs explicaremus primatum Petri, & facilius ſaluaremus id quod veteres Patres docent apud Bellarmin. lib. 1. de Romano Pontifice cap. 23. nimirum Romanam Eccleſiam Matrem eſſe omnium Eccleſiarum, quia ſic omnes Epiſcopi aliarum Eccleſiarum originem traherent à Petro Romanæ Eccleſiæ Epiſcopo. Si autem Apoſtoli alij ab illo non ſunt ordinati Epiſcopi, maxima pars Epiſcoporum originem non trahet à Petro, ſiquidem ſinguli Apoſtoli multos Epiſcopos in varijs locis conſtituerunt. Verùm ad defendendum primatum Petri, & auctoritatem infallibilem Summorum Pontificum in decidendis fidei controuerſijs, alligari non debemus his opinionibus, quia hic primatus inconcuſſus debet eſse, quamuis cum communi ſententia aſseramus, omnes Apoſtolos ordinatos fuiſse Epiſcopos immediatè à Chriſto, & pleniſſimam iuriſdictionem in vtroque foro ab ipſo accepiſse ſupra omnes homines per prædicationem Apoſtolorum in toto Mundo conuertendos. De quo iam diximus §. 9. in fine.

§. XII.

Quomodo Authores componant Superioritatem Petri cum eo, quòd omnes Apoſtoli acceperint immediatè à Chriſto pleniſſimam iuriſdictionem in vtroque foro ſuper omnes homines.

1. SEd antequam ſententiam noſtram proponamus, primò videndum, quomodo Authores componant æqualitatem hanc Apoſtolorum cum ſuperioritate Petri. Card. Caietanus de Auctoritate Papæ & Concilij cap. 3. vt hoc explicet, notat, quòd ſicut in natura dupliciter aliqua fiunt, ſcilicet naturaliter, vt cùm homo generat hominem, & infirmus ex virtute naturæ ſanatur; & ſupernaturaliter, ſicut cùm ho-

mo creatus eſt à Deo, & infirmus miraculo ſanatur: ita in Eccleſia duplici quoque modo aliquid fit, ſcilicet ordinariè, vt cùm ſeruato iuris ordine creatur Epiſcopus, & de ſpeciali gratia à Principe, vt ſi ſtatim aliquis crearetur Epiſcopus, vt de Ambroſio legitur. Vtroque autem modo, inquit, Princeps noſter Ieſus Chriſtus in primitiua Eccleſia vſus eſt: nam in inſtitutione Eccleſiaſtici regiminis ordinario iure perpetuò ſeruandi, Monarchicum, ſeu vnius principatum inſtituit, & poſuit Petrum caput vnum totius corporis Eccleſiæ, à quo in omnes poteſtas iuriſdictionis & ordinis deriuaretur: in erogando verò ex ſpeciali gratia, ſicut præuenit Petrum in conferendo poteſtatem ordinis, dum ipſe Dominus per ſeipſum etiam alios Apoſtolos fecit Sacerdotes in vltima cæna, & Confeſſores poſt reſurrectionem: ita præuenit eundem in dando auctoritatem gubernandi, ordinandi, iudicandique Eccleſiam. Et quemadmodum nil obſtat auctoritati ipſius Petri Capitis, quòd alij non habuerint ab ipſo poteſtatem ordinis, quia hoc non fuit ex defectu poteſtatis in Petro, aut ob exemptionem aliorum ab ipſo, ſed ex præuentione Superioris, qui priùs dedit ſubditis Petri ex gratia, quod ordinariè dandum erat eiſdem à Petro: ita etiam nil officit excellentiæ poteſtatis iuriſdictionis Petri ſuper omnes, quòd eius ſubditis Saluator, ſuperior omnibus, dedit illam poteſtatem ex gratia, quàm à Petro erant per viam ordinariam accepturi. Hæc ille, qui proinde docet, eam vniuerſalem poteſtatem in Petro fuiſſe ordinariam, & in eius ſucceſſoribus perpetuò manſuram: in cæteris autem Apoſtolis fuiſſe extraordinariam, & delegatam, ac proinde cum ipſorum vita finiendam.

§. XIII.

Vniuerſalis poteſtas iuriſdictionis pro vtroque foro in Petro fuit ordinaria, & permanſura in eius Succeſſoribus: in cæteris Apoſtolis fuit extraordinaria, atque delegata, ac proinde finienda cum ipſorum vita.

1. VT autem exponat hanc differentiam, adducit exemplum: nam Epiſcopi habent officium prædicandi, & illud etiam habent Fratres Prædicatores, cùm ad hoc inſtituti ſint; ſed differentia eſt, quia Epiſcopi ex propria auctoritate hoc faciunt, Fratres verò Prædicatores ex auctoritate Papæ delegantis eis hanc exercendæ prædicationis poteſtatem: ſic enim proportionaliter poteſtas gubernandi Eccleſiam in Petro, & in alijs Apoſtolis fuit; Petrus enim ex propria ſui Pontificatus officij

officij auctoritate gubernabat; alij verò Apoſtoli ex priuilegio Domini delegantis eis gubernationis officium.

Hanc Caietani doctrinam poſteriores Theologi ſequuti ſunt, nimirum Suarez lib. 3. defenſionis fidei cap. 11. num. 12. & lib. 4. de legibus cap. 3. num. 8. Petauius lib. 1. Eccleſiaſticæ Hierarchiæ cap. 5. numer. 8. Valentia tom. 3. columm. 210. verſ. *Caterùm alia dua res*. Bellarminus lib. 1. de Romano Pontifice, cap. 12. §. *vt autem*, & cap. 11. §. *tertio modo*, & lib. 4. cap. 25. §. *reſpondeo*. Sotus in quartum diſtinct. 20. quæſt. 1. art. 2. columm. 4. & demum Stapletonius controuerſia 2. lib. 6. cap. 7. his verbis ſententiam communem explicans ait: *In Apoſtolatu omnes Apoſtoli æquales erant, ſed ipſius Apoſtolatus nulla ſucceſſio, finitur enim legatio cum legato, nec ad ipſius ſucceſſores tranſit: at Petrus accepit hanc poteſtatem, non vt Apoſtolus, non vt miſſus extra ordinem, ſed vt Paſtor Eccleſiæ ordinarius per ſuos Succeſſores perpetuò duraturæ*.

2. Petrus de Marca in opuſculis poſthumis hanc doctrinam communem impugnat. Inquirit ibi, an ius per vniuerſum Mundum prædicandi, quod Apoſtolis collatum fuit, ſit priuilegium perſonale, an verò ſit poteſtas realis; & ſtatim ſubiungit: *omnibus per-*
„ *ſuaſum* video hanc poteſtatem in Petro fuiſſe realem, quæ tran-
„ ſeat in ſucceſſores; in alijs verò Apoſtolis fuiſſe extraordinariam,
„ ſiue delegatam, quæ morte illorum extincta fuerit. Quæ diſtinctio
„ poteſtatis extraordinariæ & ordinariæ nullo fundamento nititur, imò
„ verò diſertis illius verbis repugnat, quæ de omnibus in communi
„ Apoſtolis loquuntur. Nos, vt puto, veriorem & faciliorem inſiſti-
„ mus viam in hac difficultate ſoluenda: exiſtimamus ergo poteſtatem
„ docendi per vniuerſum orbem toti Apoſtolorum Collegio conceſ-
„ ſam, & ſingulis è collegio, quatenus Vniuerſitati competit, reman-
„ ſit in Eccleſia penes Epiſcoporum Collegium, & præcipuè penes
„ Collegij Præſidem; quatenus autem ſingulis Apoſtolis erat data,
„ eorum morte extincta fuit. Hactenus ille.

§. XIV.

Illuſtriſſimus Marca non bene impugnat doctrinam communem.

1. VErùm hic Auctor ſententiam communem non videtur penetraſſe: cùm enim Doctores dicunt poteſtatem Petri fuiſſe ordinariam, non loquuntur de poteſtate prædicandi per vniuerſum Mundum, quæ Petro conueniebat vt Apoſtolo, & titulo cum alijs communi, ſed de dignitate Capitis, & ſummi Paſtoris, quæ ſoli Petro à Chri-

ſto

Digitized by Google

ſto conceſſa eſt. Verum eſt Chriſtum cum omnibus Apoſtolis loquutum fuiſſe, cùm dixit; *ſicut me miſit viuens Pater, & ego mitto vos*: & cùm dixit, *Euntes docete omnes gentes*; & hoc munus ſicut in alijs Apoſtolis fuit extraordinarium,& eorum morte finiendum,ita & in Petro: & ideo, vt docet Bellarminus, Romanus Pontifex propriè ſuccedit Petro, non vt Apoſtolo,ſed vt Paſtori ordinario totius Eccleſiæ:at Epiſcopi nõ ſuccedunt propriè Apoſtolis, quoniam Apoſtoli non fuerunt ordinarij, ſed quaſi extraordinarij, & delegati Paſtores, quibus non ſucceditur.

2. At non loquutus fuit Chriſtus cum omnibus Apoſtolis, ſed cum ſolo Petro, quando illi promiſit ſummum Pontificatum, & poteſtatem ordinariam ſupra totam Eccleſiam, illi enim ſoli dixit, *tu es Petrus, & ſuper hanc Petram &c.* illi ſoli dixit, *tibi dabo claues Regni cælorum*, & illi ſoli tradidit claues, id eſt, ſummam poteſtatem ſupra totum Eccleſiæ regnum, per illa verba, *paſce oues meas*: poteſtas autem & auctoritas prædicandi Euangelium propria Apoſtolis perſonalis fuit,non realis,neque exercenda per omnes ſimul & collectiuè, ſed per ſingulos ſeorſim, nec remanſit in Collegio Epiſcoporum, quia illa coniuncta erat cum mandato eundi per vniuerſum orbem, quod non tranſit ad Epiſcopos,& inſuper coniuncta erat cum priuilegio non errandi in tradenda doctrina, quod perſonale Apoſtolorum fuit, nec ad Epiſcopos tranſit.

§. X V.

Noſtra ſententia de æqualitate Apoſtolorum, & Superioritate Petri.

1. VIdimus quid communis ſententia dicat: ſupereſt vt exponamus quid nobis videtur veriſimilius. Dico ergo, Apoſtolos omnes æquales fuiſſe in dignitate Apoſtolatus, & in priuilegijs illi annexis,nimirum in poteſtate docendi fidem, baptizandi, fundandi Eccleſias, ordinandi Presbyteros & Epiſcopos, prout neceſſariũ eſſe videbant,ad fidei conſeruationem, & amplificationem; in poteſtate faciendi miracula in confirmationem doctrinæ, in priuilegio nunquam errandi in his, quę credenda proponebant, in dono ligandi, in auctoritate ſcribendi libros Canonicos, & veriſimilius mihi eſt, ſingulos accepiſſe poteſtatem remittendi peccata omnibus, qui eis ſe ſubijcere vellent in confeſſione Sacramentali: cùm enim pleni eſſent ſapientiâ, nulla erat ratio, cur Chriſtus limitaret eis iuriſdictionem in foro interno, ſicut cum limitatione eam confert presbyteris vi ordinis, vt nimirum validè ſolùm poſſint abſoluere eos, quos Eccleſia ipſis ſubiecerit vt ſubditos.

Quoad iuriſdictionem verò in foro externo,exiſtimo, eos in eo ſimul fuiſſe

fuiſſe æquales, quòd vnuſquiſque vi Apoſtolatus accepit poteſtatem in foro externo pro his Prouincijs, ad quas miſſus eſt, vel immediatè à Spiritu Sancto, vel mediante deſignatione data à Petro, ſeu à Concilio Apoſtolorum: exiſtimo autem, ſolum Petrum non tanquam Apoſtolum, ſed tanquam ſummum totius Eccleſiæ Paſtorem poteſtatem in foro externo pro tota Eccleſia accepiſſe à Chriſto: poſtquam enim eos fecerat æquales in conſortio honoris, & poteſtatis Apoſtolicæ, omnibus dicens Ioannis 20. *ſicut miſit me viuens Pater, & ego mitto vos &c.* poſtea Ioannis 21. Petrum ſingulariter cæteris præpoſuit, dum ei totū commiſit ouile dicens, *paſce oues meas*, per quod adimpleuit, quod ei Matth. 16. promiſerat, videlicet ſe ſupra illum ædificaturum Eccleſiam ſuam, & ipſi traditurum claues Regni cælorum.

2. Quòd autem Chriſtus non tradiderit ſingulis Apoſtolis iuriſdictionem pro foro externo ſupra totam Eccleſiam, inde ſuadetur: quia hæc poteſtas includit poteſtatem ferendi leges: nullus autem Apoſtolorum habuit poteſtatem ferendi leges, quæ totam Eccleſiam obligarent, præter Petrum, qui ſupremus erat totius Eccleſiæ Princeps. Vnde leges latæ à Ioanne, vel ab alio Apoſtolo in ſuis Prouincijs, non poterant ligare totam Eccleſiam, niſi à Petro acceptarentur, & auctoritate ipſius robur acciperent: leges autem latæ à Petro, vt ſummo Paſtore totam Eccleſiam obligabant independenter ab auctoritate aliorum Apoſtolorum; id quod poſtulat regimen monarchicum, quod Chriſtus inſtituit, & vnitas fidei, quæ in tota Eccleſia vigere debet.

3. Quare ex Euangelio ſolùm colligitur, Petrum immediatè accepiſſe à Chriſto iuriſdictionem in vtroque foro ſupra omnes & ſingulos fideles per illa verba, *paſce oues meas*; per quæ illi conceſſa omnis poteſtas tam directoria, quam coercitiua neceſſaria ad totius Eccleſię regimen. Vt enim ait Bernardus lib. 2. de conſideratione, *per illa verba indefinita cui non planum, non deſignaſſe aliquas, ſed aſſignaſſe omnes? nil excipitur, vbi nil diſtinguitur*. Vnde Sanctus Leo ſerm. 3. in ſua aſſumptione dicebat, *omnes propriè regit Petrus, quos principaliter regit Chriſtus*.

4. Et quamuis admitteremus ſingulos Apoſtolos accepiſſe immediatè à Chriſto poteſtatem iuriſdictionis pro toto mundo; neceſſario tamen inter Petrum & reliquos hoc conſtituendum eſt diſcrimen, quòd aliorum poteſtas iuriſdictionis non erat ſupra ſe inuicem, ſed ſuper alios; poteſtas verò Petri erat ſuper alios, & ſuper ipſos reliquos Apoſtolos; ſiquidem ſoli Petro dixit Chriſtus, *Paſce oues meas*, in quorum numero erant ſine dubio reliqui Apoſtoli, ac proinde etiam reliquos Apoſtolos curę Petri commiſit Chriſtus, vnde Chryſoſtomus ad hunc locum in perſona Chriſti dicit, *Paſce oues meas*, ideſt, *loco mei præpoſitus eſto, & caput fratrum tuorum.* In cuius ſignum, Petrus ſtatim ac factus eſt Paſtor

ſtor vniuerſalis totius ouilis Chriſti, curam Ioannis ſuſcepit (vt notat Caietanus) interrogans *de eo: Hic autem quid?* Ioann. vltimo.

§. XVI.

Breuiter ex Euangelio oſtenditur, ſingulariter Petro datam eſſe immediatè à Chriſto poteſtatem in vtroque foro ſupra omnes & ſingulos fideles: & recenſentur eius prærogatiuæ ſupra reliquos Apoſtolos.

1. QVod egregiè confirmat Maldonatus in cap. 21. Ioannis num. 66. his verbis: *Cùm ſupra Chriſtus Ioannis 20. omnibus ſuis Apoſtolis, in quibus & Petrus profectò erat, parem dediſſet poteſtatem, quid potuit eſſe cauſæ, cur nunc Ioannis 21. ſingularibus verbis oues ſuas illi vni paſcendas committat? ſi eadem hæc atque illa prior poteſtas erat, cur eam illi iterum tradit? cur non eiſdem tradit verbis? cur non eodem ritu? cur non eodem affectu, ſed interrogato, num ſe diligeret? cur maiorem ab eo quàm à cæteris erga ſe amorem exigit? cur denique non omnibus iterum eandem tradit? præter illam ergo, quam communem cum omnibus Apoſtolis illo loco acceperat poteſtatem, propriam hic ſupra cæteros accepit poteſtatem.*

2. Vnde in multis eminuit Petrus ſuper reliquos Apoſtolos. Primò, quia ſolum Petrum Chriſtus aſcenſurus in cælum tanquam ſui Vicarium in terris reliquit, totius ouilis ſui ſupremum Paſtorem conſtituit, & Eccleſię caput viſibile fecit: cæteros autem Apoſtolos, & Eccleſias ab eis fundandas Petro ſubiecit. Secundò eminuit, quia quamuis alij Apoſtoli acceperint immediatè à Chriſto poteſtatem Eccleſias fundandi, & regendi, ſchiſmata & diuiſiones tollendo, vt fecit Paulus in Eccleſia Corinthiorum, & hæreticos excommunicando, vt fecit cum Himineo & Phipelo; tamen Eccleſias, quas fundabant, Petro ſubijcere debebant, & ab illo pendentes facere: Petrus verò Eccleſias à ſe fundatas non debebat ſubijcere alijs Apoſtolis; vt ita omnes ab vno capite haberent vnitatem & conformitatem in fide. Et ideo Optatus Milleuitanus Epiſcopus lib. 2. aduerſus Parmenianum, Petrum omnium Apoſtolorum caput appellat, & rationem eius appellationis reddit, vt ſcilicet Apoſtoli ſcirent, Eccleſias in vnitate cum Petro fundandas, & regendas, eum Schiſmaticum, & à compage corporis alienum, qui propriam ſibi Eccleſiam, & à capitis, ſiue Petri communione alienam vendicaret. *Negare non potes*, inquit

Digitized by Google

inquit Optatus Parmenianum alloquens, *ſcire te in Vrbe Roma Petro cathedram Epiſcopalem eſſe collatam, in qua ſederit omnium Apoſtolorum caput Petrus, vnde & Cephas appellatus eſt, in qua vna cathedra vnitas ab omnibus ſeruaretur, ne cæteri Apoſtoli ſingulas ſibi quiſque defenderet, vt iam Schiſmaticus & peccator eſſet, qui contra generalem cathedram alteram collocaret*.

3. Tertiò excelluit in eo, quod tanquam Caput Eccleſiæ erat Apoſtolorum Præſes, vt Concilium conuocaret, vt fecit Actorum 15. ad determinandum, non eſſe circumcidendos eos, qui ex gentilibus conuertebantur ad fidem, quod nulli alij ex Apoſtolis conueniebat. Quartò, quod aliorum poteſtas iuriſdictionis non erat ſupra ſe inuicem, ſed ſolùm ſupra alios fideles; poteſtas autem Petri erat inſuper ſupra ipſos Apoſtolos; cùm enim certum ſit, eos inter oues Chriſti computari, non potuerunt eximi à iuriſdictione eius, cui ſoli Chriſtus dixit, *paſce oues meas*, id eſt, *loco mei præpoſitus eſto, & caput fratrum tuorum*, vt exponit ibi Chryſoſtomus, Vnde Petrus ſuis præceptis alios Apoſtolos obligare poterat, quin aliquis eius leges reuocare valeret; è contra verò alij Apoſtoli Petrum obligare non poterant, eorum quippe leges ipſe reuocare valebat.

§. XVII.

Dignitas Summi Pontificis fuit ordinaria in Petro, & tranſitura ad Succeſſores: in cæteris Apoſtolis vniuerſalis poteſtas fuit extraordinaria, & cum eorum vita finienda. Vnde non in eodem ſenſu reliqui Epiſcopi ſunt Succeſſores Apoſtolorum, in quo Epiſcopus Romanus eſt Succeſſor Petri.

1. DEmum excelluit Petrus, quòd dignitas Summi Paſtoris, Principis Eccleſiæ, & Capitis in eo fuit ordinaria, atque realis, & propterea ad eius ſucceſſores tranſiuit; cùm enim Chriſtus ſuper Petrum fundauerit Eccleſiam viſibilem in æternum permanſuram, neceſſe fuit, vt dignitatem Capitis, & ſummi Paſtoris Eccleſiæ faceret ordinariam, atque realem, & ad Succeſſores Petri tranſituram. Vnde eleganter Innocentius IV. in cap. 1. de homicidio inquit, *Chriſtum aſcenſurum ad Patrem, ne Eccleſiam ſine Paſtore relinqueret, eam Petro, & ſucceſſoribus eius commiſiſſe*: At ampliſſima illa dignitas Apoſtolatus fuit extraordinaria, & per modum cuiuſdam legationis; & muneris perſonalis finien-

di cum vita Apoſtolorum: quia licèt ad fundandam Eccleſiam fuerit neceſſaria illa dignitas, & Ampliſſima poteſtas Apoſtolorum, cum priuilegijs ipſi annexis, non tamen eſt neceſſaria ad Eccleſiam iam fundatam conſeruandam & amplificandam. Vnde Apoſtolis non ſucceſſerunt Apoſtoli, ſicut ſummo Eccleſiæ capiti ſucceſſit Caput, & ſummo Paſtori Summus Paſtor; ſed quia Apoſtoli Epiſcopi etiam erant, Apoſtolis ſucceſſerunt Epiſcopi, non quidem quoad illam vniuerſalem iuriſdictionem & poteſtatem, ſed quoad munia adminiſtrandi Sacramentum Confirmationis, & ordinis, & exercendi iuriſdictionem pro vtroque foro in oues ſibi ex officio traditas, regendo partem gregis Chriſti ſibi commiſſi.

2. Dicunturque ſucceſſores Apoſtolorum, quia hi in ſingulis prouincijs ordinabant Epiſcopos, eis committebant determinatas oues, vt illas tanquam Paſtores ordinarij gubernarent; atque adeo mortuo Apoſtolo Epiſcopi ab ipſo ordinati habebant inter ſe diuiſam iuriſdictionem, quam integrè habebat Apoſtolus, in omnes illas oues; quæ quia erat extraordinaria, & finienda cum vita Apoſtoli, componebatur cum iuriſdictione ordinaria cuiuslibet Epiſcopi, & ideo Collegium omnium Epiſcoporum ſimul cum Epiſcopo Romano repræſentat Collegium Apoſtolorum ſimul cum Petro: ſicut enim poteſtas gubernandi totam Eccleſiam, reſidebat in Collegio Apoſtolorum dum viuebant, omneſque erant Petro ſubiecti; ita nunc poteſtas ordinaria gubernandi totam Eccleſiam, reſidet penes collectionem Epiſcoporum, inter quos Epiſcopus Romanus eſt ſupremum caput, omneſque ab illo poteſtatem iuriſdictionis proximam accipiunt, & fidem ſuam cum fide Sedis Romanæ conformare debent, vt ſeruetur vnitas Eccleſiæ.

3. Vnde illi ſoli ſemper in Eccleſia habiti ſunt veri Epiſcopi, qui ab Apoſtolis per legitimam ſucceſſionem, & ordinationem deſcendiſſe oſtendebantur, reliqui autem omnes tanquam fures & latrones, quales ſunt omnes Epiſcopi Lutherani & Caluiniſtæ, qui non per oſtium intrarunt, ſed aſcenderunt aliunde. Conſtat enim Chriſtum, à quo Eccleſia noui Teſtamenti cæpit, duodecim tantùm Apoſtolos elegiſſe Epiſcopos & Sacerdotes, atque eis commiſiſſe auctoritatem paſcendi, & gubernandi Eccleſiam, Apoſtolos autem poſtea ordinaſſe atque elegiſſe alios Epiſcopos, & eis tradidiſſe ſimilem poteſtatem alios deinceps ordinandi, ſeruato ordine ab Apoſtolis præſcripto.

§. XVIII.

Digitized by Google

§. XVIII.

Conditiones requiſitæ, vt aliquis Epiſcopus dicatur ab Apoſtolis deſcendere. Vnde infertur nec Eccleſiam Lutheranam, nec Caluiniſticam eſſe Eccleſiam Chriſti.

1. DVo autem requiruntur, vt aliquis Epiſcopus dicatur ab Apoſtolis legitimè deſcendere, ac proinde eſſe legitimus Epiſcopus, nimirum ſucceſſio, & ordinatio. Quantum ad ſucceſſionem requiritur, vt his qui verus Epiſcopus haberi cupit, ſuccedat alicui Apoſtolo, vt Linus ſucceſſit Petro, Polycarpus Ioanni, & Simeon Iacobo minori: vel certè, vt ſuccedat alicui, quē aliquis Apoſtolus fecerit Epiſcopum, quomodo Ignatius ſucceſſit Enodio, & Anianus Marco, quos Petrus fecerat Epiſcopos: vel demum, ſi Epiſcopatus eſt nouus, vt fiat Epiſcopus ab eo, qui habet Apoſtolicam auctoritatem, qui eſt ſolus Romanus Pontifex. Vt enim ait Auguſtinus Epiſt. 162. *in Romana Eccleſia ſemper viguit Apoſtolicæ cathedræ principatus*. Quantum ad ordinationem requiritur niſi adſit Papæ diſpenſatio, vt qui fit Epiſcopus, ordinetur à tribus Epiſcopis, qui & ipſi ſint ab alijs ordinati, & illi ab alijs, donec ad Apoſtolos deueniatur. Id clarè conſtat ex Canone 1. Apoſtolorum, ex Concilio Niceno 1. cap. 4. & ex Carthaginenſi 1. vbi ordinatio Epiſcopi ita facienda diſponitur. Id quod docet Apoſtolus 1. ad Timoth. 4. illis verbis: *noli negligere gratiam, quæ in te eſt, quæ data eſt tibi cum impoſitione manuum Presbyterij*; ſiquidem nomine *Presbyterij* intelligit cœtum Epiſcoporum, qui ſunt cum ordinante, & imponebant manus ſuper caput ordinandi, vt exponunt Chryſoſtomus, Theophilactus, & Oecumenius.

2. Vnde oritur euidens argumentum ad probandum, Eccleſiam Lutheranam & Caluiniſticam non eſſe veram Chriſti Eccleſiam, in qua vnicè eſt ſalus, quia non poteſt ſubſiſtere vera Chriſti Eccleſia ſine veris Epiſcopis, qui apud illos non reperiuntur, quia Lutheranorum & Caluiniſtarum Epiſcopi nec ordinationem, nec ſucceſſionem habent ab Apoſtolis.

Digitized by Google

§. XIX.

Reſpondetur ad argumenta, quibus Hæretici primatum Petri, & Succeſſorum eius impugnant: & infertur ex dictis Apoſtolos ſolùm fuiſſe pares in Apoſtolatu, & priuilegijs ipſi annexis. Petrum verò præter munus Apoſtoli habuiſſe munus ſummi Paſtoris totius ouilis Chriſti.

1. EX his quæ in decurſu huius Sectionis diximus, patet reſponſio ad argumenta initio poſita, quibus Hæretici primatum Petri, & Succeſſorum eius, ac proinde infallibilitatem in definiendo impugnant. Iam enim diximus, quo pacto Apoſtoli fuerint æquales, nempe in Apoſtolatu, & in priuilegijs ipſi annexis: Petrus verò vltra munus Apoſtoli habuit munus Papæ, id eſt Summi Paſtoris, & ſupremi Principis Eccleſiæ, quod ei promiſſum fuit Matth. 16. & traditum Ioannis 21. & hoc munus in Succeſſoribus remanſit, licèt munus Apoſtoli cum Petri vita finitum ſit: claues autem ipſi promiſſæ Matth. 16. non ſunt traditæ omnibus Apoſtolis in vllo Euangelij loco, quamuis eis datus ſit multiplex clauium vſus: nam promiſſio clauium eſt promiſſio Principatus ſupra totam ciuitatem militantis Eccleſiæ, vt cum Maldonato oſtendimus Sect. 2. §. 3.

2. Per illa autem verba Matth. 18. *Quæcunque ligaueritis ſuper terram* &c. non eſt tradita, ſed duntaxat promiſſa poteſtas iuriſdictionis Apoſtolis in vtroque foro, vt probant P. Suarez diſp. 16. ſect. 1. aſſertatione 1. Henriquez lib. 2. de pœnitentia cap. 1. num. 2. & latius Bellarminus lib. 1. de Romano Pontifice cap. 12. & nos ſupra oſtendimus. Quamuis autem fuiſſet ipſis tunc tradita poteſtas iuriſdictionis in vtroque foro, non propterea fuiſſent ipſis traditæ claues promiſſæ Petro, nam iſtę important poteſtatem ſupra omnes omnino oues Chriſti diſtinctas ab eo, cui claues traditæ ſunt, quam poteſtatem ſinguli Apoſtoli non acceperunt. Dicuntur à Dauide Apoſtoli conſtituti Principes ſuper vniuerſam terram in eo ſenſu, in quo miſſi ſunt à Chriſto in vniuerſum Mundum, quia nimirum ſingulis conceſſit amplam illam poteſtatem, quam §. antecedenti explicuimus.

3. Verba autem Pauli ex 2. ad Galatas ſolùm probant, Paulum non ab Apoſtolis, ſed immediatè à Chriſto conuerſum fuiſſe ad fidem, & factum eſſe Apoſtolum, & ad ſummum ſuadent eum non fuiſſe ordinatum

Digitized by Google

tum Epiſcopum ab Apoſtolis, ſed immediatè à Chriſto, quod tamen negat Turrecremata lib. 2. cap. 22. cum probabili fundamento videndo apud Bellarmin. lib. 1. de Romano Pontifice cap. 23. Ambroſius verò cùm dixit, quòd ſicut Petrus primatum accepit ad fundandam Eccleſiam Iudæorum, ita & Paulus ad fundandam Eccleſiam Gentium, locutus eſt de primatu doctrinæ & prædicationis, non de primatu iuriſdictionis, ſolumque ſignificare voluit, quòd ſicut in conuertendis Iudæis Petrus eminuit inter Apoſtolos, ita in conuertendis Gentibus eminuit Paulus.

4. Teſtimonia autem Cypriani & Hieronymi truncata referuntur; quia ſi integrè recitentur, noſtram ſententiam continent: nam Cyprianus poſtquam dixerat, *hoc erant vtique cæteri Apoſtoli, quod fuit Petrus, pari conſortio præditi, & honoris, & poteſtatis*, immediatè ſubiunxit; *ſed exordium ab vnitate proficiſcitur, vt Eccleſia vna monſtretur*. Vnde priori parte ſententiæ docuit Apoſtolos pares fuiſſe in dignitate Apoſtolatus, vt tali; in poſteriori autem oſtendit Petrum habuiſſe principatum, ac proinde præter dignitatem Apoſtolatus habuiſſe plenam iuriſdictionem ſupra totam Eccleſiam, quia illa neceſſaria erat ad vnitatem Eccleſiæ conſeruandam.

5. Legatur Stapletonius controu. 2. lib. 6. cap. 7. vbi integrum contextum Cypriani expendit, oſtenditque illum manifeſtè docere, quòd quamuis aliquo ſenſu par ſit honor, & poteſtas Apoſtolorum omnium, tamen in reſpectu ipſorum Apoſtolorum mutuò & inter ſe inuicem; in reſpectu vnitatis in toto Eccleſiæ corpore, maximeque in Præpoſitis, & Paſtoribus Eccleſiæ retinendæ, ab vno Apoſtolo exordium vnitatis proficiſci, primatum Petro dari; & vnum Petrum cæterorum Caput, & Principem eſſe, in cuius videlicet vna cathedra, quam propterea lib. 1. Epiſtola 3. vocat *Principalem cathedram*, vnde exorta vnitas totius Eccleſiæ, tum eſſe monſtratur, tum vt perpetua ſit, retinetur; quemadmodum in vno capite corporis naturalis, in vno Principe, ſeu Capite corporis Politici cæterorum membrorum omnium, & Reipublicæ, partium vnitas tum monſtratur, tum conſeruatur: vnum enim eſt naturale corpus, quod vnum caput habet, vna Reſpublica, vnum regnum, quod vni Magiſtratui, aut Regi ſubijcitur.

6. Idem patet de teſtimonio Hieronymi, nam poſt verba nobis obiecta, in quibus æqualitatem inter Apoſtolos ſtatuit, dicens, *ex æquo ſuper eos Eccleſiæ fortitudinem ſolidari*, immediatè ſubiungit; *tamen inter duodecim vnus eligitur, vt Capite conſtituto, Schiſmatis tollatur occaſio*, ac proinde eo loci ſolùm docet, Apoſtolos in vi Apoſtolatus, & legationis æquales fuiſſe, cæterùm Petrum in officio Paſtorali caput fuiſſe cæterorum, quia hoc erat neceſſarium ad conſeruandam vnitatem Eccleſiæ, certumque eſt, Hieronymum apertè aſſerere, Petrum fuiſſe cæterorum Apoſtolorum caput. Et in commentarijs ad illum locum, *Tu es Petrus, & ſu-*

& ſuper hanc petram &c. expreſsè aſſerere, ſupra *vnum Petrum fundari Eccleſiam.*

SECTIO V.

Exponitur mens Auguſtini, & explicatur quo pacto Chriſtus claues tradiderit Eccleſiæ, cùm dixit, Petrum accepiſſe claues in perſona Eccleſiæ, *vel* dum acciperet claues, Eccleſiæ perſonam repræſentaſſe.

NVnc examinandum quid voluerit Auguſtinus cùm dixit, Petrum accepiſſe claues in perſona Eccleſiæ, & dum acciperet claues, Eccleſiæ perſonam repræſentaſſe. In primis certum eſt, ſenſum Auguſtini non eſſe hunc; *tibi dabo claues Regni cælorum, hoc eſt, Eccleſiæ ſignificatæ per te, non tibi dabo claues Regni cælorum.* Vt enim ſolidiſſimè probat Caietanus tomo 1. opuſc. tract. 3. cap. 3. affirmare Eccleſiam ſic accepiſſe claues, quod perſona Petri non acceperit, error eſt plus quàm hæreticus, quoniam Euangelica per hoc negatur Hiſtoria, & hiſtoria in parabolam vertitur. Quare ad ſaluandum ſenſum litteralem illorum verborum, neceſſariò dicendum eſt, claues promiſſas eſſe Petro. Vnde Hæreticorum proprium eſt, negato litterali ſenſu huius loci, ad ſenſum myſticum vnicè confugere: firmata tamen veritate huius ſenſus litteralis, ſuperaddere licebit ſenſum alium myſticum, quod ſcilicet Petrus figuret Eccleſiam.

§. I.

Quid in ſenſu litterali, quid in morali intelligatur per petram *in illis verbis Chriſti* ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.

1. VNde Petrus de Marca opuſc. 4. cap. 3. numer. 27. meritò dixit, vniuerſam Eccleſiam tum in Occidente, tum in Oriente, iuxta litteralis ſenſus proprietatem ſemper Petrum intellexiſſe in illis verbis, *tu es Petrus, & ſuper hanc Petram &c. tibi dabo claues regni cælorum*; nec vllum è Patribus hanc interpretationem reieciſſe, imò verò omnes & ſingulos illam vt veram & genuinam amplexos eſſe: aliquos tamen Patres huic

Digitized by Google

huic receptæ ab omnibus explicationi alias ſuperſtruxiſſe, quæ huic primæ, & vniuerſali non officerent; vt Origenem & Ambroſium, qui ad literalem ſenſum, quem ipſi quoque ponunt, moralem adiunxêre, ad omnes fideles ea verba trahendo. Origenes enim poſtquam homilia 6. in cap. 12. Exodi, & lib. 5. in Epiſt. ad Romanos cap. 6. docuit, *Petrum eſſe Petram illam, cui Eccleſiæ ædificium imponitur*, poſtea tract. 1. in cap. 16. Matthæi, morali quoque ſenſu fidelium vnumquemque, qui rectam fidem à Chriſto edoctus profiteatur, & pietatis operibus confirmet, Petrum, atque Petram dici poſſe, atque in ſe ædificare Eccleſiam, ideſt, eam, quæ à Chriſto docetur, vitæ inſtitutionem. Eumdem ſpiritualem ſenſum ex Origene mutuatus eſt Ambroſius lib. 6. in Lucam cap. 6. dicens; *qui carnem vicerit, Eccleſiæ fundamentum eſt, & ſi æquari Petro non poteſt, imitari poteſt*, qui ſenſum litteralem planè aſſerit ad cap. 22. Lucæ dicens: *quem petram dicit, fundamentum Eccleſiæ indicauit*.

2. Sic etiam Epiphanius hæreſi 59. Hilarius libr. 6. de Trinitate, Cyrillus lib. 4. in Eſaiam, Chryſoſtomus homilia 55. in Matth. & homil. 2. in Pſalm. 50. Ambroſius lib. 6. in Lucam, Gregorius Magnus lib. 5. moralium cap. 7. Adrianus I. epiſt. 3. Nicolaus I. epiſt. 2. Ioannes VIII. epiſt. 54. & alij, poſt agnitum petræ proprium ſenſum, alium quoque non ineleganter inuexerunt, explicandi & non euertendi primi cauſa, ſcilicet de confeſſione fidei à Petro facta, dicentes, ſupra Petri confeſſionem fundatam eſſe Eccleſiam, quia nimirum Petrus ratione confeſſionis illuſtris meruit, vt ſupra ipſum Eccleſia ædificaretur, vt ſect. 2. cum Maldonato explicaui. In idem recidit explicatio Petri de Marca, aſſerentis, Patres illo loquendi modo rationem indicaſſe, qua fieri poſſit, vt Petrus poſitus ſit pro fundamento Eccleſiæ; nempè ex ſe infirmus homo id præſtare non poterat, niſi quatenus Patre cæleſti mentem eius implente, Chriſtum filium Dei palàm profeſſus eſt, cuius confeſſionis beneficio aſcitus eſt ſtatim à Chriſto in nominis, & officij participationem quamdam, ita vt quemadmodum Chriſtus eſt verum, & principale Eccleſiæ fundamentum, præter quod nemo aliud ponere poteſt, vt ait Apoſtolus 1. ad Corinth. 10. Sic Petrus ſit petra, & fundamentum Eccleſiæ opere externo ædificandæ, confeſſione illa cum Chriſto coniunctum, adeò vt ſecundum iſtud fundamentum ſubſiſtere non poſſit, niſi quatenus eſt coniunctum cum primo.

3. Vt autem notat idem Marca, plerique etiam veterum compendio verborum non ſolùm confeſſionem fidei, ſed Chriſtum ipſum, qui Petra dicitur, & à quo Petrus petræ nomen habuit apud Matth. ſignificari docuerunt, vt Hieronymus lib. aduerſus Iouinianum, & in Matth. cap. 1. & in Eſaiam cap. 54. atque Auguſtinus tractat. 24. in Ioannem, & ſermone 3. de verbis Domini, quod non impedit, quin ſenſu literali Petrus dictus fuerit petra, ſed oſtendit, alio modo non eſſe Petram, niſi quatenus Chriſto à ſe confeſſo coniungitur, eumque pro primo funda-

mento

mento ſupponit, à quo etiam nominis communicationem ſumpſit. Vnde petræ nomen vtramque petram complectitur, Petrum quidem in ſenſu literali directo, Chriſtum verò in ſenſu indirecto, excellentiore tamen, & neceſſario.

§. II.

Quo ſenſu Chriſtus, & quo ſenſu Petrus & Apoſtoli dicantur fundamentum Eccleſiæ.

1. SI autem quæras, qua ratione Petro competat ratio fundamenti, cùm Chriſtus dicatur ab Apoſtolo eſſe ſolum fundamentum, præter quod aliud nemo poteſt ponere; reſpondeo propterea ab Apoſtolo Chriſtum appellari vnicum fundamentum Eccleſiæ, quia huius ſpiritualis ædificij moles non poteſt principaliter inniti niſi Chriſto, qui eſt eius Auctor & conſeruator: quia tamen religio Chriſtiana propagari debuit hominum ad hoc ſelectorum miniſterio, qui ipſi aliquando dicuntur architecti huius ædificij, qui pro eius fundamento Chriſtum ponunt, vt de ſe teſtatur Apoſtolus ad Corinthios; aliquando verè ipſi quoque dicuntur fundamentum, quoniam illorum miniſterio compago illius ædificij ſuperponitur: ſic Paulus ad Epheſios ait, eos ſuperædificatos ſupra fundamentum Apoſtolorum, ideſt doctrinæ Chriſti per Apoſtolorum miniſterium.

2. Itaque Chriſtus eſt fundamentum Eccleſiæ ratione virtutis infinitæ, qua illam fundauit, & conſeruat: Apoſtoli verò dicuntur quoque fundamentum ratione miniſterij. Petrus autem poſt Chriſtum eſt principale fundamentum Eccleſiæ, quia non ſolùm titulo communi cum alijs Apoſtolis Chriſtum prædicando, & eius fidem perſuadendo Eccleſiam fundauit, ſed titulo ſpeciali, quia nimirum à Chriſto tanquam eius Vicarius in terra relictus eſt, vt per ſe, & ſucceſſores ſuos Eccleſiam vniuerſam ſuprema poteſtate gubernaret, & vnitatem fidei conſeruaret, ſine qua vnitate Eccleſia ſubſiſtere non poteſt.

§. III.

Proponitur ſententia affirmans Chriſtum dediſſe claues Eccleſiæ, id eſt Collegio Apoſtolorum, Collegium verò elegiſſe Petrum in caput: & reÿcitur vt erronea.

1. HOc ſuppoſito, dubium primò ſuper eſt, an ſenſus Auguſtini ſit, *tibi dabo claues regni cœlorum, hoc eſt Eccleſiæ repræſentatæ per te, & conſequenter tibi, quatenus es eius pars*; ita vt vi verborum Chriſti Petrus non acceperit poteſtatem ſupra alios Apoſtolos, ſed Eccleſia ipſa, ſeu Collegium Apoſtolicum illum elegerit in caput ſuum. Petrus de Marca opuſc. 4. cap. 3. num. 9. referens ſententiam Gerſonis, inquit: *Gerſon, ait datas Eccleſiæ formaliter claues, vt Eccleſia eas deinde daret Petro, & reliquis Apoſtolis*; non citat autem locum Gerſonis, in quo id dicat, nec ego inuenire potui, quamuis diligenter quęſiuerim. Imò Gerſon in tract. de poteſtate Eccleſiaſtica, conſideratione 1. column. mihi 125. oppoſitum videtur dicere, inquit enim: *poteſtas Eccleſiaſtica in ſua plenitudine, eſt formaliter & ſubiectiuè in Romano Pontifice*, & poſtmodum column. 126. dicit, quòd *plenitudo Eccleſiaſticæ poteſtatis eſt poteſtas ordinis, & iuriſdictionis, quæ à Chriſto collata eſt ſupernaturaliter Petro, ſicut Vicario ſuo, & Monarchæ primo pro ſe, & ſucceſſoribus legitimis vſque ad finem ſeculi ad ædificationem Eccleſiæ militantis, & conſecutionem felicitatis æternæ*. Illam tamen expoſitionem & ſententiam, quam Marca tribuit Gerſoni, colligunt aliqui ex cap. *in nouo* diſt. 21. vbi dicitur *hic ergo* (nempe Petrus) *ligandi ſoluendique poteſtatem primus accepit à Domino, primuſque ad fidem, populum ſuæ prædicationis virtute adduxit, verboque inſtituit: cæteri Apoſtoli cum eodem pari conſortio honorem, & poteſtatem acceperunt, ipſumque Principem eorum eſſe voluerunt.* Et colligunt etiam ex Iulio I. Epiſtola 1. vbi de Apoſtolis loquens inquit: *Sanctam Romanam Eccleſiam primatum omnium Eccleſiarum habere voluerunt.* Verùm quamuis exploratum foret illam Epiſtolam eſſe Iulij, quam aliqui viri eruditis ſuppoſitiam eſſe arbitrantur; de qua re diſp. ſequenti, tamen, vt & P. Suarez teſtatur lib. 4. de legibus c. 3. n. 9. apertè errarunt, qui ex hoc textu intulerunt, Petrum ab alijs Apoſtolis fuiſſe electum in caput: conſtat enim manifeſtè ex Euangelio, ex Concilijs, & Patribus, Petrum immediatè à Chriſto factum & Summum Paſtorem, & caput totius Eccleſiæ. Et ita diſt. 22. cap. *Sacroſancta*, dicitur *Sacroſancta Romana & Apoſtolica Eccleſia non ab Apoſtolis, ſed ab ipſo Domino, & Sal-*

uatore noſtro primatum obtinuit. Et vt habetur cap. quamuis diſt.21. Gelaſius Papa in Concilio 70. Epiſcoporum teſtatur, Pontificem non à Concilijs, ſed à Chriſto primatum habere his verbis: *Sancta Romana Eccleſia nullis Synodicis conſtitutis cæteris Eccleſijs prælata eſt, ſed Euangelica voce Domini & Saluatoris noſtri primatum habuit*. Quare vltima illa verba in textu, ex cap. *in nouo*, non de voluntate antecedente, & eligente, ſed de conſequente & acceptante intelligenda eſt.

2. De his quæ mox exponam: aliqua dixi diſp.1. ſect.4. vbi in hunc locum reieci expoſitionem magis exactam ſententiæ quorundam Pariſienſium. Eſt hic neceſſaria huiuſmodi expoſitio, quia erit multum conferens ad intelligentiam Auguſtini. Recolantur quæ ibi dixi, nam priora ab his poſterioribus claritatem; poſteriora autem hæc ab illis prioribus robur & firmitatem accipient.

§. IV.

Refertur Gerſonis ſententia affirmans, Chriſtum dediſſe immediatè claues Eccleſiæ, exercendas tamen per Petrum eiuſque Succeſſores: prout exponitur à D. Nauarro.

1. SVpereſt ſecundò dubium, an verba Auguſtini hunc reddant ſenſum: tibi, ideſt Eccleſiæ per te repræſentatæ dabo claues regni cœlorum, ita tamen vt per te exercendæ ſint, & hunc fuiſſe Gerſonis ſenſũ teſtatur D.Nauarrus relectione in cap. *nouit* de iudicijs notabili 3. num. 17. idque colligit ex definitione poteſtatis Eccleſiaſticæ, quam tradit Gerſon lib. de poteſtate Eccleſiæ, conſiderat. 1. colum. 111. vbi inquit: *Poteſtas Eccleſiaſtica eſt poteſtas, quæ à Chriſto ſupernaturaliter, & ſpecialiter collata eſt ſuis Apoſtolis, & diſcipulis, ac eorum ſucceſſoribus legitimis vſque ad finem ſæculi ad ædificationem Eccleſiæ militantis ſecundùm leges Euangelicas pro conſecutione felicitatis æternæ*; in qua definitione ſententiam illam ſatis inſinuaſſe videtur. Vnde Nauarrus, vt à deciſione huius controuerſiæ abſtineret, poteſtatem Eccleſiaſticam aliter ibi definit dicens: quod eſt *poteſtas à Chriſto inſtituta immediatè & ſupernaturaliter ad gubernandum ſecundum legem Euangelicam in ſupernaturalibus, & quatenus eſt illa opus in naturalibus*. Et poſtea num. 19. addit, ſe cautè poſuiſſe in ſua definitione verbum illud *inſtituta* loco eorum verborum, *collata Apoſtolis & Diſcipulis*, quæ in ſua definitione poſuerat Gerſon, vt abſtineret à deciſione illius difficilis quæſtionis, *cui principaliter fuerit à Chriſto collata iuriſdictio, an Eccleſiæ toti, an verò ipſi Petro;*

tro; quod non eſt conſilium, inquit, facere in præſenti propter illam maximam diſcordiam Romanorum & Pariſienſium: illi enim tenent, Petro & ſucceſſoribus datam eſſe hanc poteſtatem, atque ideo Papam Concilio eſſe ſuperiorem: hi verò, quibus Gerſon adhæret, contra, datam toti Eccleſiæ, licèt exercendam per vnum, atque ideo in aliquot ſaltem caſibus Concilium eſſe ſupra Papam. Et ſtatim pro ſententia Romanorum, id eſt pro ſententia fauente Romanis Pontificibus, citat S. Thomam, & Caietanum: pro ſententia autem Pariſienſium citat Panormitanum, Almainum & Maiorem, aſſeritque Canoniſtas frequentius ſequi Panormitanum, vt tradit Decius conſil. 15. refertque Maiorem, teſtantem, Romæ nemini permitti tenere ſententiam Pariſienſium & Panormitani, nec rurſum Academiam Pariſienſem pati, vt contraria opinio tanquam probabilis aſſeratur in ea. Scripſit autem hanc relectionem Nauarrus anno 1548. in Conimbricenſi Academia.

2. Vbi obiter noto parcum admodum fuiſſe Nauarrum in citandis Authoribus pro ſententia Romanorum, nam præter D. Thomam pro illa ſtant omnes antiqui, qui de hac re ſcripſerunt ante Concilium Conſtantienſe, quod cæptum fuit anno 1414. & finitum 1418. & inductum à Sigiſmundo Romanorum Rege ad ſedandum longiſſimum & perículoſiſſimum ſchiſma Petri de Luna, & Balthaſaris Coſſa; quare Petrus ab Aliaco, & Ioannes Gerſon, qui illi Concilio interfuerunt, primi ſunt Scriptores pro illa ſententia, quos pauci admodum poſtea ſecuti ſunt; communis autem conſenſus Doctorum, etiam Gallorum, illi doctrinæ refragatur, vt vidimus ſupra diſp. 1. videbimus lib. 2. quando noſtram ſententiam de ſuperioritate Papæ in Concilium probabimus ab auctoritate Theologorum.

3. Secundò probatur: illam fuiſſe ſententiam Gerſonis, ex libro de poteſtate Eccleſiaſtica conſideratione 11. column. 130. vbi illam tradit his verbis: *poteſtas Eccleſiaſtica in ſua plenitudine eſt in Eccleſia ſicut in fine & ſicut in regulante applicationem, & vſus huius Eccleſiaſticæ poteſtatis per ſeipſam, vel per generale Concilium ipſam legitimè repræſentans*, & in confirmationem ſuæ ſententiæ adducit Auguſtinum dicentem, quòd *claues Eccleſiæ datæ ſunt non vni, ſed vnitati, & quòd datæ ſunt Eccleſiæ*.

§. V.

Sententia Gerſonis prout explicatur, & defenditur à Petro de Marca impugnatur.

1. QVam opinionem videtur ſectari Marca opuſc. 4. cap. 3. num. 12. vbi poſtquam de ſententia aſſerente claues datas Eccleſiæ, id eſt Petro, & ſucceſſoribus, dixit, *ſapere ſtilum Curiæ Romana*,

næ, ſtatim ſubiungit: *mihi videtur datam Petro poteſtatem, quia repræſentabat Eccleſiam ob primatum inter Diſcipulos, inquit Auguſtinus: datam ergo Eccleſiæ, id eſt corpori myſtico Chriſti, quod conſtat ex Epiſcopis, & plebe fideli. Eccleſia eſt plebs adunata Sacerdoti, ait Cyprianus: data eſt ergo poteſtas Petro principaliter, et in eo omnibus Apoſtolis et Epiſcopis in perpetuum, vt eam in vnitate Eccleſiæ exerceant, extra quam vnitatem illa poteſtas ſpiritualis eſſe non poteſt data Eccleſiæ, quæ eligit miniſtros, & ordinat, et ſtatim poteſtas hæc data à Chriſto communicatur ordini*. Hucuſque Marca.

2. Verùm hæc ſententia prout explicata à Marca impugnatur. Iuxtà illum enim poteſtas ſignificata per claues data eſt Eccleſiæ; ſed eodem fatente Eccleſia nil aliud eſt quàm plebs adunata Sacerdoti: ergo illa poteſtas data eſt plebi adunatæ Sacerdoti. Hoc autem conſtat eſſe falſum, quia quamuis claues datæ ſint in vtilitatem plebis fidelium adunatæ Sacerdoti, non tamen plebs illa eſt ſubiectum immediatè ſuſceptiuum clauium; Si autem nomine Eccleſiæ intelligas Collegium Apoſtolorum, & Collegium Epiſcoporum, qui ab Apoſtolis originem trahunt, quatenus ab illis mediatè ordinati ſunt; ſic falſum dicitur, quia per poteſtatem clauium aliquid amplius intelligitur, quàm poteſtas illa, quæ nunc communicatur ſingulis Epiſcopis, nam ſingulis non communicatur poteſtas iuriſdictionis ſupra omnes fideles tradita Diuo Petro per claues, ergo intelligitur poteſtas, quæ non conuenit ſingulis Epiſcopis ſeorſim, ſed omnibus collectiuè: in collectione autem Epiſcoporum inuoluitur etiam Epiſcopus Romanus. At quamuis huic collectioni conueniat ſuprema poteſtas ratione Epiſcopi Romani, qui eſt totius Eccleſiæ Paſtor, non tamen illa poteſtas dependet ab ea collectione; ſic enim ſuprema poteſtas gubernandi omnes fideles, non conueniret immediatè Petro, & ſucceſſoribus eius, ſed mediante Concilio generali, vt includenti omnes Epiſcopos orbis, vel ſaltem maximam partem, & ſic mediante Concilio traderetur Epiſcopo Romano, ac proinde Summus Pontifex non haberet immediatè poteſtatem à Chriſto, ſed illam acciperet ab Eccleſia, quod ſupra conſtitit eſſe falſum.

3. Quod autem Marca concludit, datam eſſe Petro poteſtatem principaliter, & in eo omnibus Apoſtolis & Epiſcopis in perpetuum, vt eam in vnitate Eccleſiæ exerceant, extrà quam vnitatem poteſtas illa ſpiritualis eſſe non poteſt, ambiguum eſt: ſi enim ita intelligat, datam eſſe ſupremam poteſtatem Petro principaliter, & in eo omnibus Apoſtolis & Epiſcopis, vt poteſtas ſuprema ſit immediatè collata toti Eccleſiæ, quatenus conſtat ex Capite, & reliquo corpore, & non poſſit exerceri niſi per Eccleſiam, quatenus initio conſtabat ex Petro, & reliquis Apoſtolis, & quatenus nunc conſtat ex Summo Pontifice, & Collegio Epiſcoporum congregatorum in Concilio generali: ſic eſt falſiſſima ſententia huius Doctoris, quia hoc pacto non ſolùm Summus Pontifex ex-

tra

tra Concilium generale careret auctoritate infallibili ad decidendas fidei controuerſias, ſed etiam poteſtate condendi leges obligantes totam Eccleſiam, & facultate concedendi indulgentias, quibus omnes Chriſti fideles frui poſſent; quæ ſequela eſt manifeſtè abſurda.

4. Si autem ita intelligat, vt per illa verba, *tibi dabo claues regni cælorum*, promiſſa ſit primariò ſuprema poteſtas Petro, vt contradiſtincto à cæteris Apoſtolis, quæ ſit ordinaria, & tranſitura ad Petri Succeſſores, & inſuper ſecundariò in Petro promiſſa ſit ſingulis Apoſtolis ampla quædam poteſtas, & iuriſdictio extraordinaria ad fundandas, & regendas Eccleſias in vniuerſo orbe, ipſis concedenda immediatè ab ipſo Chriſto, cum onere tamen vt Eccleſias à ſe fundandas ſubijcerent Petro, eiuſque Succeſſoribus, eas obligando ad ſemper adhærendum Sedi Petri in doctrina fidei: ſi, inquam hoc dicat, falſum dicit: quia licèt Chriſtus immediatè illam poteſtatem extraordinariam conceſſerit ſingulis Apoſtolis, vt tenet communis ſententia apud Bellarminum lib. 1. de Romano Pontifice cap. 12. falſum tamen eſt, hanc poteſtatem ipſis promiſſam fuiſſe illis verbis, *tibi dabo claues* &c. tum quia illa ad Petrum duntaxat directa ſunt, vt ſupra oſtenſum eſt: tum quia per illa promittitur poteſtas ſuprema gubernandi totam Eccleſiam, tanquam ſupremum illius caput, quæ poteſtas reliquis Apoſtolis nunquam à Chriſto conceſſa eſt, ſed ſoli Petro: poteſtas autem illa ampla & extraordinaria cæteris Apoſtolis promiſſa eſt Matth. 18. per illa verba, *quæcumque alligaueritis ſuper terram &c.* & conceſſa Ioannis 20. per illa, *ſicut miſit me Pater, & ego mitto vos &c.* vt probat Bellarminus dicens, *tunc eis poteſtatem ſiue clauem iuriſdictionis attribuiſſe, et his verbis feciſſe illos, quaſi legatos et nomine ſuo gubernatores Eccleſiæ, verbis autem ſequentibus*, accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis &c. *dediſſe eis* poteſtatem ordinis.

5. Si demum ita intelligat, vt ſoli Petro ſit promiſſa immediatè poteſtas clauium, cæteris autem Apoſtolis non niſi mediante Petro; ſic hæc ſententia eſt falſa, nec intenta à Marca, quia Apoſtoli iuxta ipſum, & iuxta communem ſententiam immediatè acceperunt à Chriſto totam ſuam auctoritatem.

§. VI.

Digitized by

§. VI.

Impugnatur ſententia Gerſonis, prout expoſita à Nauarro, quòd ſcilicet Chriſtus conceſſerit immediatè toti Eccleſiæ ſupremam iuriſdictionem vt exercendam per vnum.

1. EX dictis facilè impugnatur ſententia Gerſonis, prout intellecta, & explicata à Nauarro; nam ſi dum aſſerit ſupremam iuriſdictionem conceſſam eſſe immediatè Eccleſiæ toti, licèt exercendam per vnum, ſignificat collatam eſſe immediatè toti Collegio Apoſtolorum, & mediante illo communicatam eſſe Petro, vt per illum exerceretur, planè abſurda eſt illa ſententia, quia inde infertur primatum Petri non fuiſſe immediatè inſtitutum à Chriſto, quod ex dictis conſtat eſſe falſum. Rurſus infertur, Chriſtum non inſtituiſſe Monarchiam, ſed Rempublicam, quia iuxta illud placitum communitas Apoſtolorum accepit ſupremam poteſtatem, & illam exercuit mediante Petro, ſicut Senatus Venetus habet ſupremam poteſtatem, quam exercet per vnum Senatorem, quem Ducem conſtituit. At de fide eſt, Eccleſiaſticum regimen eſſe Monarchicum, vt oſtendunt Bellarmin. lib. 1. de Rom. Pontifice cap. 5. & Suarez diſp. 5. de fide ſect. 8. n. 11. & fatetur Gerſon ipſe lib. de poteſtate Eccleſiaſtica in Epilogo concl. 2. col. 145. vt fuſius expoſui Diſp. 1. ſect. 8. 1. Cùm enim tres ſint formę bonę gubernationis, nimirum Monarchia, id eſt vnius principatus, Ariſtocratia, in qua Olygarchiã includimus id eſt, regimen Optimatũ, & Democratia, hoc eſt, populi imperium; & cùm Monarchia ſit optima gubernandi forma, vt latè oſtendit Bellarm. lib. 1. de Romano Pontifice c. 2. contra hæreticos, & breuiter probat D. Tomas 4. contra Gentes c. 76. ex fine gubernationis; quia cùm finis regiminis ſit pax, quæ in vnitate conſiſtit, & per ſe ſit manifeſtũ, quòd melius eſt cauſa vnitatis vnus, quàm multi, qui nonniſi in vnum venientes, eam cauſant; manifeſtum eſt regimen Monarchicum cæteris præſtare; & cùm certũ ſit Chriſtum reliquiſſe in Eccleſia optimam gubernandi formam, fit conſequens, vt quamuis potuerit Eccleſiam ſuã in terris diuerſis modis regendã diſponere, voluit tamen, vt non populare, non diuitum, non potentum, non Optimatum multorum, aut paucorum eſſet regimen, ſed vnius tantum, & propterea claues Eccleſiæ vni tantùm promiſerit Petro Matth. 16. cùm ei dixit, *tibi dabo claues regni cælorum*, & vni tantùm tradiderit, cùm dixit Ioan. 21. *Paſce oues meas*. Vnde Bellarminus contra hæreticos eo lib. 1. cap. 6. probat, Eccleſiaſticam gubernationem non eſſe

demo-

democraticam, ſeu popularem; & cap.7. demonſtrat Eccleſiaſticum regimen ad ſeculares principes non pertinere, & cap.8. non eſſe præcipuè penes Epiſcopos; & tandem cap.9. concludit, regimen Eccleſiaſticum præcipuè monarchicum eſſe debere.

§. VII.

Sententia Gerſonis alio modo explicata, ſcilicet quòd Chriſtus prauidens non poſſe Eccleſiam facilè in Concilio generali congregari, deſignauerit Romanum Pontificem, vt Vicarium Eccleſiæ ſeu Concilij, cui ſupremam auctoritatem ſecundariò communicauerit, vt nomine illius gregem fidelium paſceret.

1. SEd poteſt alia via ſententia Gerſonis exponi, ſi dicatur ſupremam Eccleſiaſticam poteſtatem eſſe tam in Concilio, quàm in Papa, ſed in Concilio principalius, immediatius, & immobilius: quod poteſt explicari aſſerendo, Chriſtum immediatè tribuiſſe Eccleſiæ omnem poteſtatem ligandi atque ſoluendi, & decidendi fidei controuerſias, & cùm Eccleſia ſemper duret immobiliter, in ea ſemper manere hanc poteſtatem: quia tamen non poteſt ſemper congregata exiſtere, vt per ſe hanc poteſtatem exerceat, inſtituiſſe Chriſtum Summum Pontificem, tanquam inſtrumentum generale ad omnes actiones Eccleſiæ, & in eo poſuiſſe hanc poteſtatem ſummam, vt eam exerceat nomine Eccleſię. Qui diſcurrendi modus ſaluat primatum Summi Pontificis eſſe de Iure Diuino, & fuiſſe collatum Petro, & ſucceſſoribus eius immediatè à Chriſto.

2. Et hoc videtur voluiſse Gerſon, qui cùm libro de poteſtate Eccleſiaſtica, conſideratione 10. column. 126. dixiſſet, quòd *plenitudo poteſtatis Eccleſiaſticæ eſt poteſtas ordinis, & iuriſdictionis, quæ à Chriſto conceſſa eſt ſupernaturaliter Petro, vt Vicario ſuo, & Monarchæ primò pro ſe, & ſucceſſoribus ſuis legitimis vſque ad finem ſeculi, ad ædificationem Eccleſiæ militantis pro conſecutione felicitatis æternæ*; poſtea conſiderat. 11. column. 130. ait: *poteſtatem Eccleſiaſticam in ſua plenitudine eſſe in Eccleſia velut in fine, & ſicut in regulante applicationem, & vſum huiuſmodi plenitudinis Eccleſiaſticæ poteſtatis per ſeipſam, vel per Concilium generale ipſam ſufficienter, et legitimè repræſentans.*

3. Quod probat, quia cùm conſtet datam eſſe Petro, & ſucceſſoribus

bus eius à Chriſto hanc poteſtatem in ædificationem Eccleſiæ, & cùm Summus Pontifex habens ſubiectiuè illam, ſit peccabilis, & poſsit hanc poteſtatem in deſtructionem velle conuertere, reſtat, inquit, vt aliqua ſit relicta inobliquabilis, & indeuiabilis regula ab optimo Legiſlatore Chriſto, ſecundùm quam poſsit abuſus huiuſmodi poteſtatis reprimi, dirigi, atque moderari: hęc autem regula eſt Eccleſia, vel generale Concilium. Vnde Gerſon licèt concedat poteſtatem Papę eſſe immediatè à Chriſto, docet eſſe ſubiectam poteſtati Concilij generalis. Quod magis explicat in Epilogo illius tractatus concluſione 1. vbi aſſerit plenitudinem poteſtatis Eccleſiaſticę reſidentem in Summo Pontifice, poſſe immediatè, & abſque limitatione exerceri in quemlibet de Eccleſia, *claue non errante. Sed ſi errat*, inquit, *poteſt per ſolam Eccleſiam Synodaliter congregatam error iudicialiter corrigi*, & ne fiat vlterius, lex imponi, cui tenebitur habens eiuſmodi poteſtatem reuerenter obedire, ſicut Matri & Sponſæ Chriſti, & ſicut regulę à Spiritu Sancto directę. Vnde Gerſon agnoſcit plenitudinem poteſtatis in Pontifice immediatè acceptam à Chriſto & plenitudinem poteſtatis in Eccleſia congregata in Concilio generali; ait tamen concluſ. 3. eſse principaliùs in Eccleſia ſuo modo, & hoc quadruplici reſpectu ſcilicet *indeuiabilitatis*, ac *indefectibilitatis*, *extenſionis*, *regulationis*, *et generalis obligationis*, cui *ſubijcitur etiam ipſe Papa, tanquam Imperatrici, Sponſæ Regis ſummi, quæ poteſt condere canones, et definire, etiamſi fuerit Papa præſens*.

§. VIII.

Reijcitur vt planè abſurda ſententia Gerſonis ſic explicata.

1. SEd nec ſententia Gerſonis hoc modo explicata ſuſtineri poteſt; nam ſi Chriſtus ſolùm conceſsit Petro ſummam poteſtatem iuriſdictionis, vt exercendam nomine Eccleſię, quia illa difficulter poteſt in Concilio generali congregari, prout opus erat, vt ſupremam poteſtatem ſibi à Chriſto immediatius, & principalius datam exerceret, ſequitur, Chriſtum non feciſse Petrum ſui Vicarium, ſed Vicarium Eccleſię, cuius nomine illam poteſtatem erat exerciturus. At certum eſt, Chriſtum reliquiſse Petrum ſui Vicarium in terris: ſic enim definitum eſt in Concilio Conſtantienſi ſeſſ. 8. vbi eſt damnata hęreſis Vicleſij dicentis, *non eſſe Pontificem immediatum Chriſti Vicarium*; & in Concilio Florentino, vbi definitum eſt, *Romanum Pontificem eſse verum Chriſti Vicarium, totiuſque Eccleſiæ Caput*. Idque alijs pluribus diſp. 1. ſect. 4. §. 2. à num. 5. oſtendi.

2. Se-

2. Secundò impugnatur: quia ſi Romanus Pontifex ſolùm habet ſupremam poteſtatem nomine Eccleſiæ, ſequitur, quod quando illa eſt congreta in Concilio generali, Summus Pontifex non poterit exercere poteſtatem ſupremam iuriſdictionis, ſi Concilium velit immediatè per ſe ipſum illam exercere; quia præſente principali Iudice & volente per ſe ipſum immediatè iudicare, ipſius Vicarius non habet ius proferendi Sententiam quatenus Vicarius eſt, vt dixi diſp. 1. ſect. 4. §. 3. numer. 1. Prçterea ſicut nolente Vicario Epiſcopi, poteſt iſte exercere iuriſdictionem ſupra omnes oues ſuas; ita nolente Papa, poſſet Concilium generale iuriſdictionem exercere ſupra omnes Chriſtianos, ſi Chriſtus ſolùm commiſit ſupremam poteſtatem Petro, & ſucceſſoribus eius, vt illam exerceret nomine Eccleſiæ, & quaſi Vicarius illius, dum ea non eſt congregata in Concilio generali, vt intuli loco citato. At hoc manifeſtè falſum & abſurdum: ergo &c.

3. Impugnatur tertiò, quia gratis & ſine fundamento dicitur, ſupremam poteſtatem iuriſdictionis à Chriſto conceſſam eſſe primariò, & principaliter toti Concilio Apoſtolorum, & Petro ſolùm eſſe conceſſam ſecundariò, vt eam exerceret nomine Collegij Apoſtolici, quando Apoſtoli eſſent per orbem diſperſi, ſic enim non feciſset Petrum principem illius Collegij, ſed ſubditum: ſicut reſpectu Reipublicæ Venetç, in qua ſuprema poteſtas eſt penes Senatum, nullus Senator eſt ſupra totum Senatum, ſed nomine ipſius vnus exercet ſupremam iuriſdictionem ſupra ſingulos ciues, & ſupra ſingulos Senatores ſeorſim ſumptos, ille nimirum quem Senatus Ducem conſtituit. Aſſumptum probatur, quia quæcunque poteſtas à Chriſto conceſſa eſt Apoſtolis, ſic conceſſa eſt omnibus, vt conueniret ſingulis, nec ad illam exercendam opus erat Concilio, ſiquidem non illam exercebant per ſupputationem maioris partis ſuffragiorum, ſed ſinguli eam ita accipiebant, vt poſſent exercere ſine Concilio.

4. Id patet diſcurrendo per loca, in quibus à Chriſto Apoſtolis vel promiſſa, vel conceſſa eſt poteſtas iuriſdictionis, vt Matth. 18. *quæcunque alligaueritis ſuper terram* &c. Ioannis 20. *ſicut miſit me viuens Pater, et ego mitto vos, accipite Spiritum Sanctum* &c. Matth. & Marci vltimo, *Euntes docete omnes gentes*: &c. in omnibus namque his locis ligandi atque ſoluendi, prædicandi, Baptizandi &c. ita conceſſa eſt omnibus vt tradita ſit ſingulis: ergo ſuprema poteſtas ſupra totam Eccleſiam non eſt conceſſa primario Collegio, aut Communitati, ſed Collegio ratione Capitis, cui immediatè tradita eſt: & licèt in cæteros Apoſtolos non fuerit per Petrum deriuata poteſtas ligandi atque ſoluendi, quia Chriſtus præuenit, illam immediatè concedendo Apoſtolis reliquis ex priuilegio, & gratia extraordinaria. At per ſucceſſores Petri communicanda erat Epiſcopis & Sacerdotibus. Mitto autem ea, quæ Gerſon addit de ſuperioritate Concilij ſupra Papam, hæc enim falſa eſſe poſtea oſten-

demus. Ratio autem qua ille nititur, quia Papa homo peccabilis eſt, nullius eſt ponderis, cùm militet etiam in Concilio quod eſt Congregatio hominum peccabilium.

§. IX.

Adhuc admiſſa illa doctrina Gerſonis, non poteſt errare Pontifex in determinandis fidei & morum controuerſijs.

1. QVare cùm Diuus Auguſtinus dixit Beatum Petrum in perſona Eccleſiæ claues accepiſſe, in alio longe ſenſu locutus eſt ab eo, quem intendit Gerſon, vt ſtatim dicemus. Priùs tamen notare libet, etiam ſtando in hac ſolutione Gerſonis, Pontificem ſaltem habere auctoritatem infallibilem ad decidendas fidei controuerſias, quando Concilium generale neque eſt congregatum, nec facilè poteſt congregari, quia tunc Pontifex illius vices gerit iuxta Gerſonem: ergo poteſt facere quidquid poſſet Concilium, ſi eſſet congregatum; at iuxta aduerſarios ſi concilium congregetur, habet auctoritatem infallibilem ad decidendas fidei controuerſias: ergo ſaltèm dum concilium non poteſt facilè congregari, hanc auctoritatem habet Pontifex Romanus; contra id, quod hic Auctor docuit in opuſculo illo, cui titulus, *An liceat in cauſis fidei appellare à Pontifice, ſeu eius iudicium declinare*: quod opuſculum habetur in primo tomo Gerſonis column. 436.

2. Inde licèt admitteremus Papam poſſe iudicari à Concilio ſi abuteretur poteſtate Pontificia in perniciem Eccleſiæ, quod tamen communis ſententia negat, extra caſum hæreſis manifeſtæ, apud Bellarmin. lib. 2. de Concilijs cap. 13. & apud P. Suarez diſp. 1. de fide, ſect. 6. numer. 14. vbi hanc communem ſententiam certam appellat: tamen in omnibus his caſibus, in quibus concilium generale ſi congregaretur, haberet auctoritatem infallibilem, eandem habebit Pontifex, quando Concilium non poteſt facilè congregari, ſicut non potuit tribus primis ſeculis Eccleſiæ, quia id poſtulat bonum commune; & ideo illis ſeculis multæ hæreſes à Pontificibus damnatæ ſunt.

§. X.

Digitized by Google

§. X.

Legitima expoſitio Auguſtini: & quo ſenſu verum ſit, quod Petrus quatenus repræſentans Eccleſiam claues acceperit.

1. IMpugnatis iam falſis expoſitionibus Auguſtini, reſtat vt genuinam reddamus cum Caietano opuſc. de poteſtate Papæ, & Concilijs cap.9. cum Ioanne Driedone Doctore Louanienſi lib.4. de varijs dogmatibus cap.3. part.3. fol.233. pag. 2. & 237. pag. 1. cum Gibalino lib. 5. Iuris Canonici cap.3. num.21. cum Bellarm. lib. 1. de Romano Pontifice cap.11. ad vltimam obiectionem, cum Stapletonio, cum Valentia, & eximio Doctore. Dico ergo, aliud eſſe, quod Petrus vt repræſentans Eccleſiam claues acceperit, aliud quod Eccleſia repræſentata per Petrum illas principalius, & immediatius acceperit quàm Petrus. Primum eſt verum, ſecundum eſt falſum; recepit quidem quatenus repræſentans Eccleſiam, primo quia recepit claues, non vt eas ipſe ſolus quoad omnes vſus ſecum retineret, ſed vt quoad plures vſus communicaret alijs in vtilitatem Eccleſiæ. Secundò, quia non accepit, vt priuata perſona & ad ſuum particularem honorem & vtilitatem, ſed vt perſona publica & tanquam ſupremus Princeps, & ſummus Paſtor Eccleſiæ ratione officij, & conſequenter quatenus repræſentans omnes ſuos ſucceſſores, ad quos poteſtas illa clauium tranſmittenda erat, vt per eos deriuaretur poteſtas remittendi & retinendi peccata, ligandi atque ſoluendi, & gubernandi, ad Epiſcopos, alioſque Prælatos, & miniſtros inferiores; non recepit autem nomine Eccleſiæ, id eſt, quaſi legatus, & veluti procurator Eccleſiæ, eiuſque vices gerens, ſic enim non ſibi, ſed Eccleſiæ recepiſſet, ſicut cùm Legatus, vel Prorex claues alicuius Ciuitatis, nomine Regis accipit, non ſibi, ſed Regi accipit; & ideo ſuprema poteſtas in vllam ciuitatem non penes legatum, ſed penes Regem manet.

2. Dicitur tamen Eccleſia in Petro, & per Petrum claues accepiſſe, tum quia quod caput, quatenus tale, recipit pro bono corporis, hoc ipſum corpus recipit; & quod Regi datur, quatenus Regi, & in vtilitatem regni, ipſi Regno dari cenſetur: claues autem datæ ſunt Petro, non vt perſonæ priuatæ pro illius duntaxat vtilitate, ſed vt perſonæ publicæ pro bono totius Eccleſiæ: tum quia datę ſunt Petro, non vt eas ipſe ſolus retineret, & ſic eo deficiente, deficeret vſus clauium, ſed vt eas communicaret quoad aliquos vſus Prælatis inferioribus, & vt tranſmitteret ad ſucceſſores ſuos ſecundùm totam amplitudinem, & medijs illis

Digitized by Google

ad Epiſcopos, & Presbyteros in gradu inferiori. Mentem Auguſtini explicat P. Suarez lib. 3. aduerſus Regem Angliæ cap. 12. num. 2. Hac ratione, inquit, dixit Auguſtinus Petrum repræſentaſſe Eccleſiam, quando illi claues datæ ſunt, quia non pro illius tantum perſona, ſed pro illius Sede, vt perpetuò cum Eccleſia duraret, eamque regeret ſuoque modo ſuſtentaret, illi datæ ſunt. Vnde ſicut ex illis verbis, *Tu es Petrus* &c. intulit Ambroſius Pſalm. 40. ita nos inferre poſſumus, *Vbi Eccleſia, ibi Petrus*, & quandiu durat Eccleſia, durat Petrus.

3. Pro maiori autem intelligentia nota, bifariam poſſe intelligi nomen Eccleſiæ, cùm ab Auguſtino dicitur, Petrum accipientem claues ſignificaſſe Eccleſiam: vel enim accipitur pro Eccleſia tunc exiſtente, quæ ex ſolis Apoſtolis conſtabat: vel pro Eccleſia poſtea futura poſt Petri obitum. Mihi autem videtur non accipi primo modo; quia cùm Chriſtus Apoſtolis omnibus promiſerit poteſtatem iuriſdictionis in vtroque foro Matth. 18. *quæcunque alligaueritis* &c. & eam reipſa tradiderit Ioannis 20. per illa verba, *ſicut miſit me viuens Pater* &c. vt probat Bellarmin. de Romano Pontifice lib. 1. cap. 12. non eſt fundamentum vt dicamus, Petrum accipientem claues repræſentaſſe Eccleſiam compactam ex Apoſtolis: tum quia ſuprema poteſtas ſupra totam Eccleſiam ſignificata per claues traditas Petro, vt probauimus ſect. 2. cum Maldonato, non erat communicanda alijs Apoſtolis, tum quia ampliſſimus vſus clauium communicandus cæteris Apoſtolis, non erat eis communicandus medio Petro, ſed immediatè à Chriſto iuxta communem ſententiam: ergo Petrus accipiens claues ſignificauit præcipuè Eccleſiam poſtea futuram, præſertim poſt eius mortem; quia accepit claues non interituras cum ipſo, ſed manſuras in Eccleſia, nimirum in ſucceſſoribus Petri, & per ipſos communicandas in gradu inferiori Epiſcopis, & Presbyteris; ac proinde ſignificauit etiam Eccleſiam, quæ viuente Petro per ipſum erat propaganda, quatenus ipſo mediante aliquis vſus clauium communicandus erat Epiſcopis & Presbyteris.

4. Quod autem hoc, & non aliud intenderit Auguſtinus, quando dixit, Petrum cùm claues accepit, ſignificaſſe Eccleſiam, patet ex eodem Auguſtino tract. 50. in Ioannem dicente: *ſi hoc Petro tantùm* (id eſt pro ſua tantùm perſona) *dictum eſt, non facit hoc Eccleſia, quia nimirum cum Petro poteſtas extincta fuiſſet*. Vnde quia nunc Eccleſia etiam ligat & ſoluit, infert: *ergo Petrus quando claues accepit, vtique Eccleſiam Sanctam ſignificauit*. Quæ illatio nulla fuiſſet, ſi intellixiſſet, quod Petrus repræſentauit Eccleſiam, tanquam eius vices gerens, & quaſi Vicarius ipſius: quia id nec neceſſariò ſequitur, nec verum eſt, cùm nec Eccleſia hanc repræſentationem, ſeu delegationem Petro commiſerit, nec Chriſtus ſua poteſtate illam fecerit, cùm verbis ſuis illam non ſignificauerit. Ergo intellexit Auguſtinus, Petrum Eccleſiam tunc repræſentaſſe ratione ſui primatus, & ſedis, ſic enim quod datur Capiti propter corpus Eccle-

Eccleſiæ, cenſetur dari ipſi Eccleſiæ; & ſic dixit idem Auguſtinus, tract. 124. in Ioannem, Petrum propter Primatum ſuum Eccleſię perſonam egiſſe, id quod ibi apertius ſignificauit dicens: *Eccleſia quæ fundatur in Chriſto, claues accepit in Petro*. Et hoc ipſum ſignificauit tract. 50. ad caput 12. Ioan. vt habetur 24. quæſt. 1. cap. *manet ergo*. Vbi ſic inquit: *In perſona Petri ligandi & ſoluendi Eccleſia poteſtatem accepit*.

5. Rurſus quod Auguſtinus agnouerit datam Petro, & Succeſſoribus eius immediatè ſupremam poteſtatem à Chriſto, & hac ratione datam fuiſſe Eccleſiæ, patet ex quęſtionibus noui, & veteris Teſtamenti, vbi ait: *Saluator cùm pro ſe & Petro iubet dari didrachma, pro omnibus ſoluiſſe videtur: quia ſicut in Saluatore erant omnes cauſæ magiſterij, ita & poſt Saluatorem in Petro omnes continentur: ipſum enim conſtituit caput eorum, vt eſſet Paſtor gregis Dominici*. Demum id conſtat ex ſermone 28. de Sanctis, vbi inquit: *Solus Petrus inter Apoſtolos meruit audire*: Amen dico tibi, quia tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam; *dignus certè, qui ædificandis in Domo Dei populis lapis eſſet ad fundamentum, columna ad ſuſtentaculum, clauis ad Regnum*. Sentit ergo Petro, vt contradiſtincto à cæteris Apoſtolis, ratione officij ſummi Paſtoris datam fuiſſe auctoritatem infallibilem ad decidendas fidei controuerſias, & ratione huius poteſtatis fuiſſe columnam, & firmamentum veritatis. Quod autem Chriſtus conceſſit Petro vt contradiſtincto à cæteris Apoſtolis ratione officij Summi Pontificis, conceſſit planè Romanis Pontificibus, ſuccedentibus Petro in Summo Pontificatu, vt contradiſtinctis à cæteris Epiſcopis.

§. XII.

Ex dictis infertur & concluditur, iudicium Romani Pontificis determinantis fidei & morum controuerſias eſſe infallibile & irreformabile.

EX dictis infertur conuincens ratio pro auctoritate Summi Pontificis; nam certum eſt Chriſtum tradidiſſe Eccleſiæ ſuæ ſupra Petrum fundatæ auctoritatem infallibilem ad decidendas fidei controuerſias: at hanc poteſtatem ſiue auctoritatem non tradidit Petro, & ſucceſſoribus eius mediante Eccleſia: ergo tradidit Eccleſiæ mediante Petro, & ſucceſſoribus eius; vel aliter: at hanc poteſtatem non tradidit immediatè communitati Apoſtolorum repręſentanti totam Eccle-

cleſiam: Ergo tradidit immediatè Petro vt capiti, & ratione officij, & in hoc ſenſu dicitur dediſſe Eccleſię, quia dedit capiti Eccleſiæ pro bono ipſius Eccleſię. Et ſanè niſi Chriſtus eam ſupremam auctoritatem decidendi controuerſias fidei, dediſſet Petro, & ſucceſſoribus eius, nec abſolutam curam paſcendi Dominicum gregem eis commiſiſſet; cùm grex Domini paſci imprimis debeat veritate doctrinę; nec claues cęli illis tradidiſſet, cùm cœli aperiantur verâ fidei doctrinâ, ſine qua impoſſibile eſt placere Deo, vt ait Apoſtolus ad Hebræos 11. quæ latius in præcedentibus explicata ſunt.

DI-

DISPVTATIO III.

In qua probatur excellentia Romani Pontificis ſupra omnia Concilia, eiuſque in definiendo infallibilitas ex Concilijs Generalibus.

SECTIO I.

Quænam fuerint quatuor prima Concilia Generalia, & ob quas cauſas fuerint congregata. Vbi aſſignatur radix hæreſum, quæ in illis damnatæ ſunt.

1. QVATVOR prima Concilia Generalia, ſicut quatuor Euangelia ſe ſuſcipere, & venerari fatebatur S. Gregorius Magnus, vt habetur cap. *ſicut Sancti*, Diſt. 15. videlicet Nicænum primum congregatum anno 325. contra Arrianos ſub S. Silueſtro Papa, imperante Conſtantino Magno, qui ei interfuit. Conſtantinopolitanum primum congregatum anno 387. Sub S. Damaſo Papa, imperante Theodoſio Maiore, ad condemnandam hæreſim Macedonij, negantis diuinitatem Spiritus Sancti. Epheſinum congregatum anno 430. ſub S. Cęleſtino Papa imperante Theodoſio Minore, ad condemnandam hæreſim Neſtorij, adſtruentis in Chriſto duas perſonas, ac proinde aſſerentis Beatam Virginem non eſſe dicendam Matrem Dei, ſed tantùm Matrem Chriſti, ſeu perſonæ creatæ, in qua habitaret ſpecialiter perſona Verbi. Chalcedonenſe congregatum anno 451. ſub S. Leone, imperante Marciano Auguſto, ad condemnandam hæreſim Eutichetis & Dioſcori, aſſerentis in Chriſto vnam duntaxat eſſe naturam, ex Diuinæ & humanæ confuſione conflatam.

2. Omnes hæreſes damnatæ in his quatuor primis Concilijs Generalibus, ortæ ſunt ex eo, quod exiſtimarent Hæretici, naturam & hypoſtaſim, ſeu perſonam idem prorſus eſſe. Inde enim, vt notat Leontius de ſectis Scholę actione 1. & 4. Arriani inferebant, in Sanctiſſi-

ctiſſima Trinitate, in qua ſunt tres perſonæ re diſtinctę, tres etiam eſſe naturas diſtinctas. Sabelliani contra, quia in Deo vna eſt ſimplex natura, vnam tantùm eſſe etiam dicebant Perſonam varijs nominibus, modo Patris, modo Filij, modo Spiritus Sancti in Scripturis appellatam. Neſtoriani ſimiliter, quod in Chriſto duæ eſſent naturæ, Diuina & humana, duas etiam eſſe Perſonas aſſerebant. Eutichiani è contra, quod in Chriſto vna tantum eſſet Perſona, vnam etiam volebant eſſe naturam; ex Diuinæ & humanæ confuſione conflatam. Has omnes hæreſes damnat Catholica fides, docens: *in Deo vnam tantùm eſſe naturam, & tres perſonas inter ſe realiter diſtinctas: in Chriſto verò vnam tantùm perſonam, & duas naturas realiter diſtinctas, impermixtas, & inconfuſas, inter ſe tamen colligatas, mediante vnione hypoſtatica naturæ humanæ cum perſona Verbi.*

SECTIO II.

Probatio prima ex authoritate Concilij Nicæni: Vbi latè defenditur contra recentes criticos, in eo Concilio declaratam fuiſſe Romani Pontificis ſuperioritatem in omnes Synodos, & ſtabilitum ius appellandi ad Apoſtolicam Sedem.

1. ERuditiſſimus noſter Franciſcus Turrianus, quem Bibliothecam animatam appellabant, in tractatu de Summi Pontificis ſupra Concilium authoritate lib. 2. pag. mihi 49. teſtatur, in hoc Concilio declaratum eſſe, *Romanum Pontificem eſſe ſupra Concilium omnium Epiſcoporum*. Idem teſtatur Magiſter Canus lib. 6. de locis cap. 4. & P. Valentia tom. 3. diſp. 1. quæſt. 1. punct. 37. §. 7. & alij. Et id verum eſſe, nunc probandum ſuſcipimus.

§. I.

§. I.

Oſtenditur Concilium Nicænum petÿſſe ſuorum Decretorum confirmationem à S. Silueſtro Papa; ac proinde profeſſum eſſe ſuperioritatem Romani Pontificis in omnia Concilia.

2. ET id imprimis ſuadetur ex eo, quod ipſum Concilium, dum à Silueſtro petiuit confirmationem ſuorum Decretorum, agnouit ſuperioritatem Romani Pontificis in Concilia generalia; nam inferioris non eſt confirmare decreta ſuperioris poteſtatis. Quod autem hanc confirmationem petierit, teſtatur Concilium Romanum Secundum celebratum anno 484. ſub Felice Tertio à 77. Epiſcopis in Baſilica S.Petri. Nam in epiſtola Synodica ad Clericos & Monachos Orientales, ideſt ad vniuerſos presbyteros, & Archimandritas orthodoxos Conſtantinopoli & Bithynię commorantes, ſic ſcripſit totum Concilium *Qui caput eſt omnium* (Romanus Pontifex ſucceſſor præſulũ Sedis Apoſtolicę) *Domino ad Beatum Petrum Apoſtolum dicente,* Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduerſus eam, *Quam vocem ſequentes trecenti decem & octo Sancti Patres apud Nicæam congregati, confirmationem rerum atque authoritatem Sanctæ Romanæ Eccleſiæ detulerunt: quam vtramque vſque ad ætatem noſtram ſucceſſiones omnes, Chriſti gratiâ præſtante, cuſtodiunt.* Hæc Synodalis epiſtola authentica eſt, & habetur apud Labbè tom.4. Concil. column. 1126.

3. Id ipſum teſtantur litteræ, quas Patres Nicæni ſcripſerunt ad Silueſtrum Papam, petentes confirmationem eorum, quæ ab ipſis ſtatuta fuerant. Has adducit Baronius tom. 3. pag. mihi 304. in quibus ſic inter alia loquuntur: *Quæ ad robur pertinent Sanctæ Eccleſiæ Catholicæ & Apoſtolicæ, ad Sedem tuam explanata, & de Græco redacta ſcribere confitemur: nunc itaque ad veræ fidei augmentum accurrimus corroborari...... Quid autem conſtituimus in Concilio Nicæno, precamur veſtri oris conſortio cõfirmetur &c.* Quibus recitatis ſubiungit Baronius: *Porrò cum his litteris miſſum æquè fuiſſe decretum fidei, & reliqua in Concilio geſta, certum eſt.*

4. Epiſtola hæc (inquit Labbè) à Surio primùm edita fuit ex vetuſto libro Colonienſi, quæ reperitur etiam in antiquis codicibus Creſconianæ collectionis. Quamuis autem aliqui huius temporis Critici ſuſpicentur, vel ſaltem dubitent, an hæc epiſtola Synodica ſit ſuppoſi-

Digitized by Google

titia; eorum tamen ſiue ſuſpicio, ſiue dubitatio ſufficienti caret fundamento, & retunditur ex teſtimonio Concilij Romani Secundi ſub Felice Tertio, & ex iudicio Cardinalis Baronij.

5. Adde eruditiſſimos huius ætatis viros, qui Epiſtolas Decretales antiquorum Pontificum à Clemente vſque ad Siricium (qui renuntiatus eſt Summus Pontifex anno 385.) ſuppoſititias eſſe arbitrantur, non parcituros huic Synodali Epiſtolæ, ſi ad illam expungendam fundamentum inueniſſent. Pepercit tamen huic epiſtolæ ſeuera eorum criſis, vt patebit legenti Illuſtriſs. D. Schelſtrate part. 2. Antiquitatis illuſtratæ diſſertat. 3. cap. 5. Præterea hic ceſſat principale argumentum, quo inducuntur ad indicandum illas Decretales Epiſtolas eſſe ſuppoſititias: nam inde potiſſimùm mouentur, quòd epiſtolæ illæ non apparuerunt, nec inueniuntur citatæ niſi poſt octauum ſeculum, poſtquam Iſidorus Mercator collectionem ſuam Canonum & Epiſtolarum Romanorum Pontificum coordinauit. Quod fundamentum non habet locum in epiſtola illa Synodali, cuius mentionem facit Concilium Romanum celebratum anno 484.

§. II.

Decreta Nicæna confirmata fuiſſe à S. Siluestro ad inſtantiam ipſius Concilij, rectè probat Baronius.

1. PRæterea Synodi Nicænæ decreta confirmata fuiſſe à S. Silueſtro ad inſtantiam ipſius Concilij, probat efficaciter Baronius vbi ſupra pag. 305. nam poſtquam aſſeruit certum eſſe, quòd cum literis ſuis miſerint Patres Nicæni ad Silueſtrum Decretum fidei, & cætera in Concilio geſta, ſtatim ſubiunxit: *Cæterùm quod ad Magnæ Synodi confirmationẽ ſpectat: etiamſi dicta epiſtola non extaret, vel omnino reijceretur vt ſpuria, quis ignorat antiqua Eccleſiaſtica iura, quibus traditum & obſeruatum eſt, omnia Decreta Synodica ab Epiſcopo Romanæ Eccleſiæ accipere firmitatem? Vnde apud Socratem: Canon Eccleſiaſticus vetat, ne Decreta abſque ſententia Epiſcopi Romani Ecclesijs ſanciantur. Sed quinam iſte Canon, qui in re tanta, tanta decernat, vt inuiolabiliter & ſemper fuerit vbique ſeruandus? non equidem in Synodo aliqua reperitur eſſe ſancitus, ſed potius antiquo vſu, vti Apoſtolica inſtitutio, ad poſteros iugi obſeruatione omnium appareat ſtabilitus, quod & ſuperius demonſtratum eſt.*

2. Hunc Canonem veluti digito ſignat Theodoretus, cùm lib. 2. hiſt. cap. 4. de Iulio Romano Pontifice Euſebianos ad ſuum tribunal vocante ſcribit: *Ille Canonem Eccleſiæ ſecutus, & eos iuſſit Romam venire,*

&

Digitized by Google

& Diuinum Athanaſium, quò pro ſe in iudicio ipſe reſponderet, vocauit. Conſtatque ex authentica epiſtola S. Iulij primi ad Euſebianos (quam tranſcribit S. Athanaſius in ſecunda Apologia ſua ad Conſtantium Imperatorem) Orientales agnouiſſe ſupremam illam authoritatem Romani Pontificis: nam ad finem illius Epiſtolæ, loquens de Athanaſio & Marcello, quos Euſebiani iniuſtè damnauerant, & qui ob hanc cauſam appellauerant ad Pontificem Romanum; & alloquens ipſos Euſebianos ſic inquit: *Si vt dicitis, omnino in culpa fuerunt, oportuit ſecundum canonem, & non iſto modo iudicium fieri: oportuit ſcribere omnibus nobis, vt ita ab omnibus quod iuſtum eſſet decerneretur. Epiſcopi enim erant, qui patiebantur, & non vulgares Eccleſiæ quæ iſta patiebantur, ſed quas ipſimet Apoſtoli ſuâ operâ ad fidem inſtruxerant. Cur igitur & in primis de Alexandrina ciuitate nihil nobis ſcribere voluiſtis? an ignari eſtis, hanc conſuetudinem eſſe, vt primùm nobis ſcribatur, vt hinc, quod iuſtum eſt, definiri poſſet? Quapropter ſi iſthic huiuſmodi ſuſpicio in Epiſcopum concepta fuerat, id huc ad noſtram Eccleſiam referri oportuit. Nunc autem nos, quos certiores minimè fecerunt, poſtquam iam egerint quod libuit, ſuffragatores ſuæ damnationis, cui nō interfuimus, eſſe volunt. Non ita ſe habent Pauli ordinationes, non ita Patres docuerunt, ſed aliud exemplum & nouum eſt inſtitutū. Obſecro vos; cum alacritate audite, pro publico bono iſta ſcribo: quæ enim accepimus à Beato Petro Apoſtolo, ea vobis ſignifico, non ſcripturus alioqui, quæ nota apud vos eſſe arbitror, niſi facta ipſa nos cōturbaſſent. Epiſcopi abripiuntur, & ſuis è ſedibus propelluntur; alij verò aliunde in eorum loca reponuntur, alij verò inſidijs appetuntur; vt ſubditi, & de abreptis doleant, & à ſummiſſis vim patiantur, vt quos optant, fruſtra requirāt, quos nolunt, inuiti recipiant. Obſecro ne iſta vlterius fiant, vel potiùs contra illos ſcribite, qui talia moliuntur, ne deinceps has iniurias Eccleſiæ patiantur, aut Epiſcopus aut Presbyter iſtiuſmodi contumelias ſentiat, aut præter animi ſententiam ea quæ nolint, vt nobis indicarunt, cogantur facere, ne apud Ethnicos ridiculi efficiamur, aut, quod præ omnibus grauiſſimum eſt, Deum exacerbemus.*

§. III.

Cùm ex confeſſione ipſorum Græcorum, & ex ſubſcriptionibus Concilij conſtet, Hoſium Epiſcopum Cordubenſem cum Victore, ſeu Vito, vel Vitone, & Vincentio præſediſſe in Concilio Nicæno: hinc manifeſtè probatur, Patres Nicænos agnouiſſe Primatum Romani Pontificis.

1. HOſium Cordubenſem Epiſcopum præſediſſe in Concilio Nicæno probant verba illa S. Athanaſij in Apologia de fuga ſua; in qua de Hoſio loquens, *In qua enim Synodo* (inquit) *ille non Dux & Anteſignanus fuit? Quæ non ille rectè tuendo in ſententiam ſuam pertraxit? Quæ Eccleſia illius præſidentiæ non pulcherrima monumenta retinet?* Et in Epiſtola ad Solitarios de eodem Hoſio loquens: *Hic Princeps* (inquit) *eſt Synodorum; & ſi quid ſcribit, vbique auditur: hic formulam Fidei in Nicæna Synodo concepit, & Arianos vbique pro hæreticis traduxit.*

2. Idque multis comprobat Baronius tom. 3. ad annum 325. pag. mihi 261. primæ impreſſionis Romanæ. Ipſique Hiſtorici Græci, alijq; authores eiuſdem nationis, quorum aliqui infenſiſſimi fuere Sedi Romanæ, hoc fatentur. Id fatetur Gelaſius Cyzicenus, qui ſcripſit tres libros de Actis Nicænæ primæ Synodi, & circa annum 476. vt ipſe teſtatur in præfatione, & vt refert Philippus Labbè, fuit Epiſcopus Cæſareæ Paleſtinæ. Hic Author lib. 2. cap. 5. id teſtatur his verbis: *Ipſe etiam Hoſius ex Hiſpanijs, nominis & famæ celebritate inſignis, qui Silueſtri Epiſcopi maximæ Romæ locum obtinebat, vnà cum Romanis Presbyteris Vitone & Vincentio cum alijs multis in conſeſſu illo adfuit.* Idem teſtatur ille hoſtis infenſiſſimus Romanæ Sedis, & Papę Photius in ſua Bibliotheca cod. 88. dicens, *Hoſium Cordubæ Epiſcopum, & Vitonem atque Vincentium Romanos Sacerdotes, Silueſtri Legatos adfuiſſe.*

3. Idipſum teſtatur Theodoretus Epiſcopus Cypri lib. 1. hiſtoriæ cap. 7. his verbis: *Trecenti decem & octo Epiſcopi conuenerant. Romanus verò propter ſummam ſenectutem ipſe quidem non adfuit, ſed duos presbyteros miſit cum poteſtate Actis aſſentiendi.*

4. Hos autem Presbyteros in illa Synodo præceſſiſſe Patriarcham Alexandrinum, Antiochenum, & alios Prælatos dignitate maiores, eo vnicè nomine, quòd eſſent Legati Romani Pontificis, conſtat ex Socrate lib. 1. hiſtoriæ cap. 9. vbi recenſens eos, qui Concilio interfuerunt, in nume-

numerando ſeruat ordinem dignitatis Eccleſiarum, & ideo primo loco numerat Hoſium Epiſcopum Cordubenſem, & duos presbyteros Romanos, quia videlicet, licèt eſſent dignitate & gradu inferiores, repræſentabant Pontificem Romanum, qui dignitate omnes Patriarchas præcedit, & omnibus Concilijs ex officio Summi Pontificis pręcedere debet. Audiamus eius verba. *Aderat in hoc Concilio Hoſius Epiſcopus Cordubæ, Vitus & Vincentius Presbyteri; Alexander Epiſcopus Ægypti: Euſtathius magnæ Antiochiæ: Hieroſolymorum Macarius; Harpocration, Eynon & alij, quorum nomina in libello Athanaſij Epiſcopi Alexandrini, qui Synodicus inſcribitur, ſingillatim & accuratè citantur.* En accuratum ordinem enumerandi; vt primo loco ponat eos, qui repręſentabant primam Sedem, ſecundo loco ſecundum Patriarcham, tertium tertio, & quartum vltimo. Et hinc colliges hunc eundem ordinem in numerando ſecutum eſſe Athanaſium, qui Concilio interfuit, quandoquidem illum citat, vt authorem huius Catalogi.

5. Idipſum ſatis perſpicuè ſignificat Euſebius Cęſarienſis, qui tempore Conſtantini Magni floruit, & hiſtoriam Eccleſiaſticam ſcripſit. Nam lib. 3. de vita Conſtantini cap. 7. hęc habet. *Et quamuis vrbis illius, penes quam Imperium eſt, Epiſcopus ingraueſcente ætate præpeditus abfuit, eius tamen presbyteri, qui aderant, illius locum ſuppleuerunt.* Nam Euſebium hic intelligere Epiſcopum Romanum Silueſtrum inde perſuadetur, quòd nomine Epiſcopi *Vrbis illius penes quam Imperium eſt*, non poteſt intelligi Epiſcopus Byzantij Metrophanes, vt vult Petrus de Marca: nam Concilium Nicęnum habitum eſt anno 325. & vt euincit Baronius tom. 3. ad annum 317. in fine pag. mihi 162. ex Socrate & Sozomeno, Metrophanes obierat iam anno 317. *Hoc eodem anno* (inquit Baronius ad annum 317.) *cùm Metrophanes Epiſcopus Byzantij ſediſſet annos tres, ſenio valdè confectus, ſubſtituendum curauit Alexandrum, qui (vt Author eſt Sozomenus) annis vigintitres ſedit.* Ergo quando celebratum eſt Nicęnum Concilium Alexander erat Epiſcopus Byzantij, in ętate adhuc florente. Ergo Euſebius nomine Epiſcopi ciuitatis, *penes quam eſt Imperium, non intellexit Conſtantinopolim, ſed Romam.*

6. Deinde ex Baronio ad annum 324. apud Spondanum num. 31. conſtat, Conſtantinum ann. 324. propè antiquum Ilium non longè ab Helleſponto, inuento loco condendæ nouę Vrbis idoneo, quam nouam Romam appellaret, fundamenta iecisſe, & muri partem aliquam in altum egiſse: ſed quod eum huius operis inſtituti pœnituiſset, Byzantium conceſſiſse, & ſitum vrbis illius admiratum, eam quàm maximè amplificare ſtatuiſse, & ibi ſedem Imperij conſtituere; atque hinc effectum eſse, vt illam ciuitatem eximiè amplificatam, & quaſi denuò ædificatam, poſtea à ſuo nomine Conſtantinopolim, atque nouam Romam appellauerit. Quare cùm initio anni 325. congregatum eſt Concilium Nicęnum, tunc inciepiebat ędificari Conſtantinopolis, quę non eſt Dedica-

igitized by Google

dicata vſque ad annum 330. Vnde infertur, quando celebratum eſt Concilium Nicęnum, nondum Byzantium fuiſse ciuitatem adeò celebrem, vt meruerit, quòd ſpecialis mentio fieret ab hiſtorico de Epiſcopo illius. Cùm ergo Euſebius dixit, *Epiſcopum illius vrbis, penes quam eſt Imperium*, prę nimio ſenio non potuiſse aſſiſtere Concilio, non locutus eſt de Conſtantinopoli, quę tempore Concilii Nicęni nondum erat ędificata, & adhuc non appellabatur Conſtantinopolis, ſed Byzantium: ſed locutus eſt de Epiſcopo Romę, vt locutus eſt Theodoretus lib. 1. hiſt. cap. 7. dum dixit. *Trecenti decem & octo Epiſcopi ibi in vnum conuenerant: Epiſcopus autem Romanus propter ætatem admodum ingraueſcentem abſuit*. Quę verba videtur Theodoretus deſumpſiſse ex Euſebio. Et ex Euſebio tranſcripſit verba nuper citata Socrates lib. 1. cap. 5.

7. Probatur inſuper ex Epitome Canonum, quam Hadrianus Summus Pontifex Carolo Magno obtulit anno Chriſti 773. quę in Pręfatione Canonum Sardicenſium ita habet: *Sciendum eſt, hunc Hoſium inter 318. Patres Concilij Nicæni honorabilem fuiſſe, atque ab Apoſtolica Sede cum Victore & Vincentio Presbyteris deſtinatum fuiſſe*. Vbi Hadrianus appellat Victorem, quem alij Vitum, vel Vitonem.

8. Denique vt alia omittam, Gregorius Septimus cap. 3. Apologet. idem teſtatur ijs verbis: *Oſius Cordubenſis, Victor & Vincentius Presbyteri Romanæ Eccleſiæ, ex parte Silueſtri Papæ Nicæno Concilio præfuerunt*. Idipſum euincit ſubſcriptio Epiſcoporum, qui in Nicęna Synodo interfuerunt. Ante omnes enim Patriarchas & Metropolitanos ſubſcripſere Concilio, primo quidem loco Hoſius Epiſcopus, ſecundo & tertio Vitus & Vincentius, nonniſi Presbyteri Romanę Eccleſię. In omnibus namque editionibus Concilij Nicęni, poſt viginti Canones illos vulgares, ſequentia verba ſubiunguntur:

Subſcripſerunt trecenti decem & octo
Epiſcopi, qui in eodem Concilio conuenerunt.

Hoſius Epiſcopus ciuitatis Cordubenſis Prouincię Hiſpanię dixit: *Ita credo, ſicut ſuperiùs ſcriptum eſt*.

„ Victor (aliàs Vitus) & Vincentius Presbyteri Vrbis Romanę, pro „ Venerabili Viro Papa & Epiſcopo Noſtro Sancto Silueſtro ſubſcripſi„ mus, ita credentes ſicut ſupra ſcriptum eſt.

9. Ex eo autem quod Hoſius pręſederit in Concilio Nicęno, & cum eo duo Presbyteri Romani, clarè arguitur, ipſum interfuiſse Concilio tanquam Legatum S. Silueſtri Pontificis Romani, & illos duos Presbyteros fuiſse Collegatos ipſius, eamque ob cauſam in ſede & ſubſcriptione pręceſſiſse Patriarchas, Archiepiſcopos, & Epiſcopum proprium Vrbis Nicęę. Vt enim inquit optimè Baronius loco nuper citato, *Quænam ratio, vt Hoſius primo loco ante Collegas Legatos, & ſecundæ ſedis & tertiæ, Alexandrinæ & Antiochenæ Epiſcopos, & ante totius Eccleſiæ*

ſiæ Africanæ Primatem Cæcilianum (vt alios taceam) ipſe ſubſcripſerit: niſi locum teneret, & perſonam repræſentaret ampliſſimæ omnium poteſtatis?

10. Quare cùm omnes Patres Niceni hunc honorem detulerint nō ſolùm Hoſio, qui intra gradum Epiſcopalem erat inferior Patriarchis Alexandrino & Antiocheno, & alijs multis Prælatis; ſed etiam duobus Presbyteris, qui titulo gradus ſui debebant ſedere, & ſubſcribere poſt omnes Epiſcopos: hinc manifeſtè arguitur, Patres Nicenos in perſona Hoſij et duorum illorum presbyterorum, ſuſpexiſſe, & reueritos fuiſſe Silueſtrum Pontificem Romanum, cuius perſonam repręſentabant ipſi tanquam eius legati, & agnouiſſe Primatum Romanæ Sedis, & ſupremam dignitatem Eccleſiaſticam ſupra omnes alias Sedes, & ob hanc rationem, tantum honorem detuliſſe ſimplici Epiſcopo Hiſpano, & duobus presbyteris Romanis. Alioqui, quo pacto, quęſo, alij qui aderant multò ſublimioris gradus Patriarchę & Epiſcopi, vt Alexandrinus, Antiochenus, Hieroſolymitanus, Cęſarienſis, & Conſtantinopolitanus, ſeu Byzantinus, qui licèt tunc non eſſet Patriarcha, erat tamen Epiſcopus ciuitatis Imperialis, ac proinde maioris graduationis, quàm Epiſcopus Cordubenſis, & Epiſcopus loci, in quo habebatur Concilium; quo pacto, inquam, paſſuri erant, vt Epiſcopus Cordubenſis, homo exterus, & ipſis impar, & duo presbyteri Romani ipſis omnibus præſiderent, & ante omnes ſubſcriberet Decretis & Canonibus Concilij, niſi illi perſonam ſuſtinuiſſent alicuius Epiſcopi, quem omnibus ſuperiorem cuncti agnoſcerent, nempe Epiſcopi Romani, Succeſſoris Petri, quem Chriſtus toti Eccleſiæ præfecit tanquam ſuum Vicarium?

11. Accidit ſanè tunc Hoſio in Concilio Nicæno, cui perficiendo Silueſter delegauerat vices ſuas (vt obſeruat Baronius) quod poſtea accidit Cyrillo Alexandrino Epiſcopo in Concilio Epheſino, *Qui, quod ipſi delegaſſet vices ſuas Cæleſtinus Romanus Antiſtes, in Concilio Epheſino locum primum inter alios deinde miſſos Legatos tenuit.*

12. Addit Baronius aliud argumentum in confirmationē huius veritatis, quod ſcilicet Hoſius pręſederit in Concilio Nicæno nomine Silueſtri Pontificis, & tanquā Legatus ipſius: *nam id expreſsè teſtari videtur* (inquit Baronius pag. 261. in fine) *ipſorum Legatorum epiſtola ad Silueſtrum; quæ licèt in multis mendoſa ac deprauata penitus habeatur, hæc tamen pura verba in ea relicta, extant ipſius exordio: Beatiſſimo Papæ Vrbis Romæ omni reuerentiâ colendo Hoſius Epiſcopus Prouinciæ Hiſpaniæ ciuitatis Cordubenſis, Victor & Vincentius Presbyteri Vrbis Romæ, ordinati ex directione tuâ &c.* Ergo planum eſt, Hoſium Epiſcopum, & illos duos presbyteros Romanos, ex commiſſione & directione S. Silueſtri præſediſſe in Concilio Nicæno. Ergo planum eſt Concilium Nicænum opere ipſo profeſſum eſſe ſupremam authoritatem, & Primatum Romanæ Sedis.

§. IV.

§. IV.

Oſtenditur in Concilio Nicæno agnitum, & declaratum eſſe ius appellandi à ſententia Synodi ad Romanam Sedem, ac proinde ſtabilitam eſſe eius ſupremam atque adeò infallibilem in dubijs fidei determinandis authoritatem.

1. EX eo quod ex quauis Mundi parte poſſit legitimè appellari ad Romanum Pontificem; ab eius verò ſententia non concedatur appellatio, euidenter colligitur authoritatem Romani Pontificis eſſe ſupremam, eiuſque iudicium eſſe vltimum. Ex eo verò quod ſit vltimum, neceſſariò infertur eſſe infallibile, quando è cathedra Petri determinat fidei & morum controuerſias, & toti Eccleſiæ iniungit quid tenere debeat, vt oſtendi diſp. 1. id enim eſt argumentum certiſſimum Principatus, vt fatetur etiam ipſe Caluinus lib. 4. inſtit. cap. 7. §. 9. *Summum*, inquit, *imperium penes eum eſſe conſtat, ad cuius tribunal prouocatur.* Et ideo ipſe tanquam hoſtis infenſiſſimus Sedis Romanæ, à qua videbat doctrinam ſuam eſſe damnandam, more aliorum hæreticorum in hanc Romani Pontificis authoritatem debacchatus eſt, totis viribus contendens, hoc ius appellationis nullatenus competere Romano Pontifici, aſſeritque multos prouocaſſe ad Romanum Pontificem, vt effugerent legitima iudicia, ſed deriſas fuiſſe eiuſmodi appellationes; perinde ac nunc quis derideretur, ſi damnatus ab Epiſcopo Florentino appellaret ad Mediolanenſem, vel damnatus à Rege Hiſpaniæ appellaret ad Regem Galliæ. Vnde pertinaciter negat agnitam fuiſſe hanc prærogatiuam Romani Pontificis à Magna Synodo Nicæna. Idem negant Magdeburgenſes centur. 5. cap. 9. & Illyricus in lib. de hiſtoria Concilij Carthaginenſis; & negarunt Græci in Concilio Florentino ſeſs. 20. Negat etiam Blondellus author apud Caluiniſtas celebris, de hoc argumento copioſè tractans.

2. Nec ſolùm hæretici, ſed etiam Authores Catholici magnæ eruditionis negant, in Concilio Nicæno aliquid fuiſſe ſtatutum circa hanc prærogatiuam Romani Pontificis, vt Illuſtriſſimus Petrus de Marca Archiepiſcopus Pariſienſis in opuſculis, in Diſſertatione de veteribus collectionibus Canonum; quem alij viri eruditi ſecuti ſunt; qui quamuis certum exiſtiment contra hæreticos, Romanam Sedem habere hanc prærogatiuam, vt ad ipſam poſſit appellari ex quacumque mundi parte, nihilominus cenſet nihil circa id decretum fuiſſe à Concilio Nicæno,

Digitized by Google

cæno, reijciuntque hoc argumentum petitum ab eius authoritate tanquam debile.

3. Ego ſolùm multò vrgentiora cenſeo fundamenta, quæ probant in Concilio Nicæno fuiſſe agnitam & declaratam hanc prærogatiuam Romanæ Sedis, quàm oppoſita quibus Illuſtriſs. Marca & alij Blondello manus dederunt, eiuſque coniecturis ſuccubuere; ſed exiſtimo rem facere moraliter certam, patienterque ferre non poſſum, Eccleſiam Catholicam ab aliquibus huius ætatis criticis expoliari hoc magno decore & honore, in cuius poſſeſſione pacifica fuit vſque ad Caluinum, Centuriatores, & Blondellum, quòd ſcilicet magna hæc eius prærogatiua, & Primatus Rom. Pontificis, eiuſque ſuperioritas in reliquos Patriarchas, & in omnes Synodos, agnita ſint à Concil. Nicæno, & in eo declarata & ſtabilita; idque ſine ratione conuincente & ſolùm ob coniecturas, & argumenta topica, quæ facilem ſolutionem habent. Ideo in obſequium S. Sedis conabor hanc veritatem oſtendere, prò qua tam vrgentia video fandamenta, vt difficilem habeant ſolutionem, cùm tamen omnia quæ ab aduerſarijs afferuntur, facilè diſſipentur, vt in decurſu videbimus.

4. Quidni credamus nos, quod de infallibilitate Romanæ Sedis, & de iure appellationis ad ipſam hic ſtatuimus, cùm Mathudus Mahumetanus hiſtoricus, in hiſtoria quam inſcripſit *Prata aurea* hæc dicat (vt teſtatur Abraham Ecchellenſis in lib. de Primatu Romano) *Regnauit in Romanos Nero, & ſub eius imperio occiſi dicuntur Petrus ac Paulus, Romæque creuit Sedes totius Chriſtianæ Religionis, & ad Vrbem eam omnia negotia referunt illius religionis*.

5. Probemus iam Concilium Nicænum agnouiſſe ſuperioritatem Romani Pontificis in omnes Synodos & Concilia, & conſequenter infallibilitatem in definiendo, quæ in Eccleſia Catholica coniuncta eſt cum ſuprema authoritate Eccleſiaſtica, quæ ſolùm reperitur in illo tribunali, à quo non eſt appellatio ad aliud. Probatur autem; nam in Concilio Nicæno ſtatutum eſt, licitam eſſe appellationem ad Sedem Apoſtolicam à ſententia lata in Synodo contra aliquem Epiſcopum vel Presbyterum. Nam, vt conſtat ex hiſtoria Eccleſiaſtica, cùm Apiarius Siccenſis Eccleſiæ Africanæ Presbyter, ab Vrbano Epiſcopo Siccenſi ob deprauatos mores de gradu eiectus fuiſſet, cauſaque & ſententia Epiſcopi in Synodo Prouinciali Africanæ Eccleſiæ fuiſſet approbata, Apiarius vt in integrum reſtitueretur, ad Zoſimum Papam appellauit, ab eoque obtinuit, vt Fauſtinum Potentinæ Eccleſiæ in Italia Epiſcopum, cum Philippo & Aſello Presbyteris Romanæ Eccleſiæ, Legatos à Latere mitteret in Africam, vt cauſam Apiarij de integro tractarent, & pro executione ſententiæ opem Præfecti Prouinciæ implorarent, atque Vrbanum Siccenſis Eccleſiæ Epiſcopum Romam euocarent, niſi ea, quæ Legatis corrigenda videbantur, emendaret, atque excommunicatio-

ne innodarent. Dedit Zoſimus Legatis Monitorium, in quo teſtabatur hoc ius ſibi competere, tum ratione officij & muneris ſui, quia erat Chriſti Vicarius, & legitimus B. Petri ſucceſſor in Summo Pontificatu, tum quia Concilium Nicęnum hanc prærogatiuam in Romana Sede agnoſcebat in ſuis Canonibus, qui in ſcrinijs Eccleſiæ Romanæ aſſeruabantur; tum quia id conſtabat ex inueterata conſuetudine appellandi ad Sedem Romanam. Appulit autem in Africam Fauſtinus Zoſimi legatus eo tempore, quo Patres Africanæ Eccleſiæ ducenti & ſeptemdecim numero, inter quos intererat Auguſtinus, generale Concilium ex omnibus Prouincijs Africæ habebant (& fuit Carthaginenſe ſextum) vt collectionem Canonum omnium Conciliorum Africæ facerent, qualiter nunc & Græcè & Latinè habemus, coniectam in codicem Dionyſij Exigui, & Nomocanonis Photij.

6. Hinc arguit Baronius ad annum 325. pag. mihi 362. Canones Nicęnos fuiſſe plures quàm illos viginti, qui modò extant, inter quos ille de appellationibus non reperitur. *Falſarius enim dicendus non eſt* (inquit) *ſanctiſſimus ille Zoſimus Papa, quòd citauerit Nicænum Canonem de appellatione ad Apoſtolicam Sedem, qui tamen inter viginti illos nequaquam numeratus habetur, neque apud Græcos inuenitur, ſicut nec duo alij ſuperiùs recenſiti: cùm tamen Theodoretus illum ipſum digito ſignet, dum ſcribit, Athanaſium Arianorum calumnijs circumuentum, & illorum iudicijs exagitatum, in Occidentem veniſſe, & Arianos litteris contra eundem cauſam proſequutos eſſe, quando inquit de Iulio: Ille Eccleſiæ Canonem ſecutus, & eos iuſſit Romam venire, & diuinum Athanaſium, quò pro ſe in iudicio ipſe reſponderet, vocauit. Sed quinam iſte Eccleſiæ canon? non certè Sardicenſis Concilij, quod (vt idem demonſtrat Author ſequenti capite) nondum fuerat celebratum. Compelleris ergo fateri, per Eccleſiæ Canonem non alium ſignificatum eſſe, quàm citatum Nicæni Concilij Canonem de appellando ad Romanum Pontificem, quem Athanaſius (vt ſuo loco pluribus declarabimus) aduersùs Arianorum iudicia contra ſe lata legitimè appellauerat. Cùm verò conſtet, longè grauiori ex Ariana hæreſi tempeſtate iactatam eſſe Orientalem quàm Occidentalem Eccleſiam, haud mirum ſit, Hieronymum, Ambroſium, & Zoſimum Papam, ex Romanæ Eccleſiæ archiuis, atque aliunde petitos alios, præter viginti illos, nouiſſe Nicænos Canones: quod intelligentes Patres Catholici, qui Sardicam ad Oecumenicum Concilium conuenere, complures ex Canonibus Nicææ in Magno Concilio editis, tamquam in recentiori theca recondentes, Decretis Sardicenſibus, additis quibuſdam alijs, intexuere.*

§. V.

§. V.

Reijcitur ſolutio Petri de Marca, & aliorum aſſerentium, Zoſimum Papam per ignorantiam facti citaſſe Canonem Sardicenſem pro Nicano.

1. RESpondet huic argumento Illuſtriſſimus Petrus de Marca in opuſculis, in Diſſertatione de veteribus collectionibus Canonum: *In collectione Canonum Concilij Nicæni, qua vtebantur Romani Pontifices, per hallucinationem, & errorem admixtos fuiſſe quadraginta Canones Concilij Sardicenſis Canonibus viginti Concilij Nicæni, & pro Nicænis bona fide multis annis habitos fuiſſe; vnde quando celebratum eſt Concilium Carthaginenſe Sextum, Zoſimus Popa Monitorium dedit Legato ſuo Fauſtino, vt curaret à Concilio decerni admittendas eſſe appellationes ab Epiſcoporum Africanorum iudicijs ad Apoſtolicã Sedem iuxta Nicanorũ Canonum præſcriptum. Refragati ſunt Africani Epiſcopi* (inquit Marca pag. 202.) *& Canonẽ illum in veris exemplaribus Synodi Nicænæ non haberi contenderunt: contra nitentibus Legatis Zoſimi, qui quidem adeò ab omni fraudis, & doli ſuſpicione aberat, quemadmodum, & Bonifacius eius Succeſſor, vt paſſus ſit Legatos à Carthaginenſi Synodo Conſtantinopolim, & Alexandriam mitti ad earum Ciuitatum Epiſcopos, vt exempla Canonum Nicænorum ex authenticis codicibus deſcripta mitterent: illi verò teſtati ſunt, Canones illos numero viginti eſſe tantùm, quales Africana Eccleſia penes ſe habebat. Vnde factũ, vt conſtiterit Romanis æquè ac Africanis, Canones illos Sardicenſes alios eſſe à Nicænis.* Hæc Marca. Et hanc ſolutionem tuentur viri eruditiſſimi huius temporis, qui contendunt Canones Nicęnos non fuiſſe plures, quàm illos viginti, qui modò extant.

2. Verùm hæc ſolutio mihi difficilis apparet. Nam, vt ſupra teſtabatur Baronius, dubitari non poteſt, Canones Nicęnos miſſos fuiſſe ad Siluestrum Papam. Et facilè probatur, quia, vt latè probat Natalis Alexander tom. 8. Diſſert. 12. *Nicæno Concilio præfuerunt Hoſius Cordubenſis Epiſcopus, Vitus, & Vincentius Presbyteri, Silueſtri Pontificis Maximi, cuius Legati erant, nomine.* Manifeſtum autem apparet, quod Legati Pontificis ad ipſum tranſmiſerint Canones ſaltem, & præcipua capita ſtabilita in illo Concilio, & iſta repoſita fuiſſe in tabulario, & ſcrinijs Eccleſiæ Romanę. Certum etiam apparet, Canones Sardicenſis Concilij generalis celebrati ſub Iulio Primo anno 376. miſſos fuiſſe Romam à Legatis Iulij, & repoſitos in ſcrinijs Eccleſiæ Romanæ. Difficile autem apparet, eos ita fuiſſe commixtos cum Nicęnis Canonibus vel Decretis, vt nec Zoſimus Papa, qui Canonem illum vel ſtatutum de appella-

tionibus ad Romanam Sedem, tanquam Decretum Concilij Niceni inſeruit Monitorio, quod tradidit Legatis ſuis Fauſtino, & alijs duobus ſocijs, quando illos miſit in Africam: nec eius Succeſſor Bonifacius (cui Epiſcopi Africani congregati in Concilio Carthaginenſi Sexto reſponderunt anno 419. quia iam obierat Zoſimus, quando epiſtola Zoſimi lecta eſt in illo Concilio) potuerit deprehendere illum Canonem, vel illud Decretum non eſſe Concilij Niceni, ſed Sardicenſis. Differentia namque inter Canones Nicenos & Sardicenſes, in modo proponendi res definitas ita eſt clara & manifeſta, vt ſtatim legentibus appareat clarum, Canones illos non fuiſſe formatos in eodem Concilio: nam Canones Sardicenſes omnes & ſinguli ſic incipiunt; *Oſius Epiſcopus dixit* &c. ſiquidem Oſius proponebat res definiendas, & poſt integram rei propoſitionem concludebat: *Quod ſi vobis placet, ſtatuite*, vel ſic: *Si ergo hoc omnibus placet, ſtatuatur*, & Patres reſpondebant, *Placet*, vt patet ex 1. & 4. Canone, nam in primo *vniuerſi dixerunt, Placet*: in quarto *Synodus reſpondit, Placet*. At in Concilio Niceno Canones incipiunt reſolutoriè & definitiuè, vt patet ex primo Canone ſic incipiente: *Si quis à Medicis propter languorem deſectus eſt, aut à barbaris abſciſſus, hic in Clero permaneat*. &c. Et ex quarto incipiente ſic: *Epiſcopum conuenit maximè quidem ab omnibus qui ſunt in Prouincia Epiſcopis ordinari*. Et ex tertio ſic abſolutè ſtatuente: *Interdixit per omnia magna Synodus, non Epiſcopo, non Presbytero, non Diacono, nec alicui omnino qui in Clero eſt, licere ſubintroductam habere mulierem*, & ſic de reliquis. Modus iſte procedendi eſt adeo diuerſus, vt quamuis in Codice Romano poſt deſcriptos Canones Nicenos adiungerentur Canones Sardicenſes ſine nouo titulo, & ſine diſtinctione capitum, incredibile ſit diſcrimen non fuiſſe animaduerſum à legentibus.

3. Et hinc arguitur, non ſatisfacere Petrum de Marca argumento deſumpto ex teſtimonio Sanctiſſimorum Pontificum Romanorum, qui ſæpe affirmarunt, conſeruari in ſcrinijs Romanis canonem Concilij Nicæni *de appellatione Epiſcopi ad Romanæ Eccleſiæ Sacerdotem*, vt loquuntur Patres Africani Concilij Carthaginenſis Sexti in epiſtola Synodali ad Bonifacium ſucceſſorem Zoſimi, qui Fauſtinum Epiſcopum miſerat Legatum; quæ habetur apud Labbè tom. 2. col. 1671. Vnde multò veriſimilius & probabilius eſt, Canonem, vel Decretum citatum à Zoſimo in ſuo monitorio, reuera fuiſſe Nicænum, licet in Concilio Sardicenſi hoc ipſum denuò ſtatutum ſit; & vel Canones Nicænos fuiſſe plures, quàm viginti illos qui modo extant, vel ſi non fuerunt plures, quàm viginti, ſaltem in actis ipſius Concilij Nicæni, quæ concremata fuere ab Arianis, contentum fuiſſe Decretum illud de appellationibus, & tranſmiſſum eſſe Romam ſimul cum illis viginti Canonibus, & ſeruatum fuiſſe in Tabulario Romano; & ideo veriſſimè Pontifices Romanos teſtatos eſſe in ſcrinijs Eccleſiæ Romanæ exiſtere Canonem illum de appellationibus

forma-

Digitized by Google

formatum à Concilio Nicæno. Veriſimileque mihi eſt, Oſium Epiſcopum, qui nomine Silueſtri præfuit Concilio Nicæno, & egit præcipuas partes in Sardicenſi, curauiſſe, vt poneretur inter Canones Sardicenſes illud ipſum, quod ſciebat ſtatutum fuiſſe à Patribus Nicænis, & continebatur in Actis, licèt non eſſet relatum in Canones Nicænos, eò quòd in illos ſolùm eſſent relatæ res, quarum notitia neceſſaria magis erat pro omnibus Prouincijs, & pro ſingulis Eccleſijs, vt magis conſtabit ex dicendis. Addo, in Concilio Florentino ſeſ.20. apud Labbè tom. 13. colum.291. Ioannem quendam Theologum, Virum doctiſſimum acriter impugnaſſe ſolutionem datam à Græcis, quòd ſcilicet Zoſimus Papa falsò citaſſet Canonem Nicænum, & poſt multa argumenta ſic concludere: *Qua ergo ratione dicis, corruptum eſſe à Zoſimo canonem, miſſumque, cùm non extaret inter Nicænæ Synodi Canones? Dico igitur, notum fuiſſe Carthaginenſibus, per totum Orientem corruptos haberi Canones; & ſi miſſi ſunt, ab Oriente certè miſſi ſunt: quòd multis ſanctorum Patrum & longe euidentiſſimis teſtimonijs patet, poſſumuſque proferre libros, qui ſunt apud nos.* Hæc ille.

§. VI.

Oſtenditur, Canones Nicænos, vel ſaltem Conſtitutiones Eccleſiaſticas in Nicæno Concilio ſtabilitas, plures fuiſſe quàm viginti, quæ extant: ac proinde non rectè probari, non fuiſſe in illo Concilio ſtabilitum ius appellandi à ſententia Synodi ad Sedem Apoſtolicam, ex eo quòd hoc non contineatur in Canonibus. Vbi quis fuerit Iſidorus Mercator, & quàm immeritò traducatur vt Impoſtor.

1. CAnones Nicænos plures fuiſſe, quàm viginti illos, qui modò extant, certum putat Iſidorus Mercator in præfatione ad ſuam collectionem Canonum. Hunc Iſidorum, qui modo Peccator, modo Mercator appellatur, eundem fuiſſe cum S. Iſidoro Hiſpalenſi, ſentit Iuo Carnotenſis lib.2. Decreti tit.11. cap.22. Gratianus in Can. 1. diſt. 15. Innocentius in hiſtoria de Iuone Carnotenſi, Genebrardus ad annum 618. & Hincmarus Rhemenſis epiſt. 7. cap. 12. id teſtatur his verbis:

bis: *Iſidorus Hiſpalenſis Epiſcopus collegit cum Epiſtolis Romanæ Sedis Pontificum à S. Clemente ad S. Gregorium*. Ipſeque S. Iſidorus videtur hoc innuere lib. 6. Etymologiarum cap. 16. Verùm ſi loquamur de integra collectione, quæ ſub nomine Iſidori Mercatoris circumfertur, euidens eſt, illam totam non eſſe opus compoſitum à S. Iſidoro; nam conſtat hunc Sanctum Archiepiſcopum obijſſe anno 636. & in illa collectione citatur ſexta Synodus ſub Agathone Papa, quæ celebrata eſt anno 661. & citatur Concilium Toletanum 11. quod habitum fuit anno 675. Illuſtriſſimus Dominus D. Emanuel Gonzalez tom. 1. in Decretales in Apparatu de origine & progreſſu Iuris Canonici num. 46. affirmat Iſidorum Hiſpalenſem edidiſſe quidem collectionem Canonum & Epiſtolarum Pontificum, cæterùm hanc collectionem locupletatam poſtea fuiſſe initio octaui ſeculi ab Iſidoro mercatore, id eſt ab Iſidoro Epiſcopo Setubenſi.

2. Negarique non poteſt, illum fuiſſe virum magnæ pietatis, qui ſe præ humilitate Iſidorum Peccatorem appellauit, vt patet ex proœmio ſui operis, in quo ſic ſcribit: *Iſidorus Peccator ſeruus Chriſti conſeruo ſuo & parenti fidei in Domino*: & fuiſſe apprimè eruditum; cùm Cardinalis Baronius in notis ad Martyrologium 4. Aprilis illum appellet *eruditæ pietatis inſignem*. Et certum eſt, illum ſcripſiſſe opus illud rogatu octuaginta Epiſcoporum, vt patet ex eodem proœmio, vbi ſic ſcripſit: *Compellor à multis tam Epiſcopis, quàm reliquis ſeruis Chriſti, Canonum ſententias colligere, & in vnum volumen redigere* &c. Et poſtea: *Scire autem vos octuaginta Epiſcopos, qui hoc opus me incipere & perficere coëgiſtis, oportet, quòd plura, quàm illa viginti capitula, quæ apud nos habentur, Nicænæ Synodi reperimus* &c.

3. Vnde immeritò: Natalis Alexander in Hiſtoria Eccleſiaſtica ſeculi primi parte 2. Diſſertat. 20. Iſidorum Mercatorem appellat *laruatum impoſtorem, & malè feriatum epiſtolarum artificem*. Iſidorus autem Mercator teſtatur verum eſſe, quod affirmat epiſtola Iulij Primi ad Orientales, nimirum in Concilio Niceno non viginti duntaxat capitula fuiſſe ſtabilita, ſed ſeptuaginta, & inter illa contineri illud de excellentia Pontificis ſupra omnia Concilia. Et quamuis Cardinalis Baronius tom. 3. ad an. 341. pag. mihi 469. affirmet *epiſtolam illam Iulij ſuſpicione laborare*; & Critici huius ætatis illam tanquam ſuppoſititiam reijciant; nullum tamen video efficax argumentum, quo id concludatur, & deturbari debeat illa epiſtola à poſſeſſione pacifica, in qua per tot ſecula fuit. Et quamuis Eccleſia Chriſti his argumentis non indigeat; non debet ſine conuincenti probatione expoliari argumentis probabilibus, quibus per tot ſecula hæc prærogatiua Romani Pontificis tanquam ſtabilita & declarata in Concilio Niceno, agnita fuit. Sed in præſenti non defendo illam epiſtolam increpatoriam Iulij ad Orientales, ſed ſolùm contendo, Summum Pontificem Zoſimum non per ignorantiam facti, &

con-

confundendo Canones Sardicenſes cum Nicęnis, teſtificatum eſſe Patribus Africanis, in Scrinijs Eccleſiæ Romanæ conſeruari Canonem, ſeu Conſtitutionem Concilij Niceni de appellationibus; ſed iuxta veritatem facti ſcripſiſſe monitorium illud, de quo fit mentio in Concilio Chartaginenſi Sexto cap. 3. & ad hoc perſuadendum regredior ad enumerandos Authores graues, qui affirmant illos Canones Nicęnos fuiſſe plures.

4. Eruditiſſimus Franciſcus Turrianus in Apologia pro Canonibus Arabicis, quam adducit P. Labbè tom. 2. à pag. 287. longum & eruditum diſcurſum conficit, quo probat Canones Nicęnos fuiſſe plures quàm illos viginti vulgares. Et latius hoc ipſum probat eruditiſſimus Abrahamus Ecchellenſis Maronita in Diſſertatione de authoritate Canonum & Conſtitutionum Nicęnæ primæ Synodi à ſe ex Arabico latinè verſorum, quam exibet P. Labbè tom. 2. à pag. 293. in cuius initio confidenter dicit: *Orientales quod attinet, addubitat nemo, Nicænos Patres plures edidiſſe Canones & Conſtitutiones, quàm viginti illos vulgatos, vt planè & plenè conſtat ex ipſa præfatione, quæ omnibus præfixa eſt editionibus.*

5. Cardinalis Bellarminus lib. 2. de Romano Pontifice cap. 25. diſertè affirmat, Canones illos viginti *ſine dubio non eſſe Canones omnes*, quos Concilium Nicænum edidit. Baronius etiam ad annum 325. manifeſtum eſſe ait, *Canones Nicænos aliquod paſſos eſſe naufragium.*

§. VII.

Idipſum multis argumentis euincit Seuerinus Binius.

1. DEnique Seuerinus Binius tom. 1. par. 1. in notis ad Concilium Nicænum pag. mihi 295. certiſſimum putat plures fuiſſe Canones Nicænos, quàm viginti: & addit. Idque ijs rationibus euidenter oſtendo. Primò non extat Canon ille, qui, vt Euſebius lib. 3. de vita Conſtant. Athanaſius in epiſt. de Synodo Arimin. teſtantur, vnus ex præcipuis fuit, quo decretum eſt, vt Paſcha nom niſi Dominico die celebraretur. Secundò, neque extat is Canon de Bigamis ab Ordinibus arcendis conſtitutus, de quo S. Ambroſius epiſt. ad Vercell. Epiſcopum hæc ait: Sed priùs cognoſcamus non ſolùm hoc Apoſtolum de Epiſcopo & Presbytero ſtatuiſſe; ſed etiam Patres in Concilio Nicæno tractatus edidiſſe: neque Clericum quenquam debere eſſe, qui ſecunda coniugia ſortitus ſit. Tertiò, vbi, quæſo, inuenitur Canon de Scripturis diuinis & authenticis, cuius S. Hieronymus epiſt. 3. meminit his verbis? Sed quia hunc librum (Iudith) Synodus Nicęna in numero Sanctarum Scripturarum legitur compu-

„ taſſe,

taſſe, acquieui poſtulationi veſtræ. Quartò, S. Auguſtinus epiſt. 118. allegat Canonem Nicænum, quo, ne duo Epiſcopi in eadem Eccleſia ſedeant, ſanctè & piè caueatur. Concilio Carthag. 3. cap. 48. dicitur, à Patribus Nicæni Concilij conſtitutum fuiſſe, vt non niſi à ieiuno ſacrificium offeratur. A Concilio Carthaginenſi ſexto cap. 3. citatur ex Nicæno Canon de appellatione ad Apoſtolicam Sedem Epiſcopis conceſſa: quem ante habitum Sardicenſe Concilium habitum fuiſſe ex Theodoreto conſtat, qui de Iulio, Romæ Athanaſij cauſam cognoſcente lib. 2. cap. 4. hæc ait: *Ille Eccleſiæ canonem ſecutus, & eos iuſſit Romam venire, & diuinum Athanaſium, qui pro ſe ipſo in iudicio reſponderet, vocauit*. Hoc eodem Concilio Nicæno idem Canon à Patribus ſancitus eſt, quo cautum fuit, vt res cognitæ in minori Synodo, in maiori iterum examinari, atque tractari poſſent: de quo Iulius Papa epiſtola ad Arianos, hæc ait: *Epiſcopi in magna Synodo Nicææ congregata, non ſine Dei conſilio permiſerunt prioris Synodi acta in alia Synodo examinari.* Demum in fine Concilij Chalcedonenſis refert Atticus, in Concilio Nicæno Canonem quendam editum eſſe, quique ibidem cum annotationibus noſtris reperitur, vt formatarum literarum certa quędam ſcribendi forma ac ratio determinaretur, quæ apud Epiſcopos tantum Catholicos ſecreta retineretur, ne vulgatam formulam impoſtor aliquis hæreticus, vel ſchiſmaticus per fraudem confingens, ſe pro Catholico venditaret, & Catholicam communionem ſuffuraretur. Quæ fuerit ratio & forma ſcribendi formatas, loco allegato patebit. Plures ergo Canones, quàm hîc reperiuntur, à Sancta Synodo conſtitutos fuiſſe, ne quidem ipſi Græci, numeri Canonum vicenarij tenaciſſimi cuſtodes ac vindices negare poſſunt.

2. Huc illud etiam pertinet, quod teſte Sozom. lib. 3. cap. 19. in fine, ex inſtituto huius Concilij ad hymnum glorificationis hunc: *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto*, quem Apoſtoli inſtituerant, hæç quæ ſequuntur: *Sicut erat in principio, & nunc et ſemper, et in ſæcula ſæculorum*, addita fuerint, ideo quòd Ariani blaſphemantes dicerent Filium à Patre in tempore factum, & fuiſſe tempus quando non erat. Vide quæ dicemus Concil. Vaſen. cap. 5. Manifeſtum ergo ſatis eſt, quòd numerus Canonum Nicænorum, vicenarium illum à Græcis aſſertum verè exceſſerit. Fuerintne præcisè 70. vel 80. vt ex epiſtola Athanaſij ad Marcum, & Marci ad Athanaſium, Franciſcus Turrianus, & Cyziceni interpres Alphonſus Piſanus probant ſuis libris, quos hac de re ſcriptos infra ſubiunximus, alijs diſcutienda relinquimus.

§. VIII.

Quamuis concederetur, capitula redacta in Canones à Patribus Nicænis fuiſſe duntaxat illa viginti, certiſſimum tamen eſt, plures Sanctiones, ſiue Conſtitutiones Eccleſiaſticas fuiſſe ab illis ſtabilitas, quàm quæ continentur in viginti Canonibus vulgaribus. Vbi notantur aliqua circa Epiſtolam primam Sancti Iulij ad Orientales.

1. CONſtat id manifeſtè ex dictis nuper à Seuerino Binio: quia certum eſt ſtabilita fuiſſe in Concilio Nicęno ea omnia, quæ traduntur ab Hieronymo, Ambroſio, Auguſtino, & alijs Patribus antiquis; & tamen nihil eorum continetur in illis viginti Canonibus. Et ſanè id clariſſimè euincit Baronius tom. 3. Annalium ad annum 325. pag. mihi 302. impreſſionis Romanæ anno 1592. vbi ſic concludit. *Ceterùm nec ipſi Græci, quantumlibet auſteri, & tenaciſſimi Nicænorum Canonum numeri vicenarij cuſtodes & vindices negare, vnquam potuerunt, nihil prætereà in magna illa Synodo, quòd extra viginti illos Canones inueniatur.*

2. Quod vt magis confirmetur, notandum eſt, per multa ſęcula habitam fuiſſe tanquam veram & legitimam Iulij Primi Epiſtolam increpatoriam ad Orientales, quæ incipit *Decuerat* &c. quæ habetur tom. 1. Conciliorum ſecundum editionem Venetam pag. 621. & ſecundum editionem Seuerini Binij pag. 384. & ſecundum editionem Philippi Labbè tom. 2. colum. 476. in qua ſic ſcribit S. Iulius Papa primus. *Audite iam factam in Nicæna ciuitate Synodum, cui & ego conſcientiæ mea cultum decenter exhibui. Præuidentes Sancti Patres inſidias, & illicitas altercationes vnanimiter in prædicta Nicæna ſtatuerunt Synodo, vt nullùs Epiſcopus, niſi in legitima Synodo, & ſuo tempore Apoſtolica authoritate conuocata, ſuper quibuſdam criminationibus pulſatus audiatur &c. Ipſi verò primæ Sedis Eccleſiæ conuocandarum generalium Synodorum iura, & iudicia Epiſcoporum ſingulari priuilegio Euangelicis & Apoſtolicis atque Canonicis conceſſa ſunt institutis: quia ſemper maiores cauſæ ad Sedem Apoſtolicam multis authoritatibus referri præceptæ ſunt. Nec vllo modo poteſt maior à minori iudicari. Ipſa namque omnibus maior & prælata eſt Eccleſijs, quæ non ſolùm Canonum, & Sanctorum Patrum decretis, ſed Domini Saluatoris noſtri*

Digitized by Google

voce ſingularem obtinuit principatum. Tu es, inquit, *Petrus, & ſuper hanc petram* &c. *Et quacunque ligaueritis* &c. *Porro dudum Sanctis Apoſtolis, ſucceſſoribuſque eorum in præfatis antiquis decretum fuerat ſtatutis, quæ hactenus ſancta, & vniuerſalis Apoſtolica tenet Eccleſia, non oportere præter ſententiam Romani Pontificis Concilia celebrari, nec Epiſcopum damnari.*

3. De hac Epiſtola ſolùm dicit Cardinalis Baronius tom. 3. ad annum 341. pag. mihi 496. *aliqua ſuſpicione laborare.* Critici verò moderniores illam vt ſuppoſititiam & confictam reijciunt. Et P. Labbè tom. 2. pag. 479. in notis marginalibus inde probat eſſe ſuppoſitam ab Iſidoro Mercatore, quia plura ex ijs quæ inſerta ſunt illi epiſtolæ, habentur in Decretali Epiſtola Vigilij Papæ, qui multò poſt Iulium Papam euectus eſt ad Pontificatum, nempe anno 540. cùm tamen, ſi illa Epiſtola vera ſit, illam ſcripſerit S. Iulius anno 337. vt euincit Binius tom. 1. pag. 368. Verùm hæc probatio ſufficiens non erat, vt tam ingens crimen affricaret Iſidoro Mercatori, quem virum fuiſſe, valde pium & eruditum, oſtendimus ſupra §. 5. ex Baronio in notis ad Martyrologium Romanum 4. Aprilis: cùm potuiſſet Vigilius Papa ſuæ Decretali inſerere verba ſui Prædeceſſoris Iulij primi. Nec propterea debuit ſic perſtringi Iſidorus Mercator ab Alexandro Natali, qui illum appellat *laruatum impoſtorem, & maleferiatum epiſtolarum artificem*, vt vidimus §. 7.

4. Laudo Natalis eruditionem, ſed non laudo magnum illum conatum deturbandi à poſſeſſione, in qua per octo ſaltem & ampliùs ſecula fuit, illa Epiſtola. Quamuis enim vt ſupra dixi, Eccleſia Catholica non indigeat ad ſtabiliendam authoritatem infallibilem Romani Pontificis, eiuſque ſuperioritatem in omnia Concilia, his argumentis, quæ poſſunt exceptionem pati, cùm habeat alia certiſſima, nihilominus per ſolas coniecturas, & argumenta duntaxat probabilia, non debet expoliari monumentis antiquitatis, quæ tot viri ſapientes & ſancti per tot ſecula probauere. Nihil autem adducitur, quo efficaciter probetur, Iulium Primum non ſcripſiſſe ad Orientales, Patres Concilij Nicęni agnouiſſe, & declaraſſe authoritatem Romani Pontificis; nec ex hoc capite illa epiſtola ſuſpecta viſa eſt Baronio, ſed ex alijs, vt conſtabit ex verbis eius ſtatim afferendis.

5. Ego hic apologiam non texo ad defendendam illam epiſtolam, nec probationem huius ſectionis dependentem ab illa facio. Et quamuis admitterem, illam compactam eſſe ab aliquo Scriptore poſteriore S. Iulio; probari non poteſt illum Scriptorem finxiſſe ex ſuo cerebro illa quæ affirmat ſcripſiſſe Iulium de Concilio Nicæno; ſed potius dicendum foret, illum congeſſiſſe in vnam epiſtolam multa dicta Iulij, quę ſparſa inuenerat, & inter illa fuiſſe id, quod de Concilio Nicęno Iulius dixit, quod celebratum eſt ipſius tempore, cùm ipſe eſſet in minoribus: ſiqui-

ſiquidem S. Syluester, ſub quo celebratum eſt Concilium Nicęnum, obijt 31. Decembris anno 335. & S.Iulius electus eſt Pontifex 27.Octobris anno 336.& vt ait Binius in eius vita, *Omnis eius Pontificatus, in Fide Nicæna tuenda, & Catholicis Epiſcopis, maximè Athanaſio defendendis, conſumptus fuit*. Vnde notitiam exactam habuit eorum, quæ geſta ſunt in Concilio Nicæno, & potuit affirmare illa, quę in illa Epiſtola narrantur de authoritate Pontificis Romani, quę reuera ſtatuta fuiſſe à Concilio Nicęno, vel in Canonibus, vel in alijs Sanctionibus,ſatis efficaciter probatur. Quod ſi reipſa illa Iulius ſcripſit, inde euidenter concluditur, id non ſcripſiſſe per ignorantiam facti, & confundendo Canones Nicęnos cum Sardicenſibus, ſiquidem illa Epiſtola Iulij ſcripta eſt anno 337. & Sardicenſe Concilium habitum eſt anno 347. decem ſcilicet annis, antequam extarent in rerum natura Canones Sardicenſes.

6. His prænotatis, vlterius probemus, multò plura ſtatuta fuiſſe à Concilio Nicęno, quàm quæ continentur in viginti illis Canonibus. Et imprimis Iſidorus Mercator poſtquam hoc multis exemplis comprobauit, concludit: *His & alijs quamplurimis exemplis patet, plura eſſe quàm viginti Nicæni Concilij capitula, & veram eſſe prædictam Iulij Papæ epiſtolam. Nobis autem quidam è conſortio fratrum noſtrorum Orientales teſtati ſunt, ſe vidiſſe Concilium Nicænum, habens potiorem quatuor Euangeliorum magnitudinem, continens in ſe Seſſiones Epiſcoporum, & introductiones, iudiciaque querimoniarum, atque definitiones & Conſtitutiones, nec non & ſubſcriptiones eorum: ad cuius ſimilitudinem magnum Chalcedonenſe Concilium conſcriptum eſſe confirmauerunt, & demum alia Conſtantinopoli condita: vnum videlicet ſub Iuſtiniano Imperatore contra Dei impugnatores Origenem, Didymum, & Euagrium, & aliud temporibus Agathonis Papæ, & Conſtantini Imperatoris, contra Macarium Epiſcopum, & Stephanum eius diſcipulum, ac reliquos Epiſcopos, qui pro frumento zizania in Eccleſia ſeminauerunt, vinum miſcuerunt aquæ, et proximo potum dederunt euerſione turbida, et tanquam lupi, agni ſimulabant mendacium, et veritas vt mendacium refutabatur*.

7. Deinde quod hic affirmat Iſidorus Mercator, veriſſimum eſſe teſtatum reliquit Cardinalis Baronius tom. 3. ad annum 325. pag. mihi 274. *Fuiſſe quidem* (inquit) *Acta Nicæna accuratiſſimè ſcripta, S. Athanaſius author eſt in libro de Synodis: verùm iniuriâ temporis, et Arianorum conatibus paſſa eſſe naufragia certum eſt. Cæterùm ſcimus, nonnullos, qui longè poſt Concilium Nicænum vixere, profiteri, Acta Nicæna reperiri: ſiquidem teſtatur Photius ſe legiſſe, Acta Nicæna tribus diſtincta voluminibus à Gelaſio quodam ſcripta: non tamen, vt ait, ipſa verè Synodi Acta, verùm de rebus geſtis in Synodo, hiſtoriam, humili quidem ſermone, ſed diligenti, tractantem, quæ in Synodo contigerunt*. Hactenus Baronius.

§. IX.

Ex verſione Arabica Nicanorum Canonum, quæ recepta eſt apud omnes Chriſtianorum Sectas, & Schiſmaticos Orientis, & etiam apud Catholicos, ſatis probabile conficitur argumentum, quod in Concilio Nicæno declarata & agnita ſit Romani Pontificis ſuperioritas in omnia Concilia.

1. INitio huius paragraphi aduerto, me hic non ſuſcipere probandũ, omnes Canones Nicænos conuerſos ex Arabico in Latinum, reuera deſumptos fuiſse ex conſtitutionibus Eccleſiaſticis ſtabilitis in Cõcilio Nicæno, nec inter illos non reperiri aliquem ſuppoſititium, inuectum ab aliquo ſchiſmatico: ſed ſolùm contendo, eos qui ſtatuunt Primatum Romanum Eccleſiæ, & excellentiam Romani Pontificis ſupra omnes Patriarchas; & in quibus omnes ſectæ Orientales inter ſe conueniunt, & cum Catholicis Maronitis, & alijs illarum regionum; reipſa fortaſse deſumptos ex ſtatutis, decretis, vel Conſtitutionibus Concilij Nicęni; quidquid ſit, an veritates illæ fuerint à Concilio Nicęno redactæ ad Canones, vel ſolùm contentæ inter ſtatuta & conſtitutiones; & poſtea ab aliquo fuerint in formam Canonum poſitæ; quod vltimum nobis probabilius apparet. Inter Canones Arabicos Nicęnos, eſse aliquos ſuppoſititios, à ſingulis pene ſectis *excogitatos, & additos accõmodatos ad ſua quadam tanti Concilij authoritate confirmanda dogmata*, affirmat ipſe Abramus Ecchellenſis, horum canonum accuratior interpres in pręfatione ad verſionem horum canonum. Et poſtea in notis ad hanc pręfationem apud Labbè tom. 2. col. 406. apponens exemplum in canone 38. de translatione Patriarchatus Epheſini in Conſtantinopolim, inquit: *Canon iſte manifeſtè Nicænis additus eſt à Melchitis, ſeu Græcis, ad maiorem conciliandam ſuo Conſtantinopolitano Patri archæ authoritatem, vt qui vſque ad illa tempora ſimplex Epiſcopus erat, hinc ſubinde primatum ſuper alios Patriarchas ambitioſiſſimè ſibi aſciſcere contendit.* Hoc ſuppoſito, duplicem verſionem Canonum Nicęnorum ex lingua latina in Arabicam adducit P. Philippus Labbè tom. 2. Conciliorum: alteram factam operâ & diligentiâ Patris Franciſci Turriani noſtræ Societatis, & ab illo recognitam; quæ octuaginta numerat Canones: alteram factam ab Abrahamo Ecchellenſi Maronita Montis Libani, viro eruditiſſimo; quæ numerat octuaginta quatuor. Primam habes apud Labbè ibi à pag. 291. ſecun-

ſecundam à pag. 318. In verſione Abrahami ſunt duo Canones ſtatuentes authoritatem Romani Pontificis, nempe Canon 44. & 71.

2. Primus ſic habet: *Patriarcha igitur inſpiciat quodcunque negotium fecerit aliquis ſuorum Metropolitarum, ſiue Epiſcoporum in prouincijs, quibus præſunt. Si autem inuenerit ex illis quidquam, quod non decet, permutet illud, ac de illo conſtituat, prout ipſi videtur: etenim omnium ipſorum pater eſt, & illi filij ſunt ipſius. Metropolitæ autem principatum ſupra ſe agnoſcere, eumque venerari debent inſtar fratris maioris, quem ſibi fratres anteponunt, illique parere ducunt ob eius optimum regimen, & maioritatem. Patriarcha porro inſtar Patris eſt in ſua iuriſdictione ſuper filios ſuos. Et quemadmodum Patriarcha poteſtatem habet ſuper ſubditos ſuos; ita quoque poteſtatem habet Romanus Pontifex ſuper vniuerſos Patriarchas, quemadmodum habebat Petrus ſuper vniuerſos Chriſtianitatis Principes, & Concilia ipſorum: quoniam Chriſti Vicarius eſt ſuper redemptionem, Eccleſias, & curatos populos eius. Quicumque autem Sanctioni huic contradixerit, Patres Synodi anathemate illum percellunt.*

3. Secundus ſic: *Si quis Epiſcoporum delatus fuerit aliqua in re, & propterea conuenientes Epiſcopi illius Sedis exoluerint illum ſuo ordine, & miniſterio interdixerint, volueritque ille appellare, et querimoniam deferre ad beatiſſimum Epiſcopum Eccleſiæ Romanæ, nempe Papam, placueritque ei audire querimoniam, atque iuſtum ipſi viſum fuerit, iterum perſcrutari negotium eius, et rogauerit illum delatus, vt pro ſe ſcribat ad vniuerſam illius prouinciam et ad Epiſcopos contiguarum prouinciarum, vt perdiligenter exquirant de ſuo negotio, et peruestigantes iudicium de illo ferant iuxta iuſtitiæ æquitatem. Si verò rogauerit ille Epiſcopum Romæ, et commouerit eum, vt mittat à ſuo latere duos Presbyteros Eccleſiaſticarum cauſarum peritos, et exquirant, et inueſtigent auctoritate, ſeu poteſtate illius quid agendum ſit de ipſius cauſa, et ſub anathemate obſtringat legatos quos mittet, vt iudicent cum Epiſcopis, at principatum habeant legati. Et profectò obediendum in hoc eſt, ſtatimque acquieſcendum in cauſa illius Epiſcopi, atque iudicio de ipſo lato, quà conſentaneum, rectumque viſum fuerit Epiſcopo Romano Papæ. Quicunque autem ſanctioni huic contradixerit, Patres Synodi illum excommunicant.*

4. In verſione Franciſci Turriani Canon 39. ſic habet: *Conſideret Patriarcha ea quæ Archiepiſcopi, et Epiſcopi in prouincijs ſuis faciunt; et ſi quid reperiat ſecus quàm oporteat factum, mutet, et diſponat, prout ſibi videatur; ſiquidem ipſe eſt Pater omnium, et illi filij eius. Et quamuis ſit Archiepiſcopus inter Epiſcopos tanquam frater maior, qui curam habet fratrum ſuorum, et ei debeant obedientiam, quia præeſt; eſt tamen Patriarcha ijs omnibus qui ſub poteſtate eius ſunt ſicut ille qui tenet Sedem Romæ, caput eſt et princeps omnium Patriarcharum; quandoquidem ipſe eſt primus, ſicut Petrus, cui data eſt poteſtas in omnes Principes Chriſtianos, et omnes populos eorum, vt qui ſit Vicarius Chriſti Domini noſtri ſuper cunctos populos, & vniuer-*

zed by Google

vniuerſam Eccleſiam Chriſtianam, et quicumque contradixerit, à Synodo excommunicatur.

5. Fuiſſe Canones Nicęnos in Arabicum conuerſos ex Græco probat Franciſcus Turrianus apud Labbè tom. 2. col. 287. *Quis enim, inquit, cum ratione dubitare poſſit, quin Alexander Archiepiſcopus Alexandrinus, qui magnæ Synodo interfuit, illos ipſos Nicanæ Synodi Canones ex integro, et incorrupto exemplari Græcè deſcriptos ſecum Alexandriam reuerſus attuliſſet, et in Eccleſia ſua diligenter ſeruari curaſſet? Sed cùm lingua Græca non eſſet prouincijs Alexandriæ, et AEgypti, et Pentapolis vernacula, ſed Arabica, quis rursùs non iudicet ad prouidum paſtorem pertinuiſſe curare, vt Synodus Nicæna, qua populus, et Clerus imbuebatur, in Arabicum ſermonem conuerteretur? . . . Prcterea, quod nos facere ſolemus, vt bonum Authorem ex Græcis vtraque lingua, et Græca, et Latina pari diligentia cuſtodiamus; vt ſi Græcum caſu aliquo amiſerimus, ſuperſit qui iacturam compenſet Latinus; ſi Latinum Græcus;* idem credendum eſt feciſſe Archiepiſcopum Alexandrinum. *Cùm ergo illis temporibus, et illis potiſſimùm locis, quibus Arius cæpit, omnem memoriam Synodi Nicænæ Ariani omni ſtudio, et diligentiâ delere ſtuderent, quis non facilè credat, dediſſe operam Epiſcopos Alexandriæ, vt Canones, et Acta Concilij Nicæni, et Græcè, et Arabicè ſcripta cuſtodirentur? Vnde verò factum ſit, vt diutius Arabici Canones ſeruati ſint quàm Græci, in promptu eſt ratio, quia quò notior erat tunc, et magis familiaris lingua Græca, vt nunc etiam, quàm Arabica, et facilius ab hoſtibus Eccleſiæ, qui eos quærebant ad delendum, Græci, quàm Arabici agnoſci et deleri potuerunt.* Hactenus Turrianus. Qui ſtatim exponit, vnde, & à quo acceperit Canones illos Arabicos. *Igitur* (inquit) *P. Baptiſta Romanus Societatis Ieſu, cùm eſſet Roma Alexandriam profectus comes Roderici Hiſpani Patris reuerendi eiuſdem Societatis Ieſu à Pio Quarto cum mandatis miſſi, ex libro Patriarchæ Alexandriæ commodato, in quo erant etiam, vt affirmabat, Acta Concilij hos Canones manu ſua exſcripſit, & Romam attulit: quos cùm Latinè interpretatus eſſet, & cum Domino Georgio Archiepiſcopo Damaſceno natione Maronita contuliſſet; ego, qui vehementer deſiderabam, ne quid intrepretationi deſideraretur, dedi operam, vt Ioannes Senatus Alexandrinus Mercator, qui eo tempore ex Melite inſula huc aduenerat, & Arabicam linguam probè nouerat, ad recognoſcendam, & emendandam interpretationem adhiberetur: & quia non parum intereſſe putabam percunctari accuratè, & ſubtiliter, quam vim hoc, aut illud verbum haberet, volui ſemper intereſſe, tametſi vt ego Ioannem intelligerem, & ille me, interprete Baptiſta opus erat. Hos Canones, & hanc eorum interpretationem diu apud me retinui, & ſuppreſſi, quod maiori adhuc ſtudio, & induſtria limari eam cuperem. Sed cùm Reuerendus P. Piſanus noſtræ Societatis Ieſu eos flagitaret, multis de cauſis negare neque potui, neque debui, præſertim cùm in inueſtigandis magna ſolertia, & ſagacitate, & multiplici lectione colligendis Actis, & Canonibus*

Nicæni,

Digitized by Google

Nicænis, iam diu illũ laborare intellìgerē. Vſus eſt ille arbitratu ſuo non omnibus, ſed quibus pro ratione propoſiti, & inſtituti ſui viſum eſt, & ijs quidem nõ ſatis emẽdatis, & integris. Ego interim cùm magno adhuc deſiderio tenerer priorem interpretationem cum alio ſi poſſem aliquando recognoſcere, & conferre, incidi in Paulum Vrſinum neophytum natione Turcam, qui quia erat ſtudijs Arabicæ, & aliarum linguarum imbutus, & Latinè atque Italicè mediocriter loqui didicerat, effeci quod volebam: recognita & collata ſunt omnia, & correcta non pauca. Acceſſit ad hanc recognitionem aliud exemplar Arabicum vetuſtum ex Bibliotheca Pontificis Marcelli Secundi, quod ita cum Alexandrino conueniebat, vt planè videretur vtrumque ex eodem exemplari deſcriptum, licèt in exemplari Marcelli aliquot paginas anteriores vetuſtas conſumpſiſſet. Hos igitur Nicænos Canones eo numero, & ordine, quo reperti ſunt, ex Arabico translatos quia multi deſiderabant, neque laborem meum in eo negotio ſumptum, nec alienam induſtriam in hoc ſtudio poſitam amicis, & ſtudioſis inuidere volui.

6. Abrahamus verò Ecchellenſis in Diſſertatione de authoritate Canonum, & Conſtitutionum Nicænæ primæ Synodi à ſe ex Arabico Latinè verſorum, quam adducit Labbè tom. 2. à col. 393. rationem reddit, cur Canones, & Conſtitutiones Concilij Nicæni, quæ in exemplaribus Græcis non reperiuntur, extent modò apud plurimas nationes in lingua Arabica. *Nemo ſanè*, inquit, *neſcit, Arianos, igne, imò magis inuſitata rabie in Acta, aliaque Nicæna ſæuiſſe, ſed nemo etiam ſibi perſuadebit facilè, Arianam illam ſæuitiam, & crudelitatem, rabiemque cunctas terrarum orbis peruaſiſſe prouincias, in omnium gentium tam publicas quàm priuatas irruiſſe Bibliothecas; omnium Chriſtianarum nationum intellexiſſe linguas, ita vt nihil incolume, nihil inuiolatum abierit, exceſſerit, euaſerit, eruperit. Quamobrem non coniecturâ probabile duntaxat, erit, ſed pro certo habendum, apud nationes aliquas, præſertim quarum linguæ barbaræ putabantur, Acta Nicæna, diatypoſes, atque Canones inuiolatos ſeruatos fuiſſe, & ex Arianorum impetu, ore & faucibus ereptos. Etenim ad magnum illud, & primum generale Concilium, ac toto orbe celeberrimum, non ſolùm confluxerunt Græci & Latini, ſed* vna etiam ædes ſacra, *inquit Gelaſius cap. 5. ex Euſebij, Pamphili lib. 3. Hiſt.* velut Dei
„ nutu adaucta, intra parietes ſuos, Syros pariter, & Cilices, Phœnices,
„ & Arabes, Palæſtinos, Ægyptios porro Thebanos, Afros, alioſque
„ ex Meſopotamia profectos recepit. Aderat etiam vna in Concilio Per-
„ ſidis Epiſcopus, nec ab hoc choro Scytha abſuit. Pontus item & Aſia,
(*Euſebius hic habet, Galatiam, & Cappadociam*) Phrygiaque, & Pamphilia viros apud ſe lectiſſimos ſuppeditarunt. Quin etiam Thraces, Macedones, Achæi, & Epirotæ, & quorum domicilia multò longiore locorum interuallo diſtabant, eò aduenerunt.

7. *Quis autem credet hos Patres omnes ad ſuas remeantes Eccleſias tanti Concilij Acta, decreta, conſtitutiones, & Canones in ſuas vernaculas*

verſos

verſos linguas haud ſecum attuliſſe? Nemo quidem ſanæ mentis id credet, aut ſibi perſuadere poterit. Nam ſi ea ipſorum Patrum, qui Concilio aderant, ſolicitudo fuerit, vt omnibus Eccleſijs, quæ ſub cœlo ſunt, quarum Antiſtites Concilio non adfuerant, quæ in Concilio decreta ſunt, tranſmiſerit, veluti teſtis eſt idem Gelaſius ibidem cap.18. poſt Patrum ſubſcriptiones in hæc verba. Hi omnes ſancti & Apoſtolici Viri, omnibus ſub cælo ſanctis Dei Eccleſijs, quæ in Nicæna ſancta, magna generali Synodo decreta ſunt tranſmittentes vbique tradiderunt. *Quanta ergo maiori cura, & ſolicitudine ſuis Eccleſijs proſpicere debuiſſent, ipſorum Canonum, & decretorum ipſi authores? Nam quis perſuadere ſibi poterit, Syros, Ægyptios, & Arabes, (vt cæteros nunc omittam) qui magna pars Concilij fuerunt, ad ſuas reuertentes Eccleſias ſine Concilij canonibus, & ſtatutis, alijſque decretis rediſſe, & vacuis, vti dicitur, manibus? An pro ſolis Græcis & Latinis hoc Concilium congregatum fuit? Nequaquam, vt Eccleſiaſticæ hiſtoriæ omnes vno proclamant ore. Quis ergo prohibet huius canones, decreta aliaue apud alias quàm Græcos, & Latinos extare gentes, & in earum conſeruata vel priuatis, vel publicis bibliothecis? Præterea quis neſcit multa monumenta, aut Græca, aut Latina, ſuis iam penitus perijſſe, integra verò hactenus conſeruari apud Arabes, aliaſue gentes?*

§. X.

Reijcitur tanquam omninò incredibilis ſolutio, quam huic argumento adhibet Natalis Alexander.

1. HIc Author tom.8. diſſertat.18. contendit, *viginti* duntaxat *Canones* à Synodo Nicæna editos fuiſſe; quod multis argumentis munire conatur. Sed illa meo iudicio ad ſummum probant, à Patribus Nicænis viginti duntaxat capita, & ſtatuta magis neceſſaria, & vſualia relata fuiſſe in Canones, vt conſtabit ex ſolutione argumentorum: cæterùm quod ab illis non fuerint editæ plures Conſtitutiones Eccleſiaſticę, pluresue ſanctiones & ſtatuta, quæ poſtea ſub titulo Canonum Nicænorum conuerſa ſint in octuaginta illos Canones Arabicos, nec probat, nec probare poteſt; & hoc nobis ſufficit.

2. Hic Author, qui ſeuera criſi antiquitatis monumenta examinat, & argumentis duntaxat topicis Sedem Romanam exuere conatur fundamentis à Concilio Nicæno petitis, quibus per tot ſecula fruita eſt, & quibus eius excellentia ſupra omnia Concilia ſtabilitur. Hic, inquam, Author in ea diſſertatione pag. 251. contra ſuam concluſionem hanc obiectionem opponit: *Canones Nicænæ Synodi à Franciſco Turriano Societatis Ieſu Profeſſore de Arabico in Latinum verſi, deinde ab Abrahamo Ecchellenſi Maronita etiam vindicati; quos omnes Orientis Sectæ, Melchitæ,*

chitæ, Iacobitæ, Neſtoriani, Cophtitæ, Abyſſini, Armeni, Græci & Maronitæ vt legitimos Nicæni Concilij Canones agnoſcunt & venerantur. Plures igitur admittere quàm viginti prorſus neceſſe eſt.

3. Huic argumento reſpondet, *Canones Arabicos ſuppoſititios eſſe, & communem eſſe omnium illarum Sectarum errorem, ſiue hæreticæ ſint, aut Schiſmaticæ, ſiue Catholicæ, & Romanæ Sedi communione coniunctæ, vt Canones illos pro genuinis habeant*. Hæc ille: Quæ cum legi, miratus ſum virum doctum exiſtimaſſe hac ſolutione ſatisfieri argumento: & ex vna parte fateri, omnes illas nationes venerari vt legitimos omnes illos Canones; & ex alia aſſerere, omnes conueniſſe in ſuſcipiendo Canones commentitios & confictos, pro legitimis.

4. Hoc mihi argumento eſt, hunc Authorem non legiſſe, aut non conſideraſſe integram illam Diſſertationem eruditiſſimi Abrahami. Si enim legiſſet, ibi inueniſſet præoccupatam, & planè diſiectam hanc ſolutionem. Sic enim illam reijcit apud Labbè column. 595. *Qui enim*, inquit, *fieri poteſt, vt omnes Orientales nationes, inter ſe longiſſimis terrarum ſpatijs diſtantes, diuerſis vtentes linguis, ac diſſimilibus penitus perſuaſionibus, conuenire potuiſſent ad aliquid effingendum, & coniuncta commiſcendum opera, præſertim ea, quæ proprijs dogmatibus ipſorum è diametro ſunt oppoſita, & eorum fundamenta deſtruunt & euertunt, eoſque anathematis agunt reos, vt ex Canonis 44. videre eſt verbis?* Nemo enim, *vt ait Tertullianus in præſcript.* mentitur in ſuum dedecus, ſed in honorem. *Hinc ſatis demirandum eſt potius, quòd Melchitæ, Iacobitæ, Neſtoriani, Cophtitæ, Abyſſini, & Armeni canonem hunc è ſuis non abraſerint editionibus, cùm eorum Patriarchas ita Romani Pontificis ſubijciat poteſtati, & iuriſdictioni, vt diro anathemate percellantur, niſi abſolutè, & ſine vlla conditione illius obediant imperio. Quod quidem ideo non præſtiterunt, quia pro certo tenent, nullique dubitant canonem illum eſſe Nicæni Concilij, quod tanquam ſacroſanctum habent, & venerantur Euangelium, teſte (poſt diuum Gregorium Magnum) Elia Niſibenſi Epiſcopo Neſtoriano ſeſſ. 1. ſuarum diſputationum cum Vaziro Abilcaſem viro Mohammedano. Ad hæc, nationes iſtæ ita inter ſe diſſident in dogmatibus, ac eas exercent cum Eccleſia Romana (ſi vnam Maronitarum excipias nationem) inimicitias, ob condemnatas ab illa ipſarum hæreſes, & peruerſa quædam dogmata. Ex quo nulla ratione hoc obijci poteſt, quin planè inde ſequitur, ea omnia Nicæni nomine haud quaquam ab ijs nationibus ſimul & coniuncta opera confingi potuiſſe, cùm earum in hanc rem concurſus, & congreſſus fieri omnino nequeat ob dictas modò cauſas. Sed nec etiam illa confingi poterant ab vna harum nationum, ſiue ſectarum, quia aliæ minimè ea recepiſſent, imò impugnauiſſent acerrimè, vt res ipſa clarè nos docet. Etenim Canones, quos ſingulæ inſeruerunt Sectæ Nicænis, ad ſua quædam comprobanda dogmata, ab alijs improbantur, acerrimè impugnantur, & reijciuntur tanquam nothi & ſuppoſititij: proinde illi ſoli veri, & legitimi Nicæni canones habentur, in quibus omnes*

conueniunt, & in omnibus leguntur editionibus, ac propterea ab omnibus vocantur Canones in quibus conuenitur, *vti legere eſt apud Abnaſſalum in præfatione ad conſtitutiones Eccleſiæ Alexandrinæ, & alios. Hinc diſpar eſt in varijs editionibus canonum numerus.*

5. Qui author bene aduertit, ſingulas nationes, & ſectas orientales diligenter notare ea, quæ aliæ nationes ad ſua ſtabilienda dogmata addunt ad Canones Nicęnos. *Ex quo colligere licet*, inquit, *ea eſſe legitima Nicæni decreta, in quibus omnes conueniunt, quæque omnes amplectuntur, & quæ à nemine illarum Sectarum impugnantur; quæ verò non ita, addita & adulterina cenſenda eſſe.* Cùm ergo Natalis Alexander fateatur, omnes illas nationes conuenire in illis Canonibus ſtatuentibus ſupremam authoritatem Romani Pontificis, cùm inter ſe ſint adeò oppoſitæ in alijs dogmatibus, rem incredibilem affirmat, dum ait, illos Canones eſſe confictos: ſed potiùs aſſerere debuiſſet, eſſe compactos ex Actis & Conſtitutionibus Concilij Nicæni, quæ ab Arianis in Græcia concremata ſunt, & in illis regionibus ab eorum furore liberata fuere. Et cùm omnes editiones Arabicæ conueniant in illo Canone adſtruente authoritatem Romani Pontificis; & Orientales Schiſmatici in ſuis Bibliothecis hunc Canonem conſeruent, ſignum eſt, hanc authoritatem agnitam fuiſſe à Concilio Nicæno, & ſtabilitam.

§. X I.

Confirmatur nouo argumento, Concilium Nicænum declaraſſe authoritatem Romani Pontificis in omnes Patriarchas ex Canone Arabico, prout nunc conſeruatur in Bibliotheca quam Damaſci habent Patriarchæ Schiſmatici: & apud Chriſtianos Thomæos in India.

1. ARgumentum nuper factum contra Natalem Alexandrum, validè confirmatur ex eo, quòd Patriarchæ Schiſmatici, quamuis Sedi Romanæ infenſi, vſque in hunc diem conſeruant in ſua Bibliotheca Damaſci Canones Nicęnos ſecundùm verſionem Arabicam, & inter eos Canonem quadrageſimum quartum nuper tranſcriptum ſecundùm verſionem factam ab Abrahamo Ecchellenſi.

2. Habeo apud me litteras ſcriptas ex vrbe Aleppo à Sacerdote Theologo graui & religioſo, octauo Ianuarij præſentis anni 1688. in qui-

Digitized by Google

quibus ita ſcribit: *Ipſi Græci ſuo ſchiſmati hodieque affixi oſtendunt in Bibliotheca Damaſci Canonem 44. de authoritate Pontificis ſuper omnes Patriarchas. Sic illi arma, quibus ſe feriunt, cuſtodiunt. Sic aſſerit nobis hodiernus Patriarcha Athanaſius, mirabilem cum zelo ſuo ſapientiam coniungens; ita vt Magnates Portæ Othomannicæ ab illo ſtent, relicto æmulo ipſius Cyrillo nuncupato.*

3. Tranſmiſit autem cum litteris tranſcriptum Canonem illum, qui eſt omnino idem cum 44. verſionis Ecchellenſis. Et poſt canonem immediatè adiungit: *Is aureus canon cunctarum eſt Chriſtianarum Orientis nationum, & editionum complurium, quantumcumque inter ſe pugnent hæ nationes. Conſentientes in eo ſunt Maronitæ, Græci, Cophtitæ, ſiue AEgyptij Chriſtiani, qui Dioſcori dogma ſequuntur, Iacobitæ, AEthiopes Neſtoriani &c.* Et poſtmodum ſubiungit: *Hic ego nihil inquiro de illo Canone, fecit hoc luculenter Abrahamus. Hoc modò profero, nihil eſſe reijciendum in quadrageſimo quarto Canone, qui omnium eſt nationum, omnibuſque probatur, iſque apud nos octingentis circiter annis extat iam exaratus, eiuſque veritatem vetuſtas, & plurimorum Hiſtoricorum authoritas confirmant; iſque porro ſi poſtulatur, continuò exhibebitur, ac ſimul teſtimonia Scriptorum eruditiſſimorum, & Patrum antiquorum, cuiuſmodi ſunt Cyprianus, Cyrillus Alexandrinus, Chryſoſtomus, Patres Chalcedonenſes, alijque non pauci.*

4. Idemque Theologus litteris datis Aleppi 20. Maij huius anni 1688. loquens de hoc ipſo Canone inquit: *Eſt Canon verè aureus primi Concilij Oecumenici de authoritate Pontificis in reliquos Patriarchas, totum per orbem receptiſſimus, Orientique charus inprimis.*

5. Reſcripſi autem ad hunc grauem Sacerdotem, vt mitteret ad me huius rei teſtimonium aliquod authenticum, & iſtud expecto. Scio illum eſſe virum eruditum, & in Hiſtoria Eccleſiaſtica, & lectione Patrum & Conciliorum non mediocriter verſatum, nec dubitare poſſum illum ſincerè, & ex notitijs, quas certas exiſtimat, ſcripſiſſe. Addo aliam confirmationem: Nam Illuſtriſſimus Franciſcus Roz Archiepiſcopus Chriſtianorum Thomæorum in India Orientali, litteris datis ann. 1605. Decembris 10. quas exhibet Iarricus lib. 6. hiſtoriæ Indiæ Orientalis cap. 26. teſtatur lectum à ſe canonem 39. Nicænum, quem cum alijs vertit ex Arabico in latinum Franciſcus Turrianus, in quo Romanus Pontifex appellatur *Caput & Princeps omnium Patriarcharum, & dicitur primus, ſicut Petrus, cui data eſt poteſtas in omnes Principes Chriſtianos, & omnes populos eorum, & vniuerſam Eccleſiam Chriſtianam*, affirmatque ſe legiſſe illum Canonem cum alijs quadraginta, qui apud Latinos deſiderantur, ex quo deprehendes nō ſolùm Damaſci, & in alijs regionibus, quæ modò ſunt ſub tyrannide Turcarū, ſed etiam in India Orientali vbi prædicaui S. Thomas Apoſtolus, conſeruari canonem Nicænum ſtatuentem excellentiā Romani Pōtificis ſupra reliquos Patriarchas omneſque

Digitized by Google

Eccleſias. Vnde collige, ſuppoſititios non eſſe canones, in quibus tot nationes inter ſe adeò diſſitæ moribus, fide, & regionibus, conueniunt.

§. XII.

Comprobatur authoritas verſionis Arabicæ Nicænorum Canonum ex mira conſonantia, & concordia inter doctrinam eorum Canonum, & eam, quam Sacra Concilia, Summi Pontifices, & Sancti Patres citant tanquam traditam à Concilio Nicæno.

1. ID probat luculenter citatus Abrahamus in illa diſſertatione n. 11.
,, In Concilio (inquit,) Epheſino Act. 7. citatur priuilegium à Pa-
,, tribus Nicænis Cypri Eccleſiæ collatum, quod inter viginti vulgatos
,, Canones minimè extat, in noſtris verò hiſce canonibus eſt 43. vt ibi
,, videre eſt. In calce Concilij Chalcedonenſis, vt notat Bellarm. libr. 2.
,, de Rom. Pontif. cap. 25. refert Atticus, in Concilio Nicæno deter-
,, minatam fuiſſe rationem ſcribendarum formatarum, de quibus loqui-
,, tur etiam Optatus lib. 2. contra Parmenianum. Quæ tamen for-
,, matarum ratio neque in Græca, neque in Latina habetur editione;
,, in orientalibus verò editionibus extat cap. 12. titulo de varijs Eccle-
,, ſiaſticis Conſtitutionibus. Concilium Antiochenum Canone primo
,, aſſerit, *non licere Paſcha diuerſo tempore facere, nec cum Iudæis celebra-*
,, *re, ſicut in Concilio Nicæno ſtatutum eſt*. Quem Canonem explanans
,, Balſamon in eos, qui ſtatutum Nicæni de celebratione Paſchę non
,, ſeruant: *Hoc*, inquit, *in Canonibus Concilij Nicæni non eſt inuentum*,
,, *ſed in actis primæ Synodi inuenitur*. Quid autem velit Balſamon nomi-
,, ne primæ Synodi non ſatis conſtat; niſi intelligat primum volumen,
,, in quo Orientales de celebratione Paſchæ actum fuiſſe ferunt. Vel
,, intelligit Synodum Romanam ſub Victore Papa celebratam, in qua
,, primùm de Paſchæ celebratione actum eſt, cuius fortè Nicæna ſub-
,, inde ſecuta eſt decretum. Nam eodem tempore Demetrius Patriar-
,, cha Alexandrinus epactæ auctor fuit, qua ratio ſubducitur celebra-
,, tionis Paſchæ, libellumque edidit, cuius exemplar miſit Victori Pa-
,, pæ, qui in ea Romana Synodo decreuit contra Aſiaticos, qua die Pa-
,, ſcha celebrandum ſit. Huius Romanæ Synodi celebrationis Paſchę
,, cauſa congregatæ commemoratio fit in Alexandrino Martyrologio
,, ſub die decima Hatur menſis Ægyptiorum hiſce verbis: *Hac die con-*

gre-

Digitized by Google

gregatum fuit Romæ Sanctum Concilium ſub Victore Papa. Cauſa autem congregationis huius Concilij fuit, quòd eò vſque Chriſtiani Epiphaniæ celebrabant ſolemnitatem, & initium faciebant ieiunij quadrageſimæ manè diei duodecimi menſis Tubæ, tum comedebant Paſcha die 22. Amſcir. Deinde agebant diem feſtum paſſionis diebus aliquot poſt fractionem ieiunij. Cùm autem præfectus fuiſſet in Patriarcham S. Demetrius, qui erat vir ruſticus, ſcripturæ, & librorum ignarus, eius mentem ſuâ diuinâ gratiâ illuminauit Deus, & omnes didicit Eccleſiaſticas ſcripturas, eaſque memoriâ cuſtodiuit, maioremque expoſuit illarum partem. Præterea epactam inuenit, quâ ieiunij, quadrageſimæ, & reſurrectionis ſupputatur ratio, quam Copticè ſiue Ægyptiacè, & Romanè ſiue Latinè conſcripſit, illiuſque miſit exemplar ad
„ *Patrem Victorem Papam Romæ.* Canonem de celebratione Paſchæ
„ integrum refert Marcus Patriarcha Alexandrinus in epiſtola ad Mi-
„ chaelem, & Baſilium Epiſcopos ex Concilij Actis. Legitur item cap.
„ 21. editionis Alexandrinæ ſub titulo: *Sanctiones, & decreta alia ex quatuor Regum ad Conſtantinum libris*, vbi videre eſt, poſt ſancitum
„ hunc canonem, ſeu decretum Nicænæ Synodi, factam fuiſſe concor-
„ diam, & conſonantiam ſanctiſſimi Paſchatis, patet ex litteris eiuſdem
„ Nicænæ Synodi ad Alexandrinos, & Ægyptios, vti legitur apud
„ Theodoretum lib. 2. cap. 12. & in eodem ſupra laudato Alexandrino
„ Martyrologio ſub eadem die.

„ 2. Concilium Arelatenſe II. can. 24. Conſtitutionem ex Conci-
„ lio Nicæno de accuſatoribus fratrum ita profert: *Eos qui falſa fratribus capitula obieciſſe conuicti fuerint, placuit vſque ad exitum non communicare, ſicut magna Synodus ante conſtituit, niſi digna ſatisfactione pœnituerint.* Ad hæc ita Summę Conciliorum Author: *Hic eſt vnus canon præter illos viginti ex Concilio Nicæno, quos ſupra recenſuimus.*

„ 3. In capite *peruenit* quæſt. 3. 7. & 16. citatur ſtatutum Concilij Ni-
„ cæni contra Simoniacos; hoc tamen nuſquam extat inter viginti illos
„ vulgatos Canones, qui Græcè & Latinè circumferuntur; in hac verò
„ noſtra orientali editione eſt canon. 53.

„ 4. S. Leo primus multa affert epiſt. 53. 54. & 55. ex Nicæna Synodo
„ aduerſus Anatolium Conſtantinopolitanum Epiſcopum, ius ſibi ſu-
„ pra Alexandrinam, & Antiochenam Eccleſias vſurpantem. Hæc
„ plenè & ſolidè habentur in hac noſtra editione canon. 8. 37. & 41.

„ 5. Iulius Primus item Romanus Pontifex epiſtola prima, & in re-
„ ſcripto ad Orientales multa de Eccleſiæ Romanę prętogatiuis in Ni-
„ cęna ſancita Synodo refert, quę nuſquam apparent niſi in hac noſtra
„ editione ſcilicet canon. 37. 44. 71. vt ibi legere eſt.

„ 6. Zoſimus Papa in ſua Decretali, & Monitorio ad ſextum Conci-
„ lium Carthaginenſe, tres profert ex Nicęna Synodo canones, qui
„ nunc in Gręcis deſiderantur, & Latinis. Primus erat de appellatio-
„ nibus Epiſcoporum ad Romanam Sedem. Alter de appellationibus

pre-

preſbyterorum, & minorum Clericorum ad Epiſcopos vicinos. Tertius demum de non eundo ad comitatum. De primo Canone quanta olim fuerit altercatio ſub eodem Zoſimo, Bonifacio, Cęleſtino, alijſque Summis Pontificibus, pręſertim cum Africanis Patribus, ſatis doctis viris notum eſt. De quo bellum etiam crudelius excitarunt, acriuſque Patrum noſtrorum memoria Illyricus, Centuriatores, eorumque Symmiſtę, quod ipſorum adhuc ſucceſſores, & comminiſtri ſuſtinent, & fouent. Canon tamen ille de appellationibus Epiſcoporum ad Romanum Pontificem eſt 71. in noſtra hac orientali editione. Ex quo arguendum eſt, Summos illos Pontifices canonē illum haud temerè laudaſſe, & nomine Concilij Africanis oppoſuiſſe. Nec dubium profectò eſt, Iulium Pontificem eò ſpectaſse, cùm appellantem ad ſe Athanaſium ſuę reſtitueret Eccleſię, vti teſtis eſt Theodoretus lib. 2. cap. 4. & 5. Athanaſij appellationis, & reſtitutionis mentio fit in Martyrologio Ægyptio ſub die 5. menſis Babę, in qua commemoratio celebratur Pauli CP. Patriarchę, qui & ipſe ad eundem appellauerat Iulium, huius canonis vi & auctoritate, ſicut auctores etiam ſunt Sozomenus lib. 3. cap. 8. Theodoretus loco ſupra citato, & Socrates lib. 2. cap. 15. Eiuſdem quoque canonis auctoritate, necnon quadrageſimi quarti, obiurgauit idem Iulius Orientales, quòd ſe non pręmonito ſecundùm conſuetudinem, iudicium de Marcello, & Athanaſio Epiſcopis feciſſent, veluti teſtis eſt ipſe Athanaſius apologia ſecunda. Huc ſpectat etiam Innocentius Papa apud Sozomenum lib. 8. cap. 26. dum probat omnes Epiſcoporum cauſas ad ſe pertinere. Alter canon, quem vt Nicęnum laudauit Zoſimus, erat de appellationibus preſbyterorum, & minorum Clericorum ad vicinos Epiſcopos, de quo nos in nota ad can. 47. Tertius de non eundo ad comitatum habetur cap. 13. ſub hoc titulo: *Aliæ variæ Eccleſiaſticæ Conſtitutiones*.

7. Innocentius ad Agapitum Macedonium epiſtola ſexta multa ex Nicęna refert Synodo de generibus non ordinandorum, & de pœnitentibus, alijſque in epiſtola vigeſima quarta ad Synodum Toletanam. De his autem fusè agitur capite decimo quarto de ſtatutis Sacerdotum, & quid ipſi debent, & quid illis debetur, ſub titulo: *Sanctiones, & decreta illa ex quatuor Regum ad Conſtantinum libris decerpta*. Ibidem luculentiſſimis legitur verbis quod Diuus teſtatur Ambroſius in epiſtola ad Eccleſiam Vercellenſem, ſcilicet in Synodo Nicæna prohibitos bigamos ordinari.

8. D. Auguſtinus epiſtola 100. ſcribit in Concilio Nicæno prohibitum eſſe, ne duo Epiſcopi ſimul ſedeant in eadem Sede, dicens: *Adhuc in corpore poſito beatæ memoriæ Patre, & Epiſcopo meo ſene Valerio, Epiſcopus ordinatus ſum, & ſedi cum illo: quod Concilio Nicæno prohibitum fuiſſe neſciebam*. Hæc prohibitio in Orientalibus editionibus habetur can. 54.

9. S. Ba-

,, 9. S. Baſilius Magnus epiſt. 78. ſcribit, in Concilio Nicæno alia
,, conſtituta eſſe ad correctionem noxiorum, alia ad præmonitionem eo-
,, rum, quæ in futurum ſuboriri poſſunt. Quæ quàm conſona ſint no-
,, ſtris hiſce conſtitutionibus, nemo diſcurrens per ſingulas non vide-
,, bit. Proinde quis ex horum omnium conſenſu, & conſpiratione
,, non colliget, canones iſtos, & conſtitutiones eſſe authenticas &
,, legitimas?

10. Idem Author poſtmodum num. 111. illius Diſſertationis, apud Labbè col. 399. enumerat verſiones varias illorum Canonum apud re-
,, giones Orientales: Sciendum eſt (inquit) hos Canones & Conſti-
,, tutiones varijs apud varias Orientis gentes circumferri linguis, ex
,, quibus ſex nobis hic Romæ extant editiones. Prima Arabicis exara-
,, ta characteribus, & eſt Melchitarum ſeu Græcorum, qui Arabica
,, vtuntur lingua, ſuntque per totam Syriam, Chaldæam, & Ægyptum
,, diffuſi. Editionis huius exemplaria extant nobis bina, vnum in Vati-
,, cana bibliotheca, alterum in bibliotheca Collegij Maronitarum de
,, Vrbe. Vtrumque Græcis eſt notatum numericis literis, & Græcis
,, etiam alicubi interpolatum dictionibus, & commatibus. Secunda
,, editio eſt Maronitarum, quæ duplex adhuc eſt, vna Arabicis con-
,, ſcripta characteribus & lingua; altera Syriaca, de qua mox paulò in-
,, fra. Tertia eſt Coptitarum, ſeu Chriſtianorum Ægyptiorum, qui
,, Dioſcori ſequuntur dogmata, & eſt Arabicis conſcripta characteribus
,, & lingua, & Cophtitis, ſeu Ægyptiacis notata numeris, ac quibuſ-
,, dam etiam in locis interpolata Ægyptiacis vocabulis, integriſque
,, verſiculis. Exemplaria extant bina, vnum bibliothecæ Vaticanę, Col-
,, legij Maronitarum alterum. Quarta eſt Iacobitarum, Arabicè con-
,, ſcripta, & Syriacis interpolata vocabulis & commatibus: hæc eſt no-
,, ſtri iuris. Quinta Æthiopica, characteribus & lingua eius gentis
,, conſcripta. Huius terna extant exemplaria, duo in Vaticana biblio-
,, theca, vnum in domo S. Stephani nationis Æthiophicæ. Sexta eſt
,, Neſtorianorum, Chaldaicis exarata characteribus, & lingua, de qua
,, Habedieſu in collectione Canonum. Codex eſt bibliothecæ Vatica-
,, næ. De Armena tandem editione ſic ſcribit P. Alphonſus Piſanus
,, ad calcem ſuæ præfationis in eoſdem canones: *Extitiſſe porro*, inquit, *integrum Concilium Nicænum Armenica lingua apud Regem Armeniorum, ante* 300. *annos, indicat epiſtola Gregorij Decimi ad eumdem Regem, quæ manuſcripta extat apud Cardinalem Sirletum, qua illud ſibi mitti rogat,*
,, *cùm iam indixiſſet Concilium Lugdunenſe*. Ex his itaque liquidò relin-
,, quitur, hos canones, & conſtitutiones non ſolùm Arabica, ſed alijs
,, etiam extare linguis, proindeque ea omnia, in quibus hæ omnes con-
,, ueniunt, & conſpirant editiones tam variarum gentium, regionum,
,, & linguarum, legitima, & authentica Concilij Nicæni habenda eſſe.

11. Qui hucuſque dicta attentè perpenderit, apertè videbit ex hac ver-

verſione Arabica, in qua tot nationes & ſectæ inter ſe oppoſitæ conueniunt, ſatis validum confici argumentum ad probandam authoritatem Romani Pontificis in reliquos Patriarchas, & ſuperioritatem in omnia Concilia; ac proinde infallibilitatem in definiendo controuerſias fidei & morum: nec iuſtè poſſe expoliari Eccleſiam his armis (quamuis habeat alia longè validiora) propter argumenta, quæ contra hanc verſionem Arabicam oppoſuit Natalis Alexander, & alij viri eruditi, quæ ſtatim ſoluemus.

12. Hinc etiam colliges, veriſſimum eſſe quod ſupra diximus, quòd quamuis epiſtola 1. S. Iulij Papæ ad Orientales cenſeatur ſuppoſititia, & compacta ab aliquo poſt ſeptimum ſeculum, nihilominus non eſt ſuppoſititia propter id, quod affirmat fuiſſe traditum à Concilio Nicęno de authoritate Romani Pontificis: id enim verum eſſe, ex argumentis factis ſufficienter conſtat. Quę argumenta quamuis non ſint euidentia, ſunt tamen valde probabilia, & in eo iudicio multò vrgentiora, quàm quę proferuntur in contrarium.

§. XIII.

Ex eo quod Cæcilianus Epiſcopus Carthaginenſis non attulerit ex Concilio Nicæno in Africam niſi viginti Canones vulgares, qui modò extant, non rectè arguitur, Nicænum Concilium non declaraſſe authoritatem Romani Pontificis in omnia Concilia.

1. IAm ſoluenda ſunt argumenta, quę viri eruditiſſimi huius ætatis conficiunt ad probandum, in Concilio Nicæno nihil fuiſſe ſtatutum de authoritate Romani Pontificis in reliquos Patriarchas, & ſupra omnia Concilia, & ad probandum dumtaxat fuiſſe viginti Canones Nicænos. Imprimis arguunt ex cap. 9. Concilij Carthaginenſis, & cui interfuit S. Auguſtinus Hipponenſis cum alijs 217. totius Africæ Epiſcopis anno 419. Nam cùm Fauſtinus Epiſcopus, Legatus Zoſimi Romani Pontificis exhibuiſſet monitorium, in quo Zoſimus teſtabatur in ſcrinijs Eccleſiæ Romanæ conſeruari ſtatutum Concilij Niceni de appellationibus ad Romanam Sedem, totum Concilium dixit, Cęcilianum prędeceſſorem Aurelij non attuliſſe in Africam ex Nicęa, niſi viginti *Statuta Nicænæ Synodi*, quę ad finem Actorum Concilij inſerta ſunt.

2. Verùm hoc argumentum ſolùm probat Cęcilianum non attuliſſe in Africam niſi illa viginti capita, ſeu illos viginti canones: hinc autem

tem non rectè infertur, non fuiſſe ſtatutum à Concilio caput illud de appellatione ad Romanam Sedem; cùm manifeſtum ſit, & à nobis euidenter probatum, plura alia ſtatuta fuiſſe, à Concilio, quàm quæ continentur in illis viginti canonibus. Fatemurque Patres Africanos in illo Concilio ſolùm habuiſſe notitiam diſtinctam illorum viginti Canonum: quia ex Epiſcopis Africanis certum eſt ſolum Cæcilianum Epiſcopum Carthaginenſem interfuiſſe Concilio Nicæno, vt habes apud P. Labbè tom. 5. columm. 481. ac proinde veriſimile eſt à ſolo Cæciliano adductos eſſe Canones Nicænos in Africam. Dicitur autem in illo capite 9. Concilij Carthaginenſis Sexti, Cæcilianum attuliſſe in Concilium illos Canones, quia illos attulit in Africam multis annis ante illud Concilium: nam Cæcilianus creatus eſt Epiſcopus ann. 306. & iam ſenex adfuit Concilio Nicæno anno 325. vnde inter illum & Aurelium, qui anno 419. præfuit illi Concilio, alij fuere Epiſcopi Carthaginenſes.

3. Deinde iſto argumento duntaxat probatur, articulum illum de appellatione ad Romanam Sedem non fuiſſe relatum à Nicæno in Canones, nec inter Canones vnquam contentum fuiſſe. At quòd non fuerit contentum in Statutis, in Sanctionibus Conciliaribus, & Conſtitutionibus Eccleſiaſticis, nullatenus inde probatur. Nobis autem ſufficit, hoc ſtabilitum fuiſſe in Nicæno, & declaratum, quamuis non fuerit in canones redactum; eò quòd Patres Nicæni ſolùm in Canones voluerunt redigere articulos quoſdam, ſeu puncta, & capita quædam magis vſualia & communia, & pro omnibus Prouincijs neceſſaria. Et aduerſarij qui nobis hanc obiectionem faciunt, ad hanc ſolutionem recurrunt, dum fatentur ea, quæ ab Hieronymo, Ambroſio, Auguſtino, & alijs antiquis Patribus referuntur tanquam ſtabilita à Concilio Nicæno, ſtatuta quidem fuiſſe in Concilio Nicæno, & ex illo deſumpta, non tamen contenta fuiſſe in canonibus, ſed in Actis.

4. Ratio ergo cur, licet Concilium Nicænum agnouerit, & profeſſum ſit ſuperioritatẽ Romani Pontificis in omnes Patriarchas, & cuncta Concilia, & de hoc declarationem, vel ſtatutum aliquod fecerit, nihilominus hoc ſtatutum non ſit vulgatum per omnes Mundi plagas, nec ad Africam peruenerit: ratio, inquam, eſt, quia cùm ſtatuta & decreta Nicæna eſſent plurima, & magnum volumen componerent, Patres ſeorſim poſuerunt illos viginti canones, vtpote continentes doctrinam magis neceſſariam ad vſum omnium Prouinciarum, vt ſic Epiſcopi à Concilio diſcedentes facilè poſſent ſecum in ſuas prouincias adducere ſtatuta magis vniuerſalia, & magis neceſſaria; difficile enim erat tot copias totius Concilij facere, quot erant Epiſcopi. Vnde optimum conſilium fuit ſeparare à reliquis in Concilio ſtatutis, pauca quædam capita magis neceſſaria, quæ ab aliquibus facilè poſſent exſcribi. Hanc rationem attigit Franciſcus Turrianus in proœmio ad verſionem Arabicam octuaginta

ta Canonum, quod habetur apud Labbè tom.2. column.287. *Cur autem* inquit, *viginti illi canones vbique ſemper & omni tempore ſeruati fuerint, reliqui verò minus, non poteſt alia eſſe cauſa, niſi ſæpiſſimè deſcriptos fuiſſe ob maiorem eorum in Eccleſijs vſum & neceſſitatem, quàm reliquorum, quod facilè intelligi poteſt, ſi quis omnes inter ſe conferat.* Vnde aliqui Epiſcopi vt citò redirent in Prouincias, ſatis habuerunt ſecum deferre illos viginti canones; expectando tempus, in quo poſſent reliqui canones & omnia Acta Concilij Prouincijs communicari; quod non poterat tunc tam citò fieri, cùm nondum eſſet adinuenta ars imprimendi typis, ſed ſeorſim ſingula exemplaria manu ſcribæ erant exaranda. Et hæc eſt ratio, cur Cæcilianus Epiſcopus ſecum in Africam duntaxat adduxerit viginti illos Canones.

§. XIV.

Ex eo quòd S. Cyrillus Alexandrinus, & Atticus Conſtantinopolitanus Epiſcopus interrogati de Canonibus Nicænis à Patribus Concilij Carthaginenſis, ſolùm remiſerint viginti Canones vulgares, malè infertur, nihil actum eſſe in Nicæno Concilio de appellatione ad Romanum Pontificem.

1. IAm §.3. diximus Fauſtinum Legatum Zoſimi ad Patres Africanos, in Concilio Carthaginenſi Sexto præſentaſſe Monitorium, in quo Pontifex teſtabatur, ex Statuto & Canone Concilij Nicæni competere Sedi Romanæ ius, vt ad ipſam poſſet ex quacumque mundi parte à ſententia Synodi appellari. Reſtiterunt Patres Concilij Africani intentioni Legati, obtendentes ſibi competere ius iudicandi illas cauſas, nec expedire, vt Romam euocarentur, eique palàm oppoſuerunt, non extare Canonem vllum in veteribus exemplaribus Concilij Nicæni, quo daretur illa facultas appellandi ex quacumque orbis parte ad Romanum Pontificem. Obſiſtebant Legati, aſſeuerantes Canonem illum reperiri in exemplari Romano. Reſcripſerunt Patres Africani ad Bonifacium Pontificem, qui ſucceſſerat Zoſimo, ſe paratos cedere cauſę, ſi extaret Canon ille, & annuente Legato Pontificis, ipſoque Pontificè, miſſi ſunt à Carthaginenſi Synodo Legati Conſtantinopolim, Antiochiam, & Alexandriam ad Epiſcopos earum ciuitatum, poſtulaturi, vt ad ipſam tranſmitterentur exemplaria authentica Canonum Nicænorum.

rum. Illi autem teſtati ſunt; apud ſe duntaxat eſſe Canones viginti Concilij Nicæni, eoſdem omnino qui reperiebantur in Eccleſia Africana, & qui modo extant in tomis Conciliorum.

2. Hinc arguunt aduerſarij, viginti duntaxat fuiſſe Canones Concilij Nicæni, nihilque in eo fuiſſe decretum de appellatione ad Romanum Pontificem. Verùm hoc argumentum ſicut præcedens facilè ſoluitur; illo namque ad ſummum probatur, Concilium Nicęnum in canonibus nihil ſtatuiſſe de excellentia Romani Pontificis, ſicut nihil ſtatuit de alijs multis materijs & capitulis, de quibus certum eſt decreta atque ſtatuta edidiſſe. Nec quod Cyrillus Alexandrinus, & Atticus Conſtantinopolitanus Epiſcopi ſolos viginti canones vulgares teſtati ſint ſe habere in ſuis Eccleſijs, aliud probat, quàm rabiem & furorem Arianorum incendiſſe in illis regionibus volumen Concilij Nicæni. Eſt enim valde veriſimile, quod teſtatur P. Alphonſus Piſanus noſtræ Societatis in præfatione Concilij Nicæni ad Regem Poloniæ, nimirum, *quòd mortuo Conſtantino Magno Imperatore, quo præſente celebratum eſt Concilium Nicænum, & imperante paulò poſt eius filio, quem Ariani prodito Conſtantini teſtamento in ſuas partes pertraxerant, tanta exarſit aduerſus Orthodoxam Eccleſiam perſecutio, viuente adhuc Athanaſio, vt Nicænæ Synodi libri paſſim combuſti fuerint.* Hæc ille. Quòd hoc ſit valde veriſimile, inde ſuadetur; quod vt vidimus §. 6. num. 4. toto §. 7. & §. 8. nu. 6. & 7. & teſtatur Baronius ad ann. 325. pag. mihi 274. certum eſt ex Athanaſio, & alijs authoribus citatis §. 8. num. 7. Acta Concilij Nicęni fuiſſe accuratè ſcripta in magno volumine; *verum iniuria temporis, & Arianorum conatibus paſſa eſſe naufragium*. Et quamuis diceremus (id quod §. præcedenti veriſimilius iudicaui) Patres Nicęnos ſolùm in canones redegiſſe illas viginti regulas Eccleſiaſticas, quæ continebant formam gubernandi Eccleſiam, & poſtea ex alijs ſtatutis, & decretis contentis in corpore Concilij formatos eſſe reliquos Canones vſque ad numerum octuageſimum, quem aſtruunt Piſanus & Turrianus, vel octuageſimum quartum, quem deſignat Abrahamus Ecchellenſis: certum eſt Arianos incendiſſe in illis partibus Orientis, vbi Arius vixit, & habuit plures defenſores, omnia Acta Concilii; & cum illis periiſſe ſtatutum de appellationibus, ſicut perierunt alia, de quibus ſupra. Quare ex eo quod S. Cyrillus, & Atticus non inuenerint in ſuis Eccleſiis niſi viginti illos Canones vulgares, ſolùm infertur tunc temporis in illis regionibus periiſſe volumen Concilii Nicæni ob rabiem, & perſecutionem.

§. XV.

Firmatur valde ſententia noſtra ex eo, quòd poſtquam Patres Africani anno 419. reſcripſerunt Bonifacio Primo, nec in Africa, nec in Oriente reperiri Canonem Nicænum de appellationibus; & conſequenter poſtquam ſcrinia Romanæ Eccleſiæ examinata & diſcuſſa ſunt, S. Leo & totum Concilium Romanum tertium ſub ipſo celebratum anno 449. Canonem illum Nicænum citauit, quod facere poſt tam acrem controuerſiam non potuit per ignorantiam facti, allegando Canonem Sardicenſem pro Nicano.

1. VT argumentum conficiam, notandum eſt ex Hiſtoria Eccleſiaſtica, anno 449. celebratum eſſe vniuerſale Concilium Epheſinum Secundum reprobatum; & in eo à 128. Epiſcopis Præſide Dioſcoro Alexandriæ Epiſcopo, Eutychem abſolutum, & Flauianum cum Euſebio Dorilæi, Iba Edeſſæ, & Theodoreto Cypri Epiſcopis condemnatum, & in eorum ſedes alios ſubrogatos: Flauianum verò Conſtantinopolitanum appellaſſe ad Romanam Sedem à ſententia illius Conciliabuli: Hilarum verò vnum è Legatis Pontificiis, quem vi Dioſcorus retinere volebat, fugâ ſe ſubripuiſſe, & ad S. Leonem profectum eſſe; hunc verò conuocaſſe Concilium Prouinciale, & in eo penitus reſcidiſſe, & irrita declaraſſe omnia quæ ſtatuta fuerant à Pſeudo illa Synodo: Dioſcorum verò in Alexandriam reuerſum, habito Epiſcoporum aliquot conuentu, eo inſaniæ deueniſſe, vt ſententiam excommunicationis in S. Leonem protulerit.

2. Turbæ autem iſtæ in cauſa fuere, vt S. Leo ſcripſerit ad Theodoſium Auguſtum epiſtolam, in qua petit, vt iubeat generalem Synodum celebrari ad ſedandas has tempeſtates, & confirmandam fidem Catholicam. In ea mentionem facit appellationis interpoſitæ à Flauiano, & citat Canonem Nicænum, in quo hoc ius appellationis ſtabilitum eſt. Hæc epiſtola inſerta eſt Actis Concilij Chalcedonenſis generalis quarti, quod aduerſus Eutychetem Archimandritam, & Dioſcorum Patriarcham Alexandrinum celebratum eſt anno 451. Illam epiſtolam, in qua agit S. Leo de illa Synodo Epheſina profana, adducit Labbè tom. 4. à

colum.

Digitized by Google

colum. 38. ad 42. cuius titulus eſt, *Leo Epiſcopus, & Sancta Synodus, quæ in Vrbe Roma conuenit, Theodoſio Auguſto.*

3. Ad finem illius Epiſtolæ ſic Imperatorem alloquitur: *Præ oculis habete; & tota mentis acie reuerenter aſpicite Beati Petri gloriam, & communes cum ipſo omnium Apoſtolorum coronas, cunctorumque Martyrum palmas, quibus alia non fuit cauſa patiendi, niſi confeſſio veræ Diuinitatis, & veræ humanitatis in Chriſto. Cui Sacramento quia impiè nunc à paucis imprudentibus obuiatur, omnes partium noſtrarum Eccleſiæ, omnes manſuetudini veſtræ cum gemitibus, & lacrymis ſupplicant Sacerdotes, vt quia & noſtri fideliter reclamarunt, & eiſdem libellum appellationis Flauianus Epiſcopus dedit, generalem Synodum iubeatis intra Italiam celebrari, quæ omnes offenſiones ita aut repellat, aut mitiget, ne aliquid vltra ſit vel in fide dubium, vel in charitate diuiſum, conuenientibus vtique Orientalium Prouinciarum Epiſcopis, quorum ſi qui ſuperati minis atque iniurijs à veritatis tramite deuiarunt, ſalutaribus remedijs in integrum reuocentur: ipſique, quorum eſt cauſa durior, ſi conſilijs melioribus acquieſcant, ab Eccleſiæ vnitate non excidant. Quàm autem poſt appellationem interpoſitam hoc neceſſariò poſtuletur, Canonum Nicææ habitorum decreta teſtantur, quæ à totius mundi ſunt Sacerdotibus conſtituta, quæque ſubter annexa ſunt. Fauete Catholicis veſtro more, parentumque veſtrorum: date defendendæ fidei libertatem, quam ſalua clementiæ veſtræ reuerentia nulla vis, nullus poterit mundanus terror auferre. Cùm enim Eccleſiæ cauſas, tum regni veſtri agamus, & ſalutis, vt Prouinciarum veſtrarum quieto iure potiamini; defendite contra hæreticos inconcuſſum Eccleſiæ ſtatum, vt & veſtrum Chriſti dextra defendatur imperium.* Datum tertio Idus Octoris, Aſterio & Protogene viris clariſſimis Conſulibus.

4. Ex quibus verbis patet, non ſolùm S. Zoſimum citaſse Canonem Nicænum, de appellationibus, ſed etiam S. Leonem; idque poſtquam controuerſia illa de Canone Nicæno circa appellationem ad Romanam Sedem fuerat ventilata, & diſcuſſa, tempore Bonifacij Primi, & Cæleſtini, qui poſt Zoſimum ſederunt: nam Concilium Carthaginenſe Sextum, cui Fauſtinus Legatus Zoſimi præſentauit Monitorium, in quo Pontifex allegabat Canonem Nicænum, habitum eſt tempore horum trium Pontificum, Vt patet, ex eius titulo, qui eſt iſte: *Concilium Carthaginenſe Sextum, ordine temporum Quintum tempore Zoſimi, Bonifacij, & Cæleſtini de modo proſequendæ appellationis ad Sedem Apoſtolicam interpoſitæ*, vt habes apud Labbè tom. 2. col. 1589. *nam inchoatum eſt* (inquit Binius in notis ad hoc Concilium) *ſub Pontificatu Zoſimi; eiuſdemque commonitorio, quoad duo poſteriora capita cauſam Apiarij Presbyteri, & Vrbani Siccenſis Epiſcopi concernentia, obtemperatum fuit. Primi autem capitis inquiſitio, propter Canones in Nicæno Concilio, vnde allegabantur, non inuentos, ad reditum Legatorum, exemplaria Nicæni Concilij in Oriente quærentium, ſuſpenſa fuit, idque Patres Concilij per Synodicam Bonifacio*

ſignifi-

ſignificarunt. Quia verò Legatos ad inquirendum exemplaria emiſſos, poſt obitum Bonifacij, & ſubrogatum illi Cæleſtinum, reuertiſſe contigit, reliqua quæ deinceps in Synodo acta leguntur, ſub Cæleſtini Pontificatu contigerunt, eundemque per litteras Synodicas infra in fine Concilij Afric. extantes, certiorem reddiderunt.

5. Quis autem credat, quòd poſtquam Fauſtinus Legatus miſſus à Zoſimo admonuit eius Succeſſorem Bonifacium, Africanos nolle agnoſcere pro Canone Nicæno illum, quem ipſe in ſuo Monitorio allegabat; & poſtquam Legati emiſſi in Alexandriam, Antiochiam, & Conſtantinopolim, ad inquirenda exemplaria Concilij Nicæni teſtati ſunt, ibi non reperiri Canonem illum, vel ſtatutum illud de appellationibus; quis, inquam, credat, non fuiſſe diligenter diſcuſſa, & examinata ſcrinia Eccleſiæ Romanæ, ad comperiendam veritatem, & hanc rem non fuiſſe publicatam Romæ tempore Cæleſtini Papę, qui ſedit annis 8. nempe ab anno 423. ad 432. quo obijt; nec eius notitiam potuiſſe latere Leonem, qui fuit Diaconus S. Sixti Tertij, qui immediatè ſucceſſit Cęleſtino, defunctο anno 440. 26. Iunij, & cui ipſe Leo, eodem anno, 10. Maij ſuffectus eſt? Si ergo poſt omnes has controuerſias S. Leo allegauit illum Canonem pro Statuto Nicæno, argumentum inde conficitur validum nimis ad probandum, S. Zoſimum non allegaſſe per ignorantiam facti Canonem Sardicenſem pro Nicæno, ſed reuera illum Canonem fuiſſe ſiue Statutum, ſiue Canonem Nicænum.

6. Vnde non ſatisfaciunt Petrus de Marca in opuſculis in diſſertatione de veteribus collectionibus canonum cap. 1. n. 4. & Natalis Alexander tom. 8. Diſſertat. 18. ad ſeptimam obiectionem, dum reſpondent, S. Leonem, alienum quidem ab omni dolo, per ignorantiam facti, & hallucinationem inculpabilem ſolemni Eccleſiæ ſuæ more Canonem Sardicenſem, Nicænum vocaſſe. Quamuis enim cum aliqua veriſimilitudinis ſpecie hoc potuiſſet affirmari de S. Innocentio I. qui in Epiſtola ad Victricium Epiſcopum Rothomagenſem, acceptum refert Canonem illum Synodo Nicænę, & non Sardicenſi: ſiquidem ibi hæc habet: *Si quæ autem cauſa vel contentiones inter Clericos tam ſuperioris Ordinis, quàm etiam inferioris fuerint exortæ, vt ſecundùm Synodum Nicænam congregatis eiuſdem Prouinciæ Epiſcopis iurgium terminetur. Nec alicui liceat, ſine præiudicio tamen Romanæ Eccleſiæ, cui in omnibus cauſis debet reuerentia cuſtodiri, relictis his Sacerdotibus, qui in eadem Prouincia Dei Eccleſiam nutu diuino gubernant, ad alias conuolare Prouincias. Quod ſi quis fortè præſumpſerit, ab officio Clericatus ſubmotus, velut iniuriarum reus ab omnibus iudicetur. Si autem maiores cauſæ in medium fuerint deuolutæ, ad Sedem Apoſtolicam, ſicut Synodus ſtatuit, poſt Epiſcopale iudicium referantur.* Et de S. Zoſimo, qui Monitorio ſuo inſeruit Canonem Nicænum de appellationibus: Quamuis, inquam, cum aliquo colore poſſet hæc ignorantia his Romanis Pontificibus tribui; ſanè poſt tantam contentio-

tentionem ſuper hoc canone, nimirum poſt legationem miſſam in Africam à S. Zoſimo in cauſa Apiarij, & poſt reſiſtentiam Patrum Africanorum, & poſt reſcriptum eorum ad Bonifacium & Cæleſtinum, & poſt reſponſum Patriarcharum Orientis, teſtificantium in ſuis Eccleſijs non reperiri Canonem vel ſtatutum Concilij Nicæni de appellationibus, quod reſponſum Romæ ſine dubio publicatum eſt, dum S. Leo eſſet in Minoribus; incredibile eſt, à S. Pontifice per hallucinationem, & ignorantiam allegatum eſſe Canonem Sardicenſem pro Nicæno.

7. Et ſanè fundamentum quo Marca nititur ad id aſſerendum, rem non perſuadet. Ait ergo num. 3. cauſam illius hallucinationis fuiſſe collectionem Canonum, *quam ſolam*, inquit, *in ſuis ſcrinijs habebat tunc Eccleſia Romana, nam in ea collectione hoc erat lemma* Canones Nicæni. *Deinde ſequebatur ſeries 40. Canonum numeris ſuis diſtinctorum: quorum 20. priores erant genuini & veri Canones Nicænæ Synodi: reliqui autem continebant Canones vnum & viginti Concilij Sardicenſis, duobus capitulis in vnum compactis, nulla interim mentione facta huius Concilij Sardicenſis.*

8. Si autem ab hoc authore inquiras, vnde ſciuerit hanc hiſtoriam? Ille hoc narrat ibi n. 3. dicens, ſe exemplar illius collectionis in vetuſtiſſimo Codice manuſcripto vidiſſe, *beneficio Chriſtophori Iuſtelli claræ memoriæ viri, & antiquitatum Eccleſiaſticarum curioſi exploratoris; qui licèt communionis Caluinianæ partes ſequeretur, ſincerè ſe gerebat in eruendis è ſitu veterum monumentis ad rem canonicam exornandam.* Hæc ille.

9. En totum fundamentum, quo motus eſt iſte Author, qui hoſtis infenſiſſimus fuit appellationum ad Romanam Sedem, contendens inappellabilem eſſe ad Romanam Sedem, ſententiam Synodi Prouincialis; cuius ſententiam latè impugnabo tract. 2. Conſulatur interim eruditiſſimus Chriſtianus Lupus in Scholijs ad Canonem vigeſimum S. Gregorij VII. vbi acriter inuehitur in illum Authorem, & pag. 683. affirmat ſententiam Illuſtriſſimi Marca hac in parte intolerabiliorem eſſe ſententiâ Euſebianæ factionis, olim contendentis, ſententiam latam ab Alexandrino vel Antiocheno Patriarcha, non eſſe appellabilem àd Rom. Pontificem: & de ea ait, *illam eſſe fabuloſam inſigniter, Romanæ Reipublicæ aduerſam, & Sanctis Apoſtolis iniurioſum figmentum.*

10. Quis non videat hoc fundamentum inefficax eſſe ad rem tantam perſuadendam? Vnde ſciuit, quæſo, Petrus de Marca, in ſcrinijs Romanæ Eccleſię ſolam eſſe illam collectionem canonum, quam repræſentabat ille codex vetuſtiſſimus ipſi oſtenſus ab illo hæretico Caluiniſta? An quia in vno codice erant ſub eodem titulo in vnum coniuncti Canones Nicæni, & Sardicenſes, licet arguere, fuiſſe ſic coniunctos in omnibus codicibus? nonne hoc eſt arguere à ſingulari ad vniuerſale, qui eſt ineptus arguendi modus? An quia vnus aliquis vtroſque canones coniun-

coniunxit in vno Codice ſine diſtinctione, licet hinc arguere ſic poſitos eſſe in ſcrinijs Eccleſiæ Romanæ? Quis dubitet Canones Nicænos cùm primùm editi ſunt, miſſos eſſe Romam ad Silueſtrum, & poſt 20. annos miſſos eſſe Canones Sardicenſes ad Iulium I.? Quis credat hos canones prioribus fuiſſe ita coniunctos ſub eodem tit. vt non poſſet diſcrimen apparere? Quis ſibi perſuadeat S. Leonem poſt tot concertationes, de hac re adhuc paſſum eſſe hallucinationem, & per ignorantiam allegaſſe Canonem Sardicenſ. pro Nicæno? Deinde quamuis permitteremus in ſcrinijs Romanis collectionem Canonum ſic fuiſſe diſpoſitam: vnde ſcit Illuſtriſſimus Marca in ſcrinijs Romanis non conſeruatum eſſe tempore Zoſimi, Bonifacij, Cæleſtini, & Leonis Statutum illud de appellationibus ſeorſim à codice, in quo coniuncti erant Canones, & vnde ſcit hoc ſtatutum fuiſſe citatum à Zoſimo? Ergo ſolùm diuinando impugnat illam prerogatiuam Romanæ Sedis, quòd ſcilicet ad illam poſſit appellari à ſententia Synodi.

§. XVI.

Cùm certum ſit in Concilio Nicæno ſtabilitam; & definitam fuiſſe controuerſiam de die, in quo Paſcha erat celebrandum, ad quam definiendam fuerat congregatum: & tamen de hac re nulla mentio fiat in Canonibus Nicænis vulgaribus: mirum non eſt, quòd in illis nulla mentio fiat de Primatu Romanæ Sedis, quamuis ille agnitus ſit, & declaratus in illo Concilio.

1. LEgi attentè viginti illos Canones Nicęnos, qui circumferuntur, & legi ſecundùm duplicem verſionem, quam adducit Binius, & obſeruaui nullam in eis fieri mentionem de illo articulo Paſchatis, propter quem ſtabiliendum congregatum eſt Concilium Nicænum tanquam ob vnam ex primarijs cauſis. Vt enim inquit Binius tom. 1. pag. 293. exponens orationem, quam in Synodo Nicęna habuit Euſtathius Epiſcopus Antiochenus ad Conſtantinum Magnum Imperatorem, *Habiti Concilij cauſæ primariæ duæ fuerunt. Vna, vt de Chriſti Domini Diuinitate blaſphema Arij ſententententia in iudicium Eccleſiæ vocata diſcuteretur; & quid de ea fideles ſentire deberent, definitiuo iudicio decideretur. Altera, vt ante ſæpius oppreſſa Quartadecimanorũ Secta nunc reuiuiſcens, ſemel*

Digitized by Google

ſemel radicitus euelleretur. En propter hos duos articulos ſtabiliendos magna illa Synodus congregata eſt. Vnde euidens eſt, illos articulos fuiſſe examinatos, & definitos in illo Concilio, & tamen nulla eorum mentio fit in illis viginti canonibus vulgaribus, qui in omnibus Conciliorum editionibus circumferuntur, & quamuis nulla fuerit neceſſitas vt de articulo Diuinitatis Chriſti mentio fieret in Canonibus; quandoquidem illa exacte explicabatur in Symbolo, in quo Patres voluerunt apponere veritates fidei,quæ tanquam articuli credendi proponebantur: Tamen aliqua videbatur neceſſitas, vel magna vtilitas, vt inter regulas Eccleſiaſticas, quas Concilium obſeruari decreuit, poneretur illa de die Paſchatis;quandoquidem ad hanc quæſtionem dirimendam fuerat Synodus congregata. Et tamen conſtat, inter Canones qui modo extant non reperiri vllum,qui mentionem faciat de die, in qua Paſcha debet celebrari. Hinc autem euidenter infertur, vel Canones Nicænos fuiſſe plures quàm illos viginti, vel Patres Nicænos non redegiſſe in Canones omnes veritates, quas in Concilio definierunt & declararunt. Vnde ex eo,quòd in illis viginti Canonibus nulla mentio fiat de Primatu Romanę Sedis, ne probabile quidem argumentum depromi poteſt ad probandum, illam non fuiſſe agnitam, & declaratam à Concilio: ſicut inde non poteſt probabile argumentum fieri, ad perſuadendum, non fuiſſe definitam quæſtionem de Paſchate.

2. Quænam autem illius dilemmatis pars ſit vera, dubium eſt. Viri eruditiſſimi huius ætatis eligunt ſecundam partem dilemmatis,ac proinde tanquam certum ſupponentes, in actis Concilij Nicæni plura decreta fuiſſe, quàm quæ continentur in viginti Canonibus vulgaribus, nihilominus affirmant valde aſſeueranter, duntaxat redacta eſſe in Canones à Patribus Nicænis viginti Statuta, quę erant regulæ practicæ vbique obſeruandæ. Veritates autem ſpeculatiuas Fidei, ſeu articulos Fidei, qui ab omnibus credendi erant, remiſſos fuiſſe in Symbolum. Tamen Cardinalis Bellarminus, & Cardinalis Baronius citati in hac ſectione §. 6. in fine, & Binius citatus §. 7. omnino certum exiſtimant, Canones Nicænos fuiſse plures quàm illos viginti: & loquuntur de decretis Nicænis ſub nomine *Canonum*; & ſub his terminis Canonum arbitrantur fuiſse plures. Idque colligitur ex Patribus citatis à Baronio ad ann. 325. pag. mihi 302. & à Bellarm. lib. 2. de Rom. Pontifice cap. 25. qui citant multos Canones Nicænos, qui modò non extant.

3. Mihi probabilius eſt, Patres Nicænos in Canones ſolùm redegiſse viginti illas regulas Eccleſiaſticas, quia magis practicæ, & neceſſariæ erant ad bonum regimen Eccleſiarum. Veritatem autem illam de iure appellandi ad Sedem Apoſtolicam ex quacunque Mundi parte,ſtabiliſse & declaraſse in ſuis Actis & Decretis, quæ euidens eſt fuiſse plura, quàm quę continentur in viginti Canonibus: & hoc Decretum, ſeu hanc Declarationem tranſmiſsam fuiſse ab Oſio Pręſide Concilij

Hh Nicæni

Nicęni ad Siluestrum Papam , & conſeruatam fuiſse in tabulario Romano vſque ad tempora Zoſimi Papę , & proinde Zoſimum verè citaſse Canonem Nicęnum , prout conſeruabatur in Archiuo Romano. Et arbitror ideo Oſium Epiſcopum , qui anno 325. præſederat in Concilio Nicęno , poſtea anno 347. in Concilio Sardicenſi procuraſse , & obtinuiſse, vt veritas hęc à Patribus Sardicenſibus redigeretur in Canonem, quia videbat illam non extare inter Canones Nicęnos, qui circumferebantur , & erant in manibus omnium ; & aliunde ſciebat exemplaria Concilij Nicęni , in quibus hęc declaratio continebatur , non facilè inueniri ; & vel ſciebat paſsa eſse , vel timebat paſsura naufragium; idcirco curauit, vt hęc veritas cum alijs redigeretur in Canones , vt ſic cum alijs ſeruaretur , & per totum Orbem Chriſtianum diffunderetur , quin ab Arianis , & ab alijs hoſtibus Romanę Sedis poſset occultari. Ne autẽ videar hoc gratis excogitaſse , adducam opportunam probationem ex Baronio ad anno 325. pag. mihi 302. vbi poſtquam multis exemplis petitis à Sanctis Patribus Latinis probauit perijſse multos Canones Nicęnos, qui ab ipſis citantur tanquam Niceni Canones, & tamen modò non extant , vt inde concluderet Canonem de appellationibus citatum à S. Zoſimo tanquam Nicænum , reipſa fuiſse Nicænum , ſic concludit: *Cùm verò conſtet, longè grauiori ex Ariana hæreſi tempeſtate iactatam eſſe Orientalem quàm Occidentalem Eccleſiam ; haud mirum ſit , Hieronymum , Ambroſium , & Zoſimum Papam ex Romanæ Eccleſiæ archiuijs , atque aliunde petitos alios , præter viginti illos , nouiſſe Nicænos canones: quod intelligentes Patres Catholici , qui Sardicam ad vniuerſale Concilium conuenere, complures ex Canonibus Nicæa in Magno Concilio editis , tanquam in recentiori thecâ recondentes , decretis Sardicenſibus , additis quibuſdam alijs , intexuere.* In vtroque ergo Concilio , Sardicenſi ſcilicet , & Nicæno veritas iſta de iure appellandi ad Sedem Romanam declarata eſt, & ideo in Sardicenſi repetita eſt , ne poſset occultari.

4. Crediderim tamen Patres Eccleſiæ , qui citant alios Canones Nicænos præter viginti vulgares , nomine Canonum intellexiſse decreta , Conſtitutiones , Declarationes , vel ſtatuta contenta in volumine Concilij Nicæni, nec diſtinxiſse inter Canones, & decreta , ſiue Conſtitutiones ; ſed nomine Canonum omnia ſtatuta illius Concilij comprehendiſse.

5. Sed reſtat ſoluenda difficultas , ſi Patres Nicæni ſolùm redegerunt in Canones regulas quaſdam practicas , cur inter illas non appoſuere Canonem de die, in quo celebrandum erat Paſcha ; cùm conſtet Concilium conuocatum eſse ad ſtabiliendam Fidem contra Arianos , & ſtatuendum hoc punctum de die Paſchatis. Pro ſolutione præſupponendum eſt ex hiſtoria Eccleſiaſtica, quòd cum Pius I. Papa ad cathedram Petri euectus an. Chriſti 156. decreuiſset, vt Paſcha non celebraretur cum Iudæis decimâ quartâ die primi menſis , ſed Dominicâ ſequenti, &

Aſiani

Aſiani nollent acquieſcere, eos excommunicauit Victor I. ad Pontificatum exaltatus anno 192. & quamuis Irenæus & alij, Victorem de nimiâ ſeueritate notauerint, quia leui de cauſa, vt ipſis videbatur, tantas Eccleſias à corporis Eccleſiæ vnitate præcidiſſet, ac proinde putauerint, Victorem imprudenter ſe geſſiſſe, tamen *reuera prudenter egit*, (inquit Bellarm. lib. 2. de Rom. Pont. cap. 19.) *vt poſtea tota Eccleſia iudicauit. Nam vnus ex præcipuis authoribus illius ſententiæ, de Paſchate cum Iudæis celebrando, fuit Blaſtus, qui eo modo paulatim Iudaiſmum introducere volebat, vt ſcribit Tertull. de præſcript. in fine.* Blaſtus, *inquit*, latenter Iudaiſmum vult introducere; Paſcha enim dicit non aliter cuſtodiendum eſſe, niſi ſecundùm legem Moſis 14. die menſis. *Hic autem Blaſtus Romæ hæreſim ſuam ſeminare cœpit tempore Victoris Papæ, vt Euſebius teſtatur lib. 5. hiſt. cap. 15.*

6. Quoniam ergo Victor Papa videbat, illam diuerſitatem de Paſchate, non eſſe diuerſitatem ſolius obſeruationis, ſed adferre ſecum hæreſim, imò ipſum Iudaiſmum, maturè occurrendum putauit. Probauerunt autem ſententiam Victoris Patres Nicæni Concilij, vt patet ex Euſebio lib. 3. de vita Conſtantini, & deinceps hęretici habiti ſunt, & Quartadecimani appellati, qui contrarium ſenſerunt, vt patet ex Epiphanio hæreſi 50. & Auguſtino hæreſi 29. Arbitror ergo, ideo Patres Nicęnos non collocaſſe inter Canones decretum illud de Paſchate celebrando in die Dominica, quia in canones ſolùm redegerunt regulas practicas, mittendas & diffundēdas ad omnes Eccleſias ſimul cum Symbolo fidei: Decretum autem illud de Paſchate celebrando non erat neceſſarium mittere niſi ad aliquas partes Orientis, in quibus nolebant ſe confirmare Chriſtiani cum ritu Eccleſiæ Romanæ; nam cæteræ ſequebantur Decretum Romani Pontificis: Vnde noluerunt de hoc condere canonem; ſed confecerunt decretum Patres Concilij, & ſcripſerunt Epiſtolam Synodalem ad Ægyptios, quam ex Theodoreto tranſcribit Baronius tom. 3. pag. mihi 290. & 91. cuius procemium eſt hoc: *Quoniam Dei gratiâ, & mandato Sanctiſſimi Imperatoris Conſtantini, qui nos ex varijs Prouincijs & Ciuitatibus in vnum congregauit, magnum, & ſanctum Concilium Nicænum coactum eſt: neceſſarium videtur, vt à toto ſancto Concilio litteræ ad vos mittantur, ex quibus poſſitis intelligere, tum ea quæ in controuerſiam adducta, & exquiſitè diſceptata ſunt, tum quæ decreta, & conſtabilita. Primùm impia, & peruerſa dogmata Arij, eorumque qui eius ſectam ſequuntur, coram Sanctiſſimo Imperatore Conſtantino perquiſita ſunt: Vnde placuit Concilio, communibus ſuffragijs anathema denunciare eius nefariæ opinioni &c.* Et poſtquam narrauit damnationem dogmatum Arrij, addit: *Quod autem ad omnium conſenſum de ſanctiſſimo feſto Paſchatis celebrando attinet: ſcitote, quòd veſtris precibus controuerſia ea de re ſuſcepta, prudenter & commodè ſedata eſt, ita vt omnes fratres, qui Orientem incolunt, quique Iudæorum conſuetudinem ante in eo feſto obſeruando imitari*

ſolent, iam Romanos nos, & omnes vos qui eundem morem quem nos in illo recolendo à primis temporibus tenuiſtis, ſint conſentientibus animis in eodem celebrando deinceps ſedulò ſequuturi. Hactenus Patres Nicæni in Epiſtola Synodali ad Ægyptios; quam ad Eccleſias Occidentales non ſcripſerunt; quia in ijs omnes firmiter ſequebantur nutum Romanæ Sedis.

7. Conſtantinus autem Imperator ad omnes Prouincias ſcripſit, eis intimans decretum illud de die Paſchatis *Statutum Decretum* (inquit cum Theodoreto Baronius ibid. pag. 286.) *conſenſione totius Concilij de tempore ſacri Paſchatis celebrandi, ſuis litteris ad omnes Eccleſias datis, voluit innoteſcere; ne ſcilicet Epiſcopi illi (erant hi Syri) qui ea longa conſuetudine tenerentur, nec ad Concilium conueniſſent, ſancto pioque Synodi decreto aduerſarentur, ac proinde in ſchiſmate remanerent. Vt igitur omnes aſſentirentur, ijs quæ magna conſideratione in S. Synodo definita eſſent, idem Imperator ad omnes Eccleſiarum Epiſcopos humanitate ac pietate plenas litteras dedit huiuſmodi.*

§. XVII.

Decretum Nicænum de Appellationibus ad Sedem Apoſtolicam, firmatur etiam alijs Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ teſtimonijs.

1. Firmatur, inquam; nam Caſſiodorus libro 4. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ tripartitæ cap. 6. inquit, *Euſebius, eiuſque conſortes, calum-*
„ *nias in Athanaſium factas Iulio Pontifici deſtinauerunt: Qui Eccleſia-*
„ *ſticam ſequens legem, etiam ipſos Romam venire præcepit, & Venerabilem*
„ *Athanaſium ad iudicium regulariter euocauit. Ille continuò euocatione*
„ *ſuſceptâ venit, calumniarum verò ſarcinatores Romam quidem profecti*
„ *non ſunt, ſcientes facilè ſuum poſſe capi mendacium*. Notat autem Spondanus ad an. 339. num. 1. eo anno Iulium hoc iuſsiſſe, & ſcripſiſſe. Tunc autem non dum fuerat celebratum Concilium Sardicenſe. Vnde regula illa Eccleſiaſtica, vel erat traditio Apoſtolica, vel erat tradita in Concilio Nicæno.

2. Poſtea eodem libro 4. cap. 19. narrans nouam tempeſtatem contra Athanaſium excitatam, inquit: Iulius Romanæ vrbis Epiſcopus co-
„ gnoſcens Arrianorum Inſidias, aduerſus Athanaſium machinatas,
„ poſtquam Euſebij ſuſcepit litteras, euocauit Athanaſium, cùm audiſ-
„ ſet locum vbi erat abſconſus. Interea ſuſcepit etiam litteras Ægyptio-
„ rum Epiſcoporum, aſſerentium falſa eſſe quæ contra Athanaſium di-
„ cebantur. Quo facto Iulius reſcripſit eis, qui fuerant in Antiochia

con-

congregati, culpans eos, primùm de iniurijs litterarum, deinde cur ſe ad Synodum ſuam non euocaſſent, canonibus nimirum inbentibus *præter Romanum nihil decerni Pontificem.* Concilium hoc Antiochenum, inquo depoſitus eſt Athanaſius, ponit Spondanus in Epitome Baronij anno 341. ad eum an. n. 3. Canones autem illi vel erant Apoſtolici habiti per traditionem, vel erant Concilij Nicæni: Nam Sardicenſe Concilium indictum eſt à Iulio an. 346. & celebratum an. 347.

3. Hoc ipſum conſtat ex Nicephoro Calixto lib. 9. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ cap.8. inquo ita ſcribit: Athanaſius autem Romæ agebat, Conſtante Conſtantini minimo natu filio toti Occidenti imperante. Venit eo Conſtantinopolitanus quoque Paulus, & Marcellus Ancyranus, propter eam quam diximus cauſam. Aſclepas etiam Gazæorum Epiſcopus, qui & ipſe quòd fortiter Arianis reſiſteret, accuſationem iudiciumque, quaſi ſacrificij aram euertiſſet, ſuſtinuit. Et ob id Epiſcopatum deponere coactus fuit, quem Epiſcopatum Quintinianus eſt conſequutus. Lucius præterea Adrianopolitanus eodem crimine delatus, & dignitate itidem ſpoliatus, Romam confugit. Horum cauſâ Iulius antiſtes Romanus cognitâ, quòd conſentientes ſibi de Nicænis decretis inuenit, communione eos eſt dignatus. Pro amplitudine autem ſedis ſuæ, ex veteri priuilegio & prærogatiua, perſuaſum habens, omnium vbique Epiſcoporum curam & iudicium ad ſe pertinere, datis cuique liberrimè ſcriptis literis, ſuas eis Eccleſias reddidit, eoſque in Orientem remiſit: eos, qui temerè illos exauthoraſſent, perſtringens, vt qui non recta ſequerentur conſilia, motuſque, & turbas Eccleſijs crearent, neque ſemel Nicææ factis Fidei decretis ſtarent. Ad hæc præcepit, vt quidam ex eis ad diem conſtitutum Romæ præſto eſſent, qui rectè ſententiam in condemnatos latam eſſe probarent. Sin minus, minas addidit, niſi à rebus nouandis deſiſterent, ſe ab eis ſacras exacturum pænas. Athanaſius, & qui cū eo erant, miſſis ad Orientales Epiſcopos literis, Eccleſias ſuas receperūt. Illi contumeliam eſſe rati Iulij obiurgationē, Antiochiæ congregati, de ſententia omnium, Epiſtolam ad eum miſere, luculenter quidem illam ſcriptam, ironijs autem aculeatiſque verbis refertam, forenſemque, & iudicialem in modum compoſitam, & quæ ſtyli vi, & grauitate minarum expers non eſſet. Hicuſque Nicephorus.

4. Ad hanc Epiſtolam videtur alludere S. Iulius, dum apud S. Athanaſium Apologiâ ſecundâ ad Imperatorem Conſtantinum, ſic ad Euſebianos reſcribit: *Legi Epiſtolam veſtram, quam mihi mei Presbyteri Elpydius, & Philoxomenus attulerunt: miſertuſque ſum . . . . . . Credite mihi, omnes admiratione pleni vix induci poterant vt crederent, iſtiuſmodi litteras à vobis profectas eſſe, in quibus rixandi potius, quàm charitatis affectus eminebat. Quod ſi ambitione eloquentiæ oſtentandæ, conſcriptæ ſunt ab eo qui dictauit, id certè ſtudium ad alios ſpectat; in rebus enim Eccleſiaſticis*

non

Digitized by Google

non ſpecimen eloquentiæ, ſed Canones Apoſtolici requiruntur, operáque dari ſolet, nequis ex paruulis in Eccleſia ſcandalizetur. Hæc S. Iulius in illa Epiſtola, quæ indubitatè eſt genuina & ſincera ipſius.

5. Conſtat ergo ex hiſtoria Eccleſiaſtica, Iulium Papam I. citaſſe Canones Nicænos vel Decreta Nicæna, declarantia, ex quacumque mundi parte poſſe appellari ad Romanam Sedem, & non poſſe Concilia congregari ſine eius authoritate. Et cùm manifeſtum ſit, hoc præſtitiſſe Iulium ſex annis ante annum 347. in quo celebratum eſt Concilium Sardicenſe; concluditur euidenter; Iulium non citaſſe Canones Sardicenſes pro Nicænis. Ex quo gradum facimus ad probandum, idem dicendum eſſe de Innocentio I. & Zoſimo, nimirum illos non per ignorantiam facti ſed veraciter citaſſe canones Nicænos.

6. Idque denuò firmatur ex ijs quę ſcribit Sozomenus lib. 3. cap. 10. *Animaduertens* (inquit) *Iulius, Athanaſium non poſſe tutò in AEgypto degere, eum quidem ad ſe euocauit. Ad Epiſcopos verò, qui Antiochiæ conuenerant (eorum enim tunc temporis acceperat epiſtolam) litteras ſcripſit, quibus eos accuſabat, quòd Concilij Nicæni fidem clanculò innouarent, & quòd præter Eccleſiæ leges, ipſum ad Synodum non vocaſſent: legem enim eſſe Pontificiam, vt pro irritis habeantur, quæ præter ſententiam Epiſcopi Romani fuerint geſta.*

7. Et quidem Iulium ea ſcripſiſſe, quæ referuntur in epiſtola increpatoria ad Orientales, conſtat ex Epiſtola ſincera & legitima ad Euſabianos, quam Athanaſius inſeruit ſecundæ ſuæ Apologiæ ad Conſtantium Imperatorem: nam Euſebianos reprehendens, quòd Concilium conuocaſſent ipſo inconſulto, & ſine ipſius authoritate, & in eo condemnaſſent Marcellum Epiſcopum Ancyræ, & Athanaſium Epiſcopum Alexandriæ; inquit (*Nam, ſi, vt dicitis, in culpa fuerunt, oportuit ſecundùm canonem, & non iſto modo iudicium fieri: oportuit ſcribere omnibus nobis, vt ita ab omnibus quod iuſtum eſſet, decerneretur. Epiſcopi enim erant, qui patiebantur, & non vulgares Eccleſiæ, quæ iſta patiebantur, ſed quas ipſi Apoſtoli ſuamet operâ ad fidem inſtruxerant. Cur igitur & in primis de Alexandrina ciuitate nihil nobis ſcribere voluiſtis? an ignari eſtis, hanc conſuetudinem eſſe, vt primùm nobis ſcribatur, vt hinc, quod iuſtum eſt, definiri poſſet? Quapropter ſi iſthic huiuſmodi ſuſpicio in Epiſcopum concepta fuerat, id huc ad noſtram Eccleſiam referri oportuit. Nunc autem nos, quos certiores minimè fecerunt, poſtquam iam egerint, quod libuit, ſuffragatores ſuæ damnationis, cui non interfuimus, eſſe volunt.* Hactenus S. Iulius.

8. Vnde Sozomenus lib. 3. hiſtorię cap. 8. narrat, Iulium vſum ſuprema authoritate, qua vt Vicarius Chriſti pollebat in omnes totius orbis Epiſcopos, reſtituiſſe in ſuas Sedes Athanaſium Alexandriæ, Paulum Conſtantinopoleos Epiſcopos iniuſte expulſos ab Euſebianis. *Quoniam propter ſedis dignitatem* (inquit) *omnium cura ad ipſum ſpectabat, ſuam vnicuique Eccleſiam reſtituit. Scripſit etiam Orientalibus Epiſcopis,*

repre-

reprehendens eos, quòd Marcellum Ancyræ, & Aſclepam Gazæ in ſupradictorum cauſis non rectè iudicaſſent, & quòd Eccleſiarum ſtatutum deturbarent, eo quod decretis Concilij Nicæni minimè acquieſcerent.

9. Eadem narrat Socrates lib. 2. cap. 15. loquens enim de præfatis quatuor Epiſcopis, & inſuper de Lucio Epiſcopo Adrianopolis, qui etiam à ſua ſede fuerat expulſus, inquit: *Accuſati & Eccleſijs ſuis pulſi, in vrbem regiam aduentant. Vbi cùm Iulio Romanæ Vrbis Epiſcopo cauſam ſuam expoſuiſſent, ille, qua eſt Romanæ Eccleſiæ prærogatiua, liberioribus literis eos communitos in Orientem remiſit, ſingulis ſedem ſuam reſtituens; ſimulque perſtringens illos, qui ſupradictos Epiſcopos temerè depoſuiſſent. Itaque illi Roma digreſſi, & Iulij Epiſcopi litteris freti, ſuas quiſque Eccleſias occuparunt, & epiſtolas ad eos, quibus ſcriptæ fuerant, miſerunt.*

10. Ex his allatis teſtimonijs confirmatum manet, agnitum & declaratum fuiſſe in Concilio Nicæno ius appellandi ad Sedem Apoſtolicam. Manet etiam confirmatum, non eſſe cenſendam ſuppoſititiam epiſtolam Iulij de qua ſupra, ex eo quòd in ea fiat mentio Canonis de prædicto iure appellandi, & de illegitimitate Conciliorum, quæ non fuerint congregata, & confirmata authoritate Romani Pontificis.

§. XVIII.

Soluuntur reliqua argumenta recentium Criticorum.

1. ARguit 2. Natalis Alexander illa diſſertatione 18. pag. 235. ad probandum Canones Nicænos fuiſſe duntaxat viginti, authoritate Theodoreti lib. 1. Hiſt. Eccleſiaſt. cap. 8. ſcribentis: *Epiſcopi rurſus in Concilium conuenientes, de adminiſtratione Eccleſiaſtica leges, ſeu Canones viginti conſcripſere.*

2. Tertiò ex Gelaſio Cyziceno lib. 2. cap. 31. vbi ad calcem Nicænorum Canonum ait: *Has viginti leges Sanctus ille Epiſcoporum conſeſſus in præſentia Deo chariſſimi & celeberrimi Imperatoris Conſtantini, de adminiſtratione Eccleſiaſtica ſcripſerunt.*

3. Quartò auctoritate Hincmari Rhemenſium Archiepiſcopi in Epiſtola ad Hincmarum Laudunenſem nepotem ſuum, in qua viginti duntaxat à Nicæna Synodo Canones aſſerit, hoc nixus argumento, quòd plures inſerti non fuiſſent Codici Eccleſiæ in Synodo Chalcedonenſi relicto.

4. Verùm hæc argumenta nihil contra nos probant, & ſolùm deſeruiunt ad confirmandum, quod nuper diximus, nimirum Patres Nicænos non redegiſſe in Canones omnes veritates, quas definierunt: nihil autem faciunt ad probandum, in Nicæno non fuiſſe agnitam & declaratam ſuperio-

perioritatem Romani Pontificis in reliquos Patriarchas, & in omnia Concilia; & ſtabilitum ius appellationis ad Romanam Sedem: ſicut non faciunt ad probandum, in Concilio illo non fuiſſe ſtatutum, vt Paſcha Reſurrectionis ſemper celebretur die Dominico.

5. At inſtabis cum eruditiſſimo Schelſtrate in antiquitate illuſtrata pag. 285. in fine; *Zoſimus Bonifacius, & Cæleſtinus Romani Pontifices,* licèt ab Afris inſtantiſſimè rogati, *non leguntur protuliſſe alios Canones præter illos viginti*. Ergo in Niceno Concilio non fuit definitum, vel declaratum ius illud appellationis, de qua facit mentionem Zoſimus in Monitorio, quod tradidit Fauſtino, & iſte præſentauit in Concilio Carthaginenſi.

6. Reſpondeo, ex illo antecedenti non inferri hoc conſequens: non enim ſequitur: *Non leguntur protuliſſe: ergo non protulerunt*: & multò minus: ergo in ſcrinijs ſuis non habebant ſtatutum aliquod, vel aliquam declarationẽ Synodalẽ de iure appellationum ad Romanam Sedem. Zoſimus Papa miſerat Fauſtinum, & alios duos ſocios cum monitorio illo; ſed quando anno 419. Legati iſti comparuêre coram Concilio Carthaginenſi, iam obierat Zoſimus qui illos miſerat, & ſolum ſederat annum vnum, menſes octo, & dies 25. ſiquidem die 28. Decembris anni 418. creatus eſt Pontifex Bonifacius Primus, ad quem Patres Africani direxerunt reſponſum litterarum, quas ad ipſos ſcripſerat Zoſimus. Quid autem reſcripſerit Bonifacius, ignoramus; ſed indubitatum videtur, quod tunc diligenter examinari iuſſerit ſcrinia Romanæ Eccleſiæ. Quod ſi Zoſimus per errorem & ignorantiam inculpabilem citauiſſet Canonem Sardicenſem pro Nicæno, vt contendit Illuſtriſſimus Marca, & alij recentiores poſt ipſum, ſtatim deprehenderetur error, & Bonifacius teſtaretur Africanis Patribus, extare Canonem Concilij Sardicenſis, quod etiam fuit generale; & vi illius Canonis planum eſſe ius illud appellandi ad Romanam Sedem ſtabilitum fuiſse in Concilio Sardicenſi, quod fuit appendix & complementum Nicæni; ac proinde firmum eſse ac inconcuſsum ius illud: & non eſt ſatis veriſimile, quod nulla huius atteſtationis manſiſset memoria, ſi reuera extitiſset in rerum natura. Quare credibile mihi eſt, Bonifacium confirmaſse atteſtationem ſui Prædeceſſoris, & manifeſtaſse Patribus Africanis, in ſcrinijs Romanis conſeruari ſtatutum Concilij Nicæni tranſmiſsum ad Silueſtrum Papam ab Hoſio Epiſcopo Cordubenſi, qui nomine eius præfuerat Concilio. Argumenta namque hucuſque facta ſatis probant, hanc prærogatiuam Romani Pontificis agnitam & declaratam fuiſse in Concilio Niceno: & videtur moraliter certum, quòd Legatus Silueſtri ſtatim tranſmiſerit ad ipſum illud caput, in quo hæc prærogatiua continebatur, & hoc caput conſeruatum fuiſse in ſcrinio Romano ſimul cum illis viginti canonibus, qui per vniuerſum orbem diffuſi ſunt. Et forſan quia poſtea Concilium Sardicen-

dicenſe idem ſtatutum retulit inter ſuos Canones, nimirum in ſeptimum, & hoc iam erat in tabulario Romano à viginti annis miſſo ex Nicęno; neceſſarium non fuit iterum ibi reponere: ſed additi ſunt Canonibus Nicænis viginti, quibus adiunctum fuerat caput illud, ſeu declaratio de iure appellationis ad Sedem Romanam, Canones Sardicenſes miſſi à Præſidibus illius Concilij: vel forſan caput illud de appellationibus miſſum ad Siluestrum ex Nicæa, conſeruabatur tempore Zoſimi ſeorſim à viginti Canonibus Nicænis, & his poſtea additi ſunt Sardicenſes. Quomodocumque res acciderit, hoc maneat ſtabilitum, veriſſimũ fuiſſe quod Zoſimus ſcripſit, in tabulario Romano extare Statutum Concilij Nicæni de appellationibus ad Romanam Sedem.

7. Obijcies 5. ex Hincmaro Remenſium Archiepiſcopo ad Hincmarum Lugdunenſem nepotem ſuum, Oſium Sedis Apoſtolicę Legatum in Synodo Nicæna, ex legibus Romanis, & veterum Epiſcoporum Decretis, varia collegiſſe capitula, quæ detulit ad Synodum; Synodo autem peracta, plura hinc inde vulgaſſe, & hinc eum in aliquorũ animos irrepſiſſe errorem, vt regulas illas ab Oſio collectas, Nicænos eſse Canones exiſtimarent. Qui addit, *hanc opinionem apud Maiores fuiſſe non incertam*. Quo poſito non infringitur vis argumentorum à nobis factorum; nam ex eo quòd à Patribus citentur plures Canones, pluraue ſtatuta, quàm illa viginti vulgaria, non infertur fuiſſe plura; ſed ſolùm infertur, regulas illas ab Oſio ſparſas, fuiſse per errorem ſuſceptas vt Canones Nicænos. Verùm cùm Hincmarus ad rem tam exoticam aſserendam nullum proferat fundamentum, audiendus non eſt.

8. Deinde incredibile eſt, quòd tantus vir, quantus fuit Oſius, qui primas partes habuit in Concilio Nicæno, illa capitula à ſe collecta venditarit pro Canonibus Nicęnis. Deinde cùm ex toto Orbe Chriſtiano adfuerint Epiſcopi in illo Concilio, quis credat tam enormem errorem potuiſse in totum mundum irrepere, & fidem inuenire. Qui voluerit breuiter ſcire, qualis vir fuerit Oſius, legat Binium in notis ad Concilium Eliberitanum apud Labbè tom. 1. columnn. 981. & Baronium ad ann. 357. n. 30. & ſequentibus.

Digitized by Google

SECTIO III.

Quamuis admitteremus, Canones, vel Statuta citata à S. Zoſimo in ſuo Monitorio, & lecta in Concilio Carthaginenſi Sexto, non fuiſſe Concilij Nicani, ſed Sardicenſis, ex illis efficaciter probaretur ſuprema authoritas, & conſequenter infallibilitas Romani Pontificis in determinandis Fidei & morum controuerſijs.

1. CÔncilium Sardicenſe habet capita, ſeu canones viginti vnum ſecundùm editionem primam Latinam apud Seuerinum Binium tom. 1. pag. 430. at iuxta ſecundam habet viginti tantùm apud eundem pag. 433. ſed ſubſtantia eſt eadem.

2. In capite vel Canone 4. hæc ad litterã habentur: *Hoſius Epiſcopus dixit: Quòd ſi aliquis Epiſcopus adiudicatus fuerit in aliqua cauſa, & putat ſe bonam cauſam habere, vt iterum iudicium renouetur; ſi vobis placet, Sancti Petri Apoſtoli memoriam honoremus, vt ſcribatur vel ab his, qui examinarunt, vel etiam ab alijs Epiſcopis, qui in Prouincia proxima morantur, Romano Epiſcopo. Et ſi iudicauerit renouandum eſſe iuditium, renouetur, & det iudices. Si autem probauerit talem cauſam, vt ea non refricentur, quæ acta ſunt; quæ decreuerit Romanus Epiſcopus, confirmata erunt. Si ergo hoc omnibus placet, ſtatuatur. Synodus reſpondit: Placet.*

3. In quinto habentur ſequentia: *Gaudentius Epiſcopus dixit: Addendum eſt, ſi placet huic ſententiæ, quam plenam ſanctitate protuliſtis: vt quum aliquis Epiſcopus depoſitus fuerit, eorum Epiſcoporum iudicio, qui in vicinis commorantur locis, & proclamauerit agendum ſibi negotium in Vrbe Roma; alter Epiſcopus in eadem cathedra, poſt appellationem eius qui videtur eſſe depoſitus, omnino non ordinetur, niſi cauſa fuerit in iudicio Romani Epiſcopi determinata.*

4. In ſeptimo verò habentur hæc: *Hoſius Epiſcopus dixit: Et hoc placuit, vt ſi Epiſcopus accuſatus fuerit, & omnes iudicauerint congregati Epiſcopi regionis ipſius, & de gradu ſuo eum deiecerint; ſi appellauerit qui deiectus videtur, & confugerit ad beatiſſimum Romanæ Eccleſiæ Epiſcopum, & voluerit ſe audiri; ſi iuſtum putauerit, vt renouetur examen, ſcribere his Epiſcopis dignetur Romanus Epiſcopus, qui in finitima & propinqua altera Prouin-*

Digitized by Google

Prouincia ſunt, vt ipſi diligenter omnia requirant, & iuxta fidem veritatis definiant. Quod ſi is qui rogat cauſam ſuam iterum audiri, deprecatione ſua mouerit Epiſcopum Romanum, vt de latere ſuo presbyteros mittat, erit in poteſtate ipſius quid velit, & quid æſtimet. Et ſi decreuerit mittendos eſſe, qui præſentes cum Epiſcopis iudicent, vt habeant etiam auctoritatem perſonæ illius, à quo deſtinati ſunt; erit in eius arbitrio. Si verò crediderit ſufficere Epiſcopos comprouinciales, vt negotio terminum imponant, faciet quod ſapientiſſimo conſilio ſuo iudicauerit. Hactenus Concilium Sardicenſe.

5. Quibus poſitis, probatur aſſumptio; nam Concilium Sardicenſe fuiſſe generale, ad illudque confluxiſſe pluſquàm trecentos Epiſcopos Catholicos ex triginta tribus Prouincijs Orbis Chriſtiani, euincit Bellarmin. lib. 2. de Roman. Pont. cap. 21. teſtaturque ſemper fuiſſe in Eccleſia receptum. Vnde ipſe Bellarm. eo lib. 2. cap. 25. verſ. *reſpondemus primùm*, inquit: *Non minor eſt Sardicenſis quàm Nicæni Concilij authoritas*: ipſique hæretici Synodum Sardicenſem legitimam fuiſſe agnoſcunt. Vt enim teſtatur Bellarmin. eo c. 21. verſ. *denique* totam hanc Synodum deſcripſerunt etiam Magdeburgenſes vt legitimam centuria 4. c. 9. Fuit autem celebratum hoc Concilium anno 347. ſub eodem Iulio I. nam vt ſcribit Binius tom. 1. Conciliorum pag. mihi 383. in notis ad vitam Iulij: Pontifex iſte anno Chriſti 336. 26. Octobris electus eſt, & anno Chriſti 352. pridie Idus Aprilis ex hac vita ad Dominum migrauit, reperitur ſediſſe annis 15. menſibus 5. diebus 17. Ita Baronius Vaticanos indices ſecutus. Fuit autem Iulius infenſiſſimus Epiſcopis Arrianis, qui Fidei Nicænæ Symbolum, *Conſubſtantialis* nomine expuncto, malitioſè vitiauerant. Ad hanc iniuriam, inquit Binius, à Capite Diuini Numinis, & Sponſæ illius Eccleſiæ propulſandam, Iulius Pontifex ſe talem defenſorem exhibuit, vt omnis eius Pontificatus in fide Nicæna tuenda, & Catholicis Epiſcopis, maximè autem Athanaſio defendendis, conſumptus fuerit. Fuit autem indictum hoc Concilium à Iulio potiſſimum, conſentiente, & adiuuante Imperatore, vt probat Bellarminus lib. 1. Concil. cap. 13. Hoc autem Concilium, vt teſtatur idem Bellarm. lib. 2. de Concil. cap. 8. *mox in duas partes diuiſum fuit*; & quidem vna pars, quæ erat Occidentalium 300. Epiſcoporum, cum quibus erant Legati Iulij Papæ, pro fide Catholica, & Athanaſio reſtituendo fuit, vt patet ex Hilario lib. de Synodis, & Athanaſio in Apologia ſecunda atque hanc partem confirmauit Leo IV. Altera pars fuit Orientalium 70. Epiſcoporum, qui ſeorſim conuenientes, fidem Catholicam, & Athanaſium condemnarunt. Fuit ergo hoc Concilium Vniuerſale, quia fuit conuocatum ex omnibus Chriſtiani Orbis Prouincijs, authoritate Summi Pontificis Iulij, eiuſque Legati illi interfuere; & qua parte continet illos Canones ſupra citatos, fuit confirmatum à Summo Pontifice: facit ergo authoritatem infallibilem non minus quàm Concilium Nicænum.

Digitized by Google

SECTIO IV.

Denuò ſtabilitur authoritas ſuprema & infallibilis Romani Pontificis ex Canone Sexto Concilij Nicæni, in quo, iuxta editionem veraciſſimam, recitatam à Vicario Sedis Apoſtolicæ coram Patribus Concilij Chalcedonenſis, & ab ipſis approbatam, & à Dionyſio Exiguo confirmatam declaratum eſt, Eccleſiam Romanam ſemper habuiſſe Primatum.

HVcuſque oſtendimus, ſtabilitum fuiſſe à Concilio Nicæno ius appellandi à ſententia Synodi ad Romanam Sedem, quamuis veritas iſta non contineatur in Canonibus modò extantibus. Oſtendimus inſuper, Concilium iſtud opere ipſo, & in actu exercito, profeſſum eſſe ſupremam authoritatem Romanæ Sedis in vniuerſam Eccleſiam. Nunc nobis oſtendendum eſt, hoc ipſum ſignatè declaraſſe in Canonibus illis vulgaribus, qui liberati ſunt à naufragio. Nam Canones Nicænos aliquot paſſos eſſe naufragium, manifeſtum cenſet Baronius tom. 3. pag. mihi 301. in fine. Et ſaltem Acta ipſa Concilij Nicæni perijſſe, eſt omnium indubitatum; vt videbimus infra. Antequam autem verba Canonis proferam, aliqua præmittenda ſunt.

§. I.

Præſupponuntur aliqua ad conficiendam probationem.

1. SVpponendum eſt primò, tranſlationem Nicænorum Canonum factam ex Græco in Latinum à Dionyſio Exiguo, qui floruit ab initio ſexti æræ Chriſtianæ ſeculi vſque ad annum 540. vt teſtatur Philippus Labbè, eſſe fideliſſimam; de illa namque ſic ſcribit Baronius tom. 3. ad annum 325. pag. 292. primę editionis Romanę: *Si fidelitas atque peritia in transferendo, & ſinceritas in edendo quàm maxima requiratur, nulla requiri poteſt editio exactior atque fidelior, quàm quæ elaborata eſt à magno illo, ſed cognomento exiguo Dionyſio, cuius eximiam in vtra-*

que

Digitized by Google

que lingua peritiam, & morum egregiam probitatem Caſſiodorus (cap. 23. diuin. inſtitution.) *dignis laudibus mirificè prædicat*.

2. Supponendum eſt ſecundò ex eodem Baronio ibidem; non poſſe afferri puriorem ac ſinceriorem editionem Canonum Nicęnorum ea, quæ, in Oecumenica Synodo Calcedonenſi in ampliſſimo Patrum conſeſſu ab Apoſtolicæ Sedis Vicario Paſchaſino Epiſcopo eſt recitata. Probat autem Baronius, ab vno eodemque exemplari tam Dionyſium tranſtuliſſe, quàm Paſchaſinum edidiſſe; *Cùm vtriuſque*, inquit, *eadem fermè ſit verborum complexio atque ſententia; niſi quod Dionyſius, qui poſtea vixit, eò liberius atque tutius antiquum ſecutus eſt exemplar, quod conſentaneum eſſe nouit editioni à Paſchaſino in Synodo Oecumenica factæ*.

3. Supponendum eſt tertiò, in Concilio Nicęno, quando actum eſt de Sedibus Patriarchalibus, non potuiſſe agi de Patriarchali Sede Conſtantinopolitana, quia nondum tunc erat fundatus Epiſcopatus Conſtantinopolitanus; imò nec ipſa ciuitas ſub hoc nomine: nam anno 25. Imperij Conſtantini, id eſt quinto anno poſt Concilium Nicęnum Conſtantinopolis dedicata eſt, vt ſcribit B. Hieronymus in Chronico.

4. Poſtquam autem Conſtantinopolis dedicata eſt, & eius ſplendor creuit, Epiſcopi Conſtantinopolitani ambire cœperunt, vt eorum Sedes eſſet Patriarchalis, & ſecundum locum inter Patriarchas haberet eius vrbis Epiſcopus, id eſt primum poſt antiquæ Romæ Epiſcopum; & fauore Imperatorum obtinuere anno 381. vt Patres Concilij Conſtantinopolitani primi ediderint hunc Canonem: *Conſtantinopolitanus Epiſcopus habeat prioris honoris partes poſt Romanum Epiſcopum, eò quòd ſit ipſa noua Roma*. Sed quamuis S. Damaſus hoc Concilium approbauerit quoad Decreta fidei, illud tamen Decretum noluit confirmare, ſed potiùs reſtitit, vt conſtat ex Epiſtola S. Leonis ad Anatolium, in qua loquens de hoc Decreto Conſtantinopolitani inquit: *Fruſtra quorundam Epiſcoporum profertur conſenſus, cùm tot annorum ſeries negauit effectum*.

5. Hanc prætenſionem renouarunt in Concilio Chalcedonenſi anno 451. ſub S. Leone, vt conſtat ex Actione 16. in qua Petrus Archidiaconus Conſtantinopolitanus coram Patribus Concilij acriter contendit, Epiſcopo nouæ Romæ eadem priuilegia eſſe tribuenda, quę conceſſa ſunt Epiſcopo antiquæ Romæ: reddebatque rationem: *Etenim Sedi ſenioris Romæ*, inquiebat, *propter imperium illius ciuitatis Patres conſequenter priuilegia reddiderunt. Et eâdem intentione permoti centum quinquaginta Dei amantiſſimi Epiſcopi, æqua Sanctiſſimæ Sedi nouæ Romæ priuilegia tribuerunt, rationabiliter iudicantes, imperio & Senatu Vrbem ornatam, æquis Senioris Romæ priuilegijs frui, & in Eccleſiaſticis, ſicut illam, maieſtatem habere negotijs, & ſecundam poſt illam exiſtere*.

6. Huic prætenſioni fortiter ſe oppoſuerunt Legati S. Leonis Pontificis Romani, Paſchaſinus, & Lucentius Epiſcopi, & Bonifacius Preſ-

byter,

Digitized by Google

byter, & inter alia Bonifacius dixit: *Beatiſſimus & Apoſtolicus Papa inter cætera hoc nobis mandauit, & ex chartula recitauit: Sanctorum quoque Patrum Conſtitutionem prolatam nullâ patiamini temeritate violari, vel imminui, ſeruantes omnimodis perſonæ noſtræ in vobis (quos vice noſtrâ tranſmittimus) dignitatem. Ac ſi qui fortè ciuitatum ſuarum ſplendore confiſi, aliquid ſibi tentauerint vſurpare, hoc quâ dignum eſt conſtantiâ retundatis.*

7. Poſtquam hoc mandatum Leonis Papæ legerat Bonifacius, *glorioſiſſimi Iudices* (inquit Concilium) *dixerunt: Vtraque pars Canones proponat.* Tunc autem Paſchaſinus protulit chartam, in qua afferebat verba Canonis extracta ex Archiuo Romanæ Eccleſiæ, & recitauit coram Patribus his verbis: *Trecentorum decem & octo Sanctorum Patrum Canon ſextus. Quòd Eccleſia Romana ſemper habuit primatum. Teneat autem & Ægyptus, vt Epiſcopus Alexandrinus omnium habeat poteſtatem, quoniam & Romano Epiſcopo hæc eſt conſuetudo.* Eademque & ferme „ eſt (inquit ex Baronio Spondanus ad annum 325. num. 33. imò & li„ berior verſionis Dionyſij verborum complexio atque ſententia, cùm „ ſic abſolutè habet. *Eccleſia Romana ſemper habuit primatum; mos autem antiquus perduret in Ægypto* &c. Verba Baronij formalia ſunt hæc pag. mihi 292. primæ editionis: *Ab vno, eodemque exemplari tam Dionyſium tranſtuliſſe, quàm Paſchaſinum edidiſſe apparet; cum vtriuſque eadem ferme ſit verborum complexio, atque ſententia.* Idque confirmatur ex ijs, quæ infra §. 6. num. 8. referemus ex Natali Alexandro tom. 8. pag. 286. teſtificante, Canonem illum in codice reſtrictiſſimo legi cum hac epigraphe: *Eccleſia Romana ſemper habuit primatum.*

8. Poſthæc recitauit Aetius verba Canonis Nicæni ſub hoc verborum tenore: *Regula ſexta trecentorum decem, & octo Sanctorum Patrum. Antiquæ conſuetudines teneant in Ægypto, vt Alexandrinus Epiſcopus omnium habeat poteſtatem, quoniam & Romano Epiſcopo hæc conſuetudo eſt.* Allegauit etiam in fauorem Epiſcopi Conſtantinopolitani Aetius Decretum Concilij Conſtantinopolitani primi.

9. Poſt allegationes hinc inde factas Patres Concilij ſententiam protulerunt, quæ ſub his terminis proponitur circa finem illius Actionis 16. *Ex his quæ geſta ſunt, & ab vnoquoque depoſita, perpendimus, omnem quidem primatum, & honorem præcipuum ſecundùm Canones antiquæ Romæ Dei amantiſſimo Archiepiſcopo conſeruari: oportere autem Sanctiſſimum Archiepiſcopum Conſtantinopolis nouæ Romæ eiuſdem Primatus honore frui.*

10. Contra hanc ſententiam Concilij reclamauit Lucentius Vicarius Sedis Apoſtolicæ, & dixit: *Sedes Apoſtolica nobis præſentibus humiliari non debet: et ideo quæcumque in præiudicium Canonum, vel regularum heſternâ die geſta ſunt nobis abſentibus, ſublimitatem veſtram petimus, vt circumcidi iubeatis: ſin aliàs, contradictio noſtra his geſtis inhæreat, vt noue-*

Digitized by Google

nouerimus, quid Apoſtolico, et totius Eccleſiæ præcipuo Epiſcopo, vniuerſalis Eccleſiæ Papæ referre debeamus; vt ipſe, aut de ſua Sedis iniuria, aut de Canonum euerſione poſſit ferre ſententiam. Ita in fine Actionis 16. Sanctus autem Leo hanc ſecundam partem ſententiæ annullauit, vt conſtat ex eius Epiſtola 25. ad Pulcheriam, in qua loquens de hac ſententia ait: *Conſenſionis Epiſcoporum, Canonum apud Nicæam conditorum regulæ repugnantes, in irritum mittimus, et per authoritatem Beati Petri Apoſtoli generali prorſus definitione caſſamus*.

§. II.

Conficitur ratio perſuadens authoritatem infallibilem Romani Pontificis ex eo, quod Concilium Nicænum declarauit: Eccleſiam Romanam ſemper habuiſſe Primatum. *Et Chalcedonenſe*: Omnem primatum, & honorem præcipuum Romano Pontifici conuenire.

1. EX hac hiſtoria habemus Concilium Nicænum Secundum ſinceram, & veridicam editionem recitatam in Concilio Chalcedonenſi à Paſchaſino Vicario Apoſtolico, declaraſſe in Sexto Canone, *quod Eccleſia Romana ſemper habuit primatum*. Habemus etiam Synodum generalem Calcedonenſem declaraſſe, *Omnem primatum, & honorem præcipuum ſecundùm Canones Romano Pontifici competere*. Hinc autem arguitur, Concilium Nicænum agnouiſſe in Pontifice Romano Primatum ſimpliciter in totam Eccleſiam, & primatum independentem, & diuerſum à primatu, quem agnouit in Eccleſia Alexandrina & Antiochena, qui ſolùm reſpiciebat ſuperioritatem in Epiſcopos illarum Prouinciarum. Id enim ſatis indicant verba Canonis illius, *Quòd Eccleſia Romana ſemper habuit primatum*; quibus abſolutè exprimitur Primatus Romanę Eccleſiæ ſine vlla reſtrictione, & limitatione, & non deſignando Prouincias, ad quas alligetur ille Primatus, ſicut deſignantur Epiſcopo Alexandrino Prouinciæ Ægypti, & non alię, vt circa eas exerceat Primatum. Nam poſtquam Canon declarauit, *Quòd Eccleſia Romana ſemper habuit Primatum*, addit immediatè: *Tenuit autem, & AEgyptus, vt Epiſcopus Alexandrinus omnium habeat poteſtatem* (ſcilicet omnium Epiſcoporum) *quoniam, & Romano Epiſcopo hæc eſt conſuetudo*. Nam Primatus ſimpliciter dictus, & ſine addito reſtringente ad hanc vel illam Prouin-

Digitized by Google

Prouinciam, eſt Primatus *in vniuerſam Eccleſiam*, qui eſt annexus Papatui, & Vicariatui Chriſti, vi cuius Papa eſt Monarcha ſpiritualis Eccleſiæ, vt in toto hoc opere demonſtratur. Quod magis exprimunt verba Concilij Chalcedonenſis. Quomodo enim verificaretur, Romanum Pontificem habere omnem Primatum, ſi non haberet Primatum ſupra omnes alios Eccleſię Prelatos, & poteſtatem iuriſdictionis in omnes illos? Quare hic Concilium Nicænum declarauit id, quod poſtea Auguſtinus Epiſt. 162. aſſeruit: *In Romana Eccleſia ſemper viguit Apoſtolicæ cathedræ Principatus*. Et quod teſtatus eſt Proſper lib. 2. de vocatione gentium, cap. 6. dicens: *Roma per Sacerdotij Principatum amplior facta eſt arce religionis, quàm ſolio poteſtatis*. Ipſumque Concilium Chalcedonenſe in epiſtola ad S. Leonem iterum profeſſum eſt, quod Actione 16. declarauerat, dum in illa epiſtola aſſeruit, *Romæ lucere Apoſtolicos radios, qui inde ſe ad omnes expandunt, & bona ſua cum cæteris communicant*.

§. III.

Quomodo exponenda ſint verba illa Canonis Sexti: Mos antiquus perduret in Ægypto, vel Lybia, & Pentapoli, vt Alexandrinus Epiſcopus horum omnium habeat poteſtatem, quoniam & Epiſcopo Romano parilis mos eſt.

1. QVisnam ſit iſtorum verborum ſenſus, declarauit primò Bellarm. lib. 2. de Romano Pontifice cap. 13. reiectis alijs expoſitionibus, & addens vix apparere vllam aliam probabilem: Vera expoſitio eſt (inquit) *Alexandrinum debere gubernare illas Prouincias, quia Romanus Epiſcopus ita conſueuit, id eſt, quia Romanus Epiſcopus ante omnem Conciliorum definitionem conſueuit permittere Epiſcopo Alexandrino regimen AEgypti, Lybiæ, & Pentapolis, ſiue conſueuit per Alexandrinum Epiſcopum illas Prouincias gubernare*. Hanc eandem expoſitionem maximè probauit Baronius ad an. 325. pag. mihi 292. & ex ipſo Spondanus in Epitome ad eum annum 34. Poſtquam enim retulit verba Canonis, prout recitata à Paſchaſino Vicario S. Leonis coram Patribus Concilij Chalcedonenſis, & retulit illa Concilij verba approbantia Canonem recitatum, *Perpendimus, omnem quidem Primatum, & honorem præcipuum*

puum ſecundùm Canones antiquæ Romæ Archiepiſcopo conſeruari ; ſubiungit.

„ 2. Quapropter tam ſecundum lectionem à Synodo approbatam, „ quàm Dionyſij verſionem, planiſſimus eſt Canonis ſenſus vt ſignifi- „ cet, ex Romanæ Eccleſiæ auctoritate, quę ſemper habuit in vniuer- „ ſa Eccleſia Pimatum, Epiſcopum Alexandrinum omnium Eccleſia- „ rum quæ ſunt in Ægypto, (cuius etiam appellatione continebantur „ Libya, & Pentapolis) habere poteſtatem; quoniam ſic moris fuit Epi- „ ſcopo Romano illi concedere ſiue quòd Romanus Epiſcopus conſue- „ uit per Alexandrinum Epiſcopum illas prouincias gubernare. Hanç- „ que legitimam, & germanam eſſe illius Canonis interpretationem, „ non ſolùm docet quòd Gelaſius Papa tres enumerans ab ipſo Petro „ Apoſtolo, vel Petri nomine inſtitutas Sedes, Romanam, Alexan- „ drinam, & Antiochenam, eas omnes tradit Sedes eſſe Petri, præci- „ puam verò eſſe Romanam, reliquas autem ita ei ſubiectas, vt vicem „ ipſius in ſuis prouincijs repræſentarent: ſed etiam quòd conſtet, po- „ ſteriores Sedes Patriarchales, eodem modo quo priores ab Eccleſia „ Romana inſtitutas, idem etiam iuris ab ea in ſuis diœceſibus obtinuiſ- „ ſe. Sic enim cùm Iuſtinianus Imperator patriam Iuſtinianam Primam „ honore Patriarchatus inſigniri curauit, in eius erectione hoç illi ex „ more priuilegium datum legitur, vt in ſubiectis ſibi prouinçijs locum „ obtineret Sedis Apoſtolicæ Romanæ, ſecundùm ea quæ definita eſ- „ ſent à Sanctiſſimo Papa Vigilio. Hactenus Spōdanus. Quamuis autem „ quis vellet in dubium reuocare illud de Verſione *Dyoniſij Exigui*; nobis ſufficit canonem ita habere ſecundum lectionem à Synodo Chalcedonenſi approbatam; & ex tabulario Romano à S. Leone miſſam per Paſchaſinum. Dubitari enim non poteſt fideliùs, & ſinceriùs ſeruatos fuiſſe Canones Nicænos in tabulario Romano, quam apud Græcos, inter quos reperiebantur multi infenſiſſimi hoſtes Sedis Apoſtolicæ.

3. Et hæc expoſitio eſt conformis Canoni Concilij Romani Quarti celebrati à S. Damaſo an. 382. vno ſcilicet anno poſt Concilium Conſtantinopolitanum, in quo Patres can. 3. decreuerunt, vt Epiſcopus Conſtantinopolitanus haberet ſecundum locum inter Patriarchas. Vt enim inquit Spondanus in Epitome ad an. 382. num. 4. „ In Collectio- „ ne Creſconianâ nobili antiquitate venerandâ Canon habetur in ea „ ſancitus de prærogatiua Sedium Patriarchalium: quarum *Prima*, inquiunt *Petri Apoſtoli Sedes S. R. Eccleſia, non habens maculam, neque rugam, neque aliquid eiuſmodi, non quidem vllis Synodicis Conſtitutis cæteris Eccleſijs prælata eſt, ſed Euangelicâ voce Domini Saluatoris Primatum obtinuit, dum Petro eius fundatori dixit, Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam &c. Secunda verò Alexandrina, quæ B. Petri nomine à Marco eius diſcipulo, atque Euangeliſta conſecrata eſt. Tertia autem Antiochena, eo quod illam idem beatiſſimus Apoſtolus, antequam*

ized by Google

Romam veniſſet, habitauerit, & illic primum nomen Chriſtianorum nouel-
„ *læ gentis exorditum eſt.* Hæc in Canone. Cuius quidem ſanciendi
„ occaſionem inde credimus emanaſſe, quòd Damaſus aliquid ſubodo-
„ ratus de Orientalium, quam diximus, audaci præſumptione in eri-
„ genda Eccleſia Conſtantinopolitana ſupra Alexandrinam; ex vniuerſi
„ ſententia Concilij iſta de legitima & antiqua Sedium prærogatiua,
„ palàm ſcriptis edere voluerit. Qua etiam occaſione, eadem illa Ge-
„ laſius Papa iterum ſcriptis prodidit in Romano Concilio, & aduer-
„ ſus Acacium Conſtantinopolitanum Epiſcopum eadem pertentantem
„ ſępius inculcauit.

§. IV.

Eiuſdem Canonis noua explicatio.

1. QVanquam magni iſti viri iudicauerint vix poſſe inueniri illius Canonis aliam expoſitionem probabilem; tamen cum venia tam inſignium virorum, mihi videtur paulò aliter poſſe Canonem illum explicari, diſtinguendo in Romano Pontifice munus Papæ & Summi Pentificis à munere Metropolitani & Patriarchæ: nam ille duo habet munera inter ſe abſolutè ſeparabilia; nimirum Vicarij Chriſti ſeu Summi Pontificis, quem Chriſtus loco ſui reliquit in terris ad præſidendum viſibiliter toti Eccleſiæ, & illam paſcendum veritate, & virtute, conſeruando veritatem fidei, & ſanctitatem legum & præceptorum. Ad quod munus pertinet leges vniuerſales ferre, Concilia generalia conuocare & confirmare, hæreſes damnare, Symbolum edere; dogmata credenda fidelibus proponere, dubia fidei reſoluere; & vno verbo diſponere ea, quæ ad totam Eccleſiam pertinent.

2. Et inſuper habet munus Metropolitani Romani, ſeu Archiepiſcopi, quo nomine illum appellat Concilium Chalcedonenſe Actione 16. & munus Patriarchæ Occidentis. Vi horum munerum habet aliquos Prælatos Epiſcopos, & Archiepiſcopos ſibi ſubiectos, aliquaſque regiones ſibi ſpecialiter ſubordinatas: & hanc ſpecialem authoritatem poſſet habere, quamuis non eſſet Summus Pontifex, ſicut alij Archiepiſcopi, & Patriarchæ habent aliquos Epiſcopos & Archiepiſcopos ſuffraganeos ſibi ſubiectos quoad multos caſus, & aliquod territorium ſibi ſubordinatum. Et ſimiliter potuiſſet Chriſtus inſtituere Summum Pontificem, qui non eſſet Epiſcopus patticularis alicuius Diœceſis, ſed ſolùm Paſtor Paſtorum, ſupra omnes Epiſcopos inuigilans, & leges vniuerſales condens, & decreta fidei proponens, & ſymbolum fidei edens.

3. Canon ergo ille habet duas partes. In prima, in qua declaratur, *Eccle-*

Digitized by Google

Eccleſiam Romanam ſemper habuiſſe Primatum, declaratur, de facto Summum Pontificatum ſemper fuiſſe coniunctum cum Epiſcopatu Romano; quia Diuus Petrus ex præcepto, vel ſaltem ex inſpiratione ſpeciali Chriſti, alligauit Summum Pontificatum Sedi Romanæ; vnde omnis, qui eligitur in Epiſcopum Romanum, hoc ipſo eligitur in Summum Pontificem, & Monarcham ſpiritualem totius orbis Chriſtiani.

4. In ſecunda parte præcipitur, vt ſeruentur Epiſcopo Alexandrino & Antiocheno præeminentiæ, & prærogatiuæ, quibus à tempore antiquo fruebantur; & in exemplar adducitur Epiſcopus Romanus, qui quatenus Archiepiſcopus antiquæ Romæ, vel Patriarcha Occidentis habet prerogatiuas, & ſuperioritatem ſupra aliquos Prælatos, ipſi vt Archiepiſcopo Romano, vel tanquam Patriarchę Occidentali ſpecialiter ſubordinatos; quas tamen non accipit ab hominibus, ſed immediatè à Deo, ſicut ab ipſo accipit immediatè Summum Pontificatum. Nam alij Epiſcopi & Patriarchæ accipiunt poteſtatem iuriſdictionis æternæ immediatè ab Epiſcopo Romano, non quatenus Epiſcopo Romano, ſed quatenus Summo Pontifice; at Epiſcopus Romanus cùm ſimul ſit Summus Pontifex, & à ſeipſo non poſſit accipere poteſtatem iuriſdictionis, nec habeat in terris ſuperiorem, à quo illam accipiat: neceſſe eſt vt poteſtatem iuriſdictionis Epiſcopalis, vel Archiepiſcopalis, vel Patriarchalis, accipiat immediatè à Chriſto, à quo accipit immediatè iuriſdictionem Papalem.

5. An hìc comparetur Epiſcopus Alexandrinus cum Romano, quatenus Archiepiſcopo ſeu Metropolitano, vel potius cum illo quatenus Patriarcha; ſeu an comparetur cum illo quoad iura Metropolitanica, vel potius quoad iura Patriarchica, non eſt pręſentis inſtituti diſputare. De hoc latè & eruditè diſputat Illuſtriſſimus de Marca, Sirmondus & alij. Satis nobis nunc eſt, comparationem non inſtitui cum Epiſcopo Romano, quatenus Papa, & Vicario Chriſti, cùm in hoc nulla ſit comparatio inter Epiſcopum Romanum, & vllum alium Epiſcopum; ſed comparationem eſſe cum illo, vel quatenus Archiepiſcopo ſeu Metropolitano, vel quatenus Patriarcha; vel cum illo conſiderato ſub vtroque munere. Quocumque modo res ſe habeat, ſcopus Concilij eſt pręcipere, vt Epiſcopo Alexandrino ſeruentur iura illa, quæ illi Sedi conceſſa fuerant à D. Petro, quando ei præfecit S. Marcum, & deinde per conſuetudinem tranſierant ad Marci ſucceſſores, ſiue attinerent ad illum vt Metropolitanum, ſiue ad illum vt Patriarcham; & in exemplum adducit Epiſcopum Romanum, in quo conſeruantur iura illa Patriarchę, quę à D. Petro in illum tranſiere, & immediatè conferuntur ipſi à Chriſto, & quę proinde in ipſo ſunt ex inſtitutione diuina, ac proinde immutabilia: in Epiſcopo autem Alexandrino erant de iure humano, vtpote conceſſa à Petro Summo Pontifice, & conſeruata cum dependentia à Sede Romana, à qua ex iuſta cauſa poſſent immutari.

6. Si dicamus Epiſcopo Alexandrino competijſſe munus ordinandi omnes Epiſcopos Ægypti, vel ſaltem, quòd nullus ordinaretur niſi ex eius commiſſione, & prerogatiuam conuocandi Archiepiſcopos & Epiſcopos Ægypti ad Synodum prouincialem, tunc prompta eſſet explicatio illius Canonis Sexti, *Alexandrinus Epiſcopus horum omnium habeat poteſtatem, quoniam Epiſcopo Romano parilis mos eſt*: nam Concilium iubet, vt ſeruetur honor iſte antiquus, qui habebatur Epiſcopo Alexandrino, vt niſi ab illo, vel de ipſius licentia nullus Epiſcopus poſſet ordinari, aut conſecrari; & in exemplum adducitur Romanus Epiſcopus, apud quem eſt in more, vt nullus niſi ab ipſo, vel de ipſius licentia conſecretur Epiſcopus in regionibus ſibi vt Patriarchę ſubiectis, vt patet ex vitis & Actis Pontificum Romanorum, quę habentur in tomis Conciliorum, in quibus hoc notatur; incipiendo à D. Petro, de quo dicitur: *Hic ordinauit duos Epiſcopos, Linum & Cletum, qui præſentialiter omne miniſterium Sacerdotale in Vrbe Roma populo, vel ad ſe venientibus exhiberent. Hic B. Clementem Epiſcopum conſecrauit* &c. Et poſtea de S. Lino dicitur: *Hic fecit ordinationes duas, Epiſcopos* 15. *Presbyteros* 18. Et de S. Clemente: *Hic fecit ordinationes duas per menſem Decembrem, Presbyteros decem, Diaconos duos, Epiſcopos per diuerſa loca quindecim*; & ſic de omnibus reliquis. Et conſtat moris eſſe Pontifici Romano Synodos Prouinciales conuocare; qui mos conuenit ipſi quatenus Patriarchę, & non pręcisè quatenus Papæ; nam ad illum vt Papam priuatiuè ſolum attinet conuocare Synodum generalem, quam ſcilicet non poteſt conuocare, niſi qui habuerit ſuperioritatem in omnem Eccleſiam; Prouinciales autem Synodos conuocare poteſt non ſolùm quatenus Papa, ſed quatenus Patriarcha.

7. Quod autem Epiſcopi Alexandrini habuerint hanc prærogatiuam, & Patriarchæ alij, colligitur ex octaua Synodo Oecumenica, quæ Canone 17. qui *de poteſtate Patriarcharum, & Metropolitanorum ad eos aduentu*, inſcribitur, ſequentia habet verba: *Sancta & vniuerſalis Nicæna prima Synodus, antiquam conſuetudinem iubet ſeruari per AEgyptum, & Prouincias quæ ſub ipſa ſunt, ita vt horum omnium Alexandrinus Epiſcopus habeat poteſtatem, dicens: quia & in Romanorum Ciuitate huiuſmodi mos præualuit: qua pro cauſa & hæc magna & Sancta Synodus tam in ſeniori, & noua Roma, quàm in Sede Antiochiæ ac Hieroſolymorum, priſcam conſuetudinem decernit in omnibus obſeruari: ita vt earum Præſules, vniuerſorum Metropolitanorum, qui ab ipſis promouentur, & ſiue per manus impoſitionem, ſiue per pallij dationem, Epiſcopalis dignitatis firmitatem accipiunt, habeant poteſtatem, videlicet ad conuocandum eos, vrgente neceſſitate, ad Synodalem Conuentum, vel etiam ad coercendum illos, & corrigendum, cùm fama eos ſuper quibuſdam delictis forſitan accuſauerit*. Et infra: *Conſueuerunt autem Metropolitani bis in anno Synodos facere, ideoque, ſicut dicunt, ad Patriarchale penitus non poſſe concurrere caput. Sed ſancta hæc & vniuerſa-*

by Google

uerſalis Synodus, nec Concilia, quæ à Metropolitanis fiunt, interdicens, multò magis illa nouit rationabiliora eſſe, ac vtiliora Metropolitanorum Concilijs, quæ à Patriarchali Sede congregantur; & idcirco hæc fieri exigit: à Metropolita quippe vnius quidem Prouinciæ diſpoſitio efficitur: à Patriarcha vero ſæpe totius cauſa Diæceſeos diſpenſatur.

8. Conſtat id etiã ex Actione IV. Synodi generalis Chalcedonenſis: nam cùm Epiſcopi Ægypti vrgerentur, vt ſubſcriberent Epiſtolę Dogmaticæ S. Leonis, atque damnationi Eutychetis, inducias ſibi dari poſtularunt, donec de hoc admonerent ſuum Primatem & Hierarchicum Epiſcopum Alexandrinum, cui erant ſubiecti, vt patet ex verbis, quibus huic ſanctæ Synodo ſupplicarunt. *De Epiſtola* (inquiunt) *Sanctiſſimi, & Deo amiciſſimi Archiepiſcopi Romani Leonis, ſciunt omnes Sanctiſſimi Patres noſtri, quia in omnibus expectamus ſententiam beati noſtri Archiepiſcopi: & petimus veſtram clementiam expectare Præſidis noſtri ſententiam, quia eum in omnibus ſequemur. Nam & Sanctiſſimi Patres, qui in Nicæa congregati ſunt, trecenti decem, & octo, hanc regulam dederunt, vt ſequatur omnis AEgyptiaca regio Archiepiſcopum magni nominis ciuitatis Alexandrinæ, & nihil abſque ipſo agatur ab aliquo ei ſubiacente Epiſcopo.*

9. Conſtat etiam ex Epiſtola Synodali Romanæ Eccleſiæ ſcripta anno 484. ad Clericos & Monachos Orientales, quam adducit Labbè tom. 4. col. 1124. in illa namque col. 1126. ſic habetur: *Quoties intra Italiam propter Eccleſiaſticas cauſas colliguntur Domini Sacerdotes, conſuetudo retinetur, vt ſucceſſor præſulum Sedis Apoſtolicæ ex perſona cunctorum totius Italiæ Sacerdotum, iuxta ſolicitudinem ſibi Eccleſiarum omnium competentem cuncta conſtituat, qui caput eſt omnium* &c.

10. Iam ergo patet ſenſus ſecundę partis illius Canonis, in qua ſic habetur: *Mos antiquus perduret in AEgypto, vel Lybia, & Pentapoli, vt Alexandrinus Epiſcopus horum omnium habeat poteſtatem, quoniam quidem Epiſcopo Romano parilis mos eſt*: id eſt, ad imitationem Epiſcopi Romani, qui quatenus Patriarcha, habet Occidentis Epiſcopatus ſibi ſpecialiter ſubiectos, & ad ipſum pertinet ordinare Archiepiſcopos & Epiſcopos, vel hoc munus committere alijs, qui loco eius hoc faciant; & conuocare Synodos particulares, & habere ſpecialem curam illius territorij, quod non eſt ſubiectum alijs Patriarchis.

§. V.

Reijcitur vt erronea ſententia eorum qui dicunt, Concilium Nicanum in eo Canone diuiſiſſe gubernationem totius Eccleſia inter Patriarchas, ſine ſubordinatione reliquorum ad Romanum.

1. VNnde reijcienda eſt tanquam omnino erronea expoſitio Caluini, Illyrici, Nili Theſſalonicenſis,& aliorum vel hæreticorum, vel Schiſmaticorum, qui dicunt Concilium Nicænum diuiſiſſe gubernationem totius Eccleſiæ inter Patriarchas, & Epiſcopo Romano deſignaſſe vnam portionem, eamque perexiguam, ac proinde vnumquemque ex illis habere poteſtatem ſuper regiones ſibi aſſignatas duntaxat, & in illis habere primatum; nec vllam poteſtatem iuriſdictionis habere Patriarcham Romanum ſuper reliquos. Vt enim docet veriſſimè Nicolaus I. in Epiſtola ad Michaelem, Concilium Nicęnum nihil ſtatuiſſe circa Romanam Eccleſiam, *quoniam poteſtas eius non ab hominibus, ſed à Deo eſt*; ſed tantùm ex forma Romanæ Eccleſiæ conſtituiſſe ſtatum aliarum Eccleſiarum. Non enim dixit Concilium: *Habeat Romanus Epiſcopus huius, vel illius regionis adminiſtrationem*; ſed tantùm ait: *Habeat Epiſcopus Alexandrinus curam AEgypti, & Lybiæ, quoniam Epiſcopus Romanus ita conſueuit.* Vbi manifeſtè apparet, deſignaſſe Eccleſiam Romanam vt regulam, & exemplar aliarum, & nihil circa ipſam diſpoſuiſſe. Vnde ex eo quòd Chriſtus Epiſcopo Romano ſubiecerit vt tali aliquas regiones, præcepit Concilium, vt ſeruentur iura antiqua alijs Eccleſijs, quæ mediante inſtitutione humanâ habent poteſtatem iuriſdictionis in multis Prouincijs.

Digitized by Google

§. V I.

Cur in editionibus Conciliorum deſiderentur illa verba Canonis Sexti: Eccleſia Romana ſemper habuit Primatum. *Vbi oſtenditur illa non fuiſſe appoſita vt titulum, ſed vt partem Canonis: & inde euinci infallibilitatem Romani Pontificis.*

1. MIrandum ſanè eſt, quod cùm tam manifeſtum ſit, Paſchaſinum Legatum S. Leonis allegaſſe illa verba tanquam verba Sexti Canonis Nicæni, & illa tanquam legitima fuerint approbata à Concilio, & confirmata per tranſlationem Dionyſij Exigui; nihilominus prætermiſſa ſint in editionibus Conciliorum. In nulla enim ex his ponitur Canon ille ſextus, prout lectus eſt in Concilio Chalcedonenſi: nam in omnibus editionibus deſunt illa verba initialia Sexti Canonis: *Quod Eccleſia Romana ſemper habuit Primatum*. Seuerinus Binius duas adducit verſiones. In prima ſic habet Canon ſextus: *Antiqua conſuetudo ſeruetur per Ægyptum, Lybiam, & Pentapolim, ita vt Alexandrinus Epiſcopus horum omnium habeat poteſtatem, quia & Vrbis Romæ Epiſcopo parilis mos eſt.* In ſecunda habet ſic: *Mos antiquus perduret in Ægypto, vel Lybia, & Pentapoli, vt Alexandrinus Epiſcopus horum omnium habeat poteſtatem, quandoquidem & Epiſcopo Romano parilis mos eſt.*

2. Philippus Labbè eaſdem eiſdem verbis refert; & primam dicit eſſe ex interpretatione Dionyſij Exigui: ſecundam ex interpretatione Iſidori Mercatoris.

3. Baronius cenſet inde accidiſſe, quod in alijs editionibus deſint illa verba, *Eccleſia Romana ſemper habuit Primatum*, quod exiſtimatum fuerit à Collectoribus, ſeu interpretibus Canonum, illa non eſſe verba Canonis, ſed eſſe Canonis titulum, & propterea prætermiſſa fuiſſe; quia cùm deſiderarentur in reliquis canonibus affixi tituli, ſuperfluè videbatur additus titulus ſexti Canonis, & propterea cenſuerunt eſſe omnino tollenda verba illa. Probat autem nouos editores Canonum in hac exiſtimatione deceptos fuiſſe, ac reuera illa verba non eſſe titulum Canonis, ſed initium, & partem eius. Primò, quia abſque eo exordio redditur, inquit, *ſenſus planè obſcurus, ac mutilatus, obque ſui ambiguitatem à Nouantibus in diuerſa diſtractus, & à Catholicis diuerſimodè interpretatus*. Si autem ſecundùm lectionem propoſitam à Legato in Concilio

Digitized by Google

cilio Chalcedonenſi legatur: *Quod Romana Eccleſia ſemper habuit Primatum*; & his iungatur quod ſequitur, ſiue vt Dionyſius ex Græco ſic in Latinum conuertit: *Eccleſia Romana ſemper habuit primatum, mos autem antiquus perduret &c.* eius canonis ſenſus haud abſtruſus eſt, vt conſtat ex dictis §. 3. Secundò probat verba illa, *Eccleſia* Romana ſemper habuit primatum, eſse partem Canonis, quia hoc ſenſu illum Canonem ſuſceptum fuiſse à Patribus Chalcedonenſibus illud manifeſtè demonſtrat, quod poſt eius recitationem Iudices dixerunt: *Ex his quæ geſta ſunt, & ab vnoquoque depoſita perpendimus, omnem quidem primatum, & honorem præcipuum ſecundùm canones antiquæ Romæ Dei antiquiſſimo Epiſcopo conſeruari &c.* Ergo planè cenſuerunt Concilium Nicænum in ſuo Canone declaraſse, *quod Eccleſia Romana ſemper habuit Primatum.*

4. Idque exinde vrgetur, quia manifeſtum erat, & ad oculum patebat, verba illa eſse coniuncta cum alijs; aliunde verò conſtabat reliquos Canones non habere titulum; ergo pronumerat iudicare, verba illa adiuncta reliquis illius Canonis ſexti, non eſse titulum, ſed partem Canonis: quia nulla poterat ſubeſse ratio, cur illi Canoni potius, quàm reliquis appoſitus eſset titulus: ergo certum eſt illa verba eſse partem Canonis.

5. Poſsumus nos addere àliud argumentum inde deſumptum, quòd quamuis Aëtius Archidiaconus Conſtantinopolitanus infenſus Eccleſię Romanæ prætermiſerit illa verba Canonis, *Eccleſia Romana ſemper habuit Primatum*; nihilominus nihil habuit quod opponeret Paſchaſino, qui illa verba citauerat tanquam verba principalia Canonis: id autem ſignum manifeſtum eſt, quod probè nouerat, Paſchaſinum fideliter citaſse Canonem. Nam ſi haberet fundamentum ad obijciendum Paſchaſino, illa non eſse verba Canonis, abſque dubio non taceret, ſed de falſitate illum argueret. Pręterea exemplaria Concilij Nicæni nuſquam extabant pleniora, & emendatiora, quàm in ſcrinijs Romanorum antiquorum Pontificum; nam quæ in Græcia erant, concremata fuerunt ab Arianis, teſte Athanaſio in epiſtola ad omnes orthodoxos, vt inquit Bellarm. lib. 2. de Romano Pontifice cap. 13. Cùm ergo Paſchaſinus Beati Leonis Legatus ex ſcrinijs Eccleſiæ Romanæ ſecum detulerit ad Concilium Chalcedonenſe Canonem illum ſextum Concilij Nicæni, ex mandato eiuſdem S. Leonis, vt eo vteretur ad defendendam authoritatem Eccleſiæ Romanæ contra ambitionem Græcorum; Conſequens neceſſariò fit, illum Canonem prout citatum à Paſchaſino, verè fuiſſe editum à Concilio Nicæno.

6. Idque etiam inde colligitur, quod cùm Concilium Chalcedonenſe, non obſtante reſiſtentiâ factâ à Vicarijs Leonis, renouaſset Decretum, vel Canonem tertium Concilij Conſtantinopolitani, quo ſtatuebatur, vt Epiſcopus nouę Romæ haberet primum honorem poſt Epiſcopum

ſcopum antiquę Romę; S. Leo hoc Decretum Concilij Chalcedonenſis annullauit, vt ſuprà notauimus, ſicut S. Damaſus annullauerat decretum Concilij Conſtantinopolitani. Nec Epiſcopi Conſtantinopolitani potuerunt conſequi titulum vel nomen Patriarcharum ante tempus Iuſtiniani Imperatoris, id eſt poſt annum Chriſti quingenteſimum: ex tunc autem tum Imperatorum operâ, tum Romanorum Pontificum tolerantiâ, cœperunt Epiſcopi Conſtantinopolitani in numero Patriarcharum haberi, vt probat Bellarmin. lib. 1. de Romano Pontifice cap. 24. Poſtea autem Pontifices Romani hanc prętogatiuam Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ contulere, vt inter Patriarchales haberet ſecundum locum, & præcederet Alexandrinam, & Antiochenam, quæ ſolę poſt Romanam ante tempora Iuſtiniani Imperatoris erant Patriarchales.

7. Ex his manifeſtè conſtat, Canonem Nicænum ſextum declaraſſe Primatum Romani Pontificis, ſecundùm veridicam, & authenticam editionem conſeruatam in ſcrinijs Eccleſiæ Romanæ tempore S. Leonis, & recitatam in Concilio Chalcedonenſi, & ab ipſo approbatam. Conſtat etiam Dionyſium Exiguum in ſua veraciſſima tranſlatione ſecutum fuiſse hanc editionem, vt probauit ſuprà Baronius, & annotat Alanus Copus in primo Dialogo, & inſuper teſtatur Bellarmin. lib. 2. de Romano Pontifice cap. 13.

8. Præterea vt notat Natalis Alexander tom. 8. pag. 286. legitur Canon pręfatus cum eadem epigraphe: *Eccleſia Romana ſemper habuit primatum*: in codice Illuſtriſſimi viri Claudij Hardij Senatoris Pariſienſis; in Foſsatenſi, in codice antiquiſſimo Henrici Iuſtelli, ex quo exhibetur pag. 284. Bibliothecę Canonicę, alijſque compluribus. Ergo certum eſt ex Concilio Nicęno, Eccleſiam Romanam ſemper habuiſse Primatum, & ex Concilio Chalcedonenſi omnem illi conſeruari Primatum, & pręcipuum honorem illi fieri. Ergo certum eſt ex ijs Concilijs, Romanum Pontificem in Eccleſia Dei, & in Eccleſiam Dei habere primatum, & ſupremam authoritatem: ergo certum eſt habere authoritatem infallibilem ad determinandas fidei & morum controuerſias. Nam in hunc finem præcipuè Chriſtus conceſſit Petro, & ſucceſſoribus eius Primatum in Eccleſia, vt per illum conſeruaretur vnitas fidei. Vt enim aiebat Cyprianus lib. de vnitate Eccleſiæ circa initium. *Primatus Petro datur, vt vna Chriſti Eccleſia, & cathedra vna monſtretur*. Ad quem finem eſſet inutilis Primatus, niſi haberet adiunctam infallibilitatem.

9. Denique cùm certum ſit, Chriſtum reliquiſſe hanc authoritatem infallibilem in ſua Eccleſia, vt in illa perpetuò duraret; neceſſariò infertur, reliquiſſe illam in aliqua Sede. In qua autem alia niſi in illa, quam voluit eſſe Sedem ſui Vicarij, nimirum in Eccleſia Romana? Quæ veriſſimè dicitur, ſemper habuiſſe primatum, quia illum non accepit ab hominibus, & per inſtitutionem humanam, ſed immediatè à Chriſto,

& per inſtitutionem diuinam, vt probauimus diſput. 1. & 2. & in decurſu totius operis ampliùs patebit.

SECTIO V.

Romani Pontificis ſuprema, atque adeò in definiendo infallibilis authoritas, probatur tertiò ex authoritate ſecundæ Synodi generalis, ſeu Conſtantinopolitanæ primæ. Vbi latè contra Dupinum demonſtratur, Primatum Petri, & Succeſſorum eius non eſſe ſolùm honoris aut dignitatis, ſed & poteſtatis & iuriſdictionis in Vniuerſa Eccleſia, & in Vniuerſam Eccleſiam.

POſtquam authoritate Concilij Nicæni ſtabiliuimus Romani Pontificis authoritatem, ordo doctrinæ poſtulat, vt eandem ſtabiliamus authoritate ſecundæ Synodi generalis, id eſt Concilij Conſtantinopolitani primi.

§. I.

Conficitur prima probatio ab authoritate huius Concilij: quia Patres illius Synodi faſſi ſunt, ſe authoritate Damaſi Papæ fuiſſe congregatos; ab illoque petierunt ſuorum Decretorum confirmationem: vnde opere ipſo proteſtati ſunt excellentiam Romani Pontificis ſupra omnia Concilia, eiuſque proinde in definiendo infallibilitatem.

1. QVòd Patres ſecundæ Synodi generalis, ſeu Concilij Conſtantinopolitani primi, faſſi ſint ſe congregatos fuiſſe ad illud Concilium

cilium authoritate Damaſi Papæ, conſtat ex epiſtola, ſeu libello Synodico à Concilio Conſtantinopolitano miſſo ad Damaſum Papam, quem tranſcribit Theodoretus lib. 5. hiſt. cap. 9. qui paulò poſt floruit, nempe anno 430. nam cùm anno 382. vocarentur à Damaſo Papa ad Concilium generale Romæ celebrandum; ipſi ſe excuſarunt, & ad ſe excuſandum ita Pontificem alloquuntur: *Eſt certè nobis in optatis, ſi poſſet fieri, Eccleſijs penitus relictis, veſtro deſiderio, aut neceſſario potiùs Eccleſiæ negotio inſeruire. Quis enim nobis dabit pennas, vt columbæ, & volabimus, & requieſcemus apud vos? Verùm quoniam hoc modo Eccleſiæ nuper renouatæ nudarentur, & res à pleriſque fieri omnino non queat, propterea quòd Conſtantinopoli, mandato literarum, ſuperiore anno à veſtra Reuerentia poſt Concilium Aquileienſe ad Sāctiſſimum Imperatorem Theodoſium miſſarum, ad iter duntaxat Conſtantinopolim vſque faciendum nos præparauimus, atque de hoc vno Concilio celebrando conſenſum Epiſcoporum, qui in prouincijs manſerant, vnà nobiſcum attulimus, idcirco neque longiore itinere opus eſſe expectabamus, neque de vllo alio omnino acceperamus, quàm Conſtantinopoli in vnum conuentum eſſet.*

2. Præterea Concilium iſtud congregatum fuiſſe authoritate Damaſi, conſtat ex Sexta Synodo Act. 18. teſtificante, ope Damaſi, & fauore Theodoſij coactam eſſe Synodum Conſtantinopolitanam, in qua Macedonij Hæreſiarchæ error damnatus eſt; ſic enim loquitur: *Macedonius, Spiritus negabat Deitatem, & dominium; eumque conſeruum prædicabat: ſed maximus Theodoſius Imperator, & Damaſus fidei adamas obſtiterunt; quorum ſolidam mentem aggreſſiones atque conflictus nullatenus ſauciarunt* &c.

3. Tertiò id probat Baronius ad annum 381. pag. 428. his verbis: *Sed huius quoque veritatis*, inquit, *vetera reperiuntur Eccleſiæ Romanæ monumenta, quibus res geſtæ Damaſi deſcribuntur, quæ in eadem Eccleſia Romana publicè recitari ſolebant: extant ipſa in noſtra Bibliotheca: ſed ne domeſticos teſtes citare videamur; habentur eadem in ſcripto codice vetuſto Vaticanæ Bibliothecæ, nec non in alio S. Mariæ Maioris, in quibus hæc ſcripta leguntur: ſententiam de damnatione Macedonij & Eunomij Damaſus confirmari præcepit etiam in ſancta ſecunda Synodo, quæ præcepto & authoritate eius apud Conſtantinopolim celebrata eſt.*

4. *At quiſnam de his potuerit dubitare, cùm conſtet abſque auctoritate Romani Pontificis eiuſmodi Synodos congregare minimè licuiſſe? cuius quidem veteris obſeruantiæ probatum antiquitus vſum Lucentius Apoſtolicæ Sedis Vicarius in Concilio Chalcedonenſi Actione 1. libera voce his verbis teſtatus eſt: Iudicij ſui ipſum*, nempe Dioſcorum *neceſſe eſt reddere rationem: quia cùm nec perſonam iudicandi haberet, ſubrepſit; & Synodum auſus eſt facere ſine auctoritate Sedis Apoſtolicæ; quod ritè numquam factum eſt, nec fieri licuit. Ita ipſe: ſed de his eſſe regulas Eccleſiaſticas & Patrum inſtituta, Paſchaſinus Legatus addit. Teſtatur & ipſe Damaſus* epiſtola ad Epi-

ſcopos Illyrici apud Theodoretum lib. 2. cap. 22. *nullius eſſe momenti decreta Synodi, cui ipſe per ſe, vel per legatos aſſenſum non præbuiſſet. Confirmat id Socrates* lib. 2. cap. 13. *prohibereque ait Eccleſiaſticum canonem, ne decreta abſque ſententia Romani Pontificis in Eccleſijs ſancirentur: quod & Sozomenus pariter atteſtatur* lib. 3. cap. 9.

5. Deinde hoc ipſum conſtat quartò ex titulo, præfixo Concilio Conſtantinopolitano in omnibus Conciliorum editionibus, qui vti videre eſt apud Binium, & apud Labbè eſt huiuſmodi *Concilium Conſtantinopolitanum Oecumenicum ſecundum approbatum, in quo centum & quinquaginta Epiſcopi, authoritate Damaſi Papæ, & Theodoſij ſenioris fauore congregati, Syagrio, & Eucherio Conſulibus, anno Domini* 381. *æra* 419. *Macedonianam hæreſim condemnarunt, fideique Nicenæ ſymbolum confirmarunt.*

6. Probatur quintò ex hiſtoria huius Concilij, quæ concinnata eſt ex Theodoreto, ex Socrate & Sozomeno, & habetur initio Actorum huius Concilij: ſic Hiſtoricus narrat apud Labbè tom. 2. col. 915. *Gratianus Auguſtus Theodoſium Imperij Collegam adſciuit, totique præfecit Orienti. Is Homouſianæ fidei religioſiſſimus cultor, Theſſalonicæ baptizatus publico cauit edicto, vt vniuerſæ gentes in eam fidem, quam de Patris & Filij & Spiritus Sancti vna Diuinitate ab Apoſtolo Petro Romanis traditam, Damaſus Pontifex prædicabat, ſublatis diſſidijs, & quæ in foro haberi ſolebant ea de re diſceptationibus conuenirent. Mox Conſtantinopolim profectus, vt Oecumenici Concilij præſidio damnatis hæreſibus, in vnam rectam fidem conſociaret Eccleſias, centum & quinquaginta Catholicæ Communionis Epiſcopos, Eucherio & Syagrio conſulibus euocauit non ſine Damaſi Summi Pontificis auctoritate: quod tum ex antiquis Romanæ Eccleſiæ monumentis colligere licet, tum ex his quæ in Concilio Chalcedonenſi actione prima contra Dioſcorum obiecta fuerunt.*

7. Quod autem Epiſcopi illi, qui interfuerunt Concilio Conſtantinopolitano, petierint à Damaſo ſuorum decretorum confirmationem, conſtat ex hiſtoria eiuſdem Concilij. Poſtquam enim explicuit, quomodo illi centum & quinquaginta Epiſcopi dogmata Catholica contra Macedonium, aliosque hæreticos ſtabilierint, addit apud Labbè col. 917. *Quâ fide ſanctiſſimè explicatâ, & nonnullis decretis, quæ ad Eccleſiæ pacem, & Epiſcoporum concordiam ſpectare videbantur, adiectis, domum rediere. Imperator autem ſeueriſſimis cauit legibus, vt quicunque à Niceno Conſtantinopolitanoque ſymbolo diſſentirent, Epiſcopatibus ſpoliarentur; nec modò non proueherentur ad alios, ſed ab Eccleſijs, ab vrbium mœnibus, ab hominum conſortio pellerentur. Qua de cauſa cùm per ciuitates tumultuarentur hæretici, apertiſque odijs ac ſeditionibus omnia permiſcerent, Theodoſius in Eccleſiæ pacem reſarciendam intentiſſimus, acceptis à Damaſo litteris, quibus Orientales Epiſcopos ad Romanam Synodum ex toto orbe terrarum cogendam inuitabat, ſuæ ditionis Epiſcopos, cuiuſcunque religionis ac*

ſectæ

ſecta forent, iterum Conſtantinopolim conuenire iuſſit. Et poſt pauca ſubiunxit Hiſtoricus.

8. *Hic Romanam profectionem ex Damaſi præſcripto Epiſcopis denuntiat Imperator. Illi, cum greges ſuos, præſertim quos ab Arianis tenebris & voragine nuperrimè liberarant, inter tot hæreticorum turbas atque inſidias deſerendos eſſe non putarent, tres Epiſcopos, Cyriacum, Euſebium, Priſcianum, legatos Damaſo miſerunt cum Synodicis litteris, quibus & cauſas, cur ad Vrbem vocati non adijſſent, explicarunt, & Oecumenicæ Synodi, quam anno ſuperiori Conſtantinopoli celebrarant, acta Romano Pontifici recognoſcenda obtulere: quæ ab eo confirmata ſunt. Quo ex tempore ea tamquam per Apoſtolicam Sedem approbata ſummæ ſemper venerationi fuere.*

9. Ergo Patres Conſtantinopolitani profeſſi ſunt, ad Romanum Pontificem, tanquam ad ſupremum controuerſiarum fidei Iudicem attinere recognoſcere Decreta fidei facta à Concilijs, & de illis vltimum iudicium ferre. Ergo profeſſi ſunt authoritatem Romani Pontificis eſſe ſupra authoritatem Conciliorum, ac proinde Summi Pontificis iudicium in materia fidei eſſe vltimum, & irreformabile; & per conſequens infallibile.

§. II.

Secunda probatio ex hoc Concilio: quia Patres Concilij Conſtantinopolitani tanquam quid certum ſuppoſuerunt, Romanum Pontificem habere in Eccleſia Chriſti abſolutè primatum.

1. S. Thomas in 4. diſt. 24. quæſt. 3. art. 2. quæſtiuncula 3. vt probet vnum Epiſcopum eſſe ſupra alium, adducit in primo argumento *ſed contra* ſequentem authoritatem ex Concilio Conſtantinopolitano: *Legitur*, inquit, *in Concilio Conſtantinopolitano: Veneramur ſecundum Scripturas, & Canonum definitiones; Sanctiſſimum antiquæ Romæ Epiſcopum primum eſſe & maximum Epiſcoporum; & poſt ipſum Conſtantinopolis Epiſcopum. Ergo vnus Epiſcopus eſt ſuper alium*. Hæc D. Thomas. Quæ tamen verba formalia in nulla editione Conciliorum inuenire potui. Nam Concilium illud ſecundum interpretationem Dionyſij Exigui apud Labbè tom. 2. col. 954. ſic concludit Canonem ſecundum: *Verumtamen Conſtantinopolitanus Epiſcopus habeat honoris primatum poſt Romanum Epiſcopum, propterea quòd Vrbs ipſa ſit iunior Roma*. In compilatione autem

Digitized by Google

autem Canonum facta ab Iſidoro Mercatore, Canon quintus eſt iſte apud Labbè col.959. *Conſtantinopolitanæ Ciuitatis Epiſcopum habere oportet primatus honorem poſt Romanum, Epiſcopum, propterea quòd ſit noua Roma*. Et ſecundum interpretationem Gentiani Herueti apud Labbè col.948. Canon tertius illius Concilii eſt iſte; *Conſtantinopolitanus Epiſcopus habeat priores honoris partes poſt Romanum Epiſcopum, eo quòd ſit ipſa noua Roma*.

2. Quare in nulla verſione reperiuntur verba illa, prout citantur à D. Thoma: Scholiaſtes verò S. Thomæ, qui fecit notas marginales, ſecutus verſionem Iſidori Mercatoris, citat pro illis verbis adductis à D. Thoma tanquam Concilij Conſtantinopolitani, Canonem quintum eiuſdem Concilij. Vnde conformiter ad doctrinam Concilij Nicæni, in Canone ſexto, addita doctrina Concilij Conſtantinopolitani canone nuper citato, & doctrina Concilij Chalcedonenſis Actione 16. Iuſtinus Imperator Nouella 131. tit. 14. cap. 2. ſic decreuit: *Sancimus ſecundum Eccleſiaſticarum regularum definitiones, Sanctiſſimum ſenioris Romæ Papam primum eſſe omnium Sacerdotum: Beatiſſimum autem Archiepiſcopum Conſtantinopoleos nouæ Romæ, ſecundum habere locum poſt Sanctam Apoſtolicam Senioris Romæ Sedem: omnibus autem alijs Sedibus præponatur*.

3. Sed quanquam in nulla verſione reperiantur verba D. Thomæ, nihilominus propoſitio D. Thomę neceſſariò infertur ex Canone illo, in quo Concilium vnum ſupponit, & alterum denuò ſtatuit. Supponit tum ex Canone Nicęno, tum ex Euangelio, & Scripturis, Epiſcopum Romanum, tanquam Succeſſorem D. Petri ſemper habuiſſe Primatum in Eccleſia Chriſti: Idem autem eſt habere Primatum ac eſſe maximum Epiſcoporum, ac ei ſummum honorem deberi. Et Canon ille prout citatus à D. Thoma alludit ad Canonem ſextum Nicænum, in quo declaratum eſt Romanam Eccleſiam ſemper habuiſſe primatum. Quare circa Primatum Romani Pontificis nihil denuò ſtatuit Concilium Conſtantinopolitanum, ſicut nec Nicænum aliquid diſpoſuit, vt oſtendimus ſectione præcedenti, nec aliquam prærogatiuam ipſi conceſſit, quam antea non haberet; ſiquidem Primatus eius eſt ex inſtitutione Diuina: quia dum Chriſtus Petrum conſtituit caput Eccleſiæ vſque ad finem mundi duraturæ; & ſummum Paſtorem ouilis ſui ſemper manſuri, hoc ipſo eandem prærogatiuam conceſſit omnibus Petri ſucceſſoribus, vt latè oſtendimus diſput. 1. & 2. Solùm ergo circa Primatum Romani Pontificis proceſſit ſupponendo tanquam rem omnino certam ex Euangelio, & ex Canone Nicęno, Romanum Pontificem habere Primatum ſimpliciter in Eccleſia Dei; ac proinde ſolùm proceſſit virtualiter declarando, & recognoſcendo authoritatem à Chriſto tributam Romano Pontifici in perſona Petri. Quoad Epiſcopum verò Conſtantinopolitanum proceſſit poſitiuè decernendo, & concedendo prærogatiuam, quam antea non habebat. Hoc tamen Decretum quantum ad id, quod de nouo ſta-

ed by Google

uo ſtatuit, approbare noluit S. Damaſus, & poſitiuè reprobauit, & irritum, & caſſum reddidit S. Leo, vt patet ex eius epiſtolis 51. 52. & 53. & conſtat ex epiſtola Gelaſij Papæ ad Epiſcopos Dardaniæ, & ex S. Gregorio lib. 6. epiſt. 125. Eccleſiam Romanam non niſi quæ in cauſa fidei ab hac Synodo eſſent decreta, recepiſſe.

4. Scio Cardinalem Baronium tom. 4. ad annum 381. pag. mihi 433. & 446. & ad annum 382. pag. 463. ſecundùm primam impreſſionem Romanam, bonis argumentis contendere, vel illum Canonem eſſe commentitium, vel poſt diſceſſum à Concilio Timothei Epiſcopi Alexandrini (in cuius Eccleſiæ præiudicium vergebat quòd Eccleſiæ Alexandrinæ Conſtantinopolitana præferretur) ſancitum fuiſse ab Epiſcopis Orientalibus, qui remanſerunt Conſtantinopoli, quorum ardens ſtudium fuit, vt Eccleſiam Orientalem etiam præferrent Occidentali. Sed quocunque modo hoc factum ſit; hoc certè conſtat, vi illius Canonis, & eorum, quæ à Patribus illis tunc decreta ſunt, effectum fuiſse, vt Epiſcopus Conſtantinopolitanus curaret Eccleſias non Thracię tantùm, & alias proximas, ſed Aſię quoque. Quamuis enim Damaſus Papa, alijque ipſius Succeſſores vſque ad Gregorij Magni tempora, hunc canonem non agnouerint, ſed cum Leone Magno irritauerint, caſſarintque: tamen Nectarius Patriarcha Conſtantinopolitanus, illius authoritate nixus, Exarchatum Epheſinum ad ſuam ſedem pertinere iudicauit, & ita introductũ eſt, quod Patriarcha Conſtantinopolitanus curaret Eccleſias Aſiæ.

5. Conſtat enim ex Actione XI. Concilij Chalcedonenſis, Epiſcopum Conſtantinopolitanum habuiſse ex tempore Concilij Conſtantinopolitani ſuperioritatem in Epiſcopum Epheſinum totius Aſiæ Minoris Metropolitanum. *Nam in Concilio Chalcedonenſi, vbi actum eſt de iure ordinationis Epiſcopi Epheſini totius minoris Aſiæ Metropolitani, proclamarunt clerici Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ, id ſibi ex huius Synodi canonę vendicantes: hæc enim ibi leguntur: Clerici Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ clamauerunt. Ea quæ Sanctorum Patrum centum quinquaginta ſunt, teneant priuilegia Conſtantinopolis, ne depereant: Ordinatio ſecundum morem ab Archiepiſcopo noſtro fiat*, ita ibi. Et ex Actis S. Chryſoſtomi, qui in Archiepiſcopatu Conſtantinopolitano ſucceſſit Nectario (qui electus fuerat ab ipſo Concilio in locum S. Gregorij Nazianzęni, qui liberè renunciauit Conſtantinopolitanę Sedi, vt ſecederet in ſolitudinem) Ex ijs Actis, inquam, conſtat, ipſum non ſolùm depoſuiſse Epiſcopum Epheſinum, ſed & alios plures Aſianos Epiſcopos, aliòſque in illorum locum ſubſtituiſse: quod ſanè tam ſanctus, ac tam ſapiens Vir non feciſset, niſi inueniſset hoc inductum à Nectarioui illius canonis. Et hoc argumento mihi eſt, Canonem illum fuiſſe factum à Synodo ipsâ, dum adhuc habebat authoritatem Synodi generalis; quia alioqui non auſus fuiſſet Chryſoſtomus ita extendere ſuæ Sedis authoritatem.

Quo-

ized by Google

6. Quomodocumque res ſe habuerit, certum omnino eſt, illum Canonem nec Baronio, nec vlli alteri potuiſſe apparere ſuſpectum, vel commentitium, propter id quod ſupponit de Epiſcopo Romano, ſed propter id, quod denuò tribuit Epiſcopo Conſtantinopolitano, Ergo certum etiam eſt ex Concilio Conſtantinopolitano, Epiſcopum Romanum habere Primatum inter omnes Epiſcopos Eccleſiæ Catholicæ. Ergo dum Concilium illud hoc cognouit, hoc ipſo cognouit, Epiſcopo Romano competere omnem authoritatem, quæ ex natura rei eſt annexa Primatui ſimpliciter, & abſolutè tali: At huic Primatui annexa eſt ſuperioritas in reliquos omnes Epiſcopos, & infallibilitas in determinandis fidei, & morum controuerſijs, vt breuiter oſtendi diſput. 1. ſect. 8. §. 4. & in hac diſp. ſect. 4. §. 6. Ergo virtualiter Concilium illud hanc authoritatem, & prærogatiuam agnouit in Romano Pontifice.

§. III.

Ex eo quod in Concilijs Nicæno, Conſtantinopolitano, & Chalcedonenſi declaratum ſit, Romanum Pontificem habere ſimpliciter Primatum, rectè probatur contra D. Ellies Dupin, Romanum Pontificem non ſolùm habere poteſtatem in vniuerſa *Eccleſia*, *ſed* in vniuerſam Eccleſiam:

1. D. Ellies Dupin Differt. 6. §. 1. pag. 384. circa finem aſſerit, Summum Pontificem *non habere poteſtatem in vniuerſam Eccleſiam, licèt habeat in vniuerſa Eccleſia*; ſed vice verſa Eccleſiam, poteſtatem habere in Pontificem. Vnde dicit habere primatum *in vniuerſa Eccleſia*, ſed *non in vniuerſam Eccleſiam*: & ſimiliter dicet, Romanum Epiſcopum inter alios Epiſcopos habere primatum, non tamen habere in alios omnes, dum ſunt coniuncti in Concilio, & Eccleſiam repræſentant.

2. Quæ doctrina ex dictis efficaciter impugnatur. Nam Primatus Romani Pontificis non eſt primatus ſolùm quoad honorem habendi primam Sedem in conſeſſu Epiſcoporum, qualem habet in quacumque ciuitate Parochus Eccleſiæ antiquioris & dignioris, qui præcedit alios in loco ſeſſionis; ſed eſt Primatus in iuriſdictione Eccleſiaſtica, quæ extendi debet ad omnes fideles. Nam cùm manifeſtum ſit Chriſtum reliquiſſe in Eccleſia ſua aliquam ſupremam poteſtatem Eccleſiaſticam, quæ

ſit

Digitized by Google

ſit ordinata ad gubernandam totam Eccleſiam neceſſe eſt, vt illa ſuprema poteſtas ſit ſupra omnes Fideles, & extendatur ad omnes, qui ſunt diſtincti à ſubiecto, in quo eſt illa poteſtas: nam in vnaquaque Communitate, Regno, & Prouincia, omnes ſubſunt ſupremæ poteſtati illius Communitatis. Probatum eſt autem diſp. 1. hanc ſupremam poteſtatem non fuiſſe relictam à Chriſto in Vniuerſitate omnium Fidelium, nec in Vniuerſitate omnium Epiſcoporum, ſed in vno quodam Epiſcopo, nempe in Petro, & Succeſſoribus eius. Idque euicimus ex teſtibus Euangelij ſecundùm litteralem eorum expoſitionem.

3. Certumque omnino eſt, hunc Primatum eſſe Primatum poteſtatis ſpiritualis, ſeu penes poteſtatem ſpiritualem: quod neceſſariò infertur ex eo, quod ſupponit ipſe Dupin, dum conuictus ex Euangelio, & ex doctrina Catholicæ Eccleſiæ, cuius filius eſt, fatetur tanquam veritatem Fide certam, *Summum Pontificem habere poteſtatem in vniuerſa Eccleſia*, id eſt poteſtatem ſpiritualem; nam temporalem, & Politicam non habet in vniuerſa Eccleſia, ſed ſolùm in illis partibus Italiæ, & Galliæ, quæ pertinent ad dominium temporale Romani Pontificis. Ergo habet poteſtatem ſpiritualem in ſingulis Regnis, in ſingulis Prouincijs, in ſingulis ciuitatibus, & in ſingulis caſtellis, & pagis totius Orbis Chriſtiani. Ergo habet poteſtatem in ſingulos fideles cuiuſcunque Regni, Prouinciæ, ciuitatis, caſtelli & pagi: quia non ſtat habere poteſtatem ſpiritualem in tota aliqua ciuitate; & non habere poteſtatem vllam in aliquem illius ciuem, nimirum poteſtatem præcipiendi, ligandi, atque ſoluendi. Ergo idem eſt habere poteſtatem ſpiritualem in vniuerſa aliqua ciuitate, ac habere poteſtatem ſpiritualem in vniuerſos eius ciues. Ergo idem eſt habere poteſtatem ſpiritualem in vniuerſa Eccleſia, ac habere poteſtatem ſpiritualem in vniuerſos filios Eccleſiæ, ſeu in vniuerſos fideles: at habere poteſtatem in vniuerſos fideles, idem eſt ac habere poteſtatem in vniuerſam Eccleſiam, cùm Eccleſia nihil aliud ſit quàm cœtus fidelium. Ergo hoc ipſo quòd Romanus Pontifex habeat poteſtatem in vniuerſa Eccleſia, habet etiam in vniuerſam Eccleſiam. Ergo ſibi contradicit Dupin, dum primum affirmans, negat ſecundum. Cùm ergo certum ſit, & de fide, Romanum Pontificem habere poteſtatem in vniuerſa Eccleſia; certum & de fide erit, habere poteſtatem in vniuerſam Eccleſiam.

4. Dices; vt verificetur Papam habere poteſtatem & primatum in vniuersâ Eccleſiâ; ſatis eſſe, quòd habeat poteſtatem & primatum in ſingulos fideles ſeorſim, & in ſingulos Prælatos, eiſque poſſit præcipere, & gladium ſpiritualem excommunicationis vibrare, quando opus fuerit: quamuis non habeat poteſtatem in omnes Prælatos ſimul ſumptos, quando ſcilicet ſunt congregati in Concilio generali: quod tamen erat neceſſarium, vt verè diceretur habere Primatum & poteſtatem in vniuerſam Eccleſiam. Verùm hoc effugium præcluſum manet totâ Diſp. I.

d by Googl

præſertim ſectione 7. Certum enim eſt, Romanum Pontificem eſſe Vicarium Chriſti, eſſe caput viſibile Eccleſiæ, eſſe Summum Paſtorem totius Orbis Chriſtiani. Vicarius autem Chriſti ſuperioritatem iuriſdictionis debet habere in omnes fideles etiam collectiuè ſumptos, ſicut Chriſtus habet à ſeipſo, & per modum Summi Pontificis proprijſſimi illam iuriſdictionem, quam nonniſi per Vicarium ſuum viſibilem vult exercere. Caput etiam ſuperioritatem habet, non ſolùm reſpectu ſingulorum membrorum corporis ſeorſim ſumptorum, ſed reſpectu omnium collectiuè, quatenus inuicem colligata, & vnita faciunt vnum corpus: & Paſtor habet ſuperioritatem, non ſolùm reſpectu ſingularum ouium ſeorſim, ſed reſpectu omnium collectiuè, ſeu reſpectu totius ouilis.

5. Præterea, cùm de fide ſit, Papam eſſe caput Eccleſiæ, & Epiſcopi coacti ad Concilium ſint ipſa Eccleſia repræſentatiuè; ſequitur neceſſariò Papam eſſe caput Concilij; ac proinde ſequitur habere poteſtatem & ſuperioritatem in Concilium, ſicut Caput habet ſuperioritatem in membra, & ſicut Paſtor habet ſuperioritatem in totum ouile. Vnde quàm certum eſt, Epiſcopos congregatos in Concilium eſſe *ouile* Chriſti, tam certum eſt debere recognoſcere Summum Pontificem vt Paſtorem & ſuperiorem, cui debent obedire, & cui non poſſunt præcipere. Quare in præſenti, vt dixi Diſputatione I. valet argumentum à *ſingulis* ad *omnes* collectiuè: ſinguli Prælati dependent à Romano Pontifice, eique ſunt ſubiecti: ergo omnes collectiuè dependent, & ſunt ei ſubiecti; alioqui Chriſtus non fundauiſſet gubernationem Monarchicam, ſed Ariſtocraticam, nec Romanum Pontificem reliquiſſet in terris tanquam Vicarium ſuum, ſed reliquiſſet Concilium tanquam Vicarium, Romanum verò Pontificem tanquam Vicarium & Miniſtrum Concilij; quod tamen ſine manifeſto errore affirmari non poteſt, vt conſtat ex Diſput. 1. ſect. 7. & ſect. 4. §. 2. & 3. Certum ergo debet eſſe, Romanum Pontificem non ſolùm habere poteſtatem & Primatum in vniuerſa Eccleſia, *ſed in vniuerſam Eccleſiam*.

6. Dum autem dicimus, Romanum Pontificem habere poteſtatem in vniuerſam Eccleſiam, Eccleſia ibi non poteſt ſumi, quatenus includens ipſum Romanum Pontificem tanquam caput ſuum; quia Pontifex non habet poteſtatem in ſeipſum: ſed vniuerſa Eccleſia ibi ſumitur pro toto corpore Eccleſiæ vt contradiſtincto à capite. Sicut cùm caput hominis dicitur præeminere toti corpori hominis, corpus ibi non ſumitur vt includens caput, cùm caput non præemineat ſibi ipſi, nec ſit altius, & ſuperius ſeipſo; ſed ſumitur corpus vt diſtinctum à capite. Papa ergo habet primatum poteſtatis in vniuerſa Eccleſia, & in vniuerſam Eccleſiam; quia cùm ſit caput Eccleſiæ viſibile, & ſummus Paſtor totius ouilis Chriſti, præſidet toti corpori, & toti ouili præficitur.

7. Ratio autem à priori, cur Romanus Pontifex debeat habere poteſtatem & Primatum in vniuerſam Eccleſiam, & non ſolùm in vniuerſa

Eccle-

Eccleſiæ, redditur optimè à D. Thoma in 4. diſt.29. quæſt.3. in reſponſione ad tertiam quæſtiunculam: *Quia vbicunque ſunt multa regimina ordinata in vnum, oportet eſſe aliquod vniuerſale regimen ſupra particularia regimina. Quia in omnibus virtutibus & artibus, vt dicitur in 1. Eth. cap.1. eſt ordo ſecundùm ordinem finium: Bonum autem commune diuinius eſt, quàm bonum ſpeciale: & ideò ſuper poteſtatem regitiuam, quæ coniectat bonum ſpeciale, oportet eſſe poteſtatem regitiuam vniuerſalem reſpectu boni communis; aliàs non poſſet eſſe colligatio ad vnum: & ideo cùm tota Eccleſia ſit vnum corpus, oportet, ſi iſta vnitas debet conſeruari, quòd ſit aliqua poteſtas regitiua reſpectu totius Eccleſiæ ſupra poteſtatem Epiſcopalem, quâ vnaquæque ſpecialis Eccleſia regitur: hæc eſt poteſtas Papæ. Et ideo qui hanc poteſtatem negant, Schiſmatici dicuntur, quaſi diuiſores Eccleſiaſticæ vnitatis. Et inter Epiſcopum ſimplicem, & Papam ſunt alij gradus dignitatum correſpondentes gradibus vnionis, ſecundùm quos vna Congregatio, vel Communitas includit aliam; ſicut communitas vnius Prouinciæ includit communitatem ciuitatis; & communitas Regni communitatem vnius Prouinciæ; & communitas totius Mundi communitatem vnius Regni.*

8. Hinc Vigilius Papa ad Pontificatum aſſumptus anno Chriſti 540. in epiſtola ad Eutherium, vel Electerium Epiſcopum, inquit: *Nulli vel tenuiter ſcienti, vel pleniter ſapienti dubium eſt, quòd Eccleſia Romana fundamentum & forma ſit Eccleſiarum, à quo omnes Eccleſias principium ſumpſiſſe, nemo rectè credentium ignorat: quoniam licèt omnium Apoſtolorum par eſſet electio, Beato Petro tamen conceſſum eſt, vt cæteris præemineret: vnde & Cephas vocatur, quia caput, & primus eſt omnium Apoſtolorum: & quod in capite præceſſit, in membris ſequi neceſſum eſt. Quamobrem Sancta Romana Eccleſia, eius merito, Domini voce conſecrata, primatum tenet omnium Eccleſiarum: ad quam, tam ſancta Epiſcoporum negotia, atque querelæ, atque iudicia, quàm & maiores Eccleſiarum quæſtiones quaſi ad caput ſemper referendæ ſunt. Nam & qui ſe ſcit alijs eſſe præpoſitum, non moleſtè ferat aliquem ſibi eſſe prælatum. Ipſa namque Eccleſia, quæ prima eſt, ita reliquis Eccleſijs vices ſuas credidit largiendas, vt in partem vocatæ ſint ſolicitudinis, non in plenitudinem poteſtatis. Vnde omnium appellantium Sedem Apoſtolicam, Epiſcoporum iudicia, & cunctarum maiorum negotia cauſarum, eidem Sanctæ Sedi reſeruata eſſe liquet, præſertim cùm his omnibus eius ſemper ſit expectandum conſilium: cuius tramiti ſi quis obuiare tentauerit Sacerdotum, cauſas ſe non ſine honoris ſui periculo apud eandem Sanctam Sedem nouerit redditurum.*

9. Hinc etiam Illuſtriſſimus Petrus de Marca Archiepiſcopus Pariſienſis, in Diſſertatione de Primatu Lugdunenſi, & cæteris Primatibus num.6. ita ſcribit: *Sanè diffitendum non eſt, quin Primatus ad ſignificandam Apoſtolicæ Sedis dignitatem & authoritatem, ab antiquis vſurpatus fuerit, vt in Nouella conſtitutione Valentiniani Imperatoris. In lemmate quoque antiquæ interpretationis Latinæ manuſcriptæ Canonis ſexti Nicæni*, quòd

Eccleſia Romana ſemper habuit primatum: *quæ verba recitata ſunt ex Codice Paſchaſini in Concilij Chalcedonenſis actione 16. Vnde magiſtratus ab Imperatore delegati, rectè in eadem actione decreuerunt ex ſententia Synodi, conſeruanda eſſe Romæ Archiepiſcopo iuxta Canones* τὰ πρωτεῖα, καὶ ἐξαίρετον τιμήν, *id eſt, vt vertit ſtatim antiquus Interpres Concilij Chalcedonenſis*, omnem primatum & honorem præcipuum. *Quare non quemlibet primatum Romanæ Sedi aſſerunt veteres, cùm ipſi quoque Metropolitani primatu ſuo fruerentur; ſed præcipuum primatum in Eccleſia vniuerſa, &, vt loquitur eleganter Pelagius I. in epiſtola ad Sapaudum*, Apicem primatus, à Solis ortu vſque ad occaſum.

§. IV.

Illa propoſitio Dupini: Summus Pontifex non habet poteſtatem in vniuerſam Eccleſiam, *opponitur manifeſtè definitioni Concilij Florentini, & articulo 23. ſtabilito ab Vniuerſitate Pariſienſi contra errores Lutheri.*

1. CONcilium Florentinum eſſe legitimum & vniuerſale, ac proinde eius definitiones rem definitam facere de fide certam, poſtea in hac ipſa diſput. ſect. 11. conſtabit. Quòd autem propoſitio illa Dupini pugnet cum definitione iſtius Concilij conſtat; nam hoc Concilium in Decreto fidei ita habet: *Item definimus Sanctam Apoſtolicam Sedem & Romanum Pontificem in vniuerſum orbem tenere primatum*. Nam ſi Romanus Pontifex habet Primatum in vniuerſum orbem; ergo habet Primatum in Vniuerſam Eccleſiam. At idem eſt habere Primatum in Vniuerſam Eccleſiam, ac habere poteſtatem in vniuerſam Eccleſiam, cùm Primatus Romani Pontificis ſit Primatus poteſtatis ſpiritualis. Ergo habet poteſtatem in vniuerſam Eccleſiam. Iudicet ergo prudens Lector, quam cenſuram Theologicam mereatur illa propoſitio Dupini: ego id iudicio Romanæ Eccleſiæ relinquo. Nam mereri aliquam, & quidem ex grauioribus, dubium mihi non eſt.

2. Arbitror Illuſtriſſimam Vniuerſitatem Pariſienſem omnino reprobaturam illam propoſitionem D. Dupin, vtpote repugnantem doctrinæ, qua conſtantiſſimè ſe oppoſuit Academia illa erroribus Lutheri; nam inter articulos Catholicæ doctrinæ, quos ex mandato Franciſci Primi Galliarum Regis compoſuit ad præſeruandam Galliam ab hæreſi Lutherana, vigeſimus tertius ab omnibus tenendus eſt iſte: *certum eſt, vnum eſſe iure Diuino Summum in Eccleſia militante Pontificem, cui omnes*

Chri-

Digitized by Google

Chriſtiani parere tenentur. Huic autem articulo repugnat propoſitio illa Dupini; nam ſi omnes Chriſtiani parere tenentur Summo Pontifici: ergo Summus Pontifex habet poteſtatem in omnes Chriſtianos; nemo enim tenetur obedire ei, qui nullam in ipſum habet poteſtatem. Quid eſt autem habere poteſtatẽ in omnes Chriſtianos, quàm habere poteſtatem in vniuerſam Eccleſiam Chriſtianam? Cum Eccleſia Chriſtiana vniuerſa aliud nihil ſit, quàm vniuerſitas fidelium, qui fidem Chriſti profitentur. Ergo Dupin affirmans Romanum Pontificem non habere poteſtatem in vniuerſam Eccleſiam, contradicit doctrinæ ſtabilitæ ab Vniuerſitate Pariſienſi tanquam omnino certæ, & ab omnibus credendæ.

§. V.

Detegitur ampliùs abſurditas doctrinæ Dupini, quia affirmat Petrum non fuiſſe Paſtorem totius Mundi, niſi in eo ſenſu, in quo fuerunt cæteri Apoſtoli.

1. QVòd id affirmet, conſtat ex his, quæ ſcribit pag. 311. vbi præoccupans argumentum, quo ex Patribus probatur, Chriſtum commiſiſſe Petro omnes ſuas oues, tanquam Vicario ſuo in terris, reſpondet his verbis: *Nec refert, quòd nonnulli aiunt, Petro totius mundi oues eſſe commiſſas. S. Leo ſerm. 3. de Aſſumpt. Gregor. lib. 4. Epiſt. Theophilact. in cap. vlt. Ioannis, & ante hos Chryſoſt. homil. 87. in Ioannem & 80. ad populum Antiochenum, nec non in ſexta aduerſus Iudæos: cùm enim Petrus & reliqui Apoſtoli per totum orbem prædicandi poteſtatem accepiſſent, ita vt omnibus & ſingulis indefinitè, per vniuerſum orbem oues ſint commiſſæ, dici poſſunt totius orbis Paſtores: ſic Chryſoſtomus Timotheũ totius orbis Epiſcopum dici non veretur, & Paulum ſæpius, præſertim homil. 2. de Pauli laudibus. Itaque Petro totius orbis oues commiſſæ dici poſſunt, quia non vnius certi cuiuſdam regni, aut loci oues regendas accepit, ſed indefinitè totius mundi oues, ad quas ille accederet.*

2. Hinc manifeſtè conſtat 1. ex ſententia Dupini, non maiorem poteſtatem iuriſdictionis fuiſſe conceſſam Petro, quàm cæteris Apoſtolis. Hoc autem eſt planè falſum, vt conſtat ex hucuſque dictis, & ampliùs conſtabit ex dicendis. 2. conſtat ex ſententia Dupini, Petrum duntaxat quatenus Apoſtolum, & quatenus per vniuerſum orbem indefinitè miſſus eſt prædicare, dictum fuiſſe totius orbis Paſtorem, vnde cùm Romanus Pontifex non ſuccedat Petro in Apoſtolatu, ſed ſolùm in Epiſcopatu Romano & Papatu, ſequitur, Pontificem Romanum non eſſe totius ouilis Chriſti Paſtorem, nec habere authoritatem in omnes fideles, ſed

ſolùm

Digitized by Google

ſolùm eſſe Paſtorem Epiſcopatus Romani; nec enim habet plus poteſtatis, quàm habuit Petrus quatenus Vicarius Chriſti, & quatenus caput Eccleſiæ. Si ergo iuxta Dupin. Petrus quatenus Vicarius Chriſti, & caput Eccleſiæ, qui eſt titulus proprius Petri, & non communis cæteris Apoſtolis, non fuit miſſus prædicare, ſed ſolùm quatenus Apoſtolus, qui eſt titulus communis omnibus Apoſtolis: ſequitur Romanum Pontificem non eſſe Paſtorem totius mundi, ſeu non habere poteſtatem in totum Chriſti ouile: quia Rom. Pontifex non ſuccedit Petro vt Apoſtolo; ſed vt Epiſcopo Romano, & Papæ, ſicut reliqui Epiſcopi non ſuccedunt Apoſtolis in munere Apoſtolatus, eiuſque prærogatiuis, ſed in munere Epiſcopali; & ideo certum eſt reliquos Epiſcopos non eſſe Paſtores totius mundi, ſed alicuius determinatæ diœceſis. Hoc autem eſt apertè abſurdum, quia eſt veritas Catholica Rom. Pontificem in totum orbem habere primatum, & eſſe totius Eccleſiæ caput, & habere poteſtatem ſpiritualem in omnes fideles, cui omnes obedire tenentur; primatus enim Romani Pontificis non eſt primatus ſolius honoris, ſed primatus authoritatis & poteſtatis in alios.

§. VI.

Reÿcitur ex dictis tanquam intolerabilis, & erronea doctrina Dupin, aſſerentis Chriſtum Dominum per illa verba, Paſce oues meas, *non inſtituiſſe ſpecialiter Petrum, Paſtorem & Doctorem totius Eccleſiæ.*

1. DOctor iſte Diſſertat. 4. cap. 1. §. 1. pag. 310. contra Bellarminum aſſerentem, Petrum illis verbis *Paſce oues meas*, inſtitutum eſſe Paſtorem & Doctorem totius Eccleſiæ, ſic inſurgit. *Quaſi verò*, inquit, *non idem omnes priuilegium olim habuerint Apoſtoli, & nunc etiam non habeant Epiſcopi omnes, qui dicuntur Eccleſiæ, ac proinde ouium Chriſti Paſtores. Sed ambiguitas latet in verbo* totius: *nam ſi collectiuè iſtud ſumatur & definitè, vt omnes omnino comprehendat, quaſi Petrus Paſtor fuerit vniuerſæ omnino Eccleſiæ, ſequetur non alios fuiſſe propriè Paſtores quàm Petrum, quòd falſum: ſi verò ſumatur indefinitè, vt ſumi ſolent propoſitiones huiuſmodi particulares, vt ſenſus ſit, ſi me amas, paſce oues meas, idem fuit munus cæterorum omnium Apoſtolorum, & id ipſe Petrus diſertè tradit Epiſt. 1. cap. 5. vbi ſeniores alloquens ipſe conſenior:* Paſcite, *inquit*, qui in vobis eſt gregem Dei. *Eodem ſenſu Apoſtoli omnes imò Epiſcopi & Presbyteri ſemper dicti ſunt Paſtores ouium Chriſti, quod notius eſt quàm vt probari debeat.*

2. Quod

2. Quod ſi illi obijcias, hoc eſſe diſcrimen inter Petrum & cæteros Apoſtolos, quòd ij partem tantùm ouium, ille omnes oues paſcat: *Reſpondeo* (inquit pag. 310. in fine) *id ex verbis Chriſti non effici: nam vt obſeruauimus, propoſitio illa, Paſce oues, eſt indefinita, & in Hiſtoria, vt à Dialecticis obſeruatur, plerumque particularis eſt, quemadmodum illa,* Milites plectentes coronam de ſpinis.

3. Quis non miretur à Doctore Catholico potuiſſe talia verba proferri? Certè qui illa legeret, ignorans Authorem, exiſtimaret fuiſſe prolata à Luthero vel Caluino, vel alio Hæreſiarcha; impingit enim in eundem lapidem, in quem Lutherus & Caluinus, & reliqui hæretici impegerunt, nimirum in authoritatem Romani Pontificis, quam ita deprimit, etiam in Petro, vt ſolam Primatus vmbram illi relinquat. Quid enim abſurdius, quid à mente Chriſti nobis per Patres, & Concilia expoſita alienum magis, quàm per illa verba *Paſce oues meas* intelligere aliquas tantùm oues, & non vniuerſam Eccleſiam.

4. Quærit Bellarminus lib. 1. de authoritate Romani Pontificis cap. 16. an per illa verba *Paſce oues meas*, intelligatur Eccleſia vniuerſa? & reſpondet ijs verbis: *Negant id Lutherani omnes, & præcipuè Lutherus*, libro de poteſtate Papæ, *Illyricus* in libro contra primatum Papæ, *Magdeburgenſes* centuria 1. lib. 2. cap. 7. col. 525. *Liber Smalchaldicus* de primatu Papæ, & *Caluinus* lib. 4. Inſtitutionum cap. 6. & 7. Et nos addamus: *Et nouiſſimè anno 1686. Ellies Dupin Doctor Sorbonicus*. Videat Dupin quos Magiſtros ſequatur. *Nobis autem* (ſubiungit Bellarminus) *exploratum certumque eſt, omnes omnino Chriſtianos, etiam Apoſtolos ipſos Petro tanquam ouiculas commendari, cùm ei dicitur*, Paſce oues meas.

5. Vt autem verbis Patris Ioannis Maldonati in hunc locum, Doctorem Dupin vrgeam; *Quæſo, cùm Chriſtus dicit*. Paſce agnos, Paſce oues meas, *quos agnos, quas oues intelligit? Dicam clarius, comprehendit cæteros Apoſtolos, an non? Qui id affirmauerint, multi & graues Authores reperiuntur, primùm Euſebius, quem modò loquentem audiuimus, deinde Cyprianus in libro de vnitate Eccleſiæ, quin & Authores Græci à Romano Pontifice, ſtudio nationis abhorrentes, Chryſoſtomus, & Euthymius; qui verò negauerit, præter Lutheranos, & Caluiniſtas nuper, repertus eſt nemo. Quorũ facillimè poteſt opinio refutari. Quid enim eſt* Paſce oues meas, *niſi paſce gregem meum, paſce Eccleſiam meam? quicunque ergo intra Eccleſiam erant, paſcendos illi tradidit, reliqui verò Apoſtoli extra Eccleſiã, vt opinor, non erant: Denique Chriſtus non dicit Petro, paſce has, aut illas oues, ſed* Paſce oues meas, *omnium ergo ſuarum ouium curam illi dedit*.

6. Hucuſque Maldonatus. Perpende verba illa, *Qui verò negaret, præter Lutheranos, & Caluiniſtas nuper, repertus eſt nemo*. Si modò ſcriberet Maldonatus, hæc non poſſet dicere, quia Doctorem Dupin, virum Catholicum inter Lutheranos vel Caluiniſtas numerare non poterat; citauerat paulò antè Maldonatus Euſebium Emiſſenum, qui in-

ſermone de natiuitate S. Ioannis Euangeliſtæ ſic locum illum Euangelij, *Paſce agnos meos, paſce oues meas*, exponit: *Priùs*, inquit, *agnos, deinde oues ei commiſit, quia non ſolùm paſtorem, ſed Paſtorem paſtorum eum conſtituit. Paſcit igitur Petrus agnos, paſcit & oues, paſcit filios, paſcit & Matres, regit & ſubditos, & Prælatos. Omnium igitur Paſtor eſt, quia præter agnos, & oues in Eccleſia nihil eſt.*

7. Eodem modo expoſuit S. Bernardus locum illum lib. 2. de conſiderat. ad Eugenium cap. 9. vbi egregiè explicat Romani Pontificis authoritatem. Alloquens enim Eugenium Papam inquit: *Indagemus adhuc diligentius quis ſis, quam geras videlicet pro tempore perſonam in Eccleſia Dei. Quis es? Sacerdos magnus: Summus Pontifex. Tu Princeps Epiſcoporum; tu hæres Apoſtolorum; tu primatu Abel, gubernatu Noë, Patriarchatu Abraham, ordine Melchiſedech, dignitate Aaron, auctoritate Moyſes, iudicatu Samuel, poteſtate Petrus, vnctione Chriſtus. Tu es, cui claues traditæ, cui oues creditæ ſunt. Sunt quidem, & alij cæli ianitores, & gregum paſtores: ſed tu tanto glorioſius, quanto, & differentius vtrumque præ cæteris nomen hæreditaſti: Habent illi ſibi adſignatos greges, ſinguli ſingulos: Tibi vniuerſi crediti, vni vnus. Nec modò ouium, ſed & Paſtorum tu vnus omnium Paſtor. Vnde id probem quæris? Ex verbo Domini. Cui enim non dico Epiſcoporum, ſed etiam Apoſtolorum, ſic abſolutè, & indiſcretè totæ commiſſæ ſunt oues?* Si me amas Petre, paſce oues meas. *Quas? Illius, vel illius populos ciuitatis, aut regionis, aut certi regni? Oues meas, inquit. Cui non planum, non deſignaſſe aliquas, ſed aſſignaſſe omnes? Nihil excipitur, vbi diſtinguitur nihil. Et fortè præſentes cæteri condiſcipuli erant, cùm committens vni, vnitatem omnibus commendaret in vno grege, & vno paſtore, ſecundùm illud*: Vna eſt columba mea, formoſa mea, perfecta mea. *Vbi vnitas, ibi perfectio. Reliqui numeri perfectionem non habent, ſed diuiſionem, recedentes ab vnitate. Inde eſt, quod alij ſinguli, ſingulas ſortiti ſunt plebes, ſcientes ſacramentum. Denique Iacobus, qui videbatur columna Eccleſiæ, vnâ contentus eſt Hieroſolyma, Petro vniuerſitatem cedens. Pulchrè verò ibi poſitus eſt ſuſcitare ſemen defuncti fratris, vbi occiſus eſt ille. Nam ille dictus eſt frater Domini. Porrò credente Domini fratre, quis ſe alter ingerat Petri prærogatiuæ? Ergo iuxta Canones tuos, alij in partem ſolicitudinis; tu in plenitudinem poteſtatis vocatus es. Aliorum poteſtas certis arctatur limitibus: tua extenditur, & in illos, qui poteſtatem ſuper alios acceperunt. Nonne ſi cauſa extiterit: tu Epiſcopo cælum claudere, tu ipſum ab Epiſcopatu deponere, etiam & Satanæ tradere potes? Stat ergo inconcuſſum priuilegium tuum tibi, tam in datis clauibus, quàm in ouibus commendatis.*

8. Hactenus Bernardus, non minus verè quàm eleganter. Et hic eſt communis Patrum ſenſus, & litteralis expoſitio illorum verborum, vt vidimus diſp. 2. ſect. 3. Vnde Cardinalis Toletus exponens ad litteram hunc textum annotatione ſeptima in caput 21. Ioannis inquit. *Omnium*

nium

nium fidelium nemine excepto Petro cura, & gubernatio committitur à Chriſto, eo tempore, quo ad Patrem aſcenſurus erat; manifeſtè ſignificans Vicarium eum in terra Eccleſiæ ſuæ inſtituere. Nec poſſunt Hæretici hoc tam euidens teſtimonium Pontificiæ authoritatis effugere: non enim Petro, ſed ſuæ Eccleſiæ conſulebat, vni totam ipſius gubernationem imponens. Vnde neceſſe eſt ſemper in Eccleſia vnum eſſe Pontificem, qui agnos, & oues gubernet: nec agni, aut oues Chriſti eſſe poterunt vnquam, qui non ſint ſub huius cura, & regimine.

9. Denique illa propoſitio Dupini in titulo huius paragraphi præfixa, clarè opponitur definitioni Concilij Florentini, quod in Decreto Fidei citato §. antecedenti declarat, *Romanum Pontificem eſſe totius Eccleſiæ caput, & omnium Chriſtianorum Patrem ac Doctorem: & ipſi in Beato Petro paſcendi, regendi, & gubernandi vniuerſam Eccleſiam à Domino noſtro Ieſu Chriſto plenam poteſtatem datam eſſe*. Conſtat enim ex dictis diſput. præcedenti, hanc prærogatiuam fuiſſe quidem promiſſam Petro per illa verba, *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram &c.* reipſâ tamen non fuiſse illi traditam, quouſque Chriſtus illi determinatè dixit, *Paſce oues meas*. Illum autem ſingulariter fuiſse allocutum, conſtat ex dictis diſput. 2. ſect. 3. §. 1. & 2. opponitur etiam definitioni Concilij Conſtantienſis, quatenus inconcuſse fuit generale, coaleſcens ex tribus obedientijs, & quatenus approbatum eſt à Martino V. nam vt conſtabit diſput. 17. §. 5. & 6. circa articulum 41. Ioannis Wiclef, & Ioan: Hus declarauit, quod ſit error *negare Primatum. Summi Pontificis ſuper alias Eccleſias particulares.* Ergo quamuis Concilium Conſtantienſe non definierit, Summum Pontificem habere Primatum ſupra Eccleſiā Vniuerſalem; definiuit tamen, habere primatum ſupra ſingulas Eccleſias in particulari. Ergo definiuit, Romanum Pontificem habere primatum ſupra ſingulos Epiſcopos in particulari: ergo definiuit habere poteſtatem ſupra ſingulos fideles. Ergo non partem ſuarum ouium tantùm commiſit Petro, & ſucceſſoribus eius, ſed totum ſuum gregem; ſeu omnes oues ſuas, nulla excepta. Vnde Dupin magis depreſſit poteſtatem Romani Pontificis, quàm Edmundus Richerius, qui in hiſtoria Conciliorum lib. 2. pag. 265. & lib. 3. pag. 582. ait, *Summi Pontificis Primatum ſuper particulares Eccleſias non negandum*.

Digitized by Google

§. VII.

Ex eo quod omnes Apoſtoli fuerint, & nunc omnes Epiſcopi ſint verè Paſtores, ſine vlla probabilitatis ſpecie intulit Dupin, Chriſtum per illa verba Paſce oues meas *non inſtituiſſe ſpecialiter Petrum* Paſtorem & Doctorem totius Eccleſiæ.

1. VT vidimus initio paragraphi præcedentis, Dupin inde arguit, illam propoſitionem, *Paſce oues meas* non ſumi definitè, collectiuè, & vniuerſaliter, vt idem ſignificet, ac *Paſce omnes*, ſed indefinitè, & particulariter, vt idem ſit ac *Paſce aliquas*; quia alioqui ſequeretur, non alios fuiſſe propriè Paſtores. Sed quàm debilis ſit hæc ratio, facilè apparet: quia non opponuntur hæc duo, Chriſtum ſcilicet commiſiſſe Petro, & eius ſucceſſoribus ſuperintendentiam, & ſupremam poteſtatem in omnes fideles, & vniuerſam Eccleſiam; & nihilominus voluiſſe vt darentur Paſtores particulares, qui immediatè paſcerent greges particulares, & gubernarent Eccleſias ſibi determinandas, & deſignandas à ſucceſſoribus Petri: cùm enim vnus homo non poſſit immediatè per ſeipſum inuigilare ſuper omnes regiones & populos, oportuit vt Chriſtus præter vniuerſalem Paſtorem, ad quem ſpectat ferre leges vniuerſales, & ſymbolum credendorum omnibus proponere, & media adhibere neceſſaria, vt omnes fideles eandem incontaminatam habeant Fidem, inſtitueret paſtores particulares, qui in partem miniſterij aſſumerentur à Romano Pontifice, ad quem ſpectat vnicuique deſignare portionem gregis, quam immediatè paſcere, & ſupra quam inuigilare debet: qui licet ſint verè & propriè Paſtores reſpectu ouium ſibi commiſſarum à Chriſto mediante deſignatione ſui Vicarij; ſunt tamen verè *oues* reſpectu ſummi Pontificis, quem Chriſtus conſtituit *Paſtorem Paſtorum*, vt ipſos etiam Paſtores dirigat & corrigat, ſi in munere ſuo Paſtorali deficiant. Vnde ſicut in exercitu magno non opponuntur hęc duo, quòd totus exercitus diuidatur inter multos Duces, quorum ſinguli portionem aliquam exercitus curent; & tamen quod detur vnus Imperator, & Dux generalis, à quo reliqui omnes dependeant, & qui ſupra totum exercitum habeat curam vniuerſalem. Ita in præſenti &c. Vnde ſicut Dux Generalis totius exercitus non dicitur Dux generalis per excluſionem aliorum Ducum, ſed per ſubordinationem aliorum ad ipſum:

ita

Digitized by Google

ita Summus Pontifex non dicitur Paſtor vniuerſalis totius Eccleſiæ, per excluſionem Paſtorum particularium, ſed per dependentiam & ſubordinationem aliorum ab ipſo, & ad ipſum. Non ipſe ſolus eſt Paſtor, non ipſe ſolus eſt Epiſcopus, quia ſunt alij Paſtores, & alij Epiſcopi, ſed ipſe tamen ſolus eſt Summus Paſtor, & Summus Epiſcopus; quia ipſe ſolus eſt Paſtor Paſtorum, & Epiſcopus Epiſcoporum, & ad ipſum ſolum pertinet deſignare reliquis territorium & diœceſim, & portionem gregis Dominici, cuius immediatam curam ſuſcipiant.

2. Hinc licèt tota Eccleſia dicatur à Cypriano lib. de vnitate Eccleſiæ, Epiſcopatus vnus, *Epiſcopatus vnus eſt* (inquit) *cuius à ſingulis pars tenetur.* Tamen, vt egregiè explicat Bellarminus, Epiſcopatus vnus eſt eo modo, quo multi arboris rami ſunt vna arbor, multi riui vna aqua, & multi radij vna lux, vt ibi Cyprianus dicit. Vnde ſicut in ramis, riuis, & radijs vnitas eſt ratione vnius capitis, ideſt vnius radicis, fontis, & Solis, licèt rami ipſi, riui, & radij multiplicentur: ita etiam Eccleſia vna eſt, & Epiſcopatus vnus in radice & capite, quamuis multæ ſint particulares Eccleſiæ, particulareſque Sedes & Cathedræ: quia quamuis huius Epiſcopatus magni à ſingulis Epiſcopis in ſolidum pars teneatur, Petrus tamen & ſucceſſores eius tenent eam partem, quæ eſt veluti caput, & radix, & fons: cæteri verò tenent alias partes, quæ ſunt veluti rami & riui. Eſt enim ille vnus Epiſcopatus vniuerſalis ſimilis corpori heterogeneo, non homogeneo; ex quo ſequitur, vt non eodem modo teneant ſinguli partem huius Epiſcopatus. Nam ſicut radix licèt ſit pars, vt eſt ramus, tamen ſuſtentat & regit ramos, & omnia quæ ſunt in ramis, ſunt etiam virtualiter in radice, non è contrario: ita etiam licèt Eccleſia Romana, & Epiſcopatus Romanus ſit pars Eccleſiæ vniuerſæ, & Epiſcopatus vniuerſalis; eſt pars per modum radicis, vnde dimanant reliqui Epiſcopatus vt rami. Ex eo ergo quòd Petrus, eiuſque ſucceſſor Romanus Pontifex ſit Paſtor vniuerſalis totius Eccleſiæ, non ſequitur quòd non ſint alij Paſtores particulares ipſi ſubordinati.

3. Vnde vtrumque certum eſt, nempe & dari alios Paſtores & Epiſcopos præter Romanum, & hunc eſſe principem omnium, & in omnes reliquos habere ſuperioritatem, & inter omnes & ſuper omnes habere primatum. Hinc Concilium Lugdunenſe generale ſecundum, in Conſtitutione de Summa Trinitate, & Fide Catholica, Eccleſiam Romanam appellat *Matrem omnium Fidelium & Magiſtram*. Et Siricius Papa in epiſtola ad Himerium, Romanam Eccleſiam *Caput Mundi* appellat. Innocentius epiſt. 22. & 91. *Fontem & Caput omnium Eccleſiarum*. Felix IV. epiſt. 1. & Pelagius II. epiſt. 1. *caput omnium Eccleſiarum*: & ſic loquuntur Ioannes II. epiſtola ad Iuſtin. Anaſtaſius II. in epiſt. ad Anaſtaſium Imperatorem, S. Leo in ſerm. de Natali Apoſtolorum: ſicque loquuntur communiter Sancti Patres Latini, & etiam Græci. Ergo ex eo quòd Chriſtus commiſerit omnes ſuas oues Petro, vt Paſtori ſupremo, &

Principi Paſtorum, perperam intulit Dupin, non fore alios Paſtores immediatos, & Petro ſubordinatos.

4. Legat Dupin D. Thomam in quartum diſt. 24. q. 3. art. 2. in tertia quæſtiuncula, & videbit ibi planam & dilucidam eius argumenti ſolutionem: nam contra veram ſententiam, quam S. Doctor defendit, quòd ſcilicet inter Epiſcopos ſit vnus, qui ſit ſuperior alijs, proponit primo loco hoc argumentum: *Omnes Epiſcopi ſunt Apoſtolorum ſucceſſores; poteſtas autem, quæ data eſt vni Apoſtolorum* (ſcilicet Petro) Matth. 16. *eſt etiam data omnibus Apoſtolis* Ioann. 20. *Ergo omnes Apoſtoli ſunt pares, & vnus non eſt ſuper alium.* Reſpondens autem ad hoc argumentum inquit: *Dicendum: quòd quamuis omnibus Apoſtolis data ſit communiter poteſtas ligandi, & ſoluendi, tamen, vt in hac poteſtate ordo aliquis ſeruaretur, primò ſoli Petro data eſt, vt oſtendatur, quòd ab eo in alios debeat iſta poteſtas deſcendere, propter quod etiam ei dixit ſingulariter*, confirma fratres tuos: *&* Paſce oues meas, *id eſt* loco mei. *Vbi Chryſoſtomus dicit: Præpoſitus & caput eſto fratrum, vt ipſi te in loco meo aſſumentes, vbique terrarum te in throno tuo ſedentem prædicent ac confirment.*

§. VIII.

Antiqui Patres conſtanter docent, Primatum & ſupremam authoritatem Romani Pontificis in vniuerſam Eccleſiam, eſſe neceſſarium ad vnitatem Eccleſiæ, & Fidei.

1. ET hanc rationem reddunt antiqui Patres. Imprimis S. Cyprianus in libro de Vnitate Eccleſiæ paulò poſt initium, vbi hæc habet: *Loquitur Dominus ad Petrum*: Ego tibi dico, *inquit*, quia tu es Petrus, & ſuper iſtam petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferorum non vincent eam. Et tibi dabo claues regni cælorum, & quæ ligaueris ſuper terram, erunt ligata & in cælis: & quæcunque ſolueris ſuper terram, erunt ſoluta & in cælis. *Et iterum eidem poſt Reſurrectionem ſuam dicit*: Paſce oues meas. *Super illum vnum ædificauit Eccleſiam ſuam, & illi paſcendas mandat oues ſuas. Et quamuis Apoſtolis omnibus poſt Reſurrectionem ſuam parem poteſtatem tribuat, & dicat*. Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos: accipite Spiritum Sanctum. Si cui remiſeritis peccata, remittentur illi; ſi cui tenueritis, tenebuntur: *tamen vt vnitatem manifeſtaret, vnam cathedram conſtituit, & vnitatis eiuſdem originem ab vno incipientem, ſuâ auctoritate diſpoſuit. Hoc erant vtique & cæteri Apoſtoli, quod fuit Petrus, pari conſortio præditi & honoris & poteſtatis, ſed exor-*

dium

dium ab vnitate proficiſcitur. Primatus Petro datur, vt vna Chriſti Eccleſia, & Cathedra vna monſtretur.

2. Hæc ibi Cyprianus in eo libro de vnitate Eccleſiæ, cuius ſcopus & propoſitum eſt oſtendere, in quo conſiſtat Eccleſiæ vnitas, & vnde petenda ſit; & docet eſſe vnam, quia inter Apoſtolos vni datus eſt Primatus, nempe Petro, qui conſtitutus eſt caput cæterorum, vt ex hac ſubordinatione aliorum ad ipſum Eccleſia vna, & cathedra vna veritatis exiſtat. Non enim eſſet vna, niſi omnes eius partes vnirentur in vno capite, ſicut rami vniuntur in vna radice, radij in vno Sole, & riuuli in vno fonte; quæ ſunt exempla, quibus vtitur S. Cyprianus ad hanc vnitatem explicandam. Idque etiam inde conſtat, quod vt explicet, in quo conſiſtat vnitas, initio libri ſtatim demonſtrat, vnde oriatur diuiſio & hæreſis: *Hoc eo fit,* inquit, *dum ad veritatis originem non reditur, neque caput quæritur, neque Magiſtri cæleſtis doctrina ſeruatur.* Et vt notat Iacobus Pamelius Cypriani Scholiaſtes in argumento illius libri, *illum ſcripſit Cyprianus occaſione Schiſmatis Nouatiani, vt ſuos Carthaginenſes deterreret, alioqui non multum ab illo abhorrentes, propter Nouatum & alios quoſdam ſuæ Eccleſiæ Presbyteros totius tragœdiæ Authores. Atque imprimis poſtquam aduerſus illorum inſidias communitos ad conſtantiam hortatus eſt, hæreſim cauſam eſſe docet, quòd caput Eccleſiæ non quæritur, Primatus Petri contemnitur, & cathedra atque Eccleſia vna, et vnus Epiſcopatus deſeritur.*

3. Denique in notis ad epiſtolam 55. pag. 12. probat, in eo libro de vnitate Eccleſię, loqui Cyprianum de ſolo Epiſcopo Romano: & ſubiungit: *Qui vel vnicus locus ita confirmat Pontificis Romani Primatum, vt non poſſit magis. Circumſtantiæ textus hoc loco, quæ arguunt de Romano loqui, & Summo Pontifice, ſunt imprimis teſtimonia præmiſſa ex Deuter. lib. 1. Reg. Euang. Ioannis, & Act. Apoſtolorum, quæ non niſi in Summos Pontifices Iudæorum quadrare nemini dubium eſt, atque adeò aptiùs ad Summum Pontificem Romanum referuntur. Deinde quòd loquatur de Iudice, qui vice Chriſti fungitur. Item quòd loquatur de vno Sacerdote, ſeu vno Epiſcopo in Eccleſia, quam appellationem tum ex Epiſtola Cornelij ſupra 48. tum ex alijs eius Epiſtolis, & lib. de vnitate Eccleſiæ Cyprianum ſatis conſtat non ſolere vſurpare, niſi de Summo Pontifice.*

4. Id ipſum docuit epiſt. ad Cornelium Papam, quæ incipit, *Legi litteras tuas,* quæ iuxta vulgatam editionem Manutij, in qua epiſtolæ Cypriani diuiduntur in quatuor libros, eſt epiſtola tertia libri primi, at iuxta editionem nouiſſimam, in qua epiſtolæ omnes ponuntur continuata ſerie ſecundùm ordinem temporis, in quo ſcriptæ ſunt, eſt epiſtola 55. nam columna 2. illius epiſtolæ expendens verba, quibus Paulus Act. 23. ſe excuſauit, quòd Ananiam Principem Sacerdotem vocaſſet *Parietem dealbatum, Neſciebam,* inquiens, *fratres, quia Princeps eſt Sacerdotum, ſcriptum eſt enim Principem populi tui non maledices:* expendens,

dens, inquam, Cyprianus hæc Pauli verba, inquit: *Cùm hæc tanta ac talia, & multa alia exempla præcedant, quibus Sacerdotalis authoritas, & poteſtas de diuina dignatione firmatur; quales putas eſſe eos, qui Sacerdotum hoſtes, & contra Eccleſiam Catholicam rebelles, nec præmonentis Domini comminatione, nec futuri iudicij vltione terrentur? Neque enim aliunde hæreſes obortæ ſunt, aut natæ ſunt ſchiſmata, quàm inde, quòd Sacerdoti Dei non obtemperatur, nec vnus in Eccleſia ad tempus Sacerdos, & ad tempus Iudex vice Chriſti cogitatur.* Conſtat autem Cyprianum intelligere Romanum Pontificem per illa verba, *nec vnus in Eccleſia ad tempus Sacerdos, & ad tempus iudex vice Chriſti cogitatur*. Loquitur enim de ſchiſmate Nouatianorum, qui non agnoſcebant Cornelium Pontificem.

5. Idem docuit S. Optatus Mileuitanus, qui centum annis poſt Cyprianum floruit, nempe anno 365. lib. 2. aduerſus Parmenionem, in quo contra Donatiſtas probat, ſolam Eccleſiam Catholicam per totum Orbem diffuſam eſſe veram Chriſti Eccleſiam, quæ *vna* eſſe debet: *Illud demonſtrare iam proximum eſt*, (inquit initio illius libri) *quæ ſit vna Eccleſia, quam columbam, & ſponſam ſuam Chriſtus appellat*. Poſt vnum folium, poſtquam dixit, Cathedram eſſe primam dotem, & ornamentum Eccleſiæ, ſubiungit: *qui & vbi prior Cathedra ſederit: ſi ignoras, diſce ... Igitur negare non potes, ſcire te in vrbe Roma Petro primo Cathedram Epiſcopalem eſſe collatam: in qua ſederit omnium Apoſtolorum caput Petrus: vnde & Cephas appellatus eſt: in qua vna Cathedra, vnitas ab omnibus ſeruaretur, ne cæteri Apoſtoli ſingulas ſibi quiſque defenderent: vt iam ſchiſmaticus, & peccator eſſet, qui contra ſingularem Cathedram, alteram collocaret. Ergo Cathedra vnica, quæ eſt prima de dotibus, ſedit prior Petrus. Cui ſucceſſit Linus, Lino ſucceſſit Clemens &c. Damaſo Siricius hodie, qui noſter eſt ſocius; cum quo nobis totus Orbis commercio formatarum, in vna communionis ſocietate concordat. Veſtræ Cathedræ vos originem reddite, qui vobis vultis ſanctam Eccleſiam vindicare*. Explicat egregiè hoc teſtimonium Optati Illuſtriſſimus Gabriel Albaſpineus, illæ quas Optatus *formatas* appellat, erant literæ, per quas Fideles abſentes inuicem communicabant. Ipſarum formam præſcripſit Concilium Nic: can: 18. huiuſmodi literas communicatorias omnes Epiſcopi ſingulis annis, aut etiam ſæpius ad Pontificem mittebant, ipſi etiam Epiſcopi per illas communicare ſolebant frequenter inter ſe.

6. Idem Scholiaſtes Optati in notis ad primum librum explicans verba illa Optati; *Nec Cæcilianus receſſit à Cathedrâ Petri vel Cypriani, ſed Maiorinus, cuius in cathedram ſedes, quæ ante ipſum Maiorinum originem non habebat*. Explicans, inquam, hæc verba pag. 119. *Vna eſt tantùm Cathedra*, inquit, *in Eccleſia, quam Petrus accepit à Chriſto, quamque ſingulis Epiſcopis communicauit, & ſingulis etiam nunc diebus communicat per Pontifices qui cum eo cenſentur, & ſunt vna eademque caro, &*

per-

Digitized by Google

perſona: hæc eſt antiquorum doctrina: meritò igitur vocat Cathedram Carthaginienſem, Cathedram Petri, quia Petrus eam genuit, vt loquitur Tertullianus.

7. Ideò autem dicit cathedram Parmeniani originem non habere, quia Parmenianus ſuccedebat Maiorino Epiſcopo Schiſmatico, Maiorinus autem nemini ſucceſſerat: vnde eius Cathedra erat adultera, falſa, noua, ſine Patre, & per ſchiſma genita & introducta. Quo argumento conuincitur, Cathedras Caluiniſtarum & Lutheranorum non eſſe ligitimas, quia cathedras illas Petrus non genuit, nec à Sede Petri originem ſe trahere poſſunt hæretici probare.

8. Hoc Optati teſtimonio opportunè vtitur Illuſtriſſimus D.D. Emanuel à Schelſtrate Bibiliothecæ Vaticanæ Præfectus in eruditiſſima Diſſertatione de Dignitate Patriarchali & Metropoliticâ aduerſus Decanũ Londinenſem; vt probet non eſſe veram Chriſti Eccleſiam apud eos Anglos, qui non communicant cum Cathedra Petri. Nam relatis Optati verbis, quæ nos deſcripſimus, ſubiungit: *Vera igitur fuit olim Eccleſia, quæ, cùm toto terrarum Orbe diffuſa eſſet, in vna Petri Cathedra vnitatem tenuit, & cum Romana Eccleſia, in ſignum vnius fidei & Religionis, commercio formatarum communicauit. Hæc Optati Mileuitani, hæc aliorum Patrum ſententia fuit, quam quia Donatiſtæ negare non audebant, Epiſcopum ſibi in Vrbe Roma conſtituerant, quem D. Auguſtinus à Rupe, vel Monte, in quo latitabat, Rupenſem & Montenſem dictum fuiſſe affirmat. Quodſi Pontificia authoritas tam manifeſta olim fuerit, vt à Schiſmaticis Afris aut ignorari, aut negari nequiuerit, qua ratione factum eſt, vt à vobis in Anglia nunc minimè agnoſcatur? An forſan ſequentibus temporibus adeò obliterata fuit, vt à maioribus veſtris, cùm ſe à Sedis Apoſtolicæ Communione ſepararunt, dignoſci non potuerit?*

9. Idipſum quod prius docuerat Optatus, docuit paulò poſt S. Hieronymus lib. 1. aduerſus Iouinianum, vbi hæc habet: *Super Petrum fundatur Eccleſia: & licèt idipſum alibi ſuper Apoſtolos fiat, & cuncti claues regni cælorum accipiant, & ex æquo ſuper eos Eccleſiæ fortitudo ſolidetur; tamen propterea inter duodecim vnus eligitur, vt capite conſtituto Schiſmatis tollatur occaſio.* Quia videlicet illa ſubordinatio cæterorum ad Petrum, & Petri Primatus ſupra cæteros, eſt omninò neceſſarius vt Eccleſia ſit vna, & fidei vnitas in omnibus membris conſeruetur.

10. Idipſum etiam docet in libro contra Luciferianos dicens, *ſalutem Eccleſiæ pendere à Summi Sacerdotis dignitate. Cui ſi non exors,* inquit, *quædam, & ab omnibus eminens detur poteſtas, tot in Eccleſia fiant ſchiſmata, quot Sacerdotes. Experientia certè ipſa nos docet, hæreſes ſolere ex ſchiſmate, ideſt, ſeperatione voluntariâ ab Eccleſia, atque adeò ab Eccleſiæ capite* (Romano ſcilicet Pontifice) *initium ſumere.*

11. Eſtque hæc doctrina adeo conſtans, inter Patres, vt illi tanquam indubitatæ ſubſcripſerit Gerſon tract. de ſtatibus Eccleſiæ tit. de ſtatu

Præ-

Prælatorum conſiderat. 3. ijs verbis: *ſtatus Epiſcopalis habet rationabiliter Monarcham ſupremum, ſcilicet Papam, ratione vnitatis Fidei, & Sacramentorum*. Quamuis aliunde iſte author cenſeat, Concilium generale eſſe ſupra Papam; cenſet quippe, ſine Monarchia ſpirituali, cui omnes Chriſtiani teneantur obedire, non poſſe ſaluari vnitatem Fidei, & Sacramentorum inter ipſos. Vnde P. Gregorius de Valentia tom. 3. diſp. 1. punct. 7. §. 16. explicans primam Eccleſiæ proprietatem, nempe quod ſit *vna*, dicit; eſſe communem ſententiam Patrum, quòd Eccleſia ſit vna ab vno Paſtore, ſeu Epiſcopo, *cui plebs Chriſtiana adunata cohæret*, vt loquitur Cyprianus lib. 4. Epiſt. 9. ad Florentium Papianum. Et poſtmodum ſubiungit: *Sed illud circa hanc Eccleſiæ proprietatem diligentiſſimè notari debet, Eccleſiam Chriſti non ob eam rem ſolùm, ab vnitate fidei & doctrinæ vnam eſſe ac dici, quoniam omnes, qui ſunt eius membra in eadem fide atque doctrina, quandiu quidem ſunt eius membra, conſentiant actu, ſed ob id inprimis ab vnitate fidei, & doctrinæ dicitur Eccleſia vna, quoniam modum atque rationem ipſa tenet accommodatiſſimam ad conſenſionem fidei, & doctrinæ tuendam.*

12. *Cur verò hæc Eccleſiæ proprietas ita neceſſariò debeat intelligi; ratio eſt in promptu clariſſima. Etenim ſi Eccleſiæ vnitatem in actuali tantùm doctrinæ fidei conſenſione, & non præcipuè in ratione ad conſenſionem accommodatiſſima poneremus: nihil omnino magnum Eccleſiæ Chriſti tribueremus, dum illam propter vnam atque eandem fidei doctrinam aſſerimus vnam eſſe. Sed neque poſſet Chriſti Eccleſia per eam notam ab hæreticorum conuenticulis vllo modo diſcerni. Quis enim vnquam fuit hæreticorum cœtus tam exiguus, in quo qui ad eum pertinuerunt (quamdiu pertinuerunt ad eum quidem) non fuerint actu de doctrina conſentientes? Etenim vbi primùm quis prudens ac ſciens ab alijs diſſentit, eo ipſo cenſetur à cœtu aliorum, qui ſecus ſentiunt, alienus.*

13. *Itaque hodie Lutherani, in publicis etiam ſuis ſcriptis, pro alienis ac planè pro hæreticis Caluinianos habent, & viciſſim Caluiniani Lutheranos: quia licèt in vna & eadem familia, cuius inſanum caput extitit Lutherus, omnes principio fuerint: tamen poſtea inter ſe de fidei doctrina diſſentire cœperunt.*

14. *Non igitur in actuali tantùm conſenſu: ſed inprimis in ratione aliqua optimè accommodata ad retinendum conſenſum vnitas Eccleſiæ Chriſti conſiſtit. Quod velim diligentiſſimè conſiderari ab ijs maximè, qui ſunt Sectarij, vel Lutheranis, vel Caluinianis addicti.*

15. Quapropter dum credimus in vnam Sanctam Eccleſiam Catholicam, credimus tanquam articulum Fidei primatum Petri, & Succeſſoris eius Romani Pontificis in vniuerſam Eccleſiam: Vt enim ſupra diſput. 1. ſect. 8. §. 4. aiebat P. Suarez: *hic eſt articulus tuendus non ſolùm tanquam de fide, ſed tanquam vnus ex præcipuis fundamentis fidei, & maximè neceſſarius ad tollendas hæreſes & ſchiſmata.*

§. IX.

Digitized by Google

§. IX.

Infertur ex dictis, quàm abſurda ſit ſententia Dupini circa Primatum Petri, & Succeſſorum eius.

1. Hic Auctor Diſſertat. 4. cap. 1. agit de Primatu Romani Pontificis, & in proœmio notat duplicem ibi quæſtionem ſub vna comprehendi : Primam de Primatu S. Petri inter Apoſtolos : Secundam de Primatu Eccleſiæ Romanæ inter Eccleſias. Primo agit §. 1. de primatu Petri ; & cùm retuliſſet loca Euangelij, ex quibus probare ſolent Doctores Catholici Primatum illum, contendit ex nullo ex illis textibus probari; & pag. 307. ſic ſuam mentem exponit: *Poſito, inquit, quòd hæc verba,* Et ſuper hanc petram, *à Chriſto de perſona Petri dicta ſunt, vt ego probabilius eſſe arbitror, nihil aliud ſibi vult Chriſtus, quàm Petrum ad ædificationem Eccleſiæ, hoc eſt fidelium conuerſionem, & Eccleſiarum adminiſtrationem plurimùm laboraturum. Ad ſummum igitur inde deduci poteſt, eum primum ac præcipuum fore inter eos, qui Euangelium erant enuntiaturi: at inde colligi minimè poteſt cum Bellarmino, Petro totius Eccleſiæ regimen eſſe commiſſum, præcipuè circa fidem.*

2. Et pag. 309. in fine ait, ſingulariter dictum Petro, *Tibi dabo claues Regni Cælorum, tum vt vnitas commendaretur, tum quia Primatum inter Apoſtolos obtinebat, hoc eſt primus erat Apoſtolorum.* Et ſtatim ſubiungit: *Itaque ex hoc loco Petrum inter Apoſtolos primum fuiſſe colligi poteſt, at tunc aliquid accepiſſe, quod cæteris Apoſtolis datum non ſit, inde inferri minimè poteſt.*

3. Reiectis verò argumentis, quibus Bellarminus & alij primatum Petri comprobant, aliunde primatum Petri ſtabilire conatur pag. 311. his verbis: *In omni hominum Collegio debet aliquis ordo ſeruari, & neceſſe eſt aliquem primum inter plures eſſe: haud igitur dubium, quin in Collegio Apoſtolico primus aliquis fuerit, ſed hunc Petrum fuiſſe, diſertè teſtantur Euangeliſtæ, qui cùm Apoſtolos enumerant, Petrum non modò ſemper primo collocant ordine, ſed primum fuiſſe affirmant.* Matth. cap. 10. Duodecim Apoſtolorum nomina hæc ſunt. Primus Simon, qui dicitur Petrus. *apud Marc. Euangelij cap. 3. Simon Petrus primus commemoratur, in multis exemplaribus Græcis* Πρῶτος *etiam dicitur, non ſecus apud Matth. Denique Lucas cap. 6. v. 14. electos à Chriſto Apoſtolos numerans, orditur à Petro: atque hinc ſatis luculenter conſtat Petrum inter Apoſtolos primum fuiſſe.*

4. Hæc Dupin ibi; vbi, vt vides, non concedit Petro inter reliquos Apoſtolos primatum poteſtatis & authoritatis, ſed duntaxat primatum honoris, quia primus in ordine Apoſtolorum numeratur.

Oo 5. Poſt-

Digitized by Google

5. Poſtmodum initio paginæ 312. inde probat Petrum ex inſtitutione Chriſti habuiſſe primatum; quia *Lucas de electione ipſius Chriſti loquens, Petrum primùm commemorat, quaſi primo loco electum; & Chriſtus hunc præ omnibus alloquitur, & curam ouium peculiariter ipſi commendat. Itaque negari non poteſt* (ſubdit Dupin.) *quin ex Chriſti inſtitutione Petrus fuerit primus. Cur autem hanc prærogatiuam ipſi Chriſtus conceſſerit, nemo certò definire poteſt.* Et ſtatim impugnat rationes, ob quas aliqui Petro tribuunt hanc prærogatiuam; & tandem concludit his verbis ibidem: *Sed nihil intereſt qua ratione motus Chriſtus, Petrum primum Apoſtolorum conſtituerit, ſufficit illud extra controuerſiam poſuiſſe, Petrum inter Apoſtolos primum locum obtinuiſſe viuente Chriſto. Nam breuiter oſtendo illum hunc etiam locum poſt eius mortem retinuiſſe. Conſtat id ex Actis, vbi cap. 1. commemorantur omnes Apoſtoli, & inter eos primus nominatur Petrus; primus ibi cæteros alloquitur, & quid ſit faciendum præſcribit: capite ſecundo primus omnium Apoſtolorum Chriſtum annuntiat, & iterum cap. 3. & 4. comitem habens Ioannem, ſolus tamen orationem habet, & pro ſe ac pro iſto reſpondet.*

Omitto quaſdam alias prærogatiuas, quas fusè digerit Bellarminus, nam ex iſtis nonnullæ ſunt gratis conficta, alia nihil omnino ad primatum pertinent. Hactenus ille. Ex quo conſtat ex mente Dupini non accepiſſe Petrum à Chriſto aliquam poteſtatem iuriſdictionis, quam alij Apoſtoli non acceperint, ac proinde non habuiſſe primatum authoritatis, & poteſtatis Eccleſiaſticæ.

6. Poſtea §. 3. illius capitis probat, nihil obſtare primatui Petri, Apoſtolorum inter ſe æqualitatem aſſertam à Cypriano, & Hieronymo: & relecto modo illo, quo Cardinales Caietanus & Bellarminus, P. Suarez & alij explicant ſuperioritatem Petri præ alijs Apoſtolis, ratione officij ordinarij Summi Pontificis, & capitis totius Eccleſiæ, quę ſuperioritas tranſit ad Pontifices Romanos ipſi ſuccedentes in munere illo; & æqualitatem cum alijs Apoſtolis explicant quoad prærogatiuas Apoſtolatus, quæ erant extraordinariæ, & non tranſitoriæ ad ſucceſſores Apoſtolorum in munere Epiſcopali, vt nos etiam explicuimus diſp. 2. ſect. 4. §. 12. & 17. Reiecto, inquam, modo illo, ipſe pag. 318. *Reſpondeo,* inquit, *æqualitatem illam Apoſtolorum nihil obſtare primatui, quia ſemper ille excipiendus eſt ab iſta æqualitate, nam, vt monuimus, plures eſſe non poſſunt primi, ſed vnum eſſe primum neceſſe eſt: cùm ergo haud dubium ſit, Petrum fuiſſe primum inter Apoſtolos, fieri non poteſt, vt illi fuerint ei æquales in primatu, æquales igitur ſunt, ſi ita vis, in omnibus, excepto Primatu, qui pluribus conferri non poteſt. Porrò teſtimonia in contrarium adducta hoc vnum probant, Apoſtolos in clauium adminiſtratione, fidei prædicatione, Eccleſiarum fundatione, poteſtate, authoritate æquales fuiſſe: at eos in primatu Petro æquales fuiſſe, nullus dicit, imo contrarium omnes dicunt ijs ipſis in locis, vbi æqualitatem Apoſtolorum maximè commendant.*

7. Vbi

7. Vbi, vt vides, Dupin expreſsè affirmat, Apoſtolos fuiſſe *poteſtate & authoritate* æquales. Vnde cùm certum ſit, nullum aliorum Apoſtolorum habuiſſe ſuperioritatem in reliquos Apoſtolos à ſe diſtinctos, quia certum eſt nullum fuiſſe ſuperiorem illo, quem Chriſtus conſtituit Principem, & caput reliquorum, nempe ſuperiorem Petro: Et cùm certum quoque ſit, illos non fuiſſe mutuò inuicem inter ſe ſuperiores & inferiores; certum erit iuxta Dupin, Petrum non habuiſſe ſuperioritatem in reliquos Apoſtolos, ac per conſequens authoritatem & poteſtatem. Hoc autem eſt planè falſum & abſurdum. Vt enim ſapienter inquit Caietanus in opuſculo de authoritate Papæ & Concilij cap. 4. hæc erat inter alias differentia inter Petrum & reliquos Apoſtolos, *quòd aliorum poteſtas iuriſdictionis non erat ſupra ſe inuicem, ſed ſuper alios: Petri verò poteſtas erat ſuper alios, & ſuper ipſos reliquos Apoſtolos, dicente ſibi ſoli Chriſto, Paſce oues meas, in quorum numero erant ſine dubio reliqui Apoſtoli. Vbi Chryſoſtomus dicit in perſona Chriſti ad Petrum: Loco mei Præpoſitus eſto, & caput fratrum tuorum.*

8. Et ſanè cum certum ſit Chriſtum voluiſſe, vt eſſet *vnum ouile, & vnus Paſtor viſibilis*; certum eſt Chriſtum præfeciſſe Petrum toti ouili vt Paſtorem ſupremum: Ergo præfecit Petrum etiam reliquis Apoſtolis componentibus illud ouile. Cùm ergo manifeſtum ſit, Paſtorem habere poteſtatem & authoritatem ſupra totum ouile; certum eſt, Petrum habuiſſe poteſtatem & authoritatem ſupra reliquos Apoſtolos, tanquam caput viſibile Eccleſiæ, qui nomine Chriſti, & tanquam Vicarius eius illam gubernaret. Chriſtus enim eſt caput perpetuum, & principale totius Eccleſię; ſed quia poſt ſuam aſcenſionem in cœlum, eſt nobis inuiſibilis, reliquit loco ſui tanquam ſuum Vicarium Petrum, & ſucceſſores eius, per quos viſibiliter Eccleſiam gubernat.

9. Vlteriùs idem Dupin ea diſſert. 4. cap. 1. §. 3. agens contra illos, qui Petrum & Paulum in primatu æquales, imo eiuſdem primatus ex æquo participes eſſe aſſerebant, pag. 319. admittit, *haud immeritò Eccleſiæ Romanæ ambos dici Epiſcopos; & Romanos Pontifices iſtorum ſucceſſores ex æquo perhiberi*; & ſtatim addit: *Sed non video, cur inde primatum vtriuſque indiuiduum aſſerere ſit neceſſe: non valet enim hæc conſecutio: Petrus & Paulus Eccleſiam Romanam in commune rexerunt: ergo in commune primatum habuerunt: quippe Epiſcopatus Romanus cura eſt gregis Romani: cuius partem vnus, partem alius poteſt ſuſcipere: at primatus non ita ſe habet, nec iſte partem primatus vnam, ille alteram poteſt habere.*

10. Ex quibus verbis conſtat, Dupinum coæquare Paulum cum Petro in poteſtate Eccleſiaſtica; & non concedere Petro poteſtatem Eccleſiaſticam niſi in gregem Epiſcopatus Romani, non autem in greges aliorum Epiſcoporum; & in hac poteſtate facere Paulum æqualem Petro; vnde ſi conceſſit poteſtatem Petro in alios greges, in illa etiam feciſſet Paulum æqualem Petro; & ſicut admiſit duos Epiſcopos Roma-

nos ſine incommodo, ita admitteret duos Papas, qui æquè principaliter Eccleſiam vniuerſam gubernarent; ac proinde faceret Eccleſiam bicipitem, ponens in vno corpore myſtico duplex caput, quòd non minus monſtroſum, quàm ponere in vno humano corpore duplex caput. Ponere autem duo capita Eccleſiæ æque principalia, & inuicem non subordinata, eſt manifeſta hæreſis. Certum namque omnino eſt ex Euangelio, Chriſtum promiſiſſe ſe Eccleſiam fundaturum ſupra Petrum, dum dixit, *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram* &c. & ſupra Petrum reipſa fundaſſe, dum illi ſingulariter dixit, *Paſce oues meas*; & non fundaſſe ſupra Paulum, vtpote qui nondum erat Chriſtianus, quando Chriſtus Eccleſiam fundauit. Nequit autem aliquis eſſe Papa, id eſt totius Eccleſiæ caput, niſi ſuccedat Petro in munere Summi Paſtoris: Paulus autem non ſucceſſit Petro in munere, cùm ambo ſimul vitam finierint; nec viuente Petro poterat Paulus eſſe Papa, quia ſolum Petrum Chriſtus inſtituit Pontificem: Petrus autem non potuit creare Paulum in Papam paris cum ipſo poteſtatis, quia poteſtas Papalis immediatè confertur à Deo vi primæ inſtitutionis factæ in perſona Petri, nec poteſt autem conferri ab homine: nec Petrus manens Papa, & caput totius Eccleſiæ, potuit dare Paulo poteſtatem Papalem; quia poteſtas accepta à Petro hoc ipſo eſſet ſubordinata Petro vt ſuperiori; poteſtas autem ſubordinata alteri vt ſuperiori, non eſt poteſtas Papalis, vtpote quæ immediatè ſoli Deo ſubijcitur: Ergo poteſtas Eccleſiaſtica, quam habuit Paulus, non fuit poteſtas Papalis.

11. Et quamuis, Petrus potuerit Paulum aſſumere in Coadiutorem ſuum, & Coepiſcopum, non tamen potuit illi dare poteſtatem regendi Epiſcopatum Romanum ſine ſubordinatione ad ipſum Petrum: vnde non potuerunt ambo ſimul eſſe Epiſcopi Diœceſis Romanæ cum æquali omnino authoritate & poteſtate, quia authoritas & poteſtas Petri eſſet independens à Paulo; poteſtas autem Pauli eſſet dependens à Petro, ipſique ſubordinata. Vnde quamuis admitteret Paulum fuiſſe Epiſcopum Romanum ſimul cum Petro, non tamen poſſet admittere fuiſſe Papam ſimul cum Petro. Ratio eſt manifeſta; quia dignitas & poteſtas Epiſcopalis vnius Prælati poteſt eſſe ſubordinata alteri ſuperiori; nec deſinit eſſe poteſtas Epiſcopalis hoc ipſo, quòd ſit ſubordinata poteſtati ſuperiori. At poteſtas Eccleſię deſinit eſſe Papalis per hoc præciſè, quòd ſit ſubiecta & ordinata alteri ſuperiori: quia poteſtas Papalis eſt poteſtas capitis, & paſtoris ſupremi; caput autem nequit habere membrum ſuperius ſe, nec Summus Paſtor poteſt ſupra ſe habere alium.

12. Falſumque eſt quod Dupin admittit, quòd ſcilicet Paulus ſimul cum Petro fuerit Epiſcopus Romanus. Paulus fuit quidem Apoſtolus, qui prædicatione, miraculis, cęleſti ſapientiâ, & ſanguine ſuo ſimul cum Petro Eccleſiam Romanam fundauit; non tamen fuit Epiſcopus Romanus, cui ſuccedunt Pontifices Romani in Epiſcopatu, ſicut ſucce-

dunt

ed by Google

dunt Petro. Solus enim Petrus inter Apoſtolos fuit Epiſcopus Romanus; ſicut ſolus Petrus fuit Summus Paſtor & Vicarius Chriſti, & habuit poteſtatem in vniuerſam Eccleſiam. Paulus quidem fuit totius Orbis Doctor & Magiſter; & vt ipſe loquitur 2. Corinth. 11. *ſolicitudinem omnium Eccleſiarum* habuit. Quod non intelligitur de ſolis Eccleſijs, quas ipſe plantauerat, ſed de omnibus ſimpliciter: & ideo Chryſoſtomus hunc locum exponens affirmat, *Paulum totius Orbis curam geſſiſſe*. Idemque probari poteſt ex epiſtolis ad Romanos, ad Coloſſenſes & Hebræos, ſcribit enim ad eos, quibus non prædicauerat: quia eos ad curam ſuam pertinere arbitrabatur. Quamuis enim Apoſtoli inter ſe diſtribuerant Prouincias, quibus verbum Dei prędicarent, non tamen propterea vnius Prouinciæ finibus ſolicitudo Pauli continebatur, ſed ita totius Eccleſiæ curam gerebat, ac ſi ad ſe ſolum ea cura pertineret. Solus tamen Petrus tanquam ſuperior totam Eccleſiam gubernauit; & ſolus Petrus potuit imponere leges, quę totam Eccleſiam obligarent; & ſolus ipſe habuit cæteros Apoſtolos ſibi ſubordinatos, & in hoc munere tam Epiſcopi Romani, quàm Summi Paſtoris totius Eccleſiæ ſuccedit Pontifex Romanus, qui per ſeipſum, & per Miniſtros & Paſtores ſibi ſubordinatos totam Eccleſiam gubernat, & paſcit.

13. Hinc conſtat falſum & abſurdum eſſe, quod Dupin affirmat pag. 320. *Petrum & Paulum in Apoſtolatu, in poteſtate, & authoritate æquales fuiſſe, in Primatu non item.* Quæ verba ſupponunt Primatum Petri non habuiſſe annexam ſibi ſuperioritatem aliquam in reliquos Apoſtolos, nec fuiſſe primatum authoritatis, & poteſtatis ſpiritualis, ſed ſolùm primatum quendam honoris in ſedendo in primo loco, quando Apoſtoli conueniebant, & in dicendo priùs ſuam ſententiam: & verba illa vel faciunt Paulum Papam ſicut Petrum, ſi in vtroque admittunt poteſtatem in vniuerſam Eccleſiam; vel à Petro auferunt Papatum, dum ab illo auferunt hanc poteſtatem; & vtrumque eſt manifeſtus error.

14. Ex ijs, quæ Dupin dicit de Primatu Petri, colligitur, quid à fortiori ſentiat de Pontifice Romano. Nam qui in negando Petro poteſtate, & primatu iuriſdictionis in vniuerſam Eccleſiam, concordat cum hæreticis; à fortiori conueniet cum ipſis in negando primatu hoc Romano Pontifici, qui non alio titulo habet hunc Primatum, niſi quia eſt ſucceſſor Petri, quem Chriſtus conſtituit caput viſibile totius Eccleſię in æternum duraturæ. Vnde Dupin peiùs, & indigniùs ſentire videtur de Primatu Romani Pontificis quò ad poteſtatem iuriſdictionis, quàm ſenſit Nilus Theſſalonicenſis Epiſcopus ſchiſmaticus in libro aduerſus primatum Papæ. Hęretici omnes huius temporis pugnant quidem contra Primatum Romani Pontificis, præſertim Lutherus libro de poteſtate Papæ, Illyricus in libro contra poteſtatem Papę, Synodus Smalchaldica in libro eiuſdem argumenti, Caluinus lib. 4. Inſtitut. cap. 6. & 7. & Magdeburgenſes in ſingulis Centurijs ad finem cap. 7. Sed ij om-

omnes pugnant etiam contra primatum Petri. At Nilus non negat, Petrum totius Eccleſiæ Paſtorem fuiſſe, ſed hoc ſupponens, contendit Romanum Pontificem non ſuccedere Petro in Præfectura totius Eccleſiæ, ſed ſolùm ſuccedere in Epiſcopatu Romano. Addit verò habuiſſe poſtea Romanum Pontificem ex Conciliorum decretis Primatum quendam, vt videlicet primus Epiſcoporum eſſet, primus ſederet, primus ſententiam diceret, non tamen cæteris omnibus imperaret. Deteriùs ergo ſentit Dupin de Petro, quàm Nilus. In ſubſtantia verò Dupin duntaxat concedit, quòd Petrus olim, & nunc Romanus Pontifex habeat ex inſtitutione diuinâ ſolùm illum primatum honoris, quem Nilus concedit Pontifici Romano ex inſtitutione humana, non autem primatum iuriſdictionis, & poteſtatis; in hoc enim negando conuenit cum Nilo, & cum hæreticis,

§. X.

Dupin in deprimendo Pimatu Romani Pontificis, imitatus eſt Græcos Schiſmaticos, & Latinos hæreticos cum Edmundo Richerio, & Simone Vigorio.

1. OBſeruat Cardinalis Bellarminus in Præfatione ad libros de Romano Potifice, Græcos fuiſſe primos, qui feriò Primatum Romani Pontificis oppugnarunt; & hos imitatos fuiſſe hæreticos Latinos, qui in Eccleſiam Catholicam inſurrexerunt ab anno Chriſti 1170. Verùm quia Primatus Romani Pontificis eſt petra firmiſſima, qui illum impugnant, in lapidem offendunt, quem confringere non poſſunt, ſed à quo conterentur, iuxta illud Chriſti: *Qui ceciderit ſuper lapidem hunc, confringetur, ſuper quem verò lapis ceciderit, conteret eum*. Quem locum exponens S. Leo Magnus, *Quiſquis*, inquit, *huic Sedi principatum exiſtimat denegandum, illius quidem nullo modo poteſt minuere dignitatem, ſed inflatus ſpiritu ſuperbia ſua, ſemetipſum in inferna demergit*.

2. Græci ab anno 381. Epiſcopum Conſtantinopolitanum, qui antea ne Patriarcha quidem erat, tribus Patriarchis Orientis anteponere, & ſecundum à Romano Pontifice facere voluerunt. Id intelligi poteſt ex Concilio ſecundo generali can. 5. Deinde anno 451. eo Græci non contenti, Epiſcopum Conſtantinopolitanum Romano Pontifici parem efficere conati ſunt. Nam in Synodo Chalcedonenſi, Act. 16. definiunt Græci Patres, non tamen ſine fraude, & abſentibus legatis Romanis, Conſtantinopolitanum Epiſcopum ita ſecundum à Romano eſſe debere, vt ta-

Digitized by Google

vt tamen habeat æqualia priuilegia. Neque hoc etiam contenti, temporibus S. Gregorij, ac Prædeceſſoris eius Pelagij, eius nominis ſecundi, circiter annum 600. Epiſcopum Conſtantinopolitanum, OEcumenicum, id eſt Orbis terræ, ſiue vniuerſalem Epiſcopum appellare cœperunt. Cuius rei teſtis eſt ipſe S. Gregorius in Epiſtolis, quas multas breui tempore de hac cauſa ſcripſit ad Ioannem Epiſcopum Conſtantinopolitanum, ad Imperatorem Mauritium, ad Imperatricem Conſtantiam, ad Patriarchas cæteros Orientis.

3. Denique anno 1054. apertè pronuntiarunt, Romanum Epiſcopum propter additionem particulę *Filioque* ad Symbolum Conſtantinopolinum, ex ſententia Synodi Epheſinæ, quæ id prohibuerat, de ſuo gradu excidiſſe, & iam ſummum, ac primum Epiſcoporũ omnium, eſſe Pontificem Conſtantinopolitanum. Refert id Sigebertus in Chronico, & alioqui ex Epiſtolis Leonis IX. ſatis apertè colligitur. Extat etiam libellus Græcè ſcriptus à Nilo Theſſalonicæ Archiepiſcopo aduerſus primatum Romani Pontificis, quem nuper Illyricus ex neſcio quibus latebris productum ad lucem, Latinitate donauit. Hactenus Bellarminus. qui dum ait Græcos Patres Concilij Chalcedonenſis voluiſſe, vt Conſtantinopolitanus Epiſcopus æqualia haberet priuilegia cum Romano, intelligendus videtur de æqualitate quoad authoritatem Patriarchalem, non quoad Papalem.

4. Ex Latinis (ſubdit Bellarminus) primi ſunt *Waldenſes*, qui ſe ab obedientia Romani Pontificis ſubtraxerunt. Exorti ſunt autem Waldenſes anno 1170. vt Reynerius ſcribit, qui ante annos 300. floruit. Anno deinde 1300. Matthæo Palmerio teſte in Chronico, extiterunt quidam qui *Fraticelli* dicebantur, qui præter alios errores, hunc etiam habuerũt, Petri authoritatem in Romana Eccleſia iamdudum ceſſaſſe, atque ad Sectam Fraticellorum eſſe translatam. Vide Ioannem de Turrecremata lib. 4. Eccleſ. par. 2. cap. 37. Non diu poſt, eodem Ioanne de Turrecremata teſte, extitere *Marſilius* Paduanus, & Ioannes de *Ianduno*, qui Romano Pontifici non modò Epiſcopos omnes, ſed omnes etiam Preſbyteros pares fecerunt.

5. Deinde circiter annum Domini 1390. exortus eſt Ioannes *Wiclef*, & eum ſequutus eſt Ioannes *Hus*, quorum ſententię aduerſus Apoſtolicam Sedem legi poſſunt in Concilio Conſtantienſi ſeſſ. 8. & 15. Ad extremum noſtro hoc ſęculo Martinus *Lutherus*, & quotquot poſt eum hæretici apparuerunt, Romanum Pontificatum totis viribus omnique animi contentione labefactare conati ſunt.

6. Horum hominũ conatũ in deprimenda authoritate Romani Pontificis, magna ex parte imitati ſunt Edmundus Richerius, & Simon Vigorius, qui, vt vidimus diſp. 1. ſect. 8. contra perpetuum, & coſtantẽ ſenſum Academiæ Pariſienſis, & contra doctrinam, quam tanquam de fide certam ſtatuerant Ioannes Gerſon, & alij Doctores Pariſienſes, etiam ex

ijs, qui defendunt Concilium eſſe ſupra Papam, auſi ſunt aſſerere, gubernationem à Chriſto inſtitutam, non eſſe Monarchicam, ſed Ariſtocraticam; contra quos prodiere præclari viri ex Academia ipſa, & ciuitate Pariſienſi, *qui à partibus Sedis Apoſtolicæ viriliter ſtantes, prætereàque veriti, ne Eccleſia Gallicana à vero Eccleſiæ corpore; aut ab eius ſupremo capite horrendo ſchiſmate diuelleretur, contra anonymum illum libellum*, (id eſt contra librum *de Eccleſiaſticâ, & politicâ poteſtate*, quem contra Monarchiam ſpiritualem Romani Pontificis anno 1612. ſuppreſſo proprio nomine typis vulgauit Edmundus Richerius Doctor Sorbonicus) *decretoria quaſi refutationum acerrimarum arma conſtantiſſimè ſumpſerunt*, inquit grauiſſimus Andreas Duuallius Doctor Sorbonicus, & in Academia Pariſienſi Regius Theologiæ Profeſſor, initio illius præclari operis, ſeu Diſputationis quadripartitæ de ſuprema Romani Pontificis in Eccleſiam poteſtate, quam in lucem emiſit contra Edmundum Richerium, & Vigorium. Vt autem vidimus diſput. 1. ſect. 8. §. 1. ex Spondano, Illuſtriſſimos Prælatos Galliæ ita offendit liber ille Richerij, vt in duabus Synodis illum damnauerint, tanquam continentem *multas propoſitiones falſas, erroneas, ſcandaloſas, ſchiſmaticas, & vt ſonant, hæreticas*.

7. Edmundum autem Richerium ſectatus eſt Dupin in negandâ Monarchiâ ſpirituali; ſed & Edmundum ſuperaſſe videtur in deprimendo Primatu Romani Pontificis; ſiquidem poteſtatem, & ſuperioritatem iuriſdictionis ſpiritualis, competentem iure diuino Romano Pontifici, limitat ad oues Epiſcopatus Romani; quandoquidem Pontifex Romanus non ſuccedit Petro, vt Apoſtolo, ſed Petro, vt Paſtori, cui Chriſtus ſpecialiter commiſit oues ſuas; at iuxta Dupinum Chriſtus non commiſit ſpecialiter Petro omnes ſuas oues, ſed aliquas, vt ſupra ex illo oſtendimus; nempe illas quæ attinent ad Epiſcopatum Romanum. At iuxta Edmundum Richerium, licet Romanus Pontifex non habeat ſuperioritatem iuriſdictionis in vniuerſalem Eccleſiam, dum eſt congregata in Synodum; habet tamen in ſingulos homines, & in ſingulas Eccleſias particulares diſgregatas. Nam in hiſtoria Conciliorum Generalium lib. 3. pag. 490. approbans hoc axioma, *Vbi de mente Sacri Principis non conſtat, ſemper pro Sacro Principe eſſe præſumendum*, reddit rationem: *ſiquidem communis*, inquit, *eſt vox & regula Theologorum, in dubijs, quando Pontifex imperat, ſemper eſſe obtemperandum: quod intelligendum de ſingularibus hominibus, aut Eccleſijs particularibus diſgregatis; non de vniuerſali Eccleſia congregata in Synodum, quæ immediatè authoritatem Architectonicam habet à Domino, cuius iudicio directiuo, & coactiuo Papa ſubditur*.

8. Et hæc eſt doctrina Ioannis Gerſonis, Iacobi Almaini, & Ioannis Maioris, qui Monarchiam ſpiritualem Romani Pontificis admittentes, dicunt illum eſſe quidem ſupra ſingulas Eccleſias particulares, & ſupra ſingulos Epiſcopos ſeorſim dum ſunt diſperſi, non tamen eſſe ſupra

pra

pra Eccleſiam vniuerſalem, nec ſupra omnes Epiſcopos dum congregati ſunt in Synodum generalem, quæ Eccleſiam vniuerſalem repræſentat, vt videbimus infra; & ideo in Concilio Tridentino Galli nolebant admittere Romano Pontifici *ineſſe poteſtatem regendi vniuerſalem Eccleſiam*; admittebant tamen libenter ineſſe illi poteſtatem regendi ſingulas, ſeu omnes diuiſiuè Eccleſias particulares.

9. Quamuis autem doctrina horum Doctorum, quatenus negat Romano Pontifici poteſtatem in vniuerſam Eccleſiam, & illum facit inferiorem Concilio, ſit falſiſſima, tamen prior eius pars eſt certiſſima, & tamen illam negat Dupin, dum aſſerit, Petrum vi primatus ſibi conceſſi à Chriſto, non habuiſſe ſuperioritatem in omnes oues Chiſti, ſed duntaxat in aliquas, & illud mandatum Chriſti *Paſce oues meas*, non ſignificaſſe *Paſce omnes*, ſed *Paſce aliquas*. Vnde primatus, quem concedit Romano Pontifici quatenus ſucceſſori D. Petri in Papatu, & ſummo Pontificatu eſt primatus ſolius honoris, non autem iuriſdictionis ſpiritualis in reliquos Paſtores; & ex eius ſententia non in alio ſenſu Romanus Pontifex eſt caput Eccleſiæ Catholicæ, quàm quo ſenſu primus Senator in Senatu, & primus Canonicus in Collegio Canonicorum eſt caput; quia nimirum primus ſedet, & primus loquitur, & res tractandas in cætu proponit, quamuis nullam habet poteſtatem iuriſdictionis in ſocios, & ſolùm ſit primus inter pares. Hoc enim ſatis probant, quę ex Dupino adduximus. Quid enim aliud ſignificat illa propoſitio, quam ſupra citauimus ex pag. 320. *Petrus & Paulus in Apoſtolatu, in poteſtate, in authoritate æquales fuerunt, in primatu non item?* Quid aliud ſignificat vnica illa ratio, quam vnicè tanquam efficacem ad probandum primatum Petri admittit pag. 111. nimirum, *quia in omni hominum Collegio debet aliquis ordo ſeruari, & neceſſe eſt aliquem primum inter plures eſſe*. Conſtat enim hanc rationem non probare Primatum iuriſdictionis in reliquos, ſed ſolùm primatum honoris vel in ſedendo, vel in loquendo, aut proponendo materias tractandas: neceſſitas enim vt in omni collegio aliquis ſit primus inter plures, non probat neceſſitatem vt ſit primus Primatu poteſtatis, & iuriſdictionis in reliquos, vt eſt manifeſtum; ſed ſolùm primatu ordinis & honoris vel in ſedendo, vel in loquendo. Quid aliud ſignificat illud quod Dupin affirmat pag. 309. ideo ſingulariter dictum eſſe Petro, *Tibi dabo claues regni cælorum, quia primatum inter Apoſtolos obtinebat, hoc eſt, primus erat Apoſtolorum*; apparet enim ex his verbis eſſe hæc duo ſynonyma apud Dupin, habere primatum inter Apoſtolos, ac eſſe primum.

10. Quid aliud denique ſignificat illud quod habet pag. 335. dum ait: *diſtinguenda plura ſunt in Pontifice Romano. Primò quòd eſt primus Epiſcoporum. Secundò quòd ſit Metropolitanus & Patriarcha. Tertiò, quod aliquas habeat prærogatiuas, aliqua iura ſibi peculiariter conceſſa &c. Primum habet præſertim ex inſtituto Chriſti: ſecundum & tertium habet ex con-*

conſuetudine & canonibus ob Vrbis & Eccleſiæ dignitatem. Ergo iuxta Dupinum Romanus Pontifex ex inſtitutione Chriſti ſolùm habet quòd ſit *primus Epiſcoporum*, ac proinde non habet ex inſtitutione Chriſti iuxta Dupinum primatum iuriſdictionis in alios Epiſcopos; ſed id ſolùm habet ex inſtitutione humana; ſicut reliqui Metropolitani & Patriarchę ſolùm ex inſtitutione humana habent poteſtatem iuriſdictionis in alios Epiſcopos.

11. Hæc autem ſunt manifeſtè abſurda, & contraria ſenſui communi Patrum & Theologorum; apud quos certiſſimum eſt, primatum Romani Pontificis, quem contra hæreticos profitetur Eccleſia Catholica, eſſe primatum poteſtatis & iuriſdictionis ſpiritualis in reliquos Eccleſiæ Prælatos, & eorum ſubditos; imò vt ſapienter animaduertit P. Gregorius de Valentia tom. 3. diſp. 1. quæſt. 1. puncto 7. §. 27. column. 199. *Non aliud intelligimus nomine eiuſmodi Primatus, quàm talem authoritatem, cui omnes fideles in vtroque foro, interno & externo parere debeant in ijs, quæ ſpectant vel ad mores, vel ad cultum, vel ad fidem, ideſt in ſalutis negotio.* Hanc autem authoritatem Romano Pontifici conuenire luculenter demonſtrant Doctores Catholici contra hæreticos, & ab Vniuerſitate Pariſienſi propoſitus eſt iſte articulus tanquam dogma omnino certum, ab omnibus tenendus, *Vnum eſſe iure Diuino Summum in Eccleſia Paſtorem, cui omnes Chriſtiani parere tenentur,* vt ſupra vidimus. Et Cardinalis Bellarminus lib. 4. de Roman. Pontif. cap. 2. teſtatur, in hoc aſſerendo omnes Catholicos conuenire inter ſe contra hæreticos; & vt paulò ante diximus, hoc ipſum ex aduerſarijs fatetur ipſe Edmundus Richerius. Certiſſimum namque ex Euangelio eſt, vt manet probatum diſp. 1. & 2. & conſtat ex dictis in hac, & magis conſtabit ex dicendis in toto Opere, Chriſtum conſtituiſſe Petrum caput viſibile totius Eccleſiæ, & tanquam Vicarium ſui reliquiſſe in terris ad gubernandam Eccleſiam, & illum præfeciſſe tanquam ſummum & ſupremum Paſtorem toti ouili ſuo, ſubordinando illi Paſtores particulares, quos Chriſtus inſtituit, quia vnus homo non poterat per ſeipſum immediatè omnibus fidelibus inuigilare; in quo munere eſſentialiter imbibitur poteſtas iuriſdictionis in reliquos Epiſcopos, ſaltem dum non ſunt congregati in Synodum generalem, vt fatetur etiam Gerſon, Almaynus, Maior, & alij Authores Galli, qui defendunt Concilium eſſe ſupra Papam. *Hæretici omnes* (inquit Bellarminus libr. 1. de Romano Pontifice cap. 10.) *diſertè hoc negant, eſt enim reuera non ſimplex error, ſed pernicioſa hæreſis, negare Petri Primatum à Chriſto inſtitutum.* At hæretici non negant Petro Primatum illum ſolius honoris, quod ſcilicet Petrus in Collegio Apoſtolorum fuerit primus in honore: ergo certum omnino eſt Petrum, & eius Succeſſorem Romanum Pontificem, non habere tantùm primatum honoris inter reliquos Epiſcopos, ſed primatum iuriſdictionis in reliquos, ſaltem diuiſiuè & ſeorſim ſumptos, dum non ſunt in Synodum gene-

gene-

generalem congregati. Idque latiſſimè & neruoſiſſimè probant Doctores Catholici citati à Bellarmino.

12. Neque ego vllum vidi ex Doctoribus Catholicis, qui typis ſcripta vulgarunt, præter Dupinum, qui auſus ſit affirmare, Romanum Pontificem ex inſtitutione Chriſti, & iure diuino non habere primatum poteſtatis & iuriſdictionis ſpiritualis ſupra ſingulas Eccleſias particulares, ſupra ſingulos Epiſcopos, & ſupra ſingulos fideles; & qui poteſtatem ſpiritualem, quam Romanus Pontifex quatenus Vicarius Chriſti, & caput viſibile Eccleſiæ, accipit immediatè à Chriſto, limitauerit ad aliquas oues determinatas, ita vt Chriſtus ei dederit poteſtatem ſupra has, & non ſupra illas, in tot, & non in plures; licèt aliqui doctores Catholici affirmauerint non habere poteſtatem ſupra vniuerſalem Eccleſiam, ſeu ſupra omnes Epiſcopos congregatos in Synodum vniuerſalem. Ij enim ipſi, qui affirmant Papam non eſſe ſupra Eccleſiam vniuerſalem, ſupponunt tanquam quid certum eſſe ſupra Eccleſias particulares, vt videlicet Petrus Alliacenſis Cardinalis in quæſtione Veſpertina n. 16. & 20. Ioan. Gerſon. in tract. de ſtatibus Eccleſiæ conſid. 1. & in epilogo tractatus de poteſtate Eccleſiæ concl. 2. & alibi ſæpe, Iacobus Almaynus in quæſtione reſumptiua in 3. parte ſecundæ concluſionis, & in expoſitione quæſtionum Okami quæſt. 1. cap. 16. Ioannes Maior, & alij, quod magis conſtabit diſp. 10. quando ex principijs Maiorum Scholæ Pariſienſis probabimus infallibilitatem Romani Pontificis, & in tract. 2. vbi probabo Romanum Pontificem eſſe ſupra omnia Concilia. Doctores namque iſti exiſtimant Chriſtum fundaſſe quidem ſupra Petrum, & ſucceſſores eius Monarchiam ſpiriritualem; cæterum ad ſaluandum conceptum Monarchiæ exiſtimant ſufficere, quòd Papa ſit ſupra ſingulas Eccleſias particulares, licèt non ſit ſupra Eccleſiam vniuerſalem, quòd ſit ſupra ſingulos Epiſcopos, licèt non ſit ſupra Collegium Epiſcoporum, prout conſtituit Concilium vniuerſale. Quam cenſuram autem mercatur illa Doctrina Dupini, relinquo iudicio Sanctæ Sedis; quæ ſicut iam ſpeciali Decreto librum Dupini confixit, poterit ſine periculo errandi illi doctrinæ Dupini cenſuram dare quam meretur, & declarare, an illa doctrina ſit hæretica, quamuis tradita incautè à Doctore Catholico, an proxima hæreſi, an erronea, an ſolùm temeraria. Ego ab omni cenſura abtineo.

§. XI.

Ex dictis manifeſtè infertur infallibilitas Romani Pontificis in definiendo.

PAtet illatio. Nam in hac & antecedenti ſectione oſtendimus Romanum Pontificem habere primatum poteſtatis & iuriſdictionis ſimpliciter in Eccleſia Dei: oſtendimus hunc primatum eſſe in omnia membra Eccleſiæ, ac in vniuerſam Eccleſiam per modum capitis totius Eccleſiæ, & Summi Paſtoris totius ouilis. Hinc autem euidenter infertur Romanum Põtificem habere ſupremam authoritatem, ſupremamque iuriſdictionem Eccleſiæ. Ergo eius ſententiæ eſt vltima, & inappellabilis; nam appellatio ſolùm admittitur ad ſuperiorem: ſuprema autem authoritas Eccleſiæ, & ſuprema iuriſdictio non habet ſuperiorem. Ergo eius iudicium in materia fidei eſt irreformabile: ergo eſt infallibile. Nam ſi eſſet fallibile, hoc ipſo deberet eſſe reformabile; ne alioqui poſſet obligare totam Eccleſiam ad credendum tanquam dogma fidei aliquem errorem. Vnde ſapienter dixit P. Valentia tom. 3. diſp. 1. q. 1. punct. 7. §. 45. *Eos, qui Concilium Pontifice ſuperius faciunt, pugnare reuera (licet inaduertenter) cum certiſſima Fide de Diui Petri, ac Romani Pontificis primatu.* Et Stapletonius tom. 1. pag. 825. meritò pronuntiauit, *illam ſententiam planè erroneam eſſe: tollit enim* (inquit) *prorſus primatum Papæ, & gubernationem Monarchicam, quam Chriſtus inſtituit; quam tamen Doctores illius ſententiæ confiteri ſe aiunt*, nimirum Gerſon, Almaynus, & Maior.

SECTIO VI.

Quarta probatio ex tertia Synodo Generali, ſeu Concilio Epheſino agnoſcente infallibilitatem in decreto fidei facto à Romano Pontifice.

1. SYnodus magna Epheſina in qua 200. Epiſcopi conuenerunt ad condemnandum Neſtorium, auctoritatem infallibilem Romani Pontificis, eiuſque ſupra Concilium generale ſuperioritatem agnouit; nam cùm Cæleſtinus Papa, coacto Romæ Epiſcoporum cœtu, ſeu Concilio Prouinciali, damnaſſet iam Neſtorium, eiuſque errores, Sanctus Cyrillus Patriarcha Alexandrinus, qui nomine Romani Pontificis præſide-

Digitized by Google

ſidebat Concilio, quod Epheſi authoritate eiuſdem fuerat congregatum ſic Patres Concilij allocutus eſt: *Sancta Romana Synodus diſertam ſententiam tulit, horum proinde decreto modis omnibus parendum eſt : quia agnoſcebat, etſi Synodus particularis ſuperioritatem per ſe non habeat, reſpectu Synodi generalis, definitionem tamen Romani Pontificis in Synodo particulari conceptam, infallibili authoritate gaudere : hanc autem Synodus ipſa Epheſina agnouit, ſiquidem actione 1. hac habet: Coacti per ſacros Canones, & per Epiſtolam Sanctiſs. Patris noſtri Cæleſtini Romanæ Eccleſiæ Epiſcopi, lacrymis ſubinde profuſi ad lugubrem hanc contra Neſtorium ſententiam venimus*. In quibus verbis eodem numero, & ſacros Canones, & epiſtolam Cęleſtini habent, ac proinde ſupremam authoritatem Romani Pontificis ſupra totum Concilium agnoſcunt. Eandem agnouerunt actione ſecunda, quando vna voce omnes illi Patres Cęleſtino Papæ *Cuſtodem fidei* acclamarunt.

2. Id quod etiam inde conſtat, nam pro tota Synodo Cęleſtini Legatis palàm profeſſus eſt Firmus Cæſareæ Epiſcopus: *Apoſtolica & Sancta Sedes Cæleſtini per litteras ... Etiam ante de præſenti negotio ſententiam regulamque præſcripſit, quam & nos ſecuti, formam illam executioni mandauimus, Canonicum, Apoſtolicumque iudicium in illam proferentes*. Denique id conſtat, quia Theodorus Ancyranus Epiſcopus nomine totius Concilij eadem actione ſecunda ſic locutus eſt: *Iuſtam eſſe Sanctæ Synodi ſententiam demonſtrauit vniuerſorum Deus per litteras Cæleſtini*. Quibus verbis planè agnouit, litteras Cęleſtini, quibus id quod credendum eſt propoſuit, regulam Fidei eſſe infallibilem. Ibidem nomine Sanctæ Synodi approbauit orationem Philippi Legati Romani Pontificis, in qua & *Sanctæ Synodi Sanctum caput Cæleſtinum*, & totius Fidei caput Beatum Petrum Apoſtolum nuncupauerat. Ergo Synodus Epheſina agnouit Romanum Pontificem eſſe caput Concilij generalis, ac proinde non ei ſubijci, ſed illud ſibi ſubiectum habere, & pollere authoritate infallibili, ad decernendum extra Concilium Generale, quid à Fidelibus credendum ſit, eiuſque definitiones tanquam regulam Fidei accipiendas eſſe.

SE-

SECTIO VII.

Quinta probatio ex quarta Synodo Generali, ſeu Concilio Chalcedonenſi.

§. I.

Patres Chalcedonenſes iudicarunt Concilium Generale non habere authoritatem infallibilem, niſi à Pontifice Romano indicatur & confirmetur. Vnde eius infallibilitas ab infallibilitate Romani Pontificis dependet.

EX actione prima huius Synodi probatur tertiò idem aſſumptum; nam Paſchaſinus & Lucentius Epiſcopi Legati Sanctiſs. Leonis Papæ paſſi non ſunt, Dioſcorum Alexandrinum inter Epiſcopos ſedere, cauſamque potiſſimam reddidere, quia Synodum auſus eſt facere ſine authoritate Sedis Apoſtolicæ, quod nunquam licuit, nunquam factum eſt. Dioſcorus verò præuidens ſe à Concilio non audiendum, ſi diceret iure id factum fuiſſe, factum ipſum negauit, conteſtatus celebratam eſſe Synodum *Iuliano Epiſcopo agente vices, & tenente locum Leonis*: at reclamabant Epiſcopi dicentes: *eiectus eſt, nullus ſuſcepit nomen Leonis*. Prolatis etiam litteris Leonis ad illam Synodum, reclamatum rurſus eſt: *neque ſuſcepta eſt epiſtola, nec lecta: ſexies iurauit ante omnes facere eam recitare, & non eſt lecta, peierauit*. Denique actione decima cùm clamauit Cecropius Sebaſtopolitanus Epiſcopus, *iſtud Concilium dicere non debemus*, reliqui Patres Concilij Chalcedonenſis vna voce non ſine clamore dixerunt, *omnes hæc eadem dicimus*, ac proinde declararunt, conuentum illum Epheſinum ſecundum, in quo Dioſcorus præſidens noluit admittere Legatum Pontificis Romani, non fuiſse Concilium, ſed Conciliabulum, eò quòd ſine authoritate Romani Pontificis fuit coactum, & ſine eius confirmatione peractũ eſt. Ergo Synodus Chalcedonenſis declarauit, non habere authoritatem ad aliquod definiendum Concilium Generale, niſi authoritate Romani Pontificis tunc exiſtentis congregetur, & ab eo confirmetur: ergo declararunt Romanum Pontificem eſse ſuperiorẽ Concilio. Ex quo ſequitur habere ex ſe authoritatem infallibilem ad decidendas Fidei controuerſias: cùm enim nemo det quod non habet, nequit Romanus Pontifex, vt ita dicam, infallibilizare

Digitized by Google

zare definitiones Concilij, illas approbando, & confirmando, niſi habeat authoritatem infallibilem.

§. II.

Prima Confirmatio inde petita, quòd Patres Chalcedonenſes ideo damnarunt Dioſcorum, quia auſus eſt contra Romanum Pontificem ſententiam proferre.

1. Confirmatur, quia vt expendit Bellarminus, damnatus eſt Dioſcorus cum tota Synodo Epheſina Secunda, tum ob alias cauſas, tum præcipuè, quia iudicare, & damnare auſus eſt Romanum Pontificem Leonem: vt enim Nicolaus Primus ait in Epiſtola ad Imperatorem Michaëlem, non tam ob hæreſim damnatus eſt Dioſcorus, quàm ob horrendam præſumptionem, qua in Summum Pontificem ſententiam dictare auſus fuerat. Quod ſi Dioſcorus, qui erat Patriarcha Alexandrinus, id eſt primus poſt Romanum, ſimul cum Synodo Secunda Epheſina quæ erat Generalis, non potuit iudicare Romanum Pontificem; hinc euidenter ſequitur (inquit Bellarmin. lib. 2. Concil.cap.17.) Concilium non eſſe ſupra Romanum Pontificem; cur enim non poſſet iudicare, ſi eſset ſupra ipſum? ergo Romanus Portifex eſt ſupra Concilium Generale, quale profectò fuiſset legitimè Concilium Epheſinum Secundum, ſi ei acceſſiſset authoritas Romani Pontificis.

2. Ipſeque Dioſcorus illam cogens Synodum, in qua Flauianum Epiſcopum Conſtantinopolitanum damnauit, nil acturum ſe ratus eſt, niſi Romani Pontificis authoritas accederet. Vnde per Imperatorem perfecit, vt annueret Leo, Legatoſque ſuos iuberet adeſſe, hoc artificio intendens authoritatem conciliare Synodo à ſe congregatæ, & ideo in Concilio Chalcedonenſi mentitus eſt, celebratam eſſe Epheſinam illam Synodum auctoritate Leonis, & eius vices agente Iuliano Epiſcopo. Vnde infertur, ipſum Dioſcorum iudicaſſe Romanum Pontificem in omnium Catholicorum exiſtimatione ea pollere prærogatiua, vt non poſſit Concilium Generale ſine eius authoritate congregari.

§. III.

§. III.

Secunda Confirmatio inde petita, quòd epiſtolæ omnes lectæ in Concilio, primariò directæ erant ad Romanum Pontificem, ſecundariò ad Concilium.

1. PRæterea ex eadem Synodo Chalcedonẽſi comprobatur authoritas Romani Pontificis Concilio generali ſuperior, ſiquidem actione tertia illic recitatæ ſunt multę Epiſtolæ ex varijs locis ad Concilium miſſæ, quæ omnes ſic incipiunt: *Sanctiſſimo, & Beatiſſimo vniuerſali Patriarchæ magnæ Romæ, Leoni, & Sancto vniuerſali Concilio congregato in Chalcedonenſi ciuitate*; vbi, vt vides, Romanus Pontifex Concilio Generali anteponitur, vt caput corpori. Nemo autem fuit in Concilio, qui reclamauerit, aut dixerit, non debere Pontificem anteponi Concilio; imò in fine iſtius extat Epiſtola eiuſdem Concilij ad Leonem, in qua eum & Caput & Patrem ſuum agnoſcit: ergo Concilium illud cenſuit, Romanum Pontificem ſuperiorem eſſe Synodo generali, & ei præſidere, ſicut caput membris.

2. Vlterius aſſumptum comprobatur: quia ipſa Synodus Chalcedonenſis in Epiſtola, qua ſuorum Decretorum à Leone confirmationem petit, quæ in editione Veneta Conciliorum habetur tom. 2. poſt 16. & vltimam ſeſſionem, pag. 342. ſub hoc titulo, *relatio Sanctæ Synodi Chalcedonenſis ad Beatum Papam Leonem de omnibus geſtis generaliter*; in hac, inquam Epiſtola, magna cum ſubmiſſione Patres illius Concilij *Sanctum Leonem appellant Caput & Patrem: quibus quidem*, (inquiunt colum. 2. illius Epiſtolæ) *tu ſicut membris caput præeras in omnibus, qui tuum tenebant ordinem, id eſt, qui tuas vices gerebant*. Tunc poſtquam expoſuerunt id omne, quod in cauſa fidei aduerſus Dioſcorum decreuerant, addiderunt colum. 3. *Hæc ſunt, quæ tecum, qui ſpiritu præſens eras, et qui pene per tuorum Vicariorum ſapientiam videbaris à nobis, effecimus*. De his verò, quia perſpicua erat Pontificis ſapientia, quam ſatis per ſuam Epiſtolam expoſuerat, parum laborabant: ſed alia quædam decreuerant, quæ ad Dioſcori, & Eutychetis errorem, & impietatem non pertinebant, de quibus ſoliciti erant, & meritò timebant, ne approbarentur à Pontifice: Vnde factum ſuum excuſantes, *definimus*, inquiunt, *ſcientes, quia veſtra Sanctitas addiſcens, & probatura, et confirmatura eſt eadem: quæ ergo ad interemptionem quidem totius confuſionis, confirmationem verò Eccleſiaſticæ ordinationis definiuimus; hæc ſicut propria*

pria et amica, et ad decorem conuenientiſſima, dignare complecti Sanctiſſime ac Beatiſſime Pater, vt ſicut fidei, ſic bonæ ordinationis vobis deputetur effectus. Tandemque columna vltima inquiunt, *quidquid rectitudinis à filijs fit, ad Patres recurrit, patientes hoc proprium ſibi: Rogamus igitur, et tuis decretis noſtrum honora iudicium, et ſicut nos Capiti in bonis omnibus impendimus conſonantiam, ſic et ſummitas veſtra filijs quod decet adimpleat.* Tandemque concludunt, ſe illam confirmationem poſtulare, *ad eorum quæ à nobis geſta ſunt firmitatem*: planè ſentientes ſine confirmatione Pontificis firmitatem habere non poſſe.

3. Quamuis autem Patres Calcedonenſes tam ſubmiſse Romani Pontificis implorauerint iudicium, illum vt Caput, & Patrem venerantes, tamen eos vt filios ſic amplexus eſt Leo, vt eorum blanditijs motus non ſit ad aliquod immutandum circa prærogatiuas Eccleſiarum, ſtatutas in Concilio Nicæno: Vnde Epiſtola 61. ſic eam alloquitur; *Obſeruantiam Veſtræ Sanctitatis admoneo, vt iura Eccleſiarum, ſicut ab illis* 318. *diuinitus inſpiratis ſunt ordinata, permaneant.*

§. IV.

Tertia confirmatio inde petita, quod Sedes Conſtantinopolitana obtinere non potuit ſecundum locum inter Patriarchales, niſi ex conceſſione Romani Pontificis: vbi de diſtinctione & ordine Patriarcharum.

1. DEcreuerant Patres Calcedonenſes moti precibus Imperatoris, vt Conſtantinopolitana Sedes ſecundum poſt Romanam locum haberet. Illis præiuerant Patres ſecundæ Synodi Generalis, id eſt Conſtantinopolitanæ: qui Canone 3. idem decreuerant: hic autem Canon occaſionem dedit Schiſmati Eccleſiæ Orientalis, vt ſcribit Cabaſſutius pag. 163. num. 8. Cæterum hoc noluit confirmare Leo, ſed iuſſit ſeruari Canonem ſextum Concilij Nicæni, in quo declaratum eſt, vt poſt Romanam Sedem ſecundum locum obtineret Alexandrina, tertium verò Antiochena. Vt enim probat Bellarmin. lib. 1. de Romano Pontifice cap. 24. ſolæ illæ Eccleſiæ ſemper ſunt habitæ Patriarchales, & Primates, quas Petrus fundauit. Vnde apud veteres tres tantùm Eccleſiæ fuerunt propriè Patriarchales, nempe Romana, Alexandrina, & Antiochena: porrò Hieroſolymitana per annos ferè mille habitá quidem eſt Patriarchalis, ſed nomine, non re; vnde Patriarcha Hieroſolymitanus ſedebat quarto loco in Concilijs, ſed nulli Archiepiſcopo

& Epiſcopo præerat. His acceſſit poſtea Patriarchatus Conſtantinopolitanus, nam tempore Concilij Nicæni nondum erat Conſtantinopolis: poſtea tamen in Concilio Conſtantinopolitano, ac deinde in Chalcedonenſi conatus eſt Epiſcopus Conſtantinopolitanus non ſolùm Patriarchatum ipſum, ſed etiam ſecundum locum inter Patriarchas obtinere. Verùm ante Iuſtiniani Imperatoris tempora id à Romanis Pontificibus non impetrauit, tempore autem Iuſtiniani, qui regnauit ſexto ſæculo, tum Imperatoris operâ, tum Romanorum Pontificum permiſſione cœperunt Conſtatinopolitani, & Hieroſolymitani Epiſcopi in numero Patriarcharum haberi, nullo ampliùs reclamante.

2. Quæ dicimus, ſatis oſtendunt Patres Concilij Chalcedonenſis agnouiſſe in Romano Pontifice authoritatem Synodo generali ſuperiorem, & infallibilem ad confirmanda dogmata in illa definita: ſenſerunt ergo eius iudicium eſſe vltimum, ac proinde irreformabile à Concilio: ergò ſenſerunt illum habere authoritatem infallibilem ad decidendas fidei controuerſias extra Concilium.

§. V.

Quarta Confirmatio inde petita, quòd Patres Chalcedonenſes vna voce clamarunt, ſubſcribendum neceſſariò eſſe, tanquam infallibili fidei regulæ, Epiſtolæ S. Leonis, in qua ante Concilium damnauerat Eutychem.

1. QVod denuò confirmatur; quia priuſquam Chalcedonēſes conuenirent Patres, Eutychem damnauerat Leo Epiſtolâ Flauiano Conſtantinopolitano inſcriptâ, vel potiùs circulari ad omnes orbis Epiſcopos miſſâ: huic autem Epiſtolæ Patres Concilij Chalcedonenſis, vt infallibili fidei regulæ ſubſcripſerunt, vt conſtat ex actione quarta illius Concilij. Poſtquam cœptum fuerat Concilium Chalcedonenſe, aduenerunt Epiſcopi Ægyptij, ſuamque exhibuerunt fidei confeſſionem, in qua quia nullam mentionem faciebant de condemnatione Eutychetis, à reliquis omnibus Concilij Patribus vna voce clamantum eſt, *Epiſtolæ Leonis ſubſcribant, Epiſtolæ Leonis conſentiant; qui non conſenſerit Epiſtolæ Leonis Hæreticus eſt.* Euidens ergo eſt, Synodum illam ſenſiſſe, & declamaſſe Romanum Pontificem extra Concilium habere authoritatem infallibilem ad decidendas fidei controuerſias, ſi-

qui-

quidem definitionem Leonis, vt infallibilem regulam acceperunt.

2. Denique id comprobatur ex actione quinta eiuſdem Concilij, nam cùm fidei formula, atque definitio à Concilio concepta, non videretur ſatis clarè excludere errorem Eutychis pariter & Neſtorij, ſiquidem in ea deerant verba illa, quæ habebat Leo in ſua Epiſtola, *Chriſtus ex duabus naturis inconfusè, inconuertibiliter, indiuiſe*, Legati Leonis reclamarunt, & minati ſunt, ſe Romam abituros, niſi verba Leonis definitioni Concilij insererentur. Tandem poſt aliquam de hac re altercationem vna vox omnium Patrum audita eſt: *vt Leo, ſic credimus: qui contradicunt, Eutychiani ſunt: Leo rectè exponit*; atque ita verba Leonis definitioni inſerta ſunt, vt dilucidiùs veritas Catholica manifeſtaretur: Patres ergo Concilij palam profeſſi ſunt, *Leonis Epiſtolam eſſe magni illius Petri confeſſioni congruentem, & communem columnam aduerſus peruersè ſentientes.* Ergo manifeſtum eſt, magnam Synodum Chalcedonenſem Sanctum Leonem veneratam fuiſſe, non ſolùm vt Caput & Patrem, ſed etiam vt Doctorem ſuum: ergo planè docuit, Romanum Pontificem habere authoritatem infallibilem ad docendam totam Eccleſiam, quin illius doctrinæ poſſit Concilium refragari.

Patrum Chalcedonenſium inſigne dictum de infallibilitate Pontificis Romani in fidei, morumque decretis.

3. Hi actione 19. in Proſphonetico ad Marcianum Imperatorem, *Romanus Pontifex* (inquiunt) *eſt propugnator impenetrabilis ab omni errore*, ſiue, vt alia interpretatio habet, *errore inſauciabilis, quem Deus prouidit doctrinis ipſum per omnia veritatis aſtringens, vt quemadmodum Petrus, ita & is feruentiore affectu decertans, omnem ad Deum, quæ ſenſum ſuperat, intelligentiã perducat.* Quid præſtantius de infallibilitate Romani Pontificis dici potuit, cùm is doctrinæ veritatis per omnia aſtrictus aſſeratur?

SECTIO VIII.

Sexta Probatio ex ſexta Synodo Generali, ſeu Conſtantinopolitana tertia, vbi Patres approbabant Epiſtolam Agathonis, in qua ſupremam & infallibilem Sedis Romanæ authoritatem ſtatuebat.

1. CElebrata eſt hęc Synodus anno 680. ſub Agathone Papa, imperante Conſtantino Pogonato contra Monothelitarum hæreſim, aſſerentium, vnam in Chriſto eſſe duntaxat voluntatem, vni-

eamque actionem; contra quos definitum eſt, in Chriſto Domino duas eſſe voluntates, totidemque actiones, Diuinam & humanam, iſtamq; Diuinæ per omnia ſubditam, & conuenientem. Quòd hæc Synodus agnouerit authoritatem infallibilem Romani Pontificis, ſuadetur.

2. Monothelitas Romæ damnauerat Agatho: ſententiæ ſuæ certiorem fecerat Conſtantinum Imperatorem duabus Epiſtolis, in quarum priori ſic ſcripſerat: *Porrigere dignemini clementiſſimam dexteram Apoſtolicæ doctrinæ, quam Petrus Apoſtolus tradidit, cuius adnitente præſidio, hæc Apoſtolica eius Eccleſia nunquam à via veritatis, in qualibet erroris parte deflexa eſt, cuius authoritatem, vtpote Apoſtolorum omnium Principis, ſemper omnis Catholica Eccleſia Chriſti, & vniuerſales Synod: fideliter amplectentes, in cunctis ſecutæ ſunt. Hæc eſt vera fidei regula, quam & in proſperis, et in aduerſis viuaciter tenuit, ac defendit Apoſtolica Chriſti Eccleſia: per Dei gratiam à tramite Apoſtolicæ traditionis nunquam erraſſe probabitur, quia dictum eſt Petro, Ego rogaui pro te &c. confirma fratres tuos.*

3. Hæc Agathonis Papæ Epiſtola lecta eſt in illa ſexta Synodo, actione quarta, & illam probarunt Patres Concilij actione octaua, ita vt eos, qui erant de Monotheliſmo ſuſpecti, compulerint ſingulatim conſiteri fidem ab Agathone præſcriptam, quod perſpicuis verbis præſtitere ſinguli, ſed imprimis Domitius Pruſiados Epiſcopus, his verbis: *Suggeſtiones directas à Patre noſtro Agathone, tanquam à Spiritu ſancto dictatas per os Sancti, & Beatiſſimi Principis Apoſtolorum Petri, & digito ter Beatiſſimi Papæ Agathonis ſcriptas, ſuſcipio, & amplector.* Quia verò hoc præſtare renuit Macarius Antiochenus, & alij quidam, exautorati ſunt à Synodo, damnatique. Præterea, vt refertur etiam in Concilio Florentino collatione 22. apud Labbè tom. 13. col. 1147. tota ſexta Synodus Act. 18. in ſerm. acclamatorio ad Conſtantinum Imperatorem poſt medium ſic dicit: *Summus concertabat nobiſcum Apoſtolorum Princeps ipſius enim imitatorem & Sedis Succeſſorem habuimus fautorem, & diuini ſacramenti myſterium per litteras illuſtrantem. Confeſſionem tibi à Deo ſcriptam illa antiqua Romana ciuitas obtulit, & dogmatum diem à veſpertinis partibus extulit: charta, & atramentum videbatur: & per Agathonem Petrus loquebatur.*

4. Quod amplius confirmatur ex Epiſtola Synodali data à ſexta Synodo ad Agathonem Papam Actione 18. in qua ſic Patres alloquuntur Pontificem: *Maximi morbi maioribus indigent auxilijs, vt ſcitis, Beatiſſime; atque ideò Chriſtus verus Deus noſter, virtus verè rerum omnium conditrix, ſapientem dedit Medicum, veſtram à Deo honoratam ſanctitatem, contagia hæretica ſuis fortiter propulſantem remedijs Orthodoxis, ac valetudinis robur membris Eccleſiæ largientem. Itaque tibi vt primæ Sedis vniuerſalis Antiſtiti quid gerendum ſit permittimus, ſtanti ſupra firmam fidei petram, acquieſcentes veræ confeſſionis litteris à Veſtra Paterna Beatitudine*

titudine

Digitized by Google

titudine ad piiſſimum Imperatorem miſſis; quas vt à Summo Apoſtolorum Vertice diuinitus ſcriptas agnouimus; per quas nuper exortam multiplicis erroris Hæreticam ſectam depulimus. Quid magis abſolutum? Quid ad Romanę Sedis authoritatem, eiuſque decretorum vim immortalem demonſtrandam eſse poteſt illuſtrius?

5. Hinc validiſſimum conficitur argumentum pro authoritate infallibili Romani Pontificis, eiuſque ſupra Concilium ſuperioritate: nam generalis Synodus per omnia approbauit Epiſtolam Agathonis magnificè prædicantis authoritatem doctrinæ ſuę, id eſt Romanæ Sedis, & affirmantis, illam eſſe doctrinam Principis Apoſtolorum, & eſse veram fidei regulam, atque in Eccleſiam Romanam errorem non cadere, eiuſque authoritatem vniuerſales Synodos ſequutas eſse. Ergo declarauit Sancta Synodus illa omnia vera eſſe: ergo declarauit Romanum Pontificem habere authoritatem infallibilem ad decidendas fidei controuerſias, & ipſi debere ſubijci Concilium Generale, & præſcriptam ab eo regulam ſequi.

§. I.

Confirmatio inde petita, quòd Synodus iſta Romanum Pontificem appellat vniuerſalis Eccleſiæ Antiſtitem, *eiuſque litteras damnantes doctrinam Monothelitarum appellat* dogmaticas.

ID vrgentiſſimè confirmatur ex eo, quòd tota Synodus in Sermone acclamatorio ad Conſtantinum Pogonatum Imperatorem teſtatur, *nil aliud ſe feciſſe, quàm Agathonis Patris ſui, & ſummi Papæ dogmaticis litteris conſentire; per Agathonem enim Petrus loquebatur.* Deinde in relatione ad eundem Pontificem ait: *Tibi, vti primæ ſedis Antiſtiti vniuerſalis Eccleſiæ, quid gerendum ſit relinquimus, ſtanti ſupra primam fidei petram. Libenter perlectis veræ confeſſionis literis à Veſtra Paterna Beatitune miſſis: quas vt à ſummo Apoſtolorum vertice diuinè conſcriptas agnouimus, per quas exortam nuper multiplicis erroris ſectam depulimus.* Hactenus Synodus generalis, quæ palàm appellat *dogmaticas* litteras Romani Pontificis, quibus totam Eccleſiam docet: ſentit ergo litteras illas authoritatem habere falli neſciam. Rurſus fatetur, per Romanum Pontificem aliquid definientem è cathedra Petrum loqui; Petrus autem falſum loqui non poteſt: ergo ſentit Romanum Pontificem, dum aliquid toti Eccleſiæ credendum proponit, nec fallere, nec falli poſſe ob aſſiſten-

ſtentiam Spiritus Sancti ſedi Petri conceſſam. Præterea Romanum Pontificem agnoſcit eſſe vniuerſalis Eccleſiæ Antiſtitem: ergo agnoſcit eſſe ſuperiorem Concilio generali repræſentante vniuerſam Eccleſiam: & fatetur, ad illum vt ad infallibilem fidei regulam ſpectare, præſcribere fidelibus quid credere debeant.

SECTIO IX.

Septima Probatio ex ſeptima Synodo generali, aliàs Nicæna Secunda, in qua Patres ſuum iudicium ſubiecerunt Romani Pontificis iudicio.

1. CElebrata eſt hæc Synodus ann. 787. ſub Adriano Papa, imperante Conſtantino Quarto, eiuſque Matre Irene, ad reparandas ruinas Eccleſiæ Orientalis, quæ à tribus Iconomachis Imperatoribus, Leone Iſauro, Conſtantino Cypronomo, & huius filio Leone, 50. continuis annis fœdiſſimè vaſtata fuerat, ſed mortuo Leone, eius vxor Irene orthodoxa, & religionis amantiſſima fœmina curauit, vt imperante eius filio, congregaretur Concilium generale ad damnandam hæreſim Iconoclaſtarum, ſeu Iconomachorum impugnantium cultum Sacrarum imaginum.

2. In hac Synodo actione 2. lectæ ſunt litteræ Adriani Primi Romani Pontificis ad Imperatorem, & ad Taraſium Patriarcham Conſtantinopolitanum. Legati verò eiuſdem Pontificis interrogauerunt totam Synodum ſub hac forma: dicat nobis, ſi admittat literas Sanctiſſimi Patris ſenioris Romæ, an non? Reſponderunt Patres: *Sequimur, & ſuſpicimus, & admittimus*; nilque in ea Synodo definitum fuit, quod Patres Concilij non ſubmiſerint Romani Pontificis iudicio. *Senioris Romæ Patrem* appellarunt Romanum Pontificem, vt illum ſecernerent à Patriarcha Conſtantinopolitano, qui nouæ Romæ Pater appellabatur. Et ſanè in illa Synodo ſinguli ferè Epiſcopi literas Adriani peculiari elogio honorarunt; nam Ioannes Epheſinus Epiſcopus dixit: *quemadmodum Sanctiſſimi Papæ Romani litteris continetur, ſic credo, & per gratiam Dei noſtri veri confiteor*. Et Conſtantinus Conſtantiæ in Cypro Epiſcopus, iuxta tenorem literarum ab Adriano Sanctiſſimo Papa Romano ad Sereniſſimos &c. *omnibus conſentio, & ſic confiteor, & cum hac fide ad tribunal Chriſti veri Dei noſtri proficiſcar*. Et in hanc ferè formam locuti ſunt Epiſcopus Cretæ, Epiſcopus Chalcedonis, & plerique alij, quorum confeſſio habetur poſt Epiſtolam Adriani ad finem actionis 22. à pa. 480. tom. 3. editionis Venetæ: ergo Patres ſeptimæ Synodi cognouerunt ſuperioritatem Romani Pontificis ſupra Concilium, eiuſque iudicium

cium in controuerſijs fidei, vt infallibilem regulam venerati ſunt. In hoc Concilio Adrianus Papa primus per ſuos Legatos præſedit, vt teſtatur Bellarminus lib. 1. de Concilijs cap. 1.

SECTIO X.

Octaua probatio ex octaua Synodo generali aliàs Conſtantinopolitana quarta, agnoſcente Romanum Pontificem vt ſibi ſuperiorem, & agnoſcente obligationem ſequendi eius iudicium in decreto fidei.

1. SYnodus iſta celebrata eſt ſub Adriano II. Papa, & Baſilio Imperatore anno 869. ad exauctorandum, & deponendum Photium violentum Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ inuaſorem, quem iam olim Nicolaus Papa Primus in Concilio Romano percuſſerat anathemate, atque reſtituendum in ſuam Sedem, à qua iniquè fuerat depulſus, Sanctiſſimum Patriarcham Ignatium, & ad renouandam definitionem de ſacro cultu Imaginum, & dogmata ſtatuenda.

2. Ex hac generali Synodo valida conficiuntur argumenta pro authoritate infallibili Romani Pontificis. Nam, vt in prima actione legimus: 1. Synodus exegit à Legatis Romanæ Sedis literas, quibus notam facerent poteſtatem ſuam, vt præſiderent Synodo. At illi produxerunt epiſtolam Adriani Papæ ad Baſilium Imperatorem &c. hâc autem epiſtolâ recognitâ, Legati Romani Pontificis admiſſi ſunt ad præſidendum Concilio. Et paulò inferiùs legimus: *deinde productus eſt libellus à Sancta Romanorum Eccleſia miſſus, & lectus audiente tota Synodo*. In eo autem libello inter alia hæc leguntur: *Sequimur Sanctam Synodum*: (Romanam) *& amplectimur, quam Beatæ recordationis Papa Nicolaus, cui & tu ipſe Domine Angelice Summe Pontifex Adriane ſubſcripſiſti, ante Sanctiſſimum Petri Apoſtolorum eximij corpus celebrauit, ſimul & quam tu ipſe nuper ibi egiſti, & omnia quæ in eis ſtatuta ſunt, ſecundùm Decreti veſtri moderationem venerabiliter conſeruabimus, recipientes quos recipiunt, & damnantes omnes, qui in illis damnati ſunt, & præcipuè iam dictum Photium* &c. Et poſt recitatum hunc libellum in illa actione 1. dicitur: Sancta Synodus dixit: *omnibus placet libellus à Sancta Romanorum Eccleſia expoſitus*. Hinc infero ſic: ergo octaua Synodus agnouit Romanum Pontificem vt ſibi ſuperiorem, & palàm profeſſa eſt, ſe damnare omnes, qui ab illo damnati ſunt: ergo agnouit iudicium Romani Pontificis eſſe infallibile, eamdem ei tribuens poteſtatem, quam Eccleſia Romanorum, in

in ſuo capite agnoſcebat: certum eſt autem Eccleſiam Romanorum, id eſt exiſtentium ſub ditione ſpeciali Epiſcopi Romani, agnoſcere in illo poteſtatem Concilio ſuperiorem, & in definiendo infallibilem.

§. I.

Prima Confirmatio inde petita, quòd Synodus iſta declarauerit, nullam fuiſſe Synodum à Photio coactam, eò quòd fuerit congregata contra authoritatem Romani Pontificis.

PRæterea in eadem Synodo actione 7. declararunt Patres, nullam fuiſſe Synodum à Photio coactam Conſtantinopoli, quia fuerat congregata aduerſus Apoſtolicæ Sedis, & reuerentiam, & priuilegium; & declaratum eſt, fuiſſe Conciliabulum ſimile Epheſino latrocinio, id eſt Concilio Epheſino Secundo, quod contra Sedis Apoſtolicæ authoritatem congregauit Dioſcorus Patriarcha Alexandrinus, in quo hæc verba habentur: *In vltima Seſſione annuente tota Synodo præceperunt Vicarij Senioris Romæ, vt legerentur Canones, quos ſtatuerat Sancta Synodus: & inter eos lectus eſt Canon ſextus, in quo Patres anathematizarunt Photium propter varias cauſas, & inter illas propter Concilium vanitatis, quod celebrare tentauit.* Ex quibus conſtat, octauam Synodum ſenſiſſe Romanum Pontificem eſſe Superiorem Concilio, & Patres Concilij debere obedire his, quæ ille per ſe immediatè, vel per Vicarios ſuos diſponit, nec poſſe vllam Synodum legitimè ſine authoritate ipſius cõgregari, nec robur habere ſine ipſius confirmatione.

§. II.

Confirmatio Secunda petita ex Veneratione, quam exhibuerunt Patres libello Adriani Romani Pontificis, agnoſcentes Sedem Romanam eſſe veræ fidei Magiſtram, & Cuſtodem.

1. COnfirmatur, quia Anaſtaſius, qui huic Synodo interfuit, in ſcholio ad actionem primam agens de veneratione, quam libello Adriani Pontificis retulerunt Patres Concilij, affirmat, ſecundùm libelli

belli firmationes, & Epiſcopos, & omnes omnino Clericos, qui in communione erant, Syngraphum Sedi Apoſtolicæ Grecè ſcriptum, & propriæ manus ſcripto roboratum Sedis Apoſtolicæ Vicarij tradidiſſe. Contigit deinde ex chirographis illis nonnulla furto ſubripi: queſti ſunt Legati: fecit verò Imperator, vt redirent ad vnum omnia, dicens, ait Anaſtaſius: *Ego quidem vt Magiſtram Eccleſiaſticorum negotiorum Sedem Apoſtolicam per meos Legatos adij, & ideo veſtram præſentiam præſtolatus ſum, vt veſtro decreto, & ſolertia Eccleſia noſtra remedia ſanitatis recuperet, & non noſtris moribus, ſed veſtræ ſententiæ pareremus.*

2. Audiamus verò exordium libelli, illorum Patrum chirographis firmati: *Prima ſalus eſt rectæ fidei Regulam cuſtodire, deinde à conſtitutis Dei, & Patrum nullatenus deuiare. Et quia non poteſt Domini noſtri Ieſu Chriſti ſententia prætermitti dicentis:* tu es Petrus &c. *in fide Apoſtolica eſt ſemper Catholica reſeruata Religio, & ſancta celebrata Doctrina; ab huiuſmodi ergo fide atque doctrina ſeparari minimè cupientes, anathematizamus omnes hæreſes ſimul cum Iconomachis.*

3. Denique audiamus etiam libelli finem, modumque chirographi attendamus: *Quoniam ſequentes in omnibus Apoſtolicam Sedem, & obſeruantes omnia eius ſtatuta ſperamus, vt in vna communione, quam Sedes Apoſtolica prædicat, eſſe mereamur, in qua eſt vera, & integra Chriſtianæ religionis ſoliditas. Hanc autem profeſſionem meam ego ille Epiſcopus manu propria ſcripſi, & tibi Sanctiſſimo, & vniuerſali Papæ Adriano per Legatos tuos Donatum, & Stephanum atque Marinum obtuli menſe illo, die illo, indictione quarta.* Atque hæc quidem Anaſtaſius, qui coràm in Concilio adfuit, poſteritati tradidit.

SECTIO XI.

Nona Probatio ex poſtremis Concilij Oecumenicis Latinis, agnoſcentibus infallibilem authoritatem in Romana Sede, ad decidendas Fidei, & morum controuerſias.

1. ENumerauimus hucuſque Concilia Generalia, in quibus Patres Latini, & Græci conuenerunt, reliqua omnia à ſolis Latinis celebrata ſunt. Probatur ergo eadem veritas ex Concilio Oecumenico 12. aliàs Lateranen. 4. quod celebratum eſt ſub Innocentio III. Pontifice anno 1215. & in quo ſederant 1212. Patres, ad condemnandas hæreſes Albigenſium, & errores Ioachimi Abbatis. Vt autem conſtat ex cap. *damnamus* de ſumma Trinitate, quamuis in hoc Concilio damna-

Digitized by Google

tus ſit error Ioachimi, tacta tamen non fuit eius perſona, quia nimirum ille omnia ſua ſcripta Sedis Apoſtolicæ iudicio, & correctioni ſubiecit; dictans Epiſtolam, quam propria manu ſubſcripſit, in qua firmiter confitetur, ſe illam fidem tenere, quam Romana tenet Eccleſia, quę, diſponente Domino, cunctorum fidelium Mater eſt, & Magiſtra. Hanc confeſſionem approbauit Concilium, docuitque, ſedem Petri Magiſtram eſse omnium fidelium, ac proinde Concilij generalis eos repręſentantis.

2. Idem docuit Concilium Oecumenicum 14. aliàs Lugdunenſe Secundum, celebratum ſub Gregorio X. anno 1274. in quo definitum eſt, *Spiritum Sanctum ex Patre, & Filio, non tanquam ex duobus principijs; ſed tanquam ex vno principio, non duabus ſpirationibus, ſed vnica ſpiratione procedere*. Et ſtatim ſubiungit; *ratio eſt, quia hoc profeſſa eſt hactenus, prædicauit, & docuit; hoc firmiter tenet, & prædicat, profitetur & docet Sacroſancta Romana Eccleſia Mater omnium fidelium, & magiſtra, vt habetur cap. vnico de ſumma Trinitate, & fide Catholica in ſexto*. Ergo docet Concilium infallibilem eſſe veritatem, quidquid Romana Eccleſia credendum fidelibus proponit; hoc autem falſum foret, ſi Romanus Pontifex errare poſſet, dum docet totam Eccleſiam: Romana namque Eccleſia ideo dicitur omnium fidelium magiſtra, quia Romanus Pontifex omnium fidelium Magiſter eſt.

SECTIO XII.

Decima Probatio ex Concilio Florentino definiente, Romanum Pontificem in vniuerſo orbe habere primatum, eſſe Succeſſorem B. Petri Principis Apoſtolorum, totius Eccleſiæ Caput, & verum Chriſti Vicarium.

1. HOc Concilium Ferrariæ cœptum eſt anno 1438. die nona Aprilis ſub Eugenio Quarto Pontifice Romano, ſeptimo ſui Pontificatus anno, imperante in Occidente Alberto Auſtriaco, & in Oriente Ioanne Palæologo, qui Conſtantinopoli ſedem habebat, & Ferrariam ad hanc Synodum venit, in qua præcipuè agendum erat de vnione Eccleſiæ Græcæ cum Latina: & poſtea peſte imminente Florentiam translatum eſt, vbi anno 1439. die 26. Februarij Prima Seſſio (ordine

ne 17.) habita eſt. In hoc Concilio ſubſcripſerunt 141. Patres, multi verò alij ante ſubſcriptionem diſceſſerant.

2. Hæc Synodus à Græcis appellatur octaua generalis, vt notat Laurẽtius Surius in admonitione ad Lectorem, præfixa ante hoc Concilium, ſecundum editionem Venetam anni 1585. dicens, *Viros doctos hoc admirari*. At ſecundum vetum computum Latinorum eſt Synodus 16. generalis; nam teſte Bellarmino lib. 1. de Concilijs, cap. 3. Concilia generalia approbata numerantur vſque ad Tridentinum incluſiuè decem, & octo, intra quæ ſecundum eundem occupat 16. locum Florentinum. At ſecundùm alios Concilia generalia ſunt 19. & inter illa Florentinum eſt 17. quia iſti Authores inter Concilia generalia numerant Conſtantienſe celebratum tempore ſchiſmatis, quod tamen Bellarminus non facit; quia licet Concilium illud quoad aliquas ſeſſiones approbatum ſit à legitimo Pontifice, quoad alias fuit ab eodem reprobatum.

3. In Concilio ergo Florentino in ſanctis vnionis litteris, quæ habentur poſt ſeſſionem 25. poſtquam definitum eſt, *illorum animas, qui poſt Baptiſma ſuſceptum nullam omnino peccati maculam incurrerunt, & illas etiam, quæ poſt contractam peccati maculam vel in ſuis corporibus, vel eiſdem exutæ corporibus ſunt purgatæ, in cælum mox recipi, & intueri clarè ipſum Deum Trinum, & Vnum, ſicuti eſt, meritorum tamen diuerſitate alium alio perfectiùs: illorum autem animas, qui in actuali mortali peccato, vel ſolo originali decedunt, mox in infernum deſcendere, pænis tamen diſparibus puniendas.* Poſtquam hanc veritatem definiuit Concilium immediatè ibi ſubiungit.

4. *Item definimus, Sanctam Apoſtolicam Sedem, & Romanum Pontificẽ in vniuerſum orbẽ tenere primatũ, & ipſum Pontificem Romanũ Succeſſorem eſſe Beati Petri Principis Apoſtolorum, & Verum Chriſti Vicarium, totiuſque Eccleſiæ caput, & omnium Chriſtianorum Patrem ac Doctorem exiſtere, & ipſi in Beato Petro paſcendi, regendi, & gubernandi vniuerſalem Eccleſiam a Domino Noſtro Ieſu Chriſto plenam poteſtatem traditam eſſe, quemadmodum etiam in geſtis Oecumenicorum Conciliorum, & in Sacris Canonibus continetur*. Hactenus Concilium; ex cuius verbis conſtat, non minus de fide eſſe primatum Romani Pontificis hic definitum, quàm Beatificationem animarum Sanctarum, & pænam reprobatarum ante diem iudicij vniuerſalis. Et hinc neceſſariò concluditur eius infallibilitas in determinandis Fidei, & morum controuerſijs.

5. Ex hac enim definitione infertur, Romanum Pontificem à Chriſto immediatè conſtitutum eſſe Paſtorem, & caput non ſolùm omnium Eccleſiarum particularium diuiſiuè, ſed etiam totius vniuerſalis Eccleſiæ, prout repræſentatur in Concilio generali: ergo ſi extra Concilium generale aliquam fidei controuerſiam decidat, & fidelibus, quid in illa re tenere, & credere debeant, proponat, non poteſt hæc defini-

tio reformari per Concilium. Probo conſequentiam; quia ſi poteſt ſic reformari, poterit Concilium declarare, falſum eſſe, quod tanquam articulum fidei Romanus Pontifex omnibus fidelibus credendum propoſuit: ergo Concilium erit ſupra Pontificem Romanum,& conſequenter iſte comparatiuè ad Eccleſiam vniuerſalem in Concilio generali congregatam, non erit Caput, & Summus Paſtor, ſed membrum, ſed ſubditus, ſed ouis; quod clarè repugnat definitioni Concilij. Quòd ſi definitio Pontificis non poteſt reformari per Concilium: ergo eius iudicium atque ſententia eſt vltima: at non foret vltima, ſi Pontifex poſſet errare: nam error contra fidem, debet corrigi, & reformari: ergo Pontifex Romanus nequit errare in dubijs fidei, & morum decidendis.

§. I.

Confirmatio Prima, quia hoc ipſo quod Romanus Pontifex ſit Doctor omnium Chriſtianorum, Magiſter eſt omnium Epiſcoporum, etiam dum ſunt congregati in Concilio, habetque proinde infallibilitatem ad declarandum illis dubia fidei, & morum.

CONfirmatur Primò: iuxta Florentinum Romanus Pontifex eſt Doctor omnium Chriſtianorũ:ergo etiam quando omnes eſſent ſimul congregati,illos etiã ſimul ſumptos docere deberet Pontifex Romanus: ergo ab illo doceri debet Conciliũ generale repręſentans totã Eccleſiam: nequit ergo Concilium tanquã Magiſter, & Doctor docere Pontificem; poſset autem ſic docere, ſi Pontifex Romanus errare poſſet,dum toti Eccleſię aliquid credendũ proponit:quia cùm in Eccleſia Chriſti debeat eſſe magiſterium infallibile, & impotẽs errare, quia alioqui illa non foret *columna, & firmamentum veritatis*; ſanè ſi hoc magiſterium non eſt penes Romanum Pontificem, debet eſſe penes Concilium generale; Magiſter autem impotens errare, poteſt errantem diſcipulum inſtruere: cùm ergo abſurdum ſit, Concilium generale (quod legitimum eſse non poteſt, niſi auctoritate fiat Romani Pontificis, ſi tunc exiſtat, & à tota Eccleſia pacificè ſit acceptatus) Pontificem Romanum, qui eſt totius Eccleſiæ Magiſter, tanquam Diſcipulum potentem errare, docere; conſequens eſt, vt Romanus Pontifex certus, & indubitatus authoritatem

Digitized by

tem habeat infallibilem ad docendam totam Eccleſiam, nec poſſit eius iudicium per Concilium generale poſtea congregatum reformari.

§. II.

Secunda Confirmatio; quia Eccleſia congregata in Concilio Generali eſt propriè Eccleſia Chriſti, cuius caput eſt Romanus Pontifex, proindeque eſt ſuperior illa vt ſic congregata.

1. Confirmatur ſecundò: quia Eccleſia congregata, ſiue Concilium generale Eccleſiam totam repræſentans, proprijſſimè eſt Eccleſia Chriſti, quod negare non poſſunt Pariſienſes, ſiquidem Eccleſia eſt congregatio fidelium: ergo quo magis fideles ſunt congregati, & vniti, eo magis propriè ſunt Eccleſia. At cùm aliquid de alio abſolutè dicitur, non poteſt excipi id, quod per illud proprijſſimè ſignificatur: ergo dum Florentinum definit Pontificem eſse totius Eccleſiæ caput, malè excipitur Eccleſia vniuerſalis congregata in Concilio generali: ergo Florentinum definit Romnum Pontificem eſse caput Eccleſiæ congregatæ in Concilio generali: ergo definit eſse ſupra Eccleſiam congregatam in Concilio generali; nam caput eſt ſupra corpus, & non corpus ſupra caput: ergo virtualiter definit, definitionem Romani Pontificis, quâ extra Concilium generale aliquid toti Eccleſiæ credendum proponit, eſse irreformabilem à Concilio generali; ac proinde virtualiter definiuit, authoritatem Romani Pontificis extra Concilium generale docentis totam Eccleſiam eſse infallibilem: idque manifeſtè Chriſtus Petro promiſit, dum ei dixit, *& ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam*; negari enim non poteſt, Eccleſiam, vt congregatam in Concilio generali, eſse Eccleſiam illam, quam Chriſtus ſupra Petrum fundauit: ergo certum eſse debet, Petrum, & ſucceſsorem eius eſse caput Eccleſiæ vt congregatæ in Concilio generali, ac proinde eſse ſuperiorem illâ vt ſic congregatâ, eamque per veram doctrinam poſse, ac debere paſcere, non ab ea paſci, & doceri.

2. Confirmatur tertiò: quia licèt Eccleſia Chriſti materialiter ſit diſperſa quantum ad locum; formaliter tamen ſemper eſt congregata, quia eſt vnum regnum, vna familia, vnus grex: ergo Florentinum definiuit, Pontificem Romanum eſse caput totius Eccleſiæ; definit eſse caput Eccleſiæ congregatæ in Concilio generali, & ſuper illam vt ſic congregatam habere ſuperioritatem: ergo virtualiter definit, ſententiam à Romano Pontifice in dubijs fidei prolatam, & toti Eccleſiæ propoſitam,

Digitized by Google

poſitam, non poſse reuocari per Concilium generale: nam ſententia ſuperioris ab inferiori, vt tali, reuocari non poteſt.

3. Confirmatur quartò: quia *Sedes Apoſtolica in vniuerſum Orbem tenet primatum*: ergo tenet primatum in Eccleſiam congregatam in Concilio generali, etiam vt ſic congregatam; quia illa, vt ſic comprehenditur ſub vniuerſo orbe: ergo Eccleſia congregata in Concilio generali non tenet primatum in Romanum Pontificem. Patet conſequentia; quia impoſſibile eſt, vt Romanus Pontifex habeat primatum in Concilium, & ſimul Concilium habeat primatum in Romanum Pontificem; cùm reſpectu eiuſdem ſub eadem ratione nequeat idem eſse ſimul ſuperius, & inferius: ergo non poteſt Concilium reformare ſententiam latam à Romano Pontifice in controuerſijs fidei: ergo ſententia illa eſt infallibilis. Conſequentia vltima eſt euidens, quia cùm de fide ſit, in Eccleſia Chriſti reperiri authoritatem infallibilem ad decidendas controuerſias fidei, illa debet reperiri in ſupremo iudice, à quo non eſt appellatio.

4. Confirmatur quintò: quia poteſtas decidendi controuerſias fidei, quę ſit poteſtas ſubordinata ſuperiori iudicio Concilij, non eſt plena poteſtas; at iuxta Concilium Chriſtus conceſſit Romano Pontifici plenam poteſtatem ad gubernandam Eccleſiam: ergo conceſſit poteſtatem non ſubordinatam Concilio generali: ergo Romanus Pontifex habet authoritatem infallibilem ad decidendas fidei controuerſias extra Concilium generale.

§. III.

Alia Confirmatio, quia Romanus Pontifex non eſt Vicarius Eccleſiæ, ſed immediatè ipſius Chriſti, inde ſequitur habere authoritatem infallibilem.

1. Confirmatur vltimò, quia Romanus Pontifex eſt verus Chriſti Vicarius, & non eſt Vicarius Eccleſiæ, vt Diſp. 1. & 2. probatum eſt: at Chriſtus Vicario ſuo tradidit plenam poteſtatem regendi, & gubernandi vniuerſalem Eccleſiam: ergo hanc poteſtatem tradidit Romano Pontifici. At hęc plena poteſtas includit authoritatem infallibilem ad decidenda dubia fidei, & morum, nempe ad declarandum, quid ſit verum & credendum, quid falſum & reſpuendum, quid ſit bonum & amplectendum, quid malum & fugiendum: nam ſine hac auctoritate infallibili nequit rectè Romanus Pontifex regere, & gubernare Eccleſiam; non enim rectè gubernat, qui proponit vt veritatem infallibilem dogma falſum, & vt rem Deo placentem id, quod ab ipſo prohibitum eſt.

§. IV.

§. IV.

Quarta Confirmatio inde petita, quòd in Florentino definitum eſt illud ipſum, quod Cardinalis Lotharingus deſiderabat definiri à Tridentino, nempe ineſſe Romano Pontifici poteſtatem regendi vniuerſalem Eccleſiam: *cui definitioni ſe oppoſuerunt alij Galli, obtendentes, hoc pacto virtualiter definitum iri, Papam eſſe ſupra Concilium, ac proinde gaudere infallibilitate ad determinandas fidei & morum controuerſias.*

1. IDque robur accipit ex his, quæ narrat Cardinalis Sfortia in hiſtoria Concilij Tridentini lib. 19. cap. 6. nempe Cardinalem Lotharingiæ Carolum Guiſium, qui nationis Gallicanæ ductor erat, Canonem formaſſe pro auctoritate Pontificia tuenda, & in oratione coram Concilio per duas horas habita, inter alia enixè contendiſſe, vt à Concilio damnaretur, qui diceret, Petrum ex inſtituto Chriſti, primum inter Apoſtolos non fuiſſe, ſummumque ipſius Vicarium, nec neceſſe eſſe in Eccleſia vnum eſſe Supremum Pontificem Petri Succeſſorem, eique parem in authoritate regendi, atque in Romana Sede eius Succeſſores habuiſſe ius primatus in Eccleſia. Poſtea autem eodem libro cap. 13. n. 6. narrat, Lotharingum Cardinalum Paleotto partes Pontificis agenti ſignificaſſe, ſe non potuiſſe quantauis adhibita diligentia ſuos Epiſcopos, & Theologos adducere ad decretum illud, Canonemque firmandum: non admittebant enim, inquit Pallauicinus, in Canone propoſito à Lotharingo, ea verba, quibus ſignificabatur, *ineſſe poteſtatem Summo Pontifici regendi Eccleſiam vniuerſalem*, cùm illa officerent ſententiæ neganti, eum eſſe ſuperiorem Concilio, ac proinde loco *Eccleſiam vniuerſalem*, ponendum eſſe, *omnes fideles, & omnes Eccleſias*: neque conſentiebant, vt diceretur, eſſe Romanum Pontificem æqualem Petro in authoritate regendi. Ergo iam ſentiebant Prælati Gallicani, ſi in Tridentino definiretur, Pontifici Romano ineſſe poteſtatem regendi Eccleſiam vniuerſalem, hoc ipſo definitum iri, Pontificem Romanum eſſe ſupra Concilium Generale. At hoc ipſum definitum fuit in Concilio Floren-

Digitized by Google

rentino: ergo ex iſto Concilio conſtat Pontificem Romanum ſuperiorem eſſe Concilio Generali, vt contradiſtincto à Pontifice: ergo conſtat habere authoritatem infallibilem ad decidendas fidei controuerſias.

2. Et quidem Pontificem Romanum eſſe caput vniuerſale Eccleſiæ, inde etiam comprobatur, quia Eccleſia vniuerſalis, quatenus talis, eſt vnum corpus viſibile: ergo quatenus Eccleſia vniuerſalis, debet habere vnum caput viſibile, alioqui foret monſtrum. At non poteſt fingi Eccleſiam vniuerſalem habere aliud caput viſibile præter Romanum Pontificem: ergo hic eſt caput Eccleſiæ vniuerſalis, ſeu totius Eccleſiæ Chriſti ſimul ſumptæ: ergo reſpectu illius ſimul ſumptæ habet ſuperioritatem, ac proinde nequit eius iudicium ab Eccleſia reformari.

§. V.

Reijcitur vt improbabilis interpretatio, qua Maimburgus eludere conatus eſt definitionem Concilij Florentini in fauorem Romani Pontificatus editam.

1. ANno 1685. Author iſte in defenſionem declarationis Cleri Gallicani emiſit in lucem tractatum hiſtoricum *de Romana Eccleſia, eiuſque prærogatiuis*, linguâ Gallicâ. In hoc autem tractatu cap. 3. pag. 48. eludere tentat definitionem Concilij Florentini appoſitam ſupra ſect. 8. num. 13. in qua ſtatuit Romanum Pontificem *Succeſſorem eſſe B. Petri Principis Apoſtolorum, & verum Chriſti Vicarium, totiuſque Eccleſiæ caput; & ipſi in Beato Petro paſcendi, regendi, & gubernandi vniuerſalem Eccleſiam à D.N. Ieſu Chriſto plenam poteſtatem datam eſſe, quemadmodum etiam in geſtis OEcumenicorum Conciliorum, & in Sacris Canonibus continetur.*

2. Eludere, inquam, tentat hanc definitionem, & vt hoc obtineat, dicit hæc vltima verba continere limitationem authoritatis Pontificiæ; quia ex Græco loco illorum verborum, *Quemadmodum etiam in geſtis OEcumenicorum Conciliorum, & in Sacris Canonibus continetur*; hæc alia habentur: *iuxta eum modum qui in Actis Conciliorum & in Sacris Canonibus continetur*. Sic legitur (inquit idem Maimburgus) etiam Decad. 3. lib. 10. apud Blondum Secretarium Eugenij IV. qui præſidebat Concilio: apud Eckium tract. de primatu Papæ; apud Epiſcopum Roffenſem art. 25. contra Lutherum, & apud Albertum Pighium lib. 4. de Eccleſiaſtica Hierarchia. Hinc probat Concilium Florentinum illis ver-

Digitized by Google

verbis vltimis limitaſſe plenæ Pontificiæ poteſtatis vſum ad eum modum, qui in Concilijs, & Sacris Canonibus continetur.

3. Verùm hanc euaſionem de falſitate planè conuincit eruditiſſimus Vir D.D. Emanuel à Schelſtrate Bibliothecæ Vaticanæ Præfectus in præfatione egregij tractatus excuſi Romæ anno 1686. de ſenſu, & authoritate Decretorum Conſtantienſis Concilij ſeſſ.4.& 5.circa poteſtatem Eccleſiaſticam editorum; & imprimis ad oculum demonſtrat, nec Albertum Pighium, nec Ioannem Roffenſem, nec Eckium, nec ipſum Blondum illum ſenſum tribuere verbis Græcis, quem præſcribunt illa verba Latina, *iuxta eum modum, qui in Actis Conciliorum, & in Sacris Canonibus*, per quæ hic Author exponit verba Græca; ſed verba Græca continere illum ipſum ſenſum, quem reddunt verba Latina, quæ habentur in omnibus editionibus Florentini Concilij; remque demonſtrat ex ipſo Blondo, qui in manuſcriptis, quorum duo exemplaria conſeruantur in Bibliotheca Vaticana num. 1939. & 1940. non habet *iuxta eum modum qui &c. ſed quemadmodum & in Geſtis, vt legitur in Concilio.* Iſteque Author teſtatur, ſe vidiſſe Originale Concilij iſtius, quod extat in Ciuitate Florentina, vbi ipſum Concilium celebratum eſt; & tam in illo, quàm in exemplari authentico, quod in ſcrinijs Apoſtolicæ Sedis cuſtoditur, legi: *Quemadmodum etiam &c.* & ſimiliter legi in alio Originali eiuſdem Concilij, quod aſſeruatur in Archiuo Eccleſiæ Cathedralis Bononienſis.

SECTIO XIII.

Refellitur ex dictis Euaſio Authoris Galli moderni, contendentis Romanum Pontificem non eſſe Caput, & Principem vniuerſalis Eccleſiæ.

1. AVthor Hiſtoriæ Pontificiæ iuriſdictionis excuſæ Pariſijs anno 1625. qui cenſetur eſſe Michaël Rauſſetus, qui epiſtolam dedicatoriam conſcripſit: quia tamen nomen ſuum in fronte libri non apposuit, alij exiſtimant alium fuiſſe huius libri authorem, ſcilicet Petrum Marca, qui ad declinandam offenſionem Summi Pontificis, ſub alieno nomen ſuum occultauerit. Hic, inquam, Author lib.3. nu.11. pag. 349. diſputat de poteſtate Concilij vniuerſalis, & inquirit, an in ea Pontifex includatur, ita vt eius decretis obedire teneatur, an ab eo correctionem ſuſcipere valeat? an denique deponi legitimè poſſit? Si enim caput eſt Eccleſiæ, vt ſupra (inquit ille) pluribus demonſtrauimus, nonne inſtar

eſt monſtri, ſi membra capiti dominentur, & inſiliant? & ſtatim ſubiungit ſequentia verba: *Sed reſpondetur, illum eſſe vniuſcuiuſque particularis Eccleſiæ caput, & Principem, ſed generalis Eccleſiæ, quæ in Concilio generali repræſentatur, Chriſtum verè Caput eſſe: Pontificem verò iſtius Capitis inuiſibilis viſibilem duntaxat miniſtrum; et quomodo Miniſter non erit inferior ei, cui miniſtrat? cùm Eccleſia ſit Sponſa Chriſti, quomodo Petrus Sponſæ Domini ſui non erit inferior? Si Petrus eſt fundamentum, ſiquidem in eo ædificata eſt Eccleſia, quomodo fundamentum non ſubiacebit?* Hactenus ille.

§. I.

Ex vnitate Eccleſiæ demonſtratur, Romanum Pontificem non ſolùm eſſe caput cuiuslibet Eccleſiæ particularis, ſed totius Eccleſiæ vniuerſalis.

1. HÆc tamen euaſio ex dictis facilè præcluditur; quia de fide eſt, Chriſti Eccleſiam eſſe vnam, ſiquidem in Symbolo Nicæno credimus in *vnam ſanctam Eccleſiam*. Cùm verò dicimus Eccleſiam eſſe vnam, hoc intelligimus vnitate totius, nam ratione diuerſi loci, ac temporis dubium non eſt, quin plures Eccleſiæ dici poſſint, vti loquitur ſæpe Apoſtolus; ſed tamen omnes eiuſmodi Eccleſiæ ſunt partes vnius Eccleſiæ Chriſtianæ vnitate totius: ergo dum Chriſtus conſtituit Petrum, atque Romanum Pontificem eius Succeſſorem, Caput Eccleſiæ ſuæ, conſtituit illum Caput Eccleſiæ vniuerſalis: non enim dixit, *Et ſuper hanc petram ædificabo* Eccleſias meas, ſed *Eccleſiam meam*: ergo Summus Pontifex eſt Caput vniuerſalis Eccleſiæ, & non ſolùm cuiuslibet Eccleſiæ particularis. Idque ſatis probatum manet tum §. antecedenti, tum in præcedenti Sectione, vbi latè oſtendimus, ſupremam iuriſdictionem non eſſe immediatè communicatam Collegio, ſeu Communitati Apoſtolorum, atque Epiſcoporum, ſed immediatè communicatam eſſe Petro, eiuſque Succeſſori, & ideo communicatam dici Eccleſiæ, quia communicata eſt Eccleſiæ capiti, vt Capiti, & pro bono ipſius Eccleſiæ.

2. Quare Petrus, eiuſque Succeſſor Romanus Pontifex ita eſt viſibilis miniſter inuiſibilis Capitis Eccleſiæ, id eſt Chriſti, vt ſimul ſit viſibile caput eiuſdem Eccleſiæ, tamquam Chriſti Vicarius, & eius vicesgerens. Nec enim hæc duo inter ſe opponuntur, ſed ſunt penitus idem in præſenti materia. Quamuis autem Petrus, & Romanus Pontifex eius Succeſſor relatè ad Chriſtum ſit miniſter, relatè tamen ad corpus Eccleſiæ eſt caput viſibile, & princeps, eam loco Chriſti gubernans.

nans. Vnde hic Author hallucinatur, dum Petrum, qui comparatiuè ad Chriſtum eſt miniſter, & inferior, vocat etiam miniſtrum, & inferiorem comparatiuè ad Eccleſiam, ſaltum faciens, ab vno ſenſu ad alium, à Miniſtro Chriſti ad miniſtrum Eccleſię; nam eſſe miniſtrum Chriſti, ibi eſt, eſſe Vicarium Chriſti. Ex eo autem quòd Romanus Pontifex ſit Chriſti Vicarius, inferri non poteſt eſſe Vicarium, atque miniſtrum Eccleſiæ, nam in Concilio Conſtantienſi definitum eſt contra Wiclefum, Romanum Pontificem non eſſe Vicarium Eccleſiæ, ſed Chriſti. Quare dum Aduerſarius ad negandam ſuperioritatem Romani Pontificis in Concilium, cogitur concedere, illum non eſſe caput vniuerſalis Eccleſiæ, ſe victum fatetur, quia rem dicit omnino improbabilem, & manifeſtè rupugnantem Euangelio: Eccleſia enim vniuerſalis propriiſſimè Eccleſia eſt, & Chriſtus Petrum Eccleſiæ præfecit, ſeu Eccleſiæ ſuæ caput, & fundamentum fecit: propriiſſimè Eccleſia vniuerſalis ouile eſt, & Chriſtus totius ſui ouilis ſupremum Paſtorem Petrum conſtituit: De qua re in diſp. 2. fuſius dictum eſt.

§. II.

Ex eo quòd vniuerſalis Eccleſia ſit Sponſa Chriſti, non ſequitur, Romanum Pontificem non eſſe caput totius Eccleſiæ, quatenus diſtinctæ ab ipſo.

NEc ex eo quòd Eccleſia vniuerſalis ſit Sponſa Chriſti, ſequitur, Romanum Pontificem non eſſe ſuperiorem ipsâ, vt contradiſtinctâ ab illo, ſed ſolùm ſequitur non eſſe ſuperiorem Eccleſiâ, quatenus conſtante corpore, & Capite, ſeu quatenus eſt vnum totum perfectum coaleſcens ex capite, & omnibus alijs membris, quia Romanus Pontifex ſeipſo ſuperior non eſt: ſic Caput hominis ſuperius eſt reliquis membris, non tamen toto homine, ſeu toto corpore humano, vt includente caput. In hoc ſenſu Eccleſia Chriſti ſuperiorem non habet in terris, ſed immediatè ſubijcitur Chriſto, quia Romanus Pontifex quatenus Chriſti Vicarius, ſolum Deum ſupra ſe habet. Vnde ſicut quòd Eccleſia Chriſti ſit eius Sponſa, non tollit quò minùs ſit infinitè inferior Spōſo ſuo, ita non tollit quò minùs propriè ſit inferior Romano Pontifice, vt Vicario ſui Sponſi; Chriſtus enim ſicut Petrum, & Succeſſorem eius ſui Vicarium in terris reliquit, ita voluit, vt nomine ipſius Sponſam ſuam regeret, & vt hæc eſſet illi ſubiecta.

Digitized by Google

§. III.

Futile eſt argumentum, quo Author Hiſtoriæ Pontificiæ probat, Romanum Pontificem eſſe inferiorem Concilio: vbi multiplex aſſignatur ratio, cur Eccleſia ſit vna.

1. PVerile, & merè vocale eſt argumentum, quo Author ille probat, Romanum Pontificem eſſe inferiorem Concilio, ſcilicet quia proprium eſt fundamenti ſubijcere, nam per metaphoram fundamenti non ſignificatur, poteſtatem Pontificis eſſe ſubiectam poteſtati Eccleſiæ, ſicut lapis fundamenti eſt ſub cumulo lapidum conſtituentium ædificium; alioqui etiam eſſet inferior reſpectu Eccleſiarum particularium, ſicut lapis fundamenti non tantùm ſubiacet toti ædificio, ſed ſingulis partibus ſupra ipſum nitentibus: ſed ſignificatur, totam firmitatem Eccleſiæ pendere à firmitate Petri, & Succeſſorum eius, quia eatenus Eccleſia firma in veritate ſtabit, quatenus adhærebit Romano Pontifici in ijs quæ credenda proponit. Vnde S. Leo ſerm. 3. aſſumptionis ſuæ expendens illa verba Chriſti ad Petrum, *Et ego dico tibi quia tu es Petrus*, &c. inquit: *Hoc eſt, ſicut Pater meus manifeſtauit tibi Diuinitatem meam, ita ego notam tibi facio excellentiam tuam: quia tu es Petrus, id eſt, cùm ego ſim inuiolabilis petra, ego lapis angularis, qui facio vtraque vnum, ego fundamentum, præter quod nemo poteſt aliud ponere: tamen tu quoque petra es, quia meâ virtute ſolidaris, vt quæ mihi poteſtate ſunt propria, ſint tibi mecum participatione communia. Et ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduerſus eam. Super hanc*, inquam, *fortitudinem æternum exſtruam templum, & Eccleſiæ meæ cælo inferendæ ſublimitas in huius fidei firmitatem ſurget*. Hinc ſequitur Romanum Pontificem non accipere firmitatem fidei à Concilio, ſed contra Concilium à Pontifice, ſicut ædificium accipit firmitatem à fundamento, & non è econtra. Et hoc eſt neceſſarium ad vnitatem Eccleſiæ ſaluandam.

2. Nam Eccleſia dicitur *vna* tum vnitate Patris, ſcilicet Dei vocantis (ſiquidem *Eccleſia* Græcè; Latinè eſt *conuocatio*, vt omnes notant) tum vnitate finis, nempe vitæ æternæ, quam ſperamus, & ad quam vocati ſumus, tum vnitate mediorum, nimirum fidei, & Baptiſmi, & reliquorum Sacramentorum, quorum quaſi ianua eſt Baptiſmus, ſecundùm illud Apoſtoli ad Epheſios 4. *Sollicitì ſeruare vnitatem ſpiritus in vinculo pacis, ſicut vocati eſtis in vna ſpe vocationis veſtræ, vnum corpus,*

& vnus

& vnus ſpiritus, vna fides, vnum Baptiſma, vnus Deus, Pater omnium. Dicitur etiam *vna* ab vnitate eiuſdem cibi cæleſtis, id eſt Euchariſtiæ, quâ fideles reficiuntur iuxta illud Apoſtoli 1. ad Corinth. 10. *vnus panis, & vnum corpus multi ſumus omnes, qui de eodem pane, & calice participamus*: item ab vnitate charitatis, & doctrinæ, quæ ſit eadem à fidelibus retinenda, vt monet Apoſtolus ad Philippenſes 2. *vnanimes in charitate idipſum ſentientes*; de quo vnitatis modo intelligi quoque poteſt illud Actorum 4. *Erat multitudinis credentium cor vnum, & anima vna.*

§. IV.

Eccleſia ab vnitate fidei dicitur vna, præcipuè quia habet rationem accommodatiſſimam ad conſeruandam vniformitatem Fidei, eò quòd Summus Pontifex habeat authoritatem infallibilem ad proponendum veritates credendas.

1. VT autem præclarè notat P. Valentia, Eccleſia Chriſti non ob eam rem ſolùm ab vnitate fidei, & doctrinæ vna eſſe dicitur, quoniam omnes qui ſunt eius membra, in eadem fide atque doctrina, quamdiu ſunt eius membra: conſentiant actu, ſed quoniam modum, atque rationem ipſa tenet accômodatiſſimam ad conſenſionẽ fidei tuendam. Ratio eſt perſpicua; quia ſi Eccleſiæ vnitatem in actuali tantùm doctrinæ fidei conſenſione, & non præcipuè in ratione ad conſenſum accommodatiſſima poneremus, nil omnino magnum Eccleſiæ Chriſti tribueremus, nec poſſet Eccleſia Catholica per eam notam ab Hæreticorum conuenticulis vllo modo diſcerni. Quis enim vnquam fuit Hæreticorum cætus tam exiguus, in quo qui ad eum pertinuerunt, quamdiu pertinuerunt, non fuerint actu de doctrina conſentientes? cùm enim primùm aliquis prudens, ac ſciens ab alijs diſſentit, cenſetur ad eum cętum non pertinere.

2. Præcipua ergo ratio, ob quam ab vnitate doctrinæ Eccleſia Catholica dicitur vna, eſt, quia ipſa vnum Paſtorem rectiſſimè agnoſcit, cuius iudicio in fidei controuerſijs acquieſcit, vel quia vt Cyprianus Epiſt. 9. Eccleſiam definit, *ipſa eſt plebs Sacerdoti adunata, & Paſtori ſuo grex adhærens*; Atque adeò quàm facile eſt in Eccleſia cognoſcere, quid Summus Pontifex in fidei quæſtionibus è cathedra, id eſt vniuer-

ſam

Digitized by Google

ſam obligando Eccleſiam, decernat; tam eſt Eccleſiæ facile retinere in doctrina fidei conſenſum: è contra verò Hæreticorum omnium conuenticula, dum Scripturarum, atque adeò fidei explicationem alicui certæ authoritati, tanquam Diuinâ aſſiſtentiâ infallibili non committunt, ſed vnicuique Scripturam ſolam, vt vnicam, ac ſufficientem fidei magiſtram; deſignant; neceſſe eſt, vt in tot ſententias de fide diverſas diſtrahantur, quot ſunt ferè capita: Ergo ideo Chriſti Eccleſia vna eſt vnitate doctrinæ, quia omnia membra capiti in credendo adhærere debent, & ideo Cyprianus aiebat, *exordium ab vnitate proficiſcitur, vt Eccleſia vna monſtretur*: & Hieronymus, *propterea inter duodecim vnus eligitur, vt Capite conſtituto Schiſmatis tallatur occaſio*: ergo Petrus, & Romanus Pontifex eius Succeſſor habet authoritatem infallibilem ad declarandum legitimum ſenſum Scripturæ, & fidelibus proponendum, quid credere debeant, & prærogatiuam ipſi Chriſtus dedit, dum Eccleſiæ ſuę, quę vna eſt, ipſum Caput conſtituit, & totius ædificij fundamentum poſuit.

SECTIO XIV.

Vndecima probatio ex Concilio Lateranenſi vltimo, in quo declaratum eſt, Romanum Pontificem habere authoritatem ſupra omnia Concilia.

1. COeptum fuit hoc Concilium anno 1512. ſub Iulio II. ſed mortuo Iulio anno 1513. & ſuccedente in eius locum Leone X. continuatum eſt ſub eodem vſque ad annum 1517 in quo finitum eſt, vel vſq; ad annum 1518. die 16. Martij ſecundum computum P. Philippi Labbè in ſynopſi hiſtorica Conciliorum. In hoc Concilio ſeſſione vndecimâ expreſsè ſtabilitur authoritas Romani Pontificis Concilio generali ſuperior, & conſequēter infallibilis ad decidendas fidei controverſias, etiam extra Concilum generale, pro illa authoritate allegatur teſtimonium antiquorum Conciliorum.

§. I.

Proponitur Definitio, ſeu Declaratio facta ab hoc Concilio.

1. NAM Leo Pontifex reuocaturus pragmaticam Sanctionem, editam à Concilio Baſilienſi, quando non erat legitimum, ſic ait ſeſſione

Digitized by Google

ſeſſione 12.tom.5. Conciliorum pag.176. editionis Venetæ: *Sicut Leo Papa primus Prædeceſſor noſter ea, quæ in Secunda Epheſina Synodo temerè contra iuſtitiam, & Catholicam fidem geſta fuerunt, poſtea in Concilio Chalcedonenſi mandauit, ac fecit pro dictæ fidei firmitate reuocari: ita & nos à tam nefariæ ſanctionis, & contentorum in ea reuocatione retrahi, ac deſiſtere ſaluâ conſcientiâ, ac noſtro, ac ipſius Eccleſiæ honore non poſſe aut debere cenſemus. Nec illud nos mouere debet, quod Sanctio ipſa; & in eo contenta, in Baſilienſi Concilio edita, & ipſo Concilio inſtante à Bituricenſi Congregatione recepta fuerunt, cùm ea omnia poſt translationem eiuſdem Concilij per reuerendæ memoriæ Eugenium Papam IV. à Baſilienſi Conciliabulo, ſeu potiùs Conuenticulo, quod præſertim poſt huiuſmodi translationem Concilium amplius appellari non merebatur, facta extiterint, ac propterea nullum robur habere potuerint, cùm etiam ſolum Romanum Pontificem pro tempore exiſtentem, tanquam auctoritatem ſupra omnia Concilia habentem Conciliorum indicendorum, transferendorum, ac diſſoluendorum plenum ius, ac poteſtatem habere, nedum ex Sacræ Scripturæ teſtimonio, dictis Sanctorum Patrum, ac aliorum Romanorum Pontificum, Sacrorumque Canonum decretis, ſed propria etiam eorundem Conciliorum confeſſione manifeſtè conſtet; quorum aliqua reformare placuit, &c.* Hucuſque Leo Pontifex, cuius deciſioni, atque declarationi omnes Patres Concilij ſubſcripſerunt, vno excepto Epiſcopo.

2. Ad hunc locum (inquit Bellarmin.lib.2. Concil. cap.17.) nil poteſt reſponderi, niſi vel hoc Concilium non fuiſſe generale, vel non fuiſſe ab Eccleſia receptum, vel non definiſſe hoc tanquam de fide. Non fuiſſe generale, vix dici poteſt; nam etſi fuerint Epiſcopi pauciſſimi, nam ad centum non peruenerunt, tamen Concilium omnibus patebat, & omnes vocati fuerunt, & in eo Summus Pontifex verus, & indubitatus præſidebat. Quòd autem non fuerit receptum ſaltem ab omnibus parùm refert, nam Decreta Conciliorum non indigent approbatione populi, cum ab eo non accipiant authoritatem. Verum eſt quidem decreta de moribus, ſi non recipiantur, & Pontifex conniueat, tandem conſuetudine abrogari: ſed hoc non accidit ex eo quod indigeant populi approbatione, ſed quia Decreta mutabilia ſunt, & cùm Pontifex videt longo tempore ea non ſeruari, & tacet, cenſetur ipſa abrogare. At decreta de fide immutabilia ſunt, nec poſſunt vllo modo abrogari, poſteaquam ſemel ſunt: tale autem eſt hoc, de quo agimus. Quòd verò Concilium hoc rem iſtam non definierit propriè, vt Decretum fide Catholicâ tenendum, dubium eſt, & ideo non ſunt propriè Hæretici, qui contrarium ſentiunt, ſed à temeritate magna excuſari non poſſunt. Hactenus Bellarminus.

§. II.

§. II.

An certum ſit hoc Concilium fuiſſe Generale; vbi recenſentur vana placita Doctorum ſuper conditionibus requiſitis ad hoc vt aliquod Concilium ſit generale.

1 IN citatis Bellarmini verbis ponderādum eſt illud: *vix dici poteſt nō fuiſſe generale*, quo ſignificari videtur nō eſſe omnino exploratū, & certum, quòd fuerit generale. Et quidem ſi deſcriptionem Concilij Generalis à P. Franciſco Turriano lib. 2. de Summi Pontificis ſupra Concilium authoritate pag. 50. traditam ſectemur, certum eſt, Concilium illud fuiſſe generale, ſeu Oecumenicum. Oecumenicum enim, inquit ille, Concilium eſt, cui ex multis Prouincijs conuocato per ſe, aut Vicarios ſuos præeſt is, qui ſolus eſt Epiſcopus Oecumenicus, quia ei cunctus Orbis commiſſus eſt, vnde nomen Oecumenicum dictum eſt; hic enim ſolus dici poteſt Oecumenicus contra importunam Græcorum Patriarcharum inſolentiam: Prouinciale verò, cui non præeſt hic, quamvis ex plurimis Prouincijs aliquando congregetur. Ita vt Generale, ſiue vniuerſale Concilium, quod à Grecis Oecumenicum appellatur, ſit quoties authoritate Pontificis, qui ſolus eſt Epiſcopus Oecumenicus, indictum, & conuocatum eſt generaliter, ſicut ex ipſis litteris, quibus indicitur, perſpici poteſt, ſiue plurimarum Prouinciarum Epiſcopi conueniant, ſiue non plurimarum, modò omnibus tanquam vocatis liceat eò accedere: fortaſſe ſicut dici ſolet Romæ publicum Conſiſtorium, in quo aliquid agatur quod publicum eſſe volunt, & liceat eò accedere omnibus quaſi vocatis, etiamſi non multi accedant aliquando. Vt enim ſit Oecumenicum, & vniuerſale Concilium, non tam neceſſaria eſt plurimorum Epiſcoporum frequentia, quàm authoritas Oecumenici, & vniuerſalis Epiſcopi.

2. Cæterùm ſi ſectemur definitionem Concilij generalis traditam ab alijs grauibus Authoribus, non erit exploratum fuiſſe generale Concilium illud Lateranenſe; nam imprimis, vt inquit Magiſter Cano lib. 5. de locis cap. 3. *non ſatis eſt ad Concilium generale, ſi conuocatio ſit generalis, quando adeò pauci congregantur, vt maior, meliorque Prouinciarum pars relicta eſſe videatur, præſertim ſi cauſa legitima ſit, cur Epiſcopi Synodo non affuerint*. Vnde paulò poſt ſubiungit, quòd non ſatis eſt *ad Concilium generale generalis euocatio, niſi ſit etiam generalis congregatio*, ſed addit, *ad generalem Congregationem omnium Epiſcoporum congregationem*

non

non requiri. Quare hic Author requirere videtur ad Concilium generale, vt maior meliorque pars Prouinciarum congregetur. Conſonat P. Valentia tom.3. diſp.1. puncto 7. §. 15. affirmans, vniuerſalia Concilia dici ea, quæ coguntur Summi Pontificis authoritate, præcipuos Eccleſiæ Prælatos, hoc eſt Epiſcopos, & his ſuperiores Antiſtites conuocantis; nec verò opus eſſe, vt omnes omnino euocet, multoque minùs, vt omnes veniant, ſatiſque eſſe magnam partem euocari, atque congregari.

3. Deinde Andreas Duuallius Doctor Sorbonicus, & Profeſſor Pariſienſis tom.2. in 1. 2. tract. de ſuprema Pontificis poteſtate in antiloquio ad part.13. pag.699. quatuor conditiones requirit ad Concilium generale. Prima eſt indictio, & conuocatio generalis in maioribus, & primarijs totius Eccleſię Prouincijs, idque authoritate Pontificis, cui id ex officio incumbit. Secunda, vt nullus Epiſcoporum, vndecumque ſit, & in quacumque parte, ac regione degat (dummodò cum Summo Pontifice communicationem habeat) ab eo excludatur: ſi enim alicui Epiſcopo Catholico liber ad Concilium acceſſus denegetur, abſolutè non poterit dici Oecumenicum, quia tunc nec omnes Epiſcopos Catholicos complectetur, nec omnes Eccleſias per orbem diffuſas repræſentabit.

4. Tertia, vt ex maiori parte Orbis aliqui Epiſcopi Concilio interſint, ita vt ſi celebretur in Oriente, non ſufficiant Orientales, niſi cum eis Occidentales interſint, & è conuerſo: quamuis neceſſe non ſit, ſi Concilium, verbi gratia, in Oriente celebretur, tot eſſe Occidentales quot Orientales, hi enim poſſunt eſſe multò plures, vt videre eſt in Concilio Niceno in Oriente celebrato, vbi ex Occidente quinque dumtaxat interfuerunt, duo ex Italia, vnus ex Gallia, alter ex Hiſpania, & alius ex Africa. Quòd ſi ei obijcias, Concilium primum Conſtantinopolitanum hac tertia conditione caruiſſe, cùm ei ſolùm 150. Epiſcopi Orientales interfuerint (& idem de Epheſino, cui præter Legatos Romani Pontificis nullus ex Occidente Epiſcopus interfuit) & tamen à fidelibus omnibus tamquam generale, & à Diuo Gregorio lib.1.Epiſt.24. tanquam Euangelium ſuſcipitur, & adoratur. Reſpondet ideo illud dici Oecumenicum, quia id, quod Occidentalis, imò vniuerſa Eccleſia cum Damaſo Pontifice de Spiritus Sancti diuinitate ſentiendum eſſe decreuerat, paribus votis, & vnanimi conſenſu omnes hi Epiſcopi Orientales in Congregatione Conſtantinopolitana approbarunt, ſicq; ex Occidente, & Oriente fuiſſe congregatum legitimè dicitur. Quarta, & vltima conditio, vt per ſe, vel per Legatos ſuos præſit Romanus Pontifex; quæ conditio eſt omnium maximè eſſentialis: aliàs Concilia futura ſunt prorſus Acephala, potiùſque latrocinia, quàm Concilia, cùm præcipuam, & nobiliorem, cæteriſque alijs præferendam Eccleſię partem tum non repręſentent. Duuallium ſequitur Gibalinus lib.5. de iure Canonico cap.4. quæſt.5.

5. Sed quanquam cæteræ conditiones veriſſimæ ſunt, tertia tamen nobis falſa eſſe videtur, quòd nimirum ex maiori Orbis parte aliqui Epiſcopi intereſſe debeant Concilio, vt Generale, & Oecumenicum ſit; nam ſi eo indicto per Romanum Pontificem, & promulgata eius conuocatione in omnibus Prouincijs Catholicis, ob ingruentia bella, vel Principum diſſidia ex maiori parte Orbis Chriſtiani Epiſcopi non confluant ad Concilium, non propterea deſinet eſſe generale. Vnde Bellarmin. lib. 1. de Concilijs cap. 4. conſultò dixit: *Concilia generalia dici illa, quibus intereſſe poſſunt, ac debent totius Orbis Epiſcopi, niſi legitimè impediantur, & quibus nemo rectè præſidet, niſi Romanus Pontifex, aut alius eius nomine.* Non dixit ea dumtaxat eſſe Concilia generalia, quibus interſunt Epiſcopi ex maiori vniuerſi Orbis parte.

§. III.

Prudenter dubitari non poteſt hoc Concilium fuiſſe generale.

1 Nobis dicendum eſt, prudenter dubitari non poſſe, hoc Concilium fuiſſe generale: vt enim inquit Seuerinus Binius in notis, quæ habentur ad finem huius Concilij tom. 4. par. 2. pag. 133. *Præſidium Pontificis, præſentia Patriarcharum Orientalium, reſque grauiſſima in Concilio habitæ OEcumenicam Synodum eſſe conuincerent, etiamſi Acta Synodalia nil iſtius tituli continerent.*

2. Et quidem hoc Concilium ſolemniter indixit Romanus Pontifex certus, & indubitatus, videlicet Iulius Secundus, & de eius celebratione futura multò ante præmonuit Principes Chriſtianos, omnibuſque Antiſtitibus, quibus de iure incumbit Concilio generali intereſſe, ſeuerè iniunxit, vt Romam conuenirent, vel legitimum veniendi impedimentum coram ſe probarent, omniaque alia officia præſtitit, quæ ſolent Romani Pontifices in conuocatione Synodi generalis præſtare, vt conſtat ex Bulla indictionis expedita ab ipſo die 15. Auguſti 1511. quæ extat ante primam ſeſſionem. Cauſæ autem conuocandi Synodum generalem multæ, & grauiſſimæ fuerunt. Prima, Schiſmatis illius, quod Cōciliabulo Piſano propagatum fuit, extirpatio. Secunda, Chriſtianorum Principum inteſtino bello inter ſe digladiantium, concordia. Tertia, Romanæ Curiæ, totiuſque Eccleſiæ reformatio. Quarta, Pragmaticæ Sanctionis abrogatio. Quinta, expeditio contra Turcam conciliariter decernenda. Siue ergo publicam conuocationem, ſiue cauſas Concilij expectemus, ſiue acta & ſeſſiones eius, in quibus vniuerſalis & Oecumenica Synodus appellatur, ſiue communem ſenſum Scriptorum, qui hoc Con-

Digitized by Google

Concilium 17. generale, vel 18. vocant, dubitari non poteſt fuiſſe generale. Alia etiam circumſtantia id oſtendit, nam ad illud Principes Chriſtiani ſuos Oratores miſerunt, videlicet Imperator Maximilianus, Reges Hiſpaniæ, Galliæ, & Luſitaniæ, Reſpublica Veneta, & Florentina, Magnus Magiſter Sancti Ioannis, alijque Principes, necnon Patriarcha Hieroſolymitanus: numerus quippe Epiſcoporum magnus non fuit; Bellarminus affirmat nunquam ad centum perueniſſe. Spondanus ad annum 1513. num. 17. affirmat ſeſſioni octauæ interfuiſſe Cardinales 23. Archiepiſcopos & Epiſcopos 93. At Seuerinus Binius in notis ad iſtud Concilium pag. 132. affirmat in illo sediſſe Epiſcopos 114. & pag. 133. teſtatur horum omnium nomina apud Acta Concilii expreſſa inueniri, idemque teſtatur P. Philippus Labbè in ſynopſi hiſtorica Conciliorum pag. 255.

3. Cur autem non plures interfuerint, quamuis ex vniuerſo Orbe Catholico fuerint vocati, in cauſa fuere horrida Bella Principum Chriſtianorum ad inuicem, nempe Regis Catholici Ferdinandi, & Henrici Octaui Regis Angliæ cum Rege Galliæ, & huius cum Imperatore Maximiliano, & iſtius cum Republica Veneta, & maximum diſſidium inter Iulium II. Pontificem, & Ludouicum XII. Regem Galliæ, quo effectum eſt, vt in odium Pontificis ad Conciliabulum Piſanum Ludouicus miſerit Archiepiſcopos Lugdunenſem, & Senonenſem, & 14. Epiſcopos, nonnullos Abbates, & Doctores ex Vniuerſitatibus Pariſienſi, Toloſana, & Pictauienſi, vt teſtatur Spondanus ad annum 1511. num. 8. & 22. Vnde quia Rex Nauarræ cum Ludouico fęderatus ſchiſma fouebat, Iulius Pontifex eius regnum cuilibet occupanti conceſſit, illudq; Ferdinandus Catholicus ob hanc, & alias cauſas occupauit, & propterea Epiſcopis Hiſpanis non facilis patebat aditus ad Concilium, ſicut nec Germanis facilis erat.

§. IV.

Ad Concilium Generale non requiritur, quòd ad illud reipſa confluant Epiſcopi ex maiori Orbis parte.

1. Deinde ſuadetur hoc Concilium fuiſſe Oecumenicum; quia nullum eſt fundamentum ad aſſerendum ad Concilium vniuerſale requiri, quòd ad ipſum confluant ex maiori Orbis parte Epiſcopi; ſicut certum eſt ad illud non requiri, quòd ipſi interſit maior pars Epiſcoporum Chriſtiani Orbis: nam indubitatum eſt, Synodum primam Conſtantinopolitanam Oecumenicam fuiſſe; cùm tamen ad illam ſolùm conuene-

uenerint 150. Epiſcopi, qui numerus abſque dubio non erat maior pars Epiſcoporum Orbis Chriſtiani, quandoquidem 56. retro annis Concilio Nicæno interfuerant 318. qui omnes, quinque exceptis, erant ex Eccleſia Orientali; & in Concilio Nationali, ad quod ſoli Epiſcopi Africani conuenerunt, nempe Chartaginenſi ſexto tempore Sancti Auguſtini celebrato, ſcilicet anno 418. ſub Zoſimo Papa, adfuerunt 217. Epiſcopi, teſte Proſpero. Ergo ſicut certum eſt, ad Concilium generale non requiri, quòd numerus Epiſcoporum præſentium ſit maior, quàm abſentium, ita certum debet eſſe, non requiri, quòd numerus Nationum, quæ adſunt Concilio, ſit maior, quàm earum, quæ abſunt. Et ratio vtrobique eſt eadem, quia infallibilitas definitionis Conciliaris non dependet à numero ſuffragatorum, ſed ab approbatione Pontificis, qui perinde cum 50. vel 100. Epiſcopis poteſt rem ſua definitione infallibilem reddere, ac cum mille. Sic in Concilio Tridentino ſub Paulo III. ſeſs. 4. definiti ſunt articuli maximi momenti de libris Canonicis, & de interpretationum authoritate, & de pari dignitate traditionum cum Scriptura, & tamen ſub hoc Pontifice ſolùm interfuere Tridentino Archiepiſcopi ſeptem, & Epiſcopi 52. vt conſtat ex tabula Concilij. Imò ſi Petro Soaui credimus in Hiſtoria Tridentini lib. 7. pag. 497. non omnes interfuerunt ſeſſioni illi, nam P. Didacus Lainez, vt in Tridentino probaret, authoritatem Concilij non ab authoritate Epiſcoporum ſuffragantium, ſed ab authoritate Pontificis conuocantis Concilium, & confirmantis eius Decreta petendam eſſe; inde argumentum deducebat, quia alioqui nunquam Concilium aliquod poſſet appellari generale, vbi numerus præſentium ſine controuerſia minor eſt quàm abſentium: id autem falſum eſſe inde conuincebat, quòd in eodem Tridentino ſub Paulo III. definiti ſunt articuli maximi momenti ab Epiſcopis num. 50. aut etiam paucioribus.

2. Nec vllus eſt in Scriptura locus, vnde ſufficienter probetur, ad Concilium Oecumenicum requiri, quòd ad ipſum concurrant Epiſcopi ex maiori Orbis parte, vt ſupra aiebat Dwalius: nam Concilium Chalcedonenſe in epiſtola ad Leonem, & ſexta Synodus actione 17. & Cæleſtinus Papa in epiſt. ad Concilium Epheſinum, & Concilium Toletanum tertium non procul ab initio docent, Concilia eſſe demonſtrata à Chriſto in illis verbis Matth. 18. *vbi fuerint duo vel tres congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum*. In his autem verbis non innuitur, quòd ex maiori Orbis parte debeant confluere Epiſcopi, ad hoc vt Concilium ſit generale, ſed potius inſinuatur oppoſitum. Sufficit ergo ad Concilium generale, quòd generaliter indictum ſit à Pontifice, & ad illud conuenire poſſint, ac debeant omnes Orbis Epiſcopi, niſi legitimè impediantur, vt dicebat Bellarminus. Hoc autem totum verificatum eſt de Concilio Lateranenſi 5. Ergo fuit generale, conſtatque illud fuiſſe admiſſum à Ludouico XII. & Franciſco I. tum ſuo, tum totius Galliæ nomine.

§. V.

§. V.

Concilium iſtud apertè declarauit Superioritatem Romani Pontificis in Concilium.

1. DEnique dicimus Concilium iſtud Lateranenſe apertè declaraſſe ſuperioritatem Romani Pontificis in Concilium, ſiquidem expreſsè affirmat, manifeſtè conſtare nedum Sacræ Scripturæ teſtimonio, dictis Sanctorum Patrum, ac Romanorum Pontificum, Sacrorumque Canonum decretis, ſed etiam ipſorum Conciliorum generalium confeſſione, authoritatem Romani Pontificis eſſe ſupra omnia Concilia. Hinc autem neceſſariò infertur, quòd declarauerit authoritatem Romani Pontificis eſſe ſupra omnia Concilia; nam ex ſimili loquendi forma tradita à Tridentino ſeſs. 14. cap. 1. de fide eſt, *Chriſtum inſtituiſſe Sacramentum pœnitentiæ ad remittenda peccata poſt Baptiſmum commiſſa*, vt teſtatur eximius Doctor diſp. 17. de pœnit. ſect. 1. numer. 4. ſic enim ait Concilium: *Dominus autem Sacramentum hoc tum præcipuè inſtituit, cùm à mortuis excitatus inſufflauit in Diſcipulos ſuos dicens. Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis &c. Quo tam inſigni facto, & verbis tam perſpicuis poteſtatem remittendi, & retinendi peccata, ad reconciliandos fideles poſt Baptiſmum lapſos, Apoſtolis, & eorum Succeſſoribus fuiſſe communicatam, vniuerſorum Patrum conſenſus ſemper intellexit, & Nouatianos remittendi poteſtatem olim pertinaciter negantes, magna ratione Eccleſia Catholica tanquam Hæreticos exploſit, atque damnauit.*

2. Rurſus de fide eſt ad valorē abſolutionis requiri, quod Sacerdos vel ordinariam, vel delegatam iuriſdictionem habeat; idque colligitur, quia Tridentinum ſeſs. 14. cap. 7. hæc habet: *Quoniam natura & ratio iudicij illud expoſcit, vt ſententia in ſubditos duntaxat feratur, perſuaſum ſemper in Eccleſia Dei fuit, & veriſſimum eſſe Synodus hæc confirmat, nullius momenti abſolutionem eam eſſe debere, quam Sacerdos in eum profert, in quem ordinariam, aut ſubdelegatam non habet iuriſdictionem.* Ergo cum Lateranenſe Concilium declarat, manifeſtè conſtare ex teſtimonio Sacræ Scripturæ, & ex propria confeſſione Conciliorum generalium, Romanum Pontificem habere authoritatem ſupra omnia Concilia, res iſta inconcuſſa eſſe debet; nam certum eſt Concilium generale legitimè congregatum, & authoritate Romani Pontificis confirmatum, quale fuit Concilium Lateranenſe; habere authoritatem infallibilem ad declarandum Sacræ Scripturæ, & aliorum Conciliorum legitimum ſenſum, illumque proponendum fidelibus.

SECTIO XV.

Quid reſpondeant contrarij Doctores ad authoritatem Lateranenſis vltimi, & Florentini, vbi iterum oſtenditur, iſta Concilia fuiſſe Generalia.

1. QVid ad hoc ipſi reſpondebunt? ſuſpicabitur aliquis eos dicturos non eſſe generale; tum quia illi non interfuerunt Epiſcopi Galliæ, tum quia in illo definitum eſt oppoſitum eius, quod ſtabilitum fuerat in Concilio Conſtantienſi, & Baſilienſi circa poteſtatem Romani Pontificis. Nec mirum: nam etiam Synodum Florentinam reſpuebant ob eam duplicem cauſam, vt prodidit ex ipſorum mente Cardinalis Lotharingus apud Pallauicinum in Hiſtoria Tridentini lib. 2. cap. 3. num. 2. & lib. 21. cap. 6. in fine. Primò quia celebrata eſt ad æmulationem, oppoſitionemque cum Baſilienſi, quæ ab Academia Pariſienſi ſuſtinebatur. Secundò, quia ad eam non concurrerant Nationes omnes. Sed vtraque ratio friuola eſt, nam Conuentus Baſilienſis, quando definiuit Concilium eſſe ſupra Papam, non Concilium legitimum, ſed Conciliabulum fuit, abſurdumque eſt aſſerere, Florentinam Synodum, ad quam Latini pariter & Græci non ſolùm vocati ſunt, ſed confluxere tanta celebritate, & ſucceſſu tam felici concordiæ conſecutæ inter vtramque Eccleſiam, non fuiſſe Oecumenicam, quia ad illam venire noluerunt illi Epiſcopi, qui contra præceptum Romani Pontificis Eugenij Quarti Baſileæ ſchiſmaticè tumultuabantur. Certè ſi hac cauſa Synodus illa Oecumenica non eſt, & infallibis authoritatis, nec Oecumenica erit Synodus Chalcedonenſis ſub Leone Papa celebrata, ſiquidem Eutychem damnauit, quem paulò ante abſoluerat Synodus Generalis Epheſina 2. à Dioſcoro Patriarcha Alexandrino cum 128. Epiſcopis celebrata.

2. Præterea ſi ideo Oecumenicæ non fuerunt Synodus Florentina, & Lateranenſis vltima, quia ad illas non concurrerant nationes omnes; nec generalis fuerit Synodus prima Conſtantinopolitana ſub Damaſo, ſiquidem ad eam nec Galli, nec Hiſpani, nec Itali, nec vlli Epiſcopi Occidentales concurrerunt. Similiter dicetur nec Synodum Tridentinam Oecumenicam fuiſſe quoad illas ſeſſiones, quæ celebratæ ſunt ſub Iulio III. Papa, nempe à ſeſſ. 11. vſque ad 17. nam propter diſcordiam cum Pontifice noluit Rex Henricus Secundus, vt Epiſcopi Galliæ Romam confluerent (vt conſtat ex hiſtoria Tridentini Card. Pallauicini

cap.

cap.16. num.17. & cap.17. num.7.) prætexens, propter Bellum Epiſcopis Gallis nec liberum, nec tutum eſſe acceſſum ad Tridentinam Ciuitatem.

3. Et quidem Rex ipſe vel ſentiebat, vel ad deterrendum Pontificem ſimulabat, Concilium illud non eſſe generale, ſi abeſſent Galli; nam anno 1551. in quo celebratæ ſunt ſeſſiones 13. & 14. de Sacramento Euchariſtiæ, Pœnitentiæ, & Extremæ Vnctionis, Rex Concilio ſcribens, noluit Epiſtolam ſuperſcribi Concilio Tridentino, ſed Conuentui Tridentino, innuens non eſſe Oecumenicam illam Synodum: eiuſque Orator Ferrerius aſſiſtens poſteà Tridentino anno 1563. ſub Pio IV. palam dicebat, Concilium illud non fuiſſe Oecumenicum ſub Iulio III. quia ei reſtiterant Galli, vt narrat Pallauicinus lib. 23. cap. 1. num. 5. ipſeque Rex Henricus anno 1551. per litteras, vel Internuncios conteſtatus eſt Papæ, non concurrentibus Gallis, Concilium illud non vniuerſale, ſed particulare futurum, & in poſterum huiuſmodi Synodi decretis ſubditos ſuos nequaquam obſtrictum iri, vt habet Pallauicinus lib.11. cap.16. num.17. Sed Pontifex Iulius, vt nubem hanc vmbratilem periculi diſſiparet obtulit omnibus Epiſcopis publicæ ſecuritatis litteras tam à ſe, quàm à quocunque Principe Chriſtiano conferendas, & conſtanter reſpondit, nimis futile videri quod opponebatur, ob denegatam ab vna natione præſentiam, poſſe derogari authoritati Concilij, cunctis nationibus ad cunctarum vtilitatem indicti, imò expetiti, atque adiuti ſingulariter ab ipſius Regis Parente, ſcilicet Franciſco Primo, declarauitque abſque graui noxa non poſſe Prælatos Gallos detineri à Rege: detenti tamen ſunt ipſius edicto publicato eodem anno menſe Septembri paulò ante celebrationem ſeſſionis 13. quæ habita fuit 11. Octobris anni 1551.

4. Poſtmodum anno ſcilicet 1552. Oratores Ducum Witembergæ, & Saxoniæ, qui coram Patribus Tridentinis nomine ſuorum Principum dixere articulos definiendos, vt rati forent, ſtabiliendos eſſe omnium Nationum calculo, ac proinde abſentibus Theologis Saxonicis, & Doctoribus Germanis, qui confeſſionem Auguſtanam confecerant, Synodum Tridentinam peculiarem Conuentum, non Concilium Oecumenicum appellandam. Sed hoc meritò reiecerunt Patres Tridentini; quia ſi aliquorum abſentia poſt indictum Concilium ſatis eſſet ad abrogandam illi authoritatem Oecumenici, liberum cuique eſſet illam impedire, & vix ex tota antiquitate produci poſſet Concilium, de quo idipſum quoquo modo in controuerſiam adducere non liceret. Ita refert Card. Pallauicin. lib.12. cap.15. num.11.

5. Sed quidquid tunc aliqui ſenſerint; nunc tamen nemo Gallorum Doctorum aſſerere audebit, Synodum Tridentinam generalem non fuiſſe quoad omnes ſui partes ſub Paulo III. Iulio III. & Pio IV. ergo ad Concilium generale ſufficit, quòd conuocatio ſit generalis ob vtilitatem

Digitized by Google

tem totius Eccleſiæ, & quòd omnibus ſecuritas ad veniendum conferatur à Romano Pontifice, quamuis aliquæ Nationes à Principibus detentæ venire non poſſint, vel alijs de cauſis venire nolint. Certum ergo debet eſſe, Synodum Lateranenſem quintam fuiſſe generalem: & ex ipſius definitione firmum manere debet, Romanum Pontificem eſſe ſupra omnia Concilia, ac proinde extra ipſa habere authoritatem infallibilem ad decidendas fidei controuerſias.

6. Aliter reſpondet Edmundus Richerius in Hiſtoria Conciliorum lib. 3. pag. 651. nimirum ex decreto Florentini non colligi abſolutam Monarchiam, aut deſpoticum Papæ imperium, quale Caietanus, Bellarminus, & alij adſtruere conantur, ſed ſolùm colligi primatum Papæ, ita vt ſententia ſit, *Papam in vi primatus regulariter & ordinariè poteſtatem habere conuocandi & concludendi Concilia, ſubductis Patrum ſuffragijs, vt praxis eiuſdem Synodi Florentinæ declarat.* Deinde addit verba citata ſect. 8. ex Florentin. ſeſs. 25. oſtendere quidem *Romanam Eccleſiam habere primatum ſuper alias particulares Eccleſias, non autem Papam abſoluto pollere imperio ſuper vniuerſalem Eccleſiam congregatam in Synodum.* Verùm quæ in tota hac & præcedentibus diſſertationibus diximus, & quæ dicemus, agentes de excellentia Papæ ſupra Concilium generale, ſatis probant huius doctrinæ falſitatem. Et ad hanc euaſionem expugnandam ſufficit teſtimonium authoris Galli ſatis celebris, qui quamuis ſit acerrimus pugnator pro libertatibus Eccleſiæ Gallicanæ, tamen Monarchiam ſpiritualem in Romano Pontifice agnoſcit. Is eſt Illuſtriſſimus Petrus de Marca Archiepiſcopus Pariſienſis, qui in præfatione ſecunda operis ſui Romæ proſcripti, *De concordia Sacerdotij, & imperij* ſummam, & Monarchicam Romani Pontificis authoritatem ac imperium ſuper omnem Eccleſiam confitetur. Et numero 7. loquens de decreto Concilij Florentini ſupra relato ſect. 10. §. 1. inquit: *Vt nullam ſententiæ meæ carpendæ occaſionem relinquam, aio: Græcos abſque vllo diſſidio inde conſpiraſſe cum Latinis, vt Romanum Pontificem Succeſſorem Petri Apoſtoli, & Chriſti Vicarium confiterentur, eique in Petro plenam, & ſummam adminiſtrandæ Eccleſiæ poteſtatem collatam.*

7. Quare licet initio dubitatum fuerit an Florentinum fuerit Generale; modo tamen ſoli Græci ſchiſmatici id negant, cæteri verò Catholici omnes non dubitant vt Oecumenicum admittere; quamuis enim in principio fuerit aliqua difficultas in agnoſcendo Florentino pro Oecumenico, eò quòd, qui adhærebant Concilio Baſilienſi, nolebant cogi Florentinum; conſtat tamen Concilium Baſilienſe reiectum fuiſſe ab vniuerſis Chriſtianis Principibus; & Florentinum ab eis fuiſſe admiſſum; ipſiuſque decretis ſe ſubieciſſe.

8. Andreas Duuallius 4. part. libri de ſuprema poteſtate Papæ q. 7. *Satis*, inquit, *Concilium Florentinum authoritatem Papæ ſupra Concilium non definijſſe, etſi definiat eum eſſe Chriſti Vicarium, totius Eccleſiæ caput,*

&

& à Chriſto illi traditam poteſtatem regendi vniuerſalem Eccleſiam, quod nemo eorum, qui contra ſentiunt, negat: Illius enim poteſtatem in Eccleſiam vniuerſalem vbique diffuſam admittunt, & omnium Chriſtianorum Patrem, & Doctorem eum agnoſcunt, ſed contendunt Concilium Florentinum non propterea definijſſe, eum in Eccleſiam vniuerſalem, quatenus eſt legitimè congregata, & in Concilio aliquo generaliter per ſuos Prælatos vnita, & conſentiens, poteſtatem habere.

9. Sed contra, quia nos non contendimus, Concilium Florentinum explicitè & expreſsè definiuiſſe, Romanum Pontificem eſſe ſupra Concilium generale, ſed ſolùm definiuiſſe implicitè & virtualiter, idque per neceſſariam conſequentiam deduci ex eius definitione.

SECTIO XVI.

Duodecima probatio. Oſtenditur Tridentinos Patres cognouiſſe authoritatem infallibilem Romani Pontificis, eiuſque ſupra Concilium generale excellentiam.

1. IN primis ſupponendum eſt, nil Tridentinum de hoc expreſsè definiuiſſe, vt teſtatur Card. Pallauicinus in apparatu ad Hiſtoriam Concilij Tridentini cap. 10. num. 3. nam redarguens mendacij Petrum Soauem, qui dixerat poteſtatem Romani Pontificis numquam tam ſolidè fundatam, quàm opera Concilij Tridentini inquit: *In hoc Concilio ne vna quidem conſpicitur ſyllaba pro nouo Pontificis emolumento: In Florentino valde propinquo, eius Principatus ſupra totam Eccleſiam fuerat definitus. In vltimo Lateranenſi eiuſdem prærogatiua ſupra Concilium disertè continetur: In hoc Tridentino, neque tales, neque alij promulgantur articuli ad Pontificem pertinentes: quin vt ex Hiſtoria noſtra cognoſcetur, vbi actum eſt de tribuendo Pontifici eo vno, quod à Florentino tribuitur, deque eiuſdem verbis prorſus adhibendis, cùm Patrum pars multò maxima aſſentiretur, ſolùm habita eſt ratio paucorum Gallorum, qui ne decima quidem Concilij pars erant, Pontificem, Legatoſque detinuit, ne ad firmandum decretum progrederentur. Sic ille concordiam, ſatisfactionemque paucorum ſuo quamuis iuſto commodo antehabuit*. Hucuſque Pallauicinus.

Digitized by Google

§. I.

Quantum obſtiterint Galli, ne à Tridentino approbaretur Canon formatus à Card. Lotharingo, quo dicebatur, Romanum Pontificem habere poteſtatem regendi Eccleſiam vniuerſalem; *& quàm acerbè hoc tulerint Pius IV. & Sanctus Carolus Borromæus.*

1. IAm ſectione 8. §. 4. inter expendendam authoritatem Florentini diximus, Cardinalem Lotharingum formaſſe Canonem in fauorem Romanæ Sedis, quo dicebatur, *Romanum Pontificem habere poteſtatem regendi vniuerſalem Eccleſiam*, illumque propoſuiſſe Patribus Concilij, vt communi calculo confirmaretur; Gallos autem acriter reſtitiſſe, quia hoc perinde illis videbatur eſſe, ac ſi definiretur Romanum Pontificem habere poteſtatem regendi vniuerſale Concilium, ac proinde eſſe illo ſuperiorem. Hanc Gallorum reſiſtentiam acerbè tulit Pius Quartus, vt conſtat ex litteris, quas Pontificis nomine eius Nepos Carolus Borromæus dedit ad Legatos Concilij Præſides anno 1563. in quibus querebatur, iniquè à Gallis negari Romano Pontifici, quod à Florentina Synodo ipſi tribuebatur, nempe *illi deberi vniuerſalis Eccleſiæ regimen*, quando etiam ante eam Synodum in eo cognouerat eamdem prærogatiuam alia Synodus Oecumenica in Gallia Lugduni celebrata, & quando apparebat in vetuſtiſſimis diplomatibus præſens conſuetudo appellandi Romanum Pontificem *Epiſcopum Eccleſiæ Catholicæ*, quod tantum ſonat, quantum *vniuerſalis*. Quin etiam ritus eſt à Cæſare vſurpatus, cùm ad Pontificem ſcribit, vt apponat inſcriptioni, *ad Pontificem Eccleſiæ vniuerſalis*. Verumtamen, addebat Borromæus, ne cum alieni animi duritie decertaretur, poſſe loco dictarum vocum has poni, *regere vniuerſum Domini gregem*, quo pacto loquitur Innocentius IV. cap. 5. de Schiſmaticis lib. 6. Decretalium, aut etiam poſſe illic relinqui ſimplicem vocem Eccleſiæ Dei, omiſsâ *vniuerſalis*. Pontifex verò dum quadam die ſacris operaretur, ea diſputatione ferueſcente, obſeruauit, iuſſitque ſignificari Legatis, cunctos Sacerdotes Catholicos in tribus precationibus, quæ ad implorandam opem Romano Pontifici recitari ſolent, cum Deo loquentes ter iteraſse Deum voluiſſe, vt *Pius præeſſet ipſius Eccleſiæ*, atque adeò id ſibi ab vllo fidelium negari non poſſe. Denique

Digitized by Google

nique ſubdebatur in litteris, vbi arduitas in eo quoque offenderetur ſine diſſidio inſuperabilis, ſatis futurum Pontifici, ſi neque de ſua, neque de Epiſcoporum poteſtate quidquam exprimeretur, illis tantùm editis definitionibus, in quas Patres vnanimi conſenſu conſpirarent. Ita refert Card. Pallauicinus lib.19. cap.15. num.3.

2. Addit autem Cardinalis lib.20. cap. 3. Pium ipſum non ſolùm conqueſtum de Gallis, negantibus ipſi prærogatiuam *Rectoris, & Capitis vniuerſalis Eccleſiæ*, quam illi non ſolùm Patres, & alia Concilia concedebant, ſed & Septemuir Brandenburgicus non ſemel ad Pontificem ſcribens, hunc illi titulum tribuiſſet: verumtamen magni animi ſenſu adieciſſe Pium: *ſe præſto eſſe ad tuendas ſui profuſione ſanguinis eas prærogatiuas Apoſtolicæ Sedis, quæ non doctrinâ ſolùm, ſed quamplurium Sanctorum ſanguine firmatæ fuerant.*

§. II.

Quæ cauſæ mouerint Pontificem ad praſcribendum, ne determinaretur hæc Controuerſia.

1. SEd alia etiam cauſa fortius mouit Pontificem, quam detegit idem Card. Pallauicinus lib.21. cap. 11. num.1. affirmans, Selium deterruiſſe Imperatorem Ferdinandum, ne adſtipularetur definitioni excellentiæ Pontificiæ ſupra Concilium, palam coram Ferdinando conteſtatus, nunquam fore vt ſe inflecterent Galli; imò quando ventum eſſet ad declarationem, reputaturos illos, nil leuaminis ſe expectare poſſe à Concilio, ſed laborum ſuorum acceſſionem nouam, ac proinde meditaturos modum proſpiciendi ſibi coacto Nationis Concilio, cuius, tamquam fulminis cuiuſdam terrorem incutere ſtudebant, frequenti tonitru minarum ſuarum, in diſſidijs cum Concilio, & Pontifice. Vnde iudicabat Imperator è bono publico fore, ſi longè abeſſet ipſe ab eis controuerſijs, ne Gallos offenderet; nec itidem laudabat id genus definitionum tentari à Legatis: ita vt operâ Delphini Nuncij Apoſtolici diſſuaſerit Pontifici, nè curaret definitionem illam de ſua ſupra Conciliũ excellentia, vbi de ea non adeſſet conſenſus vnanimis; calamitates repræſentans horrificas Chriſtianiſmo imminentes, ſi contingeret Synodũ diſſolui, id quod ex diſſidio in articulo tã graui timeri poterat. Hactenus Hiſtoricus. Vnde conſtat prudentiſſimè Pontificem, eiuſque Legatos ab huius veritatis definitione abſtinuiſse.

§. III.

Quamuis Tridentini Patres ſuperioritatem Papæ in Concilium non definierint, illam tamen abſque dubio agnouerunt: quod multiplici argumento probatur ex Hiſtoria Tridentini, & ex renitentia, quam oſtenderunt contra Saxones, & Vuitembergenſes infenſos huic Pontificis excellentiæ.

1. SEd quamquam Patres Concilij ob has cauſas abſtinuerunt à definienda excellentia Romani Pontificis ſupra omnia Concilia, tamen eam abſque dubio agnouerunt. Id patet primò, quia Oratores miſſi in Tridentinum anno 1552. à Duce Vuitembergæ, & Saxoniæ, inter alia coram Patribus Concilij poſtularunt, vt cùm quædam ex controuerſijs, potiſſimum de Romano Pontifice agerentur, meminiſſent Patres Sanctionum Concilij Conſtantienſis ac Baſilienſis, in quibus ſtatuitur, vt in cauſis fidei, & in his quæ ad ipſum Romanum Pontificem ſpectant, ille Concilio ſubijciatur. Inſtabant ergo Saxonis nomine Oratores, vt primo loco id à Patribus Tridentinis declararetur, perinde ac à Baſilienſibus ſeſs. 2. Cæterùm Patres tam callidæ petitioni duo opportunè oppoſuere: alterum, cùm ſemper Lutherus, eiuſque factio Concilium Conſtantienſe tanquam irritum ac ſacrilegum deteſtati fuiſſent, quippe quod præcipuas ſuas opiniones ab eo damnatas conſpexerant, cumque tunc vt maximè Lutherani obfirmati refellerent tot illius decreta certæ ſignificationis & efficaciæ, alienum ab omni ratione videri, nunc ab ipſis proferri veluti Diuinum Oraculum quoddam illius decretum dubiæ intelligentiæ, & neutiquam confirmatum à Martino Pontifice, cuius confirmatio tantum extenditur ad fidei dogmata ibi aduerſus nouos hæreticos ſancita. Alterum, cùm ad habendum legitimè Concilium exigerent Oratores, Chriſtianarum Nationum omnium interuentum, certè niti non poſſe Baſilienſi, ad quod infringendum coacta fuit Synodus tam ampla, tam nobilis Nationum concurſu, cuiuſmodi fuit Ferrarienſis, ac deinde Florentina, quam poſtea probauit Eccleſia.

2. At è conuerſo ſtudebant Oratores cohoneſtare petitionem ſuam, quæ

quæ alioqui ſupra modum rationi diſſentanea videbatur, quando non tam pugnam, quam deditionem ante pugnam efflagitabat. Hinc rationem adducebant ſemper ab Hæreticis decantatam, & antea à Wittembergenſibus productam, cùm eſſent de Romano Pontifice multa corrigenda, eidem Iudicem agere non licere. Sed à Patribus dicebatur, hanc argumentationem eſſe vitioſam, quia deſtruit omnem Monarchiam, cuius regimen poſtulat, vt princeps ipſe ſibi ſit lex, nec alium Iudicem præter Deum, & publicam infamiam reformidet. Quod ſi hoc admittitur in hæreditarijs principatibus, quibus maiora bona decerpantur, quæ ſecũ fert authoritas ſuprema coniuncta cum vnitate perfecta; quantò potiori iure id admittendum in principatu per ſuffragia collato, & in quo Senex eligi ſolet, etiam diu probatus? Accedebat ex eodem argumento, ſi penitus introſpiciatur, confici pariter, nullum aliud gubernationis genus poſſe ſubſiſtere, cùm omnes tandem ad ſupremum Magiſtratum ſint redigendæ, ſiue is vno duntaxat, ſiue pluribus conſtituatur, qui magiſtratus leges ſimul det & accipiat. Perpenderent proinde non modò Principes, ſi Domi ſuæ huius doctrinæ vſum admitterent, ſed etiam politici; nam eo admiſſo, poſſetne principatus vllus perſiſtere, niſi fortè vniuerſa Populi fex in eo dominaretur? Hactenus Hiſtoricus Concilij lib. 12. cap. 15. à num. 12. Ex cuius verbis manifeſtè deprehenditur, Patres Tridentinos agnouiſſe, Romanum Pontificem non poſſe à Concilio iudicari, ac proinde eius iudicium in controuerſijs fidei non poſſe per Concilium reformari, ac per conſequens eſſe infallibile.

§. IV.

Hiſpani omnes, Itali & Germani pro Pontificia iuriſdictione ſupra vniuerſam Eccleſiam in Tridentino extitere, ſolis repugnantibus Gallis. Vbi oſtenditur, non minus certum eſſe, quòd Papa ſit ſupra Concilium, quàm certum eſt Concilium Florentinum fuiſſe generale: id quod Galli negant.

1. PROBATVR ſecundò, quia anno 1563. in Tridentino varia conſilia habita ſunt à Patribus, ad componendos Canones de Summi Pontificis, & Epiſcoporum authoritate. Vt autem refert Pallavicinus lib. 21. cap. 4. n. 5. *Galli vocem quamlibet recuſabant, quæ Summi*

Pon-

Pontificis prærogatiuam ſupra Concilium ſonaret, quæque aut Florentinum comprobaret, aut officeret Baſilienſi. Hiſpani tum de legitima Florentini firmitate, tum de prærogatiua Pontificis conſentiebant. Idemque affirmat de Italis. Itali decus ingens, & emolumentum gentis ſuæ putabant conſeruationem maieſtatis, & poteſtatis in hoc Eccleſiaſtico principatu, quo Italia reliquis nationibus præſtat, quantum eadem ob defectum ſui Regis communis, & ex ſe orti, ab illis ſuperatur. Ergo multò maior pars Patrum Tridentinorum agnoſcebat in Romano Pontifice excellentiam ſupra omnia Concilia, idque cum tanto exceſſu, vt ex decem partibus Patrum vix vna negaret hanc excellentiam Pontifici Romano, vt vidimus initio huius ſectionis. Idque adeò firmiter tuebantur Hiſpani, vt cùm Antiſtes Draſcouitius Cęſaris Orator Hiſpanos adiungere ſtuderet Pontificis partibus, atque in eam rem multa Conciliorum, Sanctorùmque Patrum Romano Pontifici primas deferentium teſtimonia congereret, Hiſpanorum omnium nomine non ſine ſtomacho Dominus Guerrerus Archiepiſcopus Granatenſis reſpondit, illorum Conciliorum, Patrumque teſtificationem ipſis ſuperuacaneam eſſe, qui Florentinam Synodum admittebant, ſic refert Pallauicinus.

2. Occaſio autem, quam habuit Orator Cæſaris Ferdinandi Primi ad perſuadendum Hiſpanis, vt ſuffragarentur definitioni excellentiæ Romani Pontificis ſupra Concitia contra id, quod ipſe antea ſentiebat & Pontifici ſignificauerat, hæc fuit: Ioannem Franciſcum Commendonem virum cordatum, & officioſum, iam notum & acceptum Cæſari, & experientiſſimum Germaniæ, in qua olim Nuntium egerat, Venetijs euocatum anno 1563. Legati Concilij Pręſides miſerunt ad Cæſarem, vt inter alia quereretur de oppoſitione, quam Galli faciebant, ne definiretur Pontificis poteſtas ſupra Eccleſiam vniuerſalem: Commendonus autem ſtrenuè rem geſſit, & ad hanc poteſtatem comprobandam varia Patrum, & Conciliorum teſtimonia coram Cæſare protulit, eum rogans, vt tanquam Sedis Apoſtolicę Patronus eam tueri vellet in cauſa tam æqua. Eaſdem preces iterabat ſemper Delphinus tunc per Germaniam Nuncius, & quamuis Cæſar initio reſponderet, opportunum non eſſe Synodum implicari difficultatibus nodoſiorum huiuſmodi quęſtionum, tamen cùm ipſi ponderandum obijceretur, non licere Pontifici, dum Epiſcoporum poteſtas ſtatuebatur, ſinere de ſua reticeri, pręſertim ex contradictionis obſtaculo, ad rem promouendam animum conuertit, ſcripſitque Draſcouitio, vt ſuper ea re cum Epiſcopis Hiſpanis ageret, qui habebantur in hoc tanquam homines extra factionem, atque vt ipſis oſtenderet teſtimonia à Pontifice pro ſe producta. Id ergo expoſuit Orator multis Hiſpanorum accerſitis in domum Guerreri, à quo reſponſum accepit, quod nuper retulimus. Vnde conſtat non ſolùm Hiſpanos & Italos, ſed & Germanos Prælatos pro Pontificia iuriſdictione ſupra vniuerſam Eccleſiam in Tridentino ſtetiſſe.

3. Dum

3. Dum autem Hiſtoricus dixit, Gallos recuſaſſe verbum admittere, quod ſignificaret excellentiam Papæ ſupra Concilium, alludit ad Canonem, quem propoſuerat Concilio Lotharingus, in quo dicebatur Papam habere poteſtatem regendi Eccleſiam vniuerſalem; quem Canonem Galli non ſunt paſſi approbari à Concilio, contendentes ſolũ eſſe appprobandum, ſi diceret, Papam habere poteſtatem regendi *omnes fideles, et omnes Eccleſias*: quia perinde erat approbare Canonem illum, prout à Lotharingo propoſitum, ac definire Papam eſſe Cõcilio ſuperiorem: Vnde propterea Galli nolunt Florentinum, vt Concilium generale admittere, ne cogantur fateri, definitam eſſe illam excellentiam Romani Pontificis: ergo ex ipſorum confeſſione non minorem certitudinem habet, quod Papa ſit ſupra Concilium Generale, quàm quod Florentinum fuerit verè Oecumenicum & generale; at hoc ſecundum eſt certum, nec vlla probabilitatis ſpecie negari poteſt, ergo & illud primum.

4. Quanquam verò Epiſcopi Gallicani totis viribus conati fuerint, ne à Concilio definiretur, Romanum Pontificem Caput, & Rectorem eſſe Eccleſiæ vniuerſalis, & multò magis ne declararetur, habere poteſtatem ſupra Concilium, tandem tamen conſenſerunt, vt *Rector Eccleſiæ Catholicæ* diceretur in Canone: & quidem fatentes, eamdem vim eſſe earum vocum *Catholicæ, & vniuerſalis*, vt teſtatur Cardinalis Hiſtoricus lib. 1. cap. 4. num. 13. Sed quia ab vſu vocis factum eſt, vt *Catholica* quoque dicatur Eccleſia quælibet, ſicut in 5. Synodo generali, collatione 5. dum adducuntur loca quædam ex operibus Auguſtini deſumpta, & ab his, quæ ipſe dixit in quodam Concilio Carthaginenſi, transferuntur illinc voces, quæ ſequuntur, *Auguſtinus Epiſcopus Eccleſiæ Catholicæ dixit*: propterea vocabulum illud, *Rector Eccleſiæ Catholicæ* diſplicuit Patribus Tridentinis, qui fauebant excellentiæ Pontificis ſupra Concilium.

§. V.

Quanto ardore locutus ſit coram Legatis Pontificijs Ferrerius Orator Regis Galliæ contra authoritatem Romani Pontificis.

1 INcentor factionis Gallorum præcipuus fuit Ferrerius Orator Regius, qui in oratione ad Legatos Pontificios habita, ſui, & alterius Oratoris Gallici nomine, ante omnia quaſi pro certiſſimo poſuit (vt refert Pallauicinus lib. 19. cap. 14. num. 4.) Concilium ſupra Romanum Pontificem eſſe: Eccleſiam Gallicanam non modò id ſentire, ſed profiteri, & iureiurando affirmare tanquam articulum neceſſarium, id-

que

que iure optimo ex Conſtantienſis Synodi authoritate. Præſcribi quidem ſibi in mandatis Regijs, ne huiuſmodi controverſiam excitarent, ſed ſimul, ne liberum ſinerent aditum cuilibet verbo, quod illi ipſorum ſententiæ opponeretur, ac propterea huius rei declarationem à ſe retardatam fuiſſe, donec ab ipſo tempore, & negotio cogerentur. Allatas poſtea petitiones memoravit, adiecitque, cùm Pontifex iam dixiſſet argumenta illa omnino à ſe in Concilio reponi, ſe minimè conſenſuros, vt rurſus à Concilio in Pontifice reponerentur. Atque de omnibus his verba faciens, firmam, ardentemque voluntatem patefecit.

2. Quod hic de iureiurando facto ab alumnis Academiæ Pariſienſis narrat Ferrerius, teſtatur etiam apud Nauarrum in caput *nouit* de iudicijs notabili 3. Ioannes Maior Doctor Pariſienſis, vt vidimus ſect. 6. Sed Duuallius recens Scriptor, & Doctor Sorbonicus, qui opera ſua edidit anno 1636. tom. 1. pag. 854. expreſsè affirmat, falſum eſſe, Scholam Pariſienſem à ſuis tale iuramentum exigere.

3. Sed verò illi Oratoris Ferrerij orationi, primus Legatorum conſtanter reſpondit, fas ibi non eſſe Concilium illud, aut amplecti, aut commendare, quin nunquam ſe deſtituros in forma Canonum, ac doctrinæ ea ponere, quæ ſupremam Pontificis authoritatem declararent. Si Oratores ſtudebant ſuam opinionem tueri, Præſides ſtudere veritatem propugnare, hoc eſt, Pontificem ſuperiorem eſſe Concilio: nè inducerent animum, vt oppoſitam ſententiam agitandam proponerent, nec vt à Concilio illius definitionem expoſcerent: etenim Legatos tam certos in eo perſiſtere, vt vitam prius amitterent, quàm id in dubitationem adduci permitterent.

§. VI.

Patres Tridentini dum finem impoſuerunt Concilio, ſatis declarant ſe Romanæ Sedis Superioritatem agnoſcere, illum appellandò Pontificem Sanctæ, & Vniuerſalis Eccleſiæ, *& declarando* omnia ſic decreta eſſe, Et in his ſalua ſit ſemper authoritas Sedis Apoſtolicæ.

1 QVòd autem Patres Tridentini ſuperioritatem hanc in Romano Pontifice agnouerint, declarant feſtiuæ acclamationes, quibus communi gaudio finem Concilio impoſuerunt, quæ habentur ad finem

nem ſeſſionis vltimæ. Hæ (inquit Pallauicinus lib.24.cap.8.num.10.) à Lotharingo compoſitæ pro more veterum Synodorum, & ab eodem præcinente ſunt editæ, tanquam à præcipuo in eo Senatu, cui reliquorum Patrum chorus reſpondebat. In illis preces Deo fundebantur, vt felicitas concederetur Pio Quarto, qui ab eodem Lotharingo nominabatur, *Pontifex Sanctæ, & vniuerſalis Eccleſiæ*, adeoque viſum eſt, ab eo illi tribui prærogatiuam ſuper Eccleſiam vniuerſalem, cui ab eodem, & à Gallis fuerat impugnata. Pieque credere poſſumus, occulta vi Spiritus Diuini ciente, & agitante Patrum corda, in vnum omnes denique prorupiſſe conſenſum, communemque approbationem veritatis olim in Florentino, & Lateranenſi 5. ſtabilitæ.

2. Idque comprobatur etiam ex seſſ.25. ſect.vltima cap.21.de reformatione, vbi hæc habentur: Poſtremò *Sancta Synodus omnia, & ſingula ſub quibuſcumque clauſulis, & verbis, quæ de morum reformatione, atque Eccleſiaſtica diſciplina, tam ſub felicis recordationis Paulo Tertio, ac Iulio Tertio, quàm ſub* Beatiſſimo *Pio IV. Pontificibus in hoc Sacro Concilio conſtituta ſunt, declarat, ita decreta fuiſſe, vt in his ſalua ſemper authoritas Sedis Apoſtolicæ, & ſit, & eſſe intelligatur.* Igitur Concilium decreta illa ſubiecit iudicio Romani Pontificis, agnoſcens in illo authoritatem interpretandi, laxandi, coarctandi, & mutandi decreta illa, prout illi expediens videretur ad maius bonum Eccleſiæ. Ergo agnouit in illo authoritatem Concilio ſuperiorem; nam inferior authoritatem non habet mutandi decreta ſuperioris, nec authoritatem Concilium Pontifici tribuit, ſed illam à Chriſto ipſi conceſſam agnoſcit: ſicut enim authoritatem, & iuriſdictionem Romanus Pontifex immediatè à Chriſto accepit, ita authoritatem interpretandi, & immutandi Decreta ſtabilita in Concilijs.

3. Vnde Epiſcopus Salmantinus (hic erat Petrus Gonzalez de Mendoza) cùm in Concilio inter Patres controuertebatur, an in fine Decretorum de reformatione, approbanda eſſet illa clauſula, *ſalua ſemper Apoſtolicæ Sedis authoritate*, inſtitit approbandam eſſe, vt refert Pallauicinus lib.23. cap.7. num.13. aſſignauitque rationem: nam quamuis Summus Pontifex ſit caput, & Princeps totius Eccleſiæ, nec vllius authoritati, iudicioue ſubiectus, adeoque eius poteſtas illæſa perſtaret in quouis Concilij decreto: tamen eam eſſe temporum nequitiam, vt oporteret id exprimere, & iterum, atque iterum repetere ad honeſtum Catholicorum exemplum, & ad hæreticorum abiectionem. Narratque poſtmodum Hiſtoricus cap.8. num. 1. antequam ad decreta reformationis deueniretur, primum Legatorum dixiſſe, complures conſenſiſſe præponendam illis eſſe hanc particulam, *ſalua ſemper Apoſtolicæ Sedis authoritate*; alios tamen prudenter cogitaſſe opportunius eſſe, poſt emendationis totius leges eam apponi: cùm enim authoritate Pauli III. in principio collata fuiſſet, videri conſentaneum rationi, vt eadem in fine reſpon-

ſponderet. Additque Hiſtoricus; collectis ſuper eo ſententijs, tres ſupra centum de hoc conſenſiſſe: Poſtea verò in Seſſione Patres concorditer decreuiſſe, abſque noua ſuffragatione ſuo tempore ad calcem totius emendationis apponendam eſſe illam clauſulam, & ita factum. Ergo Patres Concilij vnanimi conſenſu declararunt, Romanum Pontificem ratione ſuæ dignitatis habere authoritatem ad interpretanda, & mutanda Decreta Concilij generalis. Quę authoritas ſtare non poteſt ſine excellentia ſupra Concilium: idque ipſum declarauerunt Patres Concilij ſub Paulo Tertio anno 1547. cùm ſeſſ. 7. in Proœmio Decreti de reformatione adhibuerunt illam clauſulam, *ſalua ſemper in omnibus ſedis Apoſtolicæ authoritate*.

4. Illa autem clauſula adhibita à Tridentino, vt omnia quæ decreuerat ſubordinata manerent authoritati Romani Pontificis, familiaris eſt in Concilijs, & ſacris Canonibus; vt obſeruauit olim Gratianus in explicatione capitis *ideo permittente Domino* 25. q. 1. nam §. *His ita*, reſpondens ad obiectionem *contendentem, quòd contra ſtatuta ſacrorum Canonum, quibus ſtatus Eccleſiarum confundantur, aut perturbentur, priuilegia ab Apoſtolico* (ideſt Papa) *concedi non debent*; rem hanc mirificè explicat his verbis: *Sacroſancta Romana Eccleſia ius, & authoritatem ſacris Canonibus impertitur, ſed non eis alligatur. Habet enim ius condendi Canones: vtpote quæ caput eſt, & ordo omnium Eccleſiarum, à cuius regula nemini diſſentire licet. Ità ergo Canonibus authoritatem præſtat, vt ſeipſam non ſubijciat eis. Sed ſicut Chriſtus, qui legem dedit ipſam legem impleuit octauâ die circumciſus, quadrageſimo die in templo cum hoſtijs præſentatus: poſteà verò, vt ſe Dominum legis oſtenderet, contra legis litteram, leproſum tangendo mundauit .... Sic & ſummæ ſedis Pontifices, Canonibus, ſiue à ſe, ſiue ab alijs ſuâ authoritate conditis reuerentiam exhibent, & eis ſe humiliando, ipſos cuſtodiunt. Nonnunquam verò, ſeu iubendo, ſeu definiendo, ſeu aliter agendo, ſe decretorum Dominos, & conditores eſſe oſtendunt. Licet itaque Primæ ſedi contra generalia decreta, ſpecialia priuilegia indulgere, & ſpeciali beneficio concedere, quod generali prohibetur decreto. Quanquam, ſi decretorum intentionem diligenter aduertamus, nequaquam contra ſanctorum Canonum authoritatem aliquid concedere inuenietur, ſacri ſiquidem Canones ità aliquid conſtituunt, vt interpretationis authoritatem S. Romanæ Eccleſiæ reſeruent. Ipſi namque ſoli Canones valent interpretari, qui ius condendi eos habent. Vndè in nonnullis capitulis Conciliorum, cùm aliquid obſeruandum decernitur, ſtatim ſubinfertur. Niſi authoritas Romanæ Eccleſiæ aliter imperauerit. Vel, ſaluo tamen in omnibus iure S. Romanæ Eccleſiæ. Vel ſaluâ tamen in omnibus, Apoſtolica authoritate, &c.*

§. VII.

§. VII.

Patres Tridentini agnouerunt authoritatem Pontificis eſſe ſupra Concilium, ac proinde ſupremam, & infallibilem, dum cenſuerunt, ſe non poſſe decretum obligans ad reformationem Curiæ Romanæ Eccleſiæ, niſi illud confirmaretur à Pontifice.

1. RVrſus authoritatem Romani Pontificis ſupra Concilium, & ſupra totam Eccleſiam agnouiſſe Synodum Tridentinam, probatur ex ſeſſ. 7. in procemio Decreti de reformatione, vbi ita ſcribit: *Sacroſancta Synodus inceptum reformationis negotium proſequi intendens, vt ſequitur ſtatuendum cenſuit, ſaluâ ſemper in omnibus Apoſtolicæ ſedis authoritate*; ad quam ſcilicet attinet reformationis capita approbare, vel reprobare; conſtat enim ex hiſtoria Concilij lib. 21. cap. 6. n. 1. & lib. 22. c. 1. n. 5. Pium IV. Pontificem per Borromæum 16. Iunij 1563. libertati commiſiſſe Cõcilij negotium hoc de reformatione; ſic enim ſcripſit Borromæus ad Moronum Cardinalem Legatum 21. Auguſti ann. 1563. *Nauanda tibi erit opera, vt ad reformandam diſciplinam ea ſtatuantur, quæ tibi, ac reliquis honeſta viſa fuerint, & quæ poſſint Synodo ſatisfacere, & cuncto Chriſtiano nomini prodeſſe, nullâ habita rerum moralium ratione; id enim gratiſſimum Pontifici accidit.* Conſtat etiam ex eadẽ hiſtoria lib. 21. cap. 6. n. 15. cum in Concilio ageretur de reformatione Romanæ Curiæ, Patrem Didacum Laynez Generalem Societatis Ieſu palàm dixiſſe, reformationem Curiæ meliùs, ac citiùs perfici poſſe à Pontifice, in quo ſumma illius peritia cum authoritate copulabatur; quàm à Patribus Concilij, qui nec integram cognitionem relaxationum Curiæ Romanę habebant, nec quidquam poterant circa hoc decernere, quod robur, ac firmitatem, & vim obligandi haberet, niſi conſenſus, & confirmatio Pontificis accederet; aiebat enim, *emendationem Aulæ, vbi ea in Synodo fuiſſet decreta, ſi poſtea Pontifici non probaretur, aut ab illo reuocatum iri, aut ipſi derogatum: atque in explicanda huius rationis efficacia ſuccenſus eſt ad authoritatem Pontificis ſupra cuncta Concilia comprobandam, nec ſibi temperauit, quin illos perſtringeret, qui eam negabant.*

2. Ex hac autem authoritate Pontificis ſupra omnia Concilia, quam ſolidiſſimè demonſtrauit P. Laynez, manifeſtè deducebatur, Papam non poſſe ſubijci decretis Concilij, nec illis obligari, quatenus à Con-

Digitized by Google

cilio manabant, ac proinde non poſſe à Concilio condi decretum de reformatione Curiæ Romanæ, cui Papa cogeretur obedire: ideo Concilium abſtinuit à decreto ſpeciali huius reformationis, & præterea cap. illo 21. ſeſſ. 25. omnia quæ ſub Paulo III. ac Iulio III. & ſub Pio IV. decreuerat circa morum reformationem, & Eccleſiaſticam diſciplinam ſubiecit poteſtati Pontificis, & ideo declarauit ita hęc omnia decreta fuiſſe, *vt ſalua ſemper authoritas ſedis Apoſtolicæ, & ſit & eſſe intelligatur.*

3. Et ideo poſtmodum in continuatione illius Seſſionis in decreto de recipiendis, & obſeruandis Decretis Concilij, quia probè nouerat Papam non poſſe vi illorum decretornm cogi, & independenter à ſua voluntate obligari; ideo Principibus omnibus ſæcularibus, non vero Papæ mandauit, vt decreta illa reciperentur, & obſeruarentur; *ſupereſt nunc* (inquit S. Synodus) *vt Principes omnes: quod facit, in Domino moneat ad operam ſuam ita præſtandam, vt quæ ab ea decreta ſunt ab hæreticis deprauari, aut violari non permittant, ſed ab his & omnibus deuotè recipiantur, & fideliter obſeruentur.* Et cap. 20. illius ſeſſionis 25. quæ vltima fuit, ſic loquitur: *Cupiens ſancta Synodus Eccleſiaſticam diſciplinam in Chriſtiano populo non ſolùm reſtitui, ſed etiam perpetuò ſartam, tectam à quibuſcumque impedimentis conſeruari; præter ea, quæ de Eccleſiaſticis perſonis conſtituit, ſæculares quoque Principes officij ſui admonendos eſſe cenſuit, confidens eos, vt Catholicos, quos Deus ſanctæ fidei, Eccleſiæque protectores eſſe voluit, ius ſuum Eccleſiæ reſtitui non tantùm eſſe conceſſuros, ſed etiam ſubditos ſuos omnes ad debitam erga Clerum, Parochos, & ſuperiores ordines reuerentiam reuocaturos, nec permiſſuros, vt officiales, aut inferiores Magiſtratus, Eccleſiæ, & perſonarum Eccleſiaſticarum immunitatem, Dei Ordinatione, & Canonicis Sanctionibus conſtitutam, aliquo cupiditatis ſtudio, ſeu inconſideratione aliqua violet; ſed vnà cum ipſis Principibus debitam ſacris Summorum Pontificum, & Conciliorum conſtitutionibus obſeruantiam præſtent.*

4. Petrus Suauis apud Cardinalem Pallauicinum in hiſtoria Concilij lib. 21. cap. 6. n. 2. referens quid ſentirent Galli de authoritate Pontificis ad relaxanda Oecumenici Concilij Decreta, inquit: *Volebant Galli authoritatem Pontificis ita declarare, vt ei neque tranſgredi, neque relaxare liceret Oecumenicæ ſynodi decreta.* Verùm id eſſe falſum euincit ibi Cardinalis Pallauicinus; quia Cardinalis Lotharingus Gallorum ductor, quem ibi tacitè deſignat Suauis, longe aliter ſentiebat; nam coram legatis teſtatus eſt, opinionem ſuam eſſe, quæ ſequitur, & promiſit etiam ſcripto tradere, nimirum *Concilio per Summum Pontificem legitimè conuocato, & per eius legatorum directionem celebrato, ineſſe immunem à falſitate diuinam cuſtodiam in Fidei dogmatibus; adeo vt eius ſanctiones etiam ante Pontificiam firmitatem certæ ſint cunctoſque Chriſtianos obſtringant, adeoque ipſum etiam Pontificem ad fidem illis habendam. Poſſe dumtaxat illum, quippe ſupremum Eccleſiæ Iudicem, declarare, Concilium*

modo

Digitized by Google

modo non rato proceſſiſſe, eaque ratione prædictas definitiones irritas reddere: non ita contingere in morum Decretis, in quibus Deus eam cuſtodiam ſynodo non ſpopondit, qua non poſſit errare in edendis legibus parùm opportunis; adeoque illis vim non ineſſe antequam à Pontifice Romano confirmentur, cui licet poſtea eas relaxare ad Eccleſiæ vtilitatem. Hanc ſuam eſſe ſententiam affirmauit Lotharingus.

5. Hinc Cardinalis hiſtoricus ad finem illius capitis meritò perſtringit Petrum Suauem, quia contra ſinceritatem & veritatem, quam in narrando debet hiſtoricus ſeruare, trasformauit diſſertationem tam propitiam authoritati Romanæ Sedis, dum recitauit ſententiam illius viri, Doctoris Gallorum, qui prærogatiuæ Romani Pontificis ſupra Concilium vnicè aduerſabatur. *Qua fronte* (inquit Pallavicinus) *ſilentio præterit, illum nihil refragari ijs omnibus, quæ in Synodo Florentina definita leguntur, ſed ſolùm non Oecumenicam eam fateri, propterea, quòd cunctæ nationes illi non aderant?* Hucuſque Cardinalis hiſtoricus.

6. Ex cuius teſtimonio conſtat, etiam ipſos Gallos agnoviſſe in Concilio Tridentino, Romanum Pontificem habere authoritatem relaxandi ad Eccleſiæ vtilitatem decreta morum, & diſciplinæ edita à Concilijs Generalibus. Et Cardinalem Lotharingium admiſiſſe tanquam vera ea omnia, quæ Synodus Florentina definiuit, & declaravit; quamvis noluerit admittere, illam Synodum fuiſſe Generalem. Vnde ſequitur, illum admiſiſſe ea omnia, vnde nos in diſputat. Iſta ſect. 11. §. 1. & ſeqq. probauimus neceſſariò inferri, Papam eſſe ſupra Concilium, & eſſe in definiendo infallibilem, licèt Lotharingius noluerit admittere Concilium in nullo caſu eſſe *ſupra Papam certum & indubitatum*, prout affirmat omnium ferè Theologorum ſententia contra pauculos Doctores Gallos.

7. Conſtat etiam, Cardinalem Lotaringium, ſectatum eſſe illam opinionem, quam tuentur multi Theologi, etiam ex ijs, qui ſententiam communem de Excellentia Pontificis ſupra omnia Concilia, & de eius in definiendo infallibilitate tanquam certam defendunt, quos citauimus diſput. 1. ſect. 4. §. 4. Siquidem ij fatentur, definitiones fidei editas à Patribus Concilij generalis legitimè congregati & manentibus ſub obedientia Pontificis, præſertim quando omnes, vel ferè omnes conueniunt in ſuffragio, eſſe infallibiles pro priori ad confirmationem Pontificis, nec Deum permittere poſſe, vt Papa oppoſitum definiat eius, quod à tota Synodo vel ferè tota definitum eſt.

§. VIII.

§. VIII.

Concilij Patres agnouerunt infallibilitatem Romani Pontificis, dum declararunt, ad ipſum pertinere, controuerſitas fidei determinare, cùm neceſsitas poſtulauerit: *& ab illo ſuorum Decretorum* confirmationem *humiliter petiuerunt. Et alia ad eius authoritatem remiſerunt.*

1. PRæterea ijdem Tridentini Patres ſatis apertè agnouerunt in Romano Pontifice authoritatem infallibilem, ad decidendas controuerſias fidei extra Concilium generale; nam ad finem ſeſſionis vltimæ in Decreto de recipiendis, & obſeruandis decretis Concilij: ſic aiunt: *Tanta fuit horum temporum calamitas, & hæreticorum inueterata malitia, vt nil tam clarum in fide noſtra aſſerenda, quod non, humani generis hoſte ſuadente, illi errore aliquo contaminauerint. Ea propter Sancta Synodus id potiſſimùm curauit, vt præcipuos Hæreticorum noſtri temporis errores damnaret, & anathematizaret, veramque & catholicam fidem traderet &c.* Et poſtea explanat neceſſitatem imponendi finem Concilio; & hortatur Princeps Chriſtianos ad operam ſuam ita præſtandam, vt quæ ab ea decreta ſunt, ab Hæreticis deprauari aut violari non permittant, ſed ab his, & omnibus deuotè recipiantur, & fideliter obſeruentur. Et immediatè ſumiungit: *Quòd ſi in his recipiendis aliqua difficultas oriatur, aut aliqua inciderint, quæ declarationem, quod non credit, aut definitionem poſtulent, præter alia remedia in hoc Concilio inſtituta, confidit Sancta Synodus Beatiſſimum Romanum Pontificem curaturum, vt vel euocatis ex illis præſertim Prouincijs, vnde difficultas orta fuerit, his, quos eidem negotio tractando viderit expedire vel etiam Concilij generalis celebratione, ſi neceſſarium iudicauerit, vel commodiori quacunque ratione viſum fuerit, Prouinciarum neceſſitatibus pro Dei gloria, & Eccleſiæ tranquillitate conſulatur.* In quibus verbis apertè agnoſcit Tridentinum in Romano Pontifice authoritatem infallibilem ad definiendas fidei controuerſias, quando neceſſitas id poſtulat, & Concilium generale facilè non poteſt conuocari. Nec id Galli negabant, ſed ſolùm contendebant non eſſe definiendum Papam eſſe ſuperiorem Concilio, quaſi in nullo poſſit caſu à Concilio iudicari.

2. De-

2. Denique authoritatem Romani Pontificis Patres agnouerunt, cùm vnanimi conſenſu decreuerunt, vt à Romano Pontifice Pio IV. omnium, & ſingulorum, quæ ſub Paulo III. & ipſo Pio IV. in ea Synodo definita, & decreta fuerant nomine illius Sanctæ Synodi, confirmatio ad ipſo Romano Pontifice peteretur, vt conſtat ex fine ſeſſionis vltimæ: nam confirmare Concilij definitionem, & decreta, actus eſt poteſtatis ſuperioris; ad inferiorem enim decreta Superioris confirmare non ſpectat, ſed ſuſcipere, & obſeruare.

3. Placet verò hic appendere decretum vltimum Tridentini, cuius titulus hic eſt. *De fine Concilij, & confirmatione petenda à Sanctiſſimo Domino noſtro.* Sub hoc autem titulo ſic habet Conciliũ: *Illuſtriſſimi Domini, Reuerendiſſimique Patres, Placetne vobis, vt ad laudem Dei omnipotentis, huic ſacræ Oecumenicæ Synodo finis imponatur? & omnium & ſingulorum, quæ tam ſub fel. rec. Paulo. III. & Iulio III. quàm ſanctiſſimo Domino noſtro Pio IV. Romanis Pontificibus in ea decreta & definita ſunt, confirmatio nomine ſanctæ huius Synodi per Apoſtolicæ Sedis Legatos, & Præſidentes à Beatiſsimo Romano Pontifice petatur?*

Reſponderunt, Placet.

4. Et poſtea appenduntur Acclamationes Patrum in fine Concilij. Et primo loco ponitur acclamatio Cardinalis â Lotharingia, qui nomine non ſolùm Nationis Gallicæ, ſed totius Concilij, ſic acclamauit Summo Pontifici.

Beatiſſimo Pio Papæ, & Domino noſtro, Sanctæ & vniuerſalis Eccleſiæ Pontifici: multi anni; & æterna memoria.

5. Qua acclamantione profeſſus eſt, Papam eſſe ſupra totam Eccleſiam, quandoquidem faſſus eſt, eſſe Pontificem & paſtorem vniuerſalis Eccleſiæ.

6. Eandem authoritatem recognouit in eadem ſeſſ. vltima in Decreto de indulgentijs; nam loquens de moderatione, qua à Pontificibus concedi oportet, non præcipit moderationem, ſed deſiderat & rogat: *in his concedendis moderationem iuxta veterem, & probatam in Eccleſia conſuetudinem, adhiberi cupit, ne nimia facilitate Eccleſiaſtica diſciplina euacuetur.* Quibus verbis Sancta Synodus loquitur cum Summo Pontifice, tanquam cum ſuperiore ſuo, cui præcipere non poterat, ſed tantùm deſiderium ſuum modeſtè *exponere.* Et poſtea ſupremam authoritatem Romani Pontificis ſuſpiciens Sancta Synodus, ei commendat abuſuum reformationem his verbis: *Mandat omnibus Epiſcopis, vt diligenter quiſque huiuſmodi abuſus Eccleſiæ ſuæ colligat, eoſque in prima ſynodo prouinciali referat; vt aliorum quoque Epiſcoporum ſententia cogniti, ſtatim ad Summum Romanum Pontificem deferantur: cuius authoritate, & prudentia, quod vniuerſali Eccleſia expediet, ſtatuatur; vt ita ſancta-*

rum

rum Indulgentiarum munus piè, ſanctè & incorruptè omnibus fidelibus diſpenſetur.

7. Eandem authoritatem recognouit in Decreto de Indice librorum, Catechiſmo, Breuiario, & Miſſali, in quo ita loquitur: *Sacroſancta Synodus in ſecunda ſeſſione ſub Sanctiſs. D. noſtro Pio IV. celebrata, delectis quibuſdam Patribus commiſit, vt de varijs cenſuris, ac libris, vel ſuſpectis, vel pernicioſis, quid facto opus eſſet, conſiderarent, atque ad ipſam ſanctam Synodum referrent: audiens nunc, huic operi ab eis extremam manum impoſitam eſſe, nec tamen ob librorum varietatem & multitudinem diſtinctè & commodè poſſit à ſancta Synodo dijudicari; præcipit, vt quidquid ab illis præſtitum eſt, Sanctiſſimo Romano Pontifici exhibeatur, vt eius iudicio atque authoritate terminetur, & euulgetur. Idemque de Catechiſmo à Patribus, quibus illud mandatum fuerat, & de Miſſali, & Breuiario fieri mandat.* In quibus verbis loquens cum Pontifice, tanquam cum ſuperiore, non ei concedit authoritatem, ſed ſupponit atque declarat illam habere, tanquam Vicarium Chriſti, & ſucceſſorem Petri.

SECTIO VLTIMA.

In qua infertur ex dictis admittendam non eſſe tertiam propoſitionem Cleri Gallicani, affirmantem, Apoſtolicæ poteſtatis vſum moderandum eſſe per Canones Spiritu Dei conditos, & totius mundi reuerentia conſecratos.

EX dictis ſectione præcedenti ex Tridentino, & ex alijs Concilijs volentibus, *ſaluam ſemper in omnibus manere Apoſtolicæ Sedis authoritatem;* & agnoſcentibus in Romano Pontifice ſupremam authoritatem, eique ſubijcientibus ſua decreta, & petentibus eorum confirmationem; & ex ijs omnibus, quæ hucuſque dicta ſunt circa ſupremam, & infallibilem authoritatem Romani Pontificis, deducitur manifeſtè admittendam non eſſe tertiam illam Cleri Gallicani propoſitionem, vtpote quæ authoritatem Apoſtolicæ Sedis videtur ſubijcere iuri poſitiuo Canonum, cum tamen tota vis Canonum inducentium ius poſitiuum, & legem humanam dependeat ab authoritate Romani Pontificis, nec vſus Pontificiæ poteſtatis ſit moderandus per Canones, ſed potius vſus Canonum ſit moderandus per authoritatem Romani Pontificis; quia non Canones ſunt ſupra Papam, ſed è conuerſo Papa eſt ſupra Canones. Idque nunc ex dictis probandum eſt.

§. I.

§. I.

Præmittitur ad dicenda, quinam ſint Canones in quibus diſpenſare poteſt Romanus Pontifex, vel quos poteſt limitare aut relaxare.

CArdinalis Turrecremata lib. 3. ſummæ de Eccleſia cap. 55. latè probat, *Romanum Pontificem habere authoritatem tollendi ſtatuta aliqua tam Sacrorum Conciliorum, quàm Prædeceſſorum ſuorum.* Poſtea autem cap. 56. proponit contra inter alia hoc argumentum, quod eſt ordine nonum: *Inferior non poteſt tollere, aut diſpenſare in lege ſuperioris: ergo nec Papa in canonibus, cùm ſint ab Spiritu Sancto editi, qui ſcilicet eſt ſupra Papam & ſupra omnia creata.* Cui argumento cap. 57. reſpondet negando conſequentiam: *Pro quo notandum eſt,* inquit, *iuxta S. Thomam & Doctores, quod duplex diſtinguitur genus Canonum, qui Spiritu Sancto dictante per plures Sanctos in Concilijs, ſiue extra Concilia conditi ſunt. Primum genus eſt eorum, quæ ſunt de iure diuino, ſicut ſunt Canones pertinentes ſiue ſtatuta ad articulos fidei, aut ad ſubſtantiam Sacramentorum, aut quæ manifeſtam connexionem habent ad legem diuinam, pertinentia ad bonos mores: & de talibus intelliguntur capitula, vt dicit S. Thomas, quæ ponuntur 25. quæſt. 1. cap.* violatores c. ſunt quidam c. contra ſtatuta cap. prima ſalus. *Secundum genus Canonum eſt eorum, quæ SS. Patres inſtituerunt in Concilijs vniuerſalibus de iure poſitiuo. Licèt enim Canones omnes à SS. Patribus vnanimiter, & vno conſenſu editi, cenſeantur conditi à Spiritu Sancto ſicut dictante & inſpirante; non tamen omnes dicuntur pertinere aut ad legem naturæ, aut ad ius diuinum, ſicut aduerſarij videntur innuere; ſed aliqui dicuntur pertinere ad ius poſitiuum. Nam ſi Canones, qui à Spiritu S. dicuntur conditi, pertinere ideo dicerentur ad legem naturæ, ſiue ad ius diuinum, indiſpenſabiles eſſent: & ita Eccleſia erraſſet diſpenſando in Canonibus factis à SS. Patribus. Item nec mutari poſſent, qui ſemel eſſent conſtituti: & multa alia ſequerentur, quæ omnino ſunt abſurda & inconuenientia. In primo genere Canonum, qui pertinere videntur ad legem Domini, Papa non diſpenſat, nec mutationem facit. In ſecundo vero genere Canonum, ſic; quemadmodum ſæpe dictum eſt;* qui eatenus etiam dicuntur totius mundi reuerentiâ conſecrati, quia per Spiritûs S. Oraculum ſtabiliti.

§. II.

Ratio à priori, cur Papa poſſit diſpenſare in omni iure poſitiuo, illudque limitare & explicare, prout bonun publicum poſtulauerit: qua confirmatur ex D. Thoma.

1. RAtio eſt, quia cùm Romanus Pontifex ex inſtitutione diuina ſit totius Eccleſiæ caput, & totius ouilis Chriſti ſummus Paſtor, habeatque Primatum non ſolius honoris, ſed poteſtatis ſpiritualis, atque iuriſdictionis in vniuerſos Chriſtifideles, atque adeo in vniuerſam Eccleſiam; habet ſupremam authoritatem in Eccleſia Dei, nulli poteſtati humanę ſubiectam; ac proinde nullę leges poſitiuę, nulli Canones poſſunt ab Eccleſia condi niſi authoritate Romani Pontificis, qui tanquam caput Eccleſię velit, ipſam his legibus obligari, & tanquam ſummus Paſtor velit, totum Chriſti ouile his canonibus ligari. Ergo implicat, vt ab Eccleſia, vel in Concilio generali, vel extra illud condanturCanones & leges poſitiuę, quibus poſteriores Pontifices coacti ligentur, & in quibus non poſſint, quando neceſſitas, vel vtilitas publica poſtulat, diſpenſare. Vel enim leges illę conſiderantur, quatenus ſtatutæ à Patribus, Concilij præſcindendo à confirmatione Pontificis; vel quatenus ſtatutæ à Patribus, & confirmatę à Pontifice. Primo modo non poſſunt habere vim obligandi Papam, quia Patres Concilij, vt contradiſtincti à Papa, repręſentant corpusEccleſiæ vt diſtinctum à capite; repręſentant ouile vt contradiſtinctum à Paſtore: Vnde cùm euidens ſit, corpus non eſſe ſupra caput, nec ouile ſupra Paſtorem, ſed potius è contra corpus eſſe infra caput, & ouile infra Paſtorem: & euidens etiam ſit, legem latam ab inferiori non poſſe inuitum obligare ſuperiorem; conſequens neceſſariò ſit, vt leges & canones conditi à Concilio non poſſint ligare Papam. Vel leges illæ conſiderantur vt confirmatæ à Pontifice; & ſub hac etiam conſideratione non poſſunt alligare coactos poſteriores Pontifices, qui habent æqualem, imò eandem omnino poteſtatem, quam habuit prior Pontifex, qui leges illas condidit, vel confirmauit; quia ęqualis non poteſt ligare æqualem. Vnde poſterior Pontifex poteſt diſpenſare in lege humana lata à priori Pontifice, ſi ratio id poſtulet; & in lege lata à Concilio generali confirmato à Papa. Sicut enim Pontifex poteſt diſpenſare in lege à ſe condita, poteſt diſpenſare in lege condita ab Anteceſſore, quando vtrobique eadem ratio ab Anteceſſore, quando vtrobique eadem ratio diſpenſandi militet. Ergo

go vſus Apoſtolicæ poteſtatis non eſt moderandus per Canones conſtituentes legem humanam, quantumuis ſpiritu Dei conditi ſint, & totius mundi reuerentiâ conſecrati.

2. Et hæc ratio validè confirmatur ex doctrina D. Thomę qu. 10. de potentia art. 4. ad 13. vbi hæc habet: *Si poſterior Synodus poteſtatem habet interpretandi Symbolum à priore Synodo conditum, ac ponendi aliqua ad eius explanationem, vt ex prædictis patet; ita etiam Romanus Pontifex hoc ſuâ authoritate poteſt, cuius authoritate ſola Synodus congregari poteſt, & à quo ſententia Synodi confirmatur, & ad ipſum à Synodo appellatur. Quæ omnia patent ex geſtis Concilij Chalcedonenſis. Nec eſt neceſſarium, quod ad eius expoſitionem faciendam vniuerſale Concilium congregetur, cùm quandoque id fieri prohibeant bellorum diſſidia, ſicut in ſeptima Synodo legitur, quòd Conſtantinus Auguſtus dicit, quòd propter imminentia bella vniuerſaliter Epiſcopos congregare non potuit. Sed tamen illi qui conuenerunt, quædam dubia in fide exorta, ſequentes ſententiam Agathonis Papæ, determinauerunt, ſcilicet quòd in Chriſto ſint duæ voluntates, & duæ actiones. Et ſimiliter Patres in Concilio Chalcedonenſi congregati, ſecuti ſunt ſententiam Leonis Papæ, qui determinauit Chriſtum eſſe in duabus naturis poſt Incarnationem.*

§. III.

Cùm Romanus Pontifex ſit ſupremus Princeps, & Monarcha ſpiritualis Eccleſiæ, non poteſt ligari legibus Eccleſiaſticis quoad vim coactiuam illarum, ſed ſolùm quoad directiuam.

1. QVòd Romanus Pontifex hoc habeat, conſtat 1. ex dictis diſp. 1. ſect. 8. vbi probauimus, Chriſtum fundaſſe in Eccleſia regimen Monarchicum, quod adeò certum putat ibi Gerſon, vt doctrinam oppoſitam appellet hæreticam. Conſtat ſecundò ex dictis eâdem Diſp. ſect. 8. §. 4. quia de fide eſt, *Romanum Pontificem canonicè electum habere ſupremam authoritatem in Eccleſia Dei*; quia ita definitum eſt à Concilio Conſtantienſi, quatenus inconcuſsè fuit generale, & approbatum à Martino V. Conſtat tertiò ex dictis totâ Diſput. 2. & Diſp. 3 ſect. 5. in qua oſtendimus Romanum Pontificem habere *primatum in vniuerſa Eccleſia, & in vniuerſam Eccleſiam*. Hæc enim verificari non poſſent de Romano Pontifice, niſi eſſet ſupremus Eccleſiæ Princeps, nullam ſupra ſe habens poteſtatem humanam.

2. Quòd autem Romanus Pontifex hoc ipſo, quòd ſit ſupremus

Digitized by Google

Princeps Eccleſiæ, non poſſit ligari legibus Eccleſiaſticis, ſeu poſitiuis, patet: quia ſiue iſtæ conditæ ſint in Concilio generali, ſiue extra illud, ſemper dimanant à ſuprema poteſtate Pontificis condentis vel mediante Concilio generali, vel ſine illo leges illas: quia nullius Concilij ſtatuta robur habere poſſunt, niſi confirmentur à Pontifice, vt probatum eſt Diſput. 1. ſect. 4. §. 3. & 4.

3. Quòd autem ſupremus Princeps non ligetur legibus proprijs, vel ſuorum Prædeceſſorum, conſtat ex communi conſenſu Theologorum apud P. Suarez lib. 3. de legibus cap. 35. num. 15. & habetur tanquam primum principium in iure ciuili lib. 1. Digeſti veteris tit. 30. leg. 30. vbi dicitur, *Princeps legibus ſolutus eſt.* Quod egregiè explicat D. Thomas 1. 2. quæſt. 96. art. 5. ad tertium his verbis: *Dicendum quòd Princeps dicitur eſſe ſolutus à lege quantum ad vim coactiuam legis: nullus enim propriè cogitur à ſeipſo: lex autem non habet vim coactiuam, niſi ex Principis poteſtate. Sic igitur Princeps dicitur eſſe ſolutus à lege, quia nullus in ipſum poteſt iudicium condemnationis ferre, ſi contra legem agat: vnde ſuper illud Pſalm.* 50. Tibi ſoli peccaui &c. *dixit gloſſa, quòd Rex non habet hominem, qui ſua facta dijudicet: Sed quantum ad vim directiuam legis, Princeps ſubditur legi propria voluntate, ſecundùm quod dicitur* extrar. de conſtitutionibus, cap. *cùm omnes*: Quod quiſque iuris in alterum ſtatuit, ipſe eodem iure vti debet. *Et ſapientis dicit authoritas*: Patere legem, quam ipſe tuleris. Improperatur etiam his à Domino, qui dicunt & non faciunt, & qui alijs onera grauia imponunt, & ipſi nec digito nolunt ea mouere, *vt dicitur Matth.* 23. *Vnde quantum ad Dei iudicium, Princeps non eſt ſolutus à lege, quantum ad vim directiuam eius, ſed debet voluntarius, non coactus legem implere. Eſt etiam princeps* ſupra legem, in quantum ſi expediens fuerit, poteſt legem mutare, & in ea diſpenſare pro loco & tempore.

§. IV.

Vſum poteſtatis Apoſtolicæ non poſſe moderari per Canones, probatur ex ipſis Sacris Canonibus ſpiritu Dei conditis, qui declarant Romanum Pontificem eſſe ſupra omne Ius poſitiuum inductum per Canones.

1. Ex eo quod Canones ſpiritu Dei conditi aliquid ſtatuant, non ſequitur, quòd ex eodem ſpiritu Dei non poſſint ſecundùm tēporum neceſſitates ad bonum commune limitari, vel relaxari à ſupremo

Eccleſiæ Principe. Cùm enim canones illi inſtituti ſint ad bonum & vtilitatem Eccleſiæ, ſi temporum circumſtantiæ oſtendant ex illorum rigido rigore non fructum colligi, ſed detrimentum Eccleſiæ, ad Summum Pontificem tanquam ad caput Eccleſiæ ſpectat, eorum Canonum rigorem mitigare pro bono corporis Eccleſiæ. Quod egregiè explicat Car-
„ dinalis Turrecremata lib. 3. cap. 54. his verbis: Eius eſt leges publi-
„ cas relaxare, amouere, & abolere, cuius eſt illas condere, & apud
„ quem reſidet ſuprema Reipublicæ authoritas: ſed huiuſmodi in Re-
„ publica Chriſtiana eſt Romanus Pontifex, ſiue Apoſtolica Sedes, in
„ qua Chriſtus Dominus totius Eccleſiæ Principatum collocauit, & à
„ quo eſt, quidquid poteſtatis habent Concilia Vniuerſalia ad inſti-
„ tuendos Canones, qui nonniſi ipſius authoritate conditi ſunt & inſti-
„ tuti; igitur ipſius etiam eſt in illis diſpenſare, moderari & annullare.
„ Et addit cap. 54. Hoc etiam confirmat B. Bernardus, qui ad Euge-
„ nium ſcribens, Romanum Pontificem nominat *Patrem Regum, Le-*
„ *gum moderatorem &c.* De qua authoritate in Canonibus diſpenſandis
„ ſiue moderandis illuſtre teſtimonium dat Dominus Archiepiſco-
„ pus Rhemenſis lib. de Synodis cap. 39. ita dicens. Facultatem tempe-
„ randorum ſiue mutandorum Canonum Romano Pontifici potiſſimùm
„ adiacere, non dubitamus, vt Sancti Patres docuerunt. Nam B. Gela-
„ ſius & Nicolaus Papa I. in decretis eorum, Symmachus verò in ge-
„ nerali Synodo, diuerſo quidem tempore, ſed eadem voce, de Roma-
„ mani Pontificis authoritate ita proteſtati ſunt. *Neceſſaria*, inquiunt, *rerum diſpoſitione conſtringimur, & Apoſtolicæ Sedis moderamine conuenimur, ſic Canonum Paternorum decreta librare, & retro Præſulum, Prædeceſſorumque noſtrorum præcepta metiri, vt quæ præſentium neceſſitas temporum in reſtaurandis Eccleſijs relaxanda depoſcit, adhibitâ conſideratione diligenti, quantum poteſt fieri, temperemus.* Habetur 1. q. 7. c. neceſſaria.
„ Ne mireris ſi Romani Pontifices hanc peculiariter habuerunt pote-
„ ſtatem, vt canones pro tempore diſpenſarent. Ipſi enim ſunt autho-
„ res Canonum, & illa Sedes ſemper hoc priuilegium habuit, vt liga-
„ tum & ſolutum ſit, quicquid ipſa ligauerit, & ſoluerit. Vnde iuxta
„ atteſtationem Sanctorum Patrum, omnibus Eccleſijs præeminet, & de
„ omnibus iudicare poteſt. Hæc ille. De neceſſitate verò ponendi hanc
„ poteſtatem in Romano Pontifice, idem Doctor in eodem cap. ita di-
„ cit. Nequaquam autem Eccleſiaſtica diſciplina conſiſtere poſſet, ſi
„ non Præſul Apoſtolicus illam authoritatem haberet de Canonibus,
„ quam ſuprà retulimus. Nam præcedentium Patrum ſtatuta Eccleſia-
„ ſticam diſciplinam aliquando non tam inſtituerent, quàm confunde-
„ rent, ſi nulla ratione à ſucceſſoribus eorum mutari poſſent, cùm ta-
„ men neceſſitas temporis nunc minùs, nunc ſeueriùs incedendum per-
„ ſuaderet; quod illum non latebit, qui præcedentium Patrum & ſub-
„ ſequentium ſtatuta diligenter inueſtigare curauerit. Eſt ergo priuile-

gium

Digitized by Google

„ gium Apoſtolicæ Sedis, vt Iudex ſit Canonum, & decretorum vt pro
„ temporis conditione, & rerum neceſſitate nunc intendat,nunc remit-
„ tat,prout neceſſitati, & vtilitati Eccleſiæ expedire proſpexerit.
„ 2. In cuius probationem capite ſequenti plurima adducit exem-
„ pla; cap. autem præcedenti idem ex eodem principio docuerat de
„ poteſtate temperandi, ac interpretandi Canones: Quia nempe Ro-
„ mani Pontificis authoritate ſunt conſtituti. Patet ex C. *ideo* 25.q.1.
„ §. *His*, vbi dicitur: *Sacri quidem Canones vbi aliquid conſtituunt, vt*
„ *ſuæ interpretationis authoritatem S. Romanæ Eccleſiæ reſeruent*. Et
„ rationem ſubiungens ait: *Ipſi namque ſoli Canones valent interpretari,*
„ *qui ius condendi eos habent*. Vnde Illuſtriſſimus Alexander à Turre Epiſcopus Sithienſis lib.5.de fulgenti radio Eccleſiaſticæ poteſtatis cap. 18. authoritatem, & robur.Conciliorum ponit in perſona Romani Pontificis, adeo *vt celeberrimi Concilij decreta, nihil firmi*, inquit, *nihil ſancti, nihil rati habeant, niſi ab illo ſacrorum Principe ſint approbata*. Et Ludouicus Maioranus lib.3. de vero Dei cultu cap.35.diſſertè pronuntiat, *Maiorem eſſe Petri, ſucceſſorumque eius authoritatem, quàm Eccleſiæ Congregationis, ideſt Concilij Generalis*. Quos duos authores ſimul cum Gratiano in expoſitione Canonis. *Ideopermittente Domino*, 25.q.1.citat pro hac noſtra, & communi omnium ferè Theologorum ſententia Stephanus Ballutius in notis ad Gratianum diſt.88. cap. 1. pag. 474. impreſſis Pariſijs anno 1671. ſimul cum Dialogis Illuſtriſs. Antonij Auguſtini, Archiepiſcopi Tarraconenſis de emendatione Gratiani.

3. Itaque ex eo, quòd Canones ſacri conditi ſint ſpiritu Dei, non ſequitur, quòd non poſſit Romanus Pontifex in illis diſpenſare, eoſque limitare, & temperare. E contra verò ex eo, quòd Sacri Canones ſpiritu Dei conditi declarent Romanum Pontificem ratione ſui officij,& Primatus habere authoritatem ſupra omnem legem poſitiuam, & ſupra omnes canones, qui non pertinent ad fidem, vel ad legem diuinam,& naturalem; rectè infertur, reipsâ habere illam authoritatem; quia Spiritus Dei nequit mouere ad faciendam declarationē falſam, & erroneam. Quòd autem Sacri Canones hoc declarent, probatur: quia Romanus Pontifex ratione ſui primatus in vniuerſam Eccleſiam plenitudinem habet poteſtatis Eccleſiaſticæ. Vnde Innocentius Tertius in Concilio Generali præſidens in Extrauaganti de Pœnitentijs, & remiſſionibus cap. *cum ex eo* in fine dicit Romanum Pontificem obtinere plenitudinem poteſtatis, his verbis: *Hunc dierum numerum indulgentiarum litteris præcipimus moderari, cùm Romanus Pontifex, qui plenitudinem obtinet poteſtatis, hoc in talibus moderamen conſueuit obſeruare*.

4. Hæc autem *plenitudo poteſtatis Romani Pontificit* (inquit ſapienter Cardinalis Turrecremata lib.2.cap.25. poſt medium) *oſtenditur in hoc, quod non ligatur legibus à ſe factis, aut etiam Sacrorum Conciliorum Canonibus, ſed poteſt ex plenitudine poteſtatis ſupra ius, & leges poſitas facere,*

& in

& in canonibus Conciliorum iuxta temporum oportunitatem, aut locorum, & perſonarum conditiones diſpenſare. Vnde, & dicitur in §. *is autem* q. 5. *Romana Eccleſia ius et authoritatem ſacris Canonibus impartitur, ſed non eis ligatur*. Idem in cap. *Significaſti* extra de elect. propter quod Innocent. III. extra de conceſſ. præbend. in cap. *Propoſuit*, dicit. *Nos ſecundùm plenitudinem poteſtatis de iure poſſumus ſupra ius diſpenſare, cui ſententia Beatus Thomas* in quolibeto 4. q. 8. art. 2. *alludens ita dicit: Papa habet plenitudinem poteſtatis in Eccleſia, & ita quacumque ſunt conſtituta per Eccleſiam, vel Eccleſia Prælatos ſunt diſpenſabilia à Papa: hæc enim ſunt; quæ dicuntur eſſe iuris humani, ſiue poſitiui. Circa verò ea, quæ ſunt iuris diuini, vel naturalis diſpenſare non poteſt, quia iſta habent efficaciam ex inſtitutione diuina.*

§. V.

Cùm ſolus Romanus Pontifex habeat Primatum in Vniuerſam Eccleſiam tanquam caput eius, & Vicarius Chriſti, ipſe ſolus poteſt ferre leges vniuerſales obligantes totam Eccleſiam; ac proinde vſus poteſtatis Pontificiæ à nulla poteſtate humana poteſt limitari.

1. QVòd ſolus Pontifex Romanus poſſit ferre leges vniuerſales obligantes totam Eccleſiam, euincitur ex eius Primatu: quia ferre legem obligantem alios, eſt proprium ſuperioris, ſiquidem nec æqualis æqualem, nec inferior poteſt obligare ſuperiorem: vnde, cùm veritas Catholica ſit, Romanum Pontificem eſſe caput totius Eccleſiæ, & habere Primatum vniuerſalis Eccleſiæ, & in vniuerſalem Eccleſiam, vt oſtendi diſp. 3. ſect. 5. & impoſſibile ſit, quòd in corpore vno bene, & ſapienter conſtituto ſit duplex caput, & in eadem Communitate duplex Princeps habens ſupremam authoritatem; neceſſariò infertur, ſolum Romanum Pontificem poſſe leges ferre obligantes totam Eccleſiam. Vnde Nicolaus Primus in cap. *Inferior* diſt. 21. dicit: *Non poteſt iudicio inferior potiorem ligare: nec poteſt qui minoris authoritatis eſt, eum, qui maioris eſt poteſtatis, iudicijs ſuis adÿcere, aut proprÿs definitionibus ſubiugare.*

2. Huic Gregorius VII. in ſuo Dictatu canon. 7. ſic ſtatuit: *Papæ ſoli licet pro temporis neceſſitate nouas leges condere*. Et lib. 2. Epiſt. 67. S. Annoni ſcripſit: *Huic Sanctæ Romanæ Eccleſiæ ſemper licuit, ſemperque licebit*

Digitized by Google

bit contra nouiter increſcentes exceſſus, noua quoque decreta atque remedia procurare, quæ rationis & authoritatis edita iudicio, nulli hominum ſit fas vt irrita refutare. Habuitque pro regula Stephanus Epiſcopus Tornacenſis, quòd *ſolus Pontifex poteſtatem habeat, & condendi nouos Canones, & exponendi veteres*. Quod & epiſt. 40. ad Rodulphum Bituricenſem Archiepiſcopum, eiuſque ſuffraganeos declarat Nicolaus I. *Sedi Apoſtolicæ facultas eſt, in tota Chriſti Eccleſia leges ſpeciali prærogatiuâ ponere, ac decreta ſtatuere, atque ſententias promulgare*. Addens hæc non eſſe ſua commenta, ſed Dei inſtituta *B. Petri meritis Romanæ Sedi collata, quæ & arbitramur etiam vos nullatenus ignorare, & vos affatim in Archiuis veſtris recondita poſſidere*.

3. Ergo certum eſt, Apoſtolicæ authoritatis vſum non poſſe ligari per vllos Eccleſiaſticos canones; quia iſti prodire non poſſunt à Poteſtate Eccleſiaſticâ, quæ ſit ſupra Papam, cùm nulla in terris eiuſmodi poteſtas ſit. Vnde P. Suarez tr. de legibus lib. 4. cap. 3. n. 110. meritò dixit, eſſe concluſionem omnino certam, quòd Summus Pontifex immediatè accipiat à Chriſto ex vi inſtitutionis ſuę poteſtatem legiſlatiuam in vniuerſam Eccleſiam: *Nam quòd hanc poteſtatem habeat, eſt de fide* (inquit ille) *vt conſtat ex traditione, & communi ſenſu Eccleſiæ: Quòd autem habeat illo modo, eſt concluſio adeò certa, vt ſine errore negari non poſſit. Colligitur autem ex Scriptura hoc modo: nam Chriſtus dedit hanc poteſtatem immediatè Petro non pro ſua tantum perſona, ſed vt per continuum ſucceſſionem perpetuò duraret in Eccleſia: ergo idem Chriſtus, qui hanc contulit poteſtatem Petro, confert Succeſſori ſuo ex vi prædictæ inſtitutionis, & illorũ verborum,* Super hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & Paſce oues meas. *Conſtat autem ex perpetua ſucceſſione, Summum Pontificem eſſe Succeſſorem Petri: ergo ab eodem Chriſto immediatè habet poteſtatem. Vnde in cap. 2. diſt. 22.* dicitur Romana Eccleſia non ab Apoſtolicis, ſed ab ipſo Domino primatum obtinuit. *Et probatur ex verbis illis,* Tu es Petrus. *Idem Gelaſius Papa in cap. quamuis 21.* diſt. *Vnde Innocentius I. in cap.* quoties 24. quæſt. 1. *ſeipſum Petrum appellat dicens:* Non niſi ad Petrum, id eſt, ad ſui nominis, & honoris authorem.

4. *Hinc etiam in cap.* ſignificaſti, *de elect. dicitur, leges Romani Pontificis non pendere à Concilijs, ſed Conciliorum ab ipſo. Et inſinuatur ratio, quia poteſtas illius Sedis eadem eſt cum poteſtate Petri, & cap.* nouit, *de iudicijs, de eadem Pontificis poteſtate dicitur,* Cùm non humanæ conſtitutioni, ſed Diuinæ innitatur, quia poteſtas noſtra non ex homine, ſed ex Deo eſt. *Idem in cap.* quanto, *& ferè toto titulo de tranſlat. Epiſcop. Hinc etiam in eodem textu Pontifex dicitur Chriſti Vicarius, non autem Petri, ſed ſucceſſor. Dicitur etiam ſolus habere plenitudinem poteſtatis; cap.* ad honorem, *de autorit. & vſu pallij; & cap.* decreto 2. *q. 6. eamque poteſtatem habere dicitur per principalem poteſtatem Beatorum Petri, & Pauli in cap. vltim. 9. q. 3. Ac denique ob hanc cauſam dixit Agatho Papa in cap.* ſic

om-

omnes *diſt.* 19. Sic omnes ſanctiones Apoſtolicæ Sedis accipiendæ ſunt, tanquam ipſius Diui Petri voce firmatæ ſint.

§. VI.

Apoſtolicæ poteſtatis vſum non eſſe moderandum per Canones; ſed è contra canonum vſum moderandum eſſe per Apoſtolicam poteſtatem; docent Doctores ipſi Galli Moderni.

1. ID patebit legenti illuſtres aliquos Gallicæ Nationis Scriptores, & in primis ſapientiſſimum Andream Duvalium in ſua quadripartita diſputatione de ſuprema Romani Pontificis in Eccleſiam poteſtate par. 4. q. 11. in qua inquirit, *An Pontifex legibus Conciliorum generalium ita ligetur, vt eas non tantum ipſe ſeruare debeat, ſed etiam eas relaxare, & mutare nequeat, nec cum vllo contra eas diſpenſare.* Et cùm præmiſiſſet, leges Canonicas eſſe triplicis generis, alias eſſe iuris naturæ, qualis eſt prohibitio fornicationis, vſuræ, Magiæ, & ſimilium; quæ, quia in nonnullis hominibus lumen naturæ eſt penitus extinctum, aut ſaltem admodum obſcuratum, nouis quibuſdam decretis refricari debent, vt in memoria altiores agant radices, alias eſſe iuris diuini, vt quæ ad fidem & ſacramenta pertinent, & in Concilijs, ne quis eorum ignorationem cauſetur, nonnunquam explicantur, & ſtatuuntur. Cùm, inquam, hoc præmiſiſſet, addit, de his legum generibus nullam eſſe controuerſiam, Summum Pontificem illis eſſe non minus obnoxium, quam fideles omnes, ac proinde non poſſe in illis vllo modo diſpenſare: aduertit autem his legibus non adſtringi Pontificem, vt ſunt à Concilijs latæ, ſed vt ab authore naturæ, nempe Deo, vel ab authore gratiæ, nempe Chriſto, ſancitæ ſunt, & impoſitę. Denique ait, alias eſſe iuris merè Eccleſiaſtici, & de his ſolum eſſe quæſtionem, an Papa poſſit in legibus Eccleſiaſticis, & Canonibus diſpenſare. Et his ſuppoſitis, ſequentem ponit concluſionem.

„ 2. *Poteſtas* Papę non poteſt per Concilium ità limitari, reſtringi, „ aut impediri, vt ſi de aliqua lege Eccleſiſtica diſpenſet Papa, diſpen„ ſatio non valeat: & hanc diſpenſandi poteſtatem non tantùm habet „ in ſimplicibus Conciliorum decretis, ſed & in ijs, in quibus hæc clau„ ſula (*quamlibet diſpenſationem etiam irritans*) continetur. Prior pars „ Concluſionis probatur. Primùm: quia neceſſe eſt in Eccleſia dari

„ quamdam poteſtatem diſpenſandi in legibus Eccleſiaſticis pro varie-
„ tate locorum, temporum, & perſonarum can. *Regula* diſt. 19. *Regula*
„ *Sanctorum Patrum, pro varietate temporum, & locorum temperatur*.
„ Atqui hæc poteſtas in ſolo Concilio eſſe nequit, aliàs maxima in Ec-
„ cleſia perturbatio ſequeretur. Cùm enim diſputationes ferè in dies
„ ſint neceſſariæ, vt experientiâ conſtat, & vix, ac ne vix quidem in
„ vno ſæculo ſemel Concilium congregetur, nullæ vmquam aut pau-
„ ciſſimę fierent diſpenſationes. Igitur neceſſe eſt poteſtatem diſpen-
„ ſandi de his legibus in Summo Pontifice reſidere, ad quem, cùm opus
„ eſt, facilè recurritur. Secundò: Pontifex eſt ſupra omne ius poſitiuum,
„ vndecunque ſit, ſiue à Concilijs ſiue à ſuis prædeceſſoribus, cap.
„ *Significaſti*: de electione in 6. cap. *Quòd dilecti*, & cap. *Quia*, de conſan-
„ guinitate, & affinitate. Quod etiam expreſsè docet D. Thomas opuſc.
„ contra impugnãtes religionem. *Omnia ſtatuta SS. Patrum diſpenſatio-*
„ *ni Papæ relicta ſunt, vt poſſit ea mutare, vel de ijs diſpenſare ſecundum*
„ *temporum, & negotiorum opportunitatem*. Et Hincmarus Remenſis: (con-
„ tra Gallos Gallici Epiſcopi teſtimonium affert:) *Facultatem* (inquit)
„ *temperandorum, ſiue mutandorum Canonum poteſtati Summi Pontificis*
„ *adiacere non dubitamus*. Tertiò Pontifex eſt Generalis Chriſti Vica-
„ rius, in plenitudinem poteſtatis Eccleſiaſticæ aſſumptus Matth. 16.
„ *Quodcunque ſolueris*, Et Ioann. vltimo: *Paſce oues meas*. Et cap. *Pro-*
„ *poſuit*, De conceſſione præbendæ. Igitur, vbi ad Eccleſiæ bonum,
„ aut animarum ſalutem diſpenſatio neceſſaria iudicatur, hanc legitimè
„ poteſt Pontifex concedere, quæ ſemel conceſſa, in vtroque foro tam
„ externo quàm interno, recipitur & valet. Ex his autem, quæ hactenus
„ docuimus, facilè infertur, Papam poſſe legem Concilij, vel in toto, vel
„ in parte abrogare. Quamvis enim abrogatio difficilior ſit diſpenſatio-
„ ne, & iuris maioris, quia diſpenſatio legem non tollit, ſed in aliquo
„ caſu propter cauſam rationabilem, & iuſtam ab eius obligatione ali-
„ quem ſoluit: abrogatio verò legem iſtam cum ſua obligatione omni-
„ no reuocat & reſcindit. Nihilominùs quando in bonum Eccleſiæ
„ vniuerſalis, talis abrogatio vtilis aut neceſſaria iudicatur, & Con-
„ cilium difficilimè poteſt congregari, Pontifex pro ſuæ poteſtatis ple-
„ nitudine legem illam poteſt penitus abrogare. Nemo enim nega-
„ uerit, Pontificem tantum poſſe, & multò plura, quàm conſuetudo
„ poſſit. At conſuetudo leges quaſlibet Conciliares abrogat; vt, in-
„ ter aliàs, legem illam in Concilio Hieroſolymitano latam de abſti-
„ nentia à ſanguine, & ſuffocato: iam dudum enim hęc abſtinentiæ lex
„ per totam Eccleſiam, conſuetudine in contrarium abeunte, ceſsauit,
„ planeque exoleuit.

„ 4. Poſterior pars concluſionis, Videlicet, Summum Pontificem
„ diſpenſare poſſe in illis etiam Conciliorum legibus, quibus hęc clau-

„ ſula

„ ſula (*quamcumque diſpenſationem etiam Papalem irritans*) eſt appoſita,
„ haud difficulter confirmatur. Primò. Quia Papa non eſt Concilij ge-
„ neralis Vicarius, nec ſuam diſpenſandi poteſtatem ab eo habet, ſed à
„ Chriſto, Matth. 26. & Ioan. 21. vt toto ferè libro latiſſimè probavi-
„ mus. Ergo non poteſt Concilium quâcumque clauſulâ appoſita, po-
„ teſtatem Pontificiam diſpenſandi reſtringere, aut impedire. Sicut
„ enim ideo nullus, nedum Concilium Oecumenicum, poteſtatem Or-
„ dinis Sacerdotalis limitare, aut impedire poteſt, quominùs, vbi de-
„ bito ſubiecto applicatur, in actum non exeat, quia Ordo, ſeu Chara-
„ cter, qui ab hac poteſtate non differt, eſt à Chriſto, non à Concilio:
„ ſic neque poteſtatem Pontificiam diſpenſandi, poterit vllo modo re-
„ ſtringere, aut impedire Concilium. Quia hanc, vni Chriſto, non
„ ipſi Concilio acceptam refert debetque ipſe Pontifex. Dices. Pote-
„ ſtatem diſpenſandi eſſe iuriſdictionis, & non ordinis. Eſto. Sed in
„ vtraque hoc eſt commune, quòd in Pontifice, vtraque ſit à Chriſto,
„ & non à Concilio, & ideò ſi vna ſuſpendi non poſſit, aut limitari, ita
„ nec altera. Secundò: Vel leges Conciliorum iuriſdictionem Papæ
„ ſuperant, vel non: Si non excedant: ergo de ijs poterit legitimè, non
„ obſtante clauſulâ irritante, diſpenſare. Fruſtra enim clauſula hęc re-
„ ſpectu Papæ erit addita. Si excedant: ergo, quantumuis clauſula
„ irritans non fuerit appoſita, nullo modo de ijs, diſpenſare, aut eas
„ abrogare, vel in toto, vel in parte poterit. Atqui ſuprà oſtendimus,
„ hoc eſſe abſurdiſſimum, & Eccleſiæ valde pernicioſum; neceſſe enim
„ eſt, vt in Eccleſia ſit aliqua poteſtas de legibus Conciliaribus diſ-
„ penſandi, & quidem in altero, quàm in Concilio, cùm Concilium
„ raro congregetur. Ille autem alter, Pontifex eſt, ſupremus vniuerſa-
„ lis Eccleſiæ Paſtor. Tertiò: Ex ſupradictis liquidò conſtat, Pontificem
„ reſpectu legum Conciliarium, non minus poſſe, quàm poſſit conſue-
„ tudo. At conſuetudo poteſt ea etiam decreta, quibus clauſula irri-
„ tans aut impediens quamcunque diſpenſationem, eſt oppoſita, anti-
„ quare, irrita reddere, & omnem eorum obligationem penitus tolle-
„ re, vt ſupponimus, & omnes fatentur; minus certè poterit: nempe
„ clauſulam hanc irritantem prorſus abrogare. Igitur eius poteſtas li-
„ mitari, & impediri per vllam clauſulam minimè poteſt. Hactenus
„ D. Duvalius.

5. Conſtabit hoc ipſum legenti Michaëlem Mauclerum Doctorem
Sorbonicum lib. 1. de Monarchia Eccleſiaſtica parte 2, lib: 3. cap. 12. &
„ 16. vbi hanc ſtatuit concluſionem. *Sicut Concilia*, confirmare Pontifi-
„ ciæ dignitatis eſt; ſic & minùs bene geſta in illis diſſoluere, atque
„ mutare: vt ſanctus fecit Leo in Concilio Chalcedonenſi, irritans ea,
„ quæ ſuis abſentibus legatis Anatolius Conſtantinopolitanus Epiſco-
„ pus, cum ſuæ factionis Miniſtris, contra Alexandrinæ Eccleſiæ iura

„ per ſurreptionem, cauillationemque malitioſè moliti ſunt; Sic enim
„ ſanctus Pater Pulcheriæ Auguſtæ in Epiſtola ad eam contra hos ſa-
„ crilegæ factionis artifices loquitur: *Conſenſiones Epiſcoporum, & ſa-*
„ *crorum Canonum apud Nicæam conditorum regulis repugnantes, vnita*
„ *nobiſcum fidei veſtræ pietate in irritum mittimus, & per authoritatem*
„ *B.Petri Apoſtoli, generali prorſus definitione caſſamus.* ſicut longa
„ poſt ſæcula Eugenius IV. malefacta in Concilio Baſileenſi caſſauit,
„ & irrita, tanquam ſpuria, pronuntiauit. Hoc præter Canoniſtas
„ Theologi vera, eruditaque firmitate defendunt, vt D.Thomas con-
„ tra impugnant. Relig.cap.4. reſpondens ad obiection. ex.c. *contra*
„ *ſtatuta* 25.*q*.1.*Quod primò obijcitur, quòd Romanæ Sedis authoritas non*
„ *poteſt aliquid condere vel mutare contra ſtatuta SS.Patrum, dicendum,*
„ *Quòd verum eſt in illis, quæ ſtatuta ſanctorum determinauerunt eſſe de*
„ *iure diuino, ſicut articuli fidei, qui determinati ſunt per Concilia. Sed*
„ *illa, quæ SS.Patres determinauerunt eſſe de iure poſitiuo, ſunt relicta*
„ *ſub diſpoſitione Papæ: vt poſſit ea mutare, vel diſpenſare ſecundùm op-*
„ *portunitates temporũ vel negotiorum.Sancti enim Patres in Concilijs con-*
„ *gregati, nihil ſtatuere poſſunt, niſi authoritate Romani Pontificis inter-*
„ *ueniente: ſine quo etiam nec Concilium Congregari poteſt. Ex decre-*
„ *to autem inducto non poteſt ampliùs haberi, niſi quòd Papa non poteſt de-*
„ *ſtruere canonicam Scripturam Apoſtolorum, & Prophetarum, quæ eſt*
„ *Eccleſiaſticæ fidei fundamentum.* Huic doctrinæ ſynceræ, Catholi-
„ cæque veritati etiam Prælati Græcæ Eccleſiæ, ac illius Imperij Oriẽ-
„ talis Principes, deuotè pieque ſubſcripſerunt; quamdiu ſtetit eorum
„ in Deũ recta fides.Teſtantur Epiſtolę S.Ignatij Patriarchę Conſtanti-
„ nopolitani,& Imperatoris Baſilij ad Hadrianũ II.Pontificẽ,per manus
„ Teognoſti Abbatis, miſſæ.Quibus illũ magna deuotione,feruoreq;in-
„ ſtanter obteſtantur,vt ſibi de ſtatutisConcilij octavi Oecumenici diſ-
„ penſare liberet, pro receptione eorum Epiſcoporum in ſuas ſedes,
„ à quibus hos SanctaSynodus octaua iuſtè deiecerat,ac deiectos longè
„ à Patria relegauerat. Quòd vel à ſcelerato Pſeudo-Patriarcha Photio
„ promoti fuerant, vel illius immanibus auſis, & ſacrilego conciliabu-
„ bulo, ab eo contra Nicolaum Papam,& pro deiectione à throno Cõ-
„ ſtantinopolitano impiâ ipſius S. Ignatij, congregato, partim circum-
„ uenti ſchiſmaticorum fraudibus, partim nimiùm crudeliter ab ipſo
„ Photio, Imperatoris Michaëlis tyrannide corroborato, vexati ſub-
„ ſcripſerant. Pro quibus pœnitentiam agentibus factique ſui crimen
„ execrantibus, ne in æternum ſuis orbarentur Eccleſijs, hanc decre-
„ torum Concilij diſpenſationem, ipſi, Ignatius Patriarcha, Baſiliuſq;
„ Imperator ab ipſo Papa, vt ex eorum Epiſtola ad eum videre eſt,
„ ſummis magnopere contendentes precibus efflagitarunt.
„ 5. Quam liber, & immunis Rom. Pontifex ſit ab omnibus cuiuſ-

cumque

„ cunque eminentiſſimæ Poteſtatis in terra legibus, ſoliuſque Dei legibus parêre teneatur, illi ipſi Patres, qui Oecumenicis Concilijs iudices, ac rei, ſententiæque moderatores iuterfuerunt affirmare minimè dubitarunt, cùm in Concilio Generali ſententiam paſſo, ad ſedem Apoſtolicam prouocanti acquieſcendum deferendumque eſſe iudicauerint. Sic enim in Concilio Sardicenſi, quò Patres, ac Epiſcopi Nicænę Synodi, conuenerunt cap. 4. Oſius ſedis Apoſtolicæ Legatus dixit. *Quòd ſi aliquis Epiſcopus adiudicatus fuerit*, *ſcilicet malè iudicatus*, *vt exponit gloſſa*, *in aliqua cauſa*, *& putat ſe habere bonam cauſam*, *vt iterum iudicium renouetur*, *ſi vobis placet*, *S. Petri Apoſtoli memoriam honoremus*, *vt ſcribatur*, *vel ab his*, *qui examinauerint*, *vel etiam ab alijs Epiſcopis*, *qui in prouincia proxima morantur*, *Romano Epiſcopo*. *Et ſi iudicauerit renuuandum eſſe*, *iudicium renouetur*, *& det iudices*. *Si autem probauerit talem cauſam*, *vt ea non refricentur*, *quæ acta ſunt*, *quæ decreuerit Rom. Epiſcopus*, *confirmata erunt*. *Si hoc ergo omnibus placet*, *ſtatuatur*. *Synodus reſpondit*. *Placet*. Si à Concilio ad Papam, etiam ex ipſius Concilij conſenſu prouocandi ianua pateat, certè Papæ iudicium Concilio ſubmitti non poteſt, ſed ſoli Deo, vt ſuprà pluribus demonſtrauimus, reſeruatur: Hoc ſacra & Apoſtolica ſanctio, cap. *ſignificaſti*, de electione & electi poteſtate definivit, vbi circa finem, hæc habet. Paſchalis Papa ex Epiſtola ad Panormitanum Archiepiſcopum, *Aiunt in Concilijs ſtatutum non inueniri* (ſcilicet vt ante præſtitum iuramentum Papę non detur pallium electo Archi-Epiſcopo) cui reſpondent obiectioni Paſchalis Pontifex: *Quaſi Romanæ Eccleſiæ legẽ Concilia vlla præfixerint: cùm omnia Concilia per Romanæ Eccleſiæ authoritatem*, *& facta ſint*, *& Robur acceperint & in eorum ſtatutis Romani Pontificis patenter excipiatur authoritas*. *Hucuſque Mauclerus*.

6. Conſtabit tertiò legenti Illuſtriſſimum Petrum de Marca, qui eandem doctrinam tradidit in Prologomenis ad libros de concordia Sacerdotis, & imperij, in ſecunda præfatione pag. 54. & 55. num. XIV. vbi ſcribit: *Libro tertio* (inquit) *oſtendi ſummam remmittendorum canonum authoritatẽ eſſe penes Summũ Pontificem qui veniam facere poteſt non ſolum decretorũ Romanæ Sedis, ſed etiam canonũ à Concilijs Oecumenicis editorũ. Itaque ſi aliquando accidit*, *vt derogationũ vel diſpenſationũ ratio non habeatur obſeruaui difficultatẽ non proficiſci ex eo, quòd Galli exiſtiment, derogandi vel diſpenſandi poteſtatẽ non competere Summo Pontifici, ſi de generalibus Concilijs agatur*; *quamvis hoc veluti axioma à Pragmaticis Gallicanis vſurpatum hucuſque fuerit*. *Id vero tribuendum oſtendi prudentiæ & cautioni*, *quam Galli adhibere ſoliti ſunt, ne quid noui in diſciplinam inducatur*.

7. Proſequitur libro 3. à ſe citato cap. 7. num. 2. *Itaque non agimus cum Sede Apoſtolica*, *quaſi cum poteſtate quadam certis regulis ita deuincta*, *vt*

vt eas nullo caſu egredi poſſit, cùm ſciamus Canonum diſpenſationem, cuius eſt in Politia Eccleſiaſtica frequentiſſimus vſus, Summo Pontifici præcipuè concreditam, ſed veluti ex pollicitatione, quam ſuis Decretis Canonum, & Conſtitutionum executionum ſpoponderunt, à B. Petri Succeſſoribus cum debita reuerentia exigimus. Hucuſque Illuſtriſſimus de Marca, ſapienter quidem, & iuxta veritatem. Sed non ita iuxta ſenſum nuperi conſeſſus cleri Gallicani; qui dum in ſua tertia propoſitione affirmat, *Apoſtolicæ poteſtatis vſum moderandum eſſe per Canones Spiritu Dei conditos, & totius mundi reuerentia conſecratos*; videtur declaraſſe, Summi Pontificis poteſtatem ita intra limites ſacrorum Canonum coarctari, vt non poſſit in illis diſpenſare, nec illorum vſum limitare, aut abrogare; quamuis bonum commune id poſtulet: ac proinde non canones, & leges poſitiuas Eccleſiæ ſubijcit Eccleſiæ capiti, ſed Ecleſiæ caput ſubijcit legibus poſitiuis conditis, vel à Concilijs, vel ab alijs Pontificibus. Hoc autem eſt planè falſum, & contrarium ſupremæ authoritati, quam iure diuino obtinet Romanus Pontifex in tota Eccleſia, & contrariatur ipſis, ſacris Canonibus, qui ſæpe declararunt, illam poteſtatem diſpenſandi in omni lege poſitiua Canonica competere Romano Pontifici ratione officij ſui, & vt Vicario Chriſti. Suppliciter petere à Romano Pontifice, vt integra, & inuiolata maneant priuilegia conceſſa à Romanis Pontificibus, & quòd non abrogentur conſuetudines honeſtæ; non minuit Summi Pontificis authoritatem; at velle, vt non poſſit vlla ex cauſa vnquam diſpenſare in legibus poſitiuis contentis in ſacris Canonibus, eſt manifeſtè abſurdum. Falſum ſimiliter eſt, quod aliquis, vel aliqui particulares habeant authoritatem declarandi, quid competat Romano Pontifici ratione muneris ſui. Hoc enim nec Patres congregati in Concilium generale poſſent facere ſine authoritate Romani Pontificis. Quomodo ergo poſſit id ab alijs fieri ſine vlla authoritate Romani Pontificis.

8. Conſtabit 4. legenti M. Bail. Hic author qui Doctor Theologus eſt, & Pœnitentiarius Pariſienſis tomo 1. ſummæ Conciliorum pagina 96. quæſt. 57. cum Diuo Thoma inquirit, vtrum Papa ſubijciatur ſtatutis Conciliorum? & per omnia ſectatur Doctrinam Sancti Doctoris 12. quæſt. 96. artic. 6. docens Papam non ſubdi legibus Concilij tanquam ſibi ſuperioris quoad vim coactiuam; ſed tantum quoad vim directiuam; quo pacto ſubijcitur legibus vniuerſalibus à ſe latis. Atque cum Diuo Thoma; Principem *dici ſolutum à lege, quia nullus poteſt in ipſum iudicium condemnationis exercere, ſi contra legem agat*; & in hoc ſenſu Papam ſolutum eſſe à legibus Concilij.

9. Quæſt. 58. inquirit; Vtrum Papa poſſit mutare ſtatuta Sanctorum Patrum in Concilijs vniuerſalibus, aut in eis diſpenſare? Et reſpondet

„ det affirmatiuè cum D. Thoma in tract. Contra impugnantes religionem, vbi reſpondet ad illud Zoſimi Papæ quod habetur in cap. *contra* 25. quæſt. 1. *Contra ſtatuta Patrum condere aliquid vel mutare, nec huius quidem Sedis poteſt authoritas*, ſic dicit: *Dicendum* &c. hìc tranſcribit Bail verba D. Thomæ, quæ ſupra in hac ſectione §. 7. in medium produxit Michaël Mauclerus: quæ idcirco hìc omittuntur.

10. Idem Bail poſtmodum ex eodem D.Thoma ſic aſſerit: *Dicendum eſt quòd Papa habeat plenitudinem poteſtatis in Eccleſia, ita tamen quòd quæcunque ſint inſtituta per Eccleſiam, vel Eccleſiæ Prælatos ſint diſpenſabilia à Papa: hæc enim ſunt quæ dicuntur eſſe iuris humani vel iuris poſitiui: circa ea quæ ſunt iuris diuini vel iuris naturalis diſpenſari non poteſt, quia iſta habent efficaciam ex inſtitutione diuina.*

§. VII.

Ipſe Illuſtriſſimus Clerus Gallicanus in epiſtola ad D. N. INNOCENTIVM XI. videtur ſupponere Papam eſſe ſupra Canones, ac proinde Apoſtolicæ poteſtatis vſum non eſſe moderandum per ipſos.

1. ID ipſum nouiſſime teſtatus eſt Illuſtriſſimus Clerus Gallicanus authoritate Regia Pariſijs congregatus anno 1682. in litteris datis ad D. N. INNOCENTIVM XI. P.M. tertio nonas menſis Februarij, quas adducit Gallia vindicata in Documento 58. à pag. 433. in quibus „ ſic loquitur. Sic autem comperimus, quæ Eccleſiaſtica authoritate; æterna lege ſancita eſſent, manere inconcuſſa; quæ Eccleſiaſtica prohibitione conſtarent, in his Eccleſiarũ Principes multa pro tenore canonum diſtrictiùs iudicaſſe, multa pro temporum neceſſitate toleraſſe, vbi non periclitatur fidei veritas, aut morum honeſtas, quædam inſtituta temperari, non cæca tamen, & indiſcreta relaxatione diſciplinę, ſed ſi adeſſet neceſſitas, ex qua leges quoque mutari contingeret: ſanctos enim Pontifices Anteceſſores veſtros ita præcepiſſe: *vbi neceſſitas non eſt, Sanctorum Patrum Decreta manere inconuertibilia*; eadem ergo decreta ex neceſſitate interdum temperanda: eam verò neceſſitatem eſſe, ſi graues diſſenſiones, ſi turbulenti motus, tumultuſque imminerent, quam *populorum ſtragem* ſancti Patres vocant; tunc enim charitatem, quæ ſumma Eccleſiæ lex ſit, alias e-

„ mol-

„ mollire, ac temperare leges, *ac detrahendum aliquid Canonum ſeue-*
„ *ritati; vt maioribus ſanandis charitas ſincerè ſubueniat*; hinc nempe
„ profectam, à ſanctis Patribus, ipſaque Apoſtolica Sede toties cele-
„ bratam moderationem canonum, quæ vtili diſpenſatione, & prouida
„ compenſatione librata, Eccleſiam ædificet, propulſet diſſidia, Re-
„ gnum & Sacerdotium firma pace componat.

„ 2. Hæc ex Sancto Auguſtino, alijsq; Patribus; hæc ex ſanctis Pon-
„ tificibus, Leone, Gelaſio, cæteriſque Maiores noſtri didicerunt, no-
„ biſque tradiderunt: *Saluo* ſcilicet *fidei fundamento, & communi mo-*
„ *rum regula, toleranda quædam, etiam facienda, quæ infirma videantur;*
„ *hæc enim facit charitas, quæ operit multitudinem peccatorum, quæ cum*
„ *infirmantibus infirmatur, cum ſcandalizatis vritur, & omnibus omnia*
„ *fit, vt omnibus prodeſſe mereatur*. Locus autem Bernardi hic citatus
eſt ex tract. de Præcepto, & diſpenſat. cap. 4. locus Auguſtini ex epiſt. 50.
& locus Iuonis Carnotenſis epiſt. 214.

Ex verbis Illuſtriſſimi Cleri, conſtat, penes Romanum Pontificem eſſe temperare Sacrorum Canonum rigorem, & in illis diſpenſare quando magna aliqua cauſa boni publici id poſtulat. Ergo poteſtas Pontificia eſt ſupra Sacros Canones continentes duntaxat ius poſitiuum.

2. Sanctiſſimus etiam D. Noſter INNOCENTIVS XI. in litteris reſpōſiuis ad illas Cleri Gallicani, datis pridie nonas Maij anno 1682. tanquam certum ſupponens hanc poteſtatem Sedis Apoſtolicæ, explicat, quando & quomodo oporteat illâ vti, (apud Galliam vindicatam
„ pag. 452.) Vltro, inquit, admittimus, & laudamus conſilium rela-
„ xandi Canonum diſciplinam, pro temporum neceſſitate, vbi fieri id
„ poſſit ſine fidei, & morum diſpendio. Imò addimus cum Auguſtino:
Toleranda aliquando pro bono vnitatis, quæ pro bono æquitatis odio habenda ſunt: neque eradicanda zizania, vbi periculum ſit, ne ſimul etiam triticum eradicetur. Id ita tamen accipi oportet, vt in aliquo tantùm pe-
„ culiari caſu, & ad tempus, & vbi neceſſitas vrget, licitum ſit, ſicuti
„ factum eſt ab Eccleſia; cùm Arianos & Donatiſtas Epiſcopos, eiurato
„ errore, ſuis Eccleſijs reſtituit, vt populos, qui ſecuti eos fuerant, in
„ officio contineret. Aliud eſt, vbi diſciplina Eccleſiæ per vniuerſum
„ ampliſſimi Regni ambitum, ſine temporis termino, & cum manifeſto
„ periculo, ne exemplum latiùs manet, labefactatur, imò euertitur
„ ipſius diſciplinæ, & Hierarchiæ Eccleſiaſticæ fundamentum.

§. VIII.

Digitized by Google

§. VIII.

Doctrina illius Epiſtolæ videtur contraria tertiæ propoſitioni, in qua declarauit, Apoſtolicæ poteſtatis vſum moderandum eſſe per Canones.

1. COnſideret prudens Lector, an ſententia expreſſa ab Illuſtriſſimo Clero in litteris nuper citatis ad Sanctiſſimum Dominum Noſtrum INNOCENTIVM XI. rectè cohæreat cum doctrina paulò poſt, nempe 19. Martij eiuſdem anni 1682. ab eodem ſtabilita in tertia propoſitione ſuæ Declarationis, in qua ſtatuit, *Apoſtolicæ poteſtatis vſum moderandum eſſe per Canones ſpiritu Dei conditos, & totius Mundi reuerentia conſecratos.* Hæc enim propoſitio ſignificare videtur, *plenam, & ſupremam adminiſtrandæ Eccleſiæ poteſtatem non eſſe à Chriſto conceſſam Romano Pontifici, niſi ea lege & conditione, vt ea vtatur iuxta modum, quo & in Actis Conciliorum, & in Canonibus continentur,* vt non nulli ſatis exprimunt. Hic autem ſenſus vniuerſaliter acceptus, vt comprehendat non ſolùm Canones Conciliorum, qui proponunt articulos credendos, & declarant ea, quæ ſunt de iure naturali, vel de iure poſitiuo diuino, ſed etiã Canones, & Acta Conciliorum continentia ius poſitiuum, & legem Canonicam humanam, falſus omnino eſt: etſi enim Romanus Pontifex non poſſit diſpenſare in lege naturali, nec in lege diuina; poteſt tamẽ diſpenſare in lege humana ſtabilita in Concilio generali; & hanc poteſtatem non accipit à Concilio, ſed immediatè à Chriſto, vt oſtendimus Diſp. 1. ſect. 2. §. 5. & 6. cum ſequentibus; quia ſicut immediatè à Chriſto accipit eſſe Papam, & eſſe ſummum Paſtorem totius Ouilis Chriſti, & eſſe caput Eccleſiæ, & Vicarium ipſius Chriſti, ita accipit poteſtatem ſupremam ferendi leges pro tota Eccleſia, & in legibus iam latis diſpenſandi, quando neceſſitas vel bonum publicum id poſtulat. Nec enim licitè poteſt Pontifex in legibus Canonicis diſpenſare, niſi iuſta interueniat diſpenſandi cauſa, vt declarat Concilium Tridentinum ſeſſ. 25.
„ cap. 18. de reformatione his verbis: Sicuti publicè expedit, legis
„ vinculum quandoque relaxare, vt plenius euenientibus caſibus, &
„ neceſſitatibus pro communi vtilitate ſatisfiat: ſic frequentiùs legem
„ ſoluere, exemploque potiùs, quam certo perſonarum, rerumque delectu
„ petentibus indulgere, nil aliud eſt, quàm vnicuique ad leges
„ tranſgrediendas aditum aperire. Quapropter ſciant vniuerſi, ſacratiſ-

Digitized by Google

„ ſimos Canones exactè ab omnibus, &, quoad eius fieri poterit, in-
„ diſtinctè obſeruandos. Quod ſi vrgens iuſtaque ratio, & maior
„ quandoque vtilitas poſtulauerit, cum aliquibus diſpenſandum eſſe;
„ id, cauſâ cognitâ, ac ſumma maturitate, atque gratis, à quibuſcum-
„ que, ad quos diſpenſatio pertinebit, erit præſtandum; aliterque facta
„ diſpenſatio, ſubreptitia cenſeatur. Hactenus Concilium.

2. Quare dum Illuſtiſſimus Clerus in litteris ad D.N. Innocentium XI. ſupponit, poſſe Romanum Pontificem pro temporum neceſſitate rigorem Canonū temperare, & in lege canonica diſpenſare, vbi *non periclitatur fidei veritas, aut morum honeſtas*; videtur tradere oppoſitum eius, quod paulò poſt in tertia propoſitione declarauit, nimirum *Apoſtolicæ poteſtatis vſum moderandum eſſe per Canones*. Siquidem ſi Papa poteſt in lege canonica diſpenſare, & rigorem canonum moderari: ergo potiùs vſus Canonum moderandus eſt per Apoſtolicam poteſtatem, quàm è contra vſus Apoſtolicæ poteſtatis per Canones. Nam ſi poteſt in Canonibus diſpenſare, eſt ſupra Canones; & non ſubijcitur poteſtati humanæ, quæ condidit Canones illos continentes legem poſitiuam, è contra verò ſi vſus Apoſtolicæ poteſtatis moderandus eſt per Canones; ſequitur Canones illos conditos eſſe à poteſtate humana habente ſuperioritatem reſpectu Papæ. Nam à poteſtate inferiore nequeunt dimanare leges, obligantes ſuperiorem poteſtatem, & per quas moderandus ſit illius ſuperioris poteſtatis vſus.

3. Quòd ſi reſpondeas, nullam eſse contradictionem inter doctrinam illius epiſtolæ Cleri Gallicani ad Pontificem, & inter doctrinam contentam in tertia propoſitione Declarationis; quia nimirum dum in epiſtola ſupponunt Papam poſſe diſpenſare ex iuſta, & vrgenti cauſa Canonibus, & ſtatutis Conciliorum; dumtaxat ſignificant, poſſe diſpenſare ex facultate ſibi commiſsâ à Concilio, quia ſcilicet Concilium, dum condit Canones, relinquit Pontifici poteſtatem diſpenſandi in illis. Si hoc, inquam, reſpondeas; doctrinam omnino falſam ſupponis, nimirum Concilium eſſe ſupra Papam, eique communicare poteſtatem iuriſdictionis ad diſpenſandum in Canonibus. Conſtat enim ex dictis, & ampliùs conſtabit ex dicendis, Concilium vt diſtinctum à Papa certò, & indubitatò, nullam habere poteſtatem iuriſdictionis in illum; quia comparatur ad illum vt ouile ad paſtorem, vt corpus ad caput; conſtat autem, nec ouile eſſe ſupra Paſtorem, nec corpus ſupra caput. Prætereà cùm omnino certum ſit, Papam non eſſe Vicarium Concilij, ſed Chriſti, non à Concilio, ſed immediatè à Chriſto accipit totam poteſtatem iuriſdictionis, quam habet; ergo à Chriſto accipit poteſtatem diſpenſandi in legibus ſtatutis in Concilijs; quia hoc munus competit illi, quatenus eſt Vicarius Chriſti, & caput Eccleſiæ. Vnde ſicut à Concilio non habet, quòd ſit Vicarius Chriſti, & caput Eccleſiæ; ita à

Con-

Concilio non habet, quòd poſſit diſpenſare in legibus ſtatutis in Concilio.

4. Et ſanè ad defendendam illam propoſitionem, quòd ſcilicet Papa ex conceſſione facta à Concilio poſſit diſpenſare in eius ſtatutis, & legibus; opus erat aſſerere, Concilium generale vt contradiſtinctum à Papa per maiorem partem ſuffragiorum poſſe condere leges, quæ independenter à confirmatione Pontificis obligarent totam Eccleſiam, & quæ obligarent ipſum Papam; ſic enim poteſt hanc poteſtatem communicare Pontifici; ergo Concilium vt contradiſtinctum à Papa certò, & indubitatò præcipere, & conſequenter legem ferre, qua ipſum ſicut reliquos omnes fideles obliget. Hoc autem eſſe manifeſtè falſum demonſtrauimus Diſp.1. ſect.2. §.12. & in præſenti ſect. §.5. quia implicat vt aliqua lex obliget totam Eccleſiam, quin habeat robur, & firmitatem à capite Eccleſiæ. Eſtque planè abſurdum, quòd oues poſſint præcipere paſtori, & membra Capiti, & Diſcipuli Magiſtro. Nulluſque eſt textus in Euangelio, vel in tota Scriptura, vnde probari poſſit, Concilium generale habere authoritatem ſupra Papam certum, & indubitatum, cùm è contra ex Euangelio manifeſtè probetur, Romanum Pontificem ratione muneris ſui, eſſe Caput Concilij, & habere ſuperioritatē in totū corpus Concilij, quatenus diſtinctum ab ipſo. Ex illaquè doctrina planè cōcluderetur, Chriſtum non fundaſſe gubernationem Monarchicam, in qua, ſuprema authoritas eſt penes vnum, ſed Ariſtrocaticam, in qua eſt penes Optimates, qui per ſuffragia maioris partis Rempublicam gubernant. Hoc autem eſſe erroneum, oſtendimus contra Edmundum Richerium Diſput.1. ſect.6. & 7.

§. IX.

Infertur ex dictis, authoritatem Romani Pontificis eſſe ſupra conſuetudines, ſtatuta, & priuilegia quarumcumque Eccleſiarum particularium; poſſeque illa abrogare, vel limitare, quoties neceſſitas boni communis id poſtulauerit.

1. PAtet illatio, quia ſi Romanus Pontifex titulo ſuæ ſupremæ authoritatis poteſt abrogare, vel temperare leges poſitiuas Canonicas communes toti Eccleſiæ; etiam poterit abrogare, vel relaxare, conſuetudines vniuerſales, quæ habent vim legis, quando id

Digitized by Google

bonum commune Eccleſiæ poſtulat: quòd ſi has poteſt, ergo à fortiori poterit abrogare, vel temperare conſuetudines particularium Eccleſiarum, quando id neceſſitas poſtulet. Ratio eſt, quia conſuetudines illæ propriè Eccleſiarum ad ius poſitiuum Eccleſiaſticum pertinent. In iure autem poſitiuo Eccleſiaſtico poteſt Summus Pontifex tanquam Caput Eccleſiæ diſpenſare; cùm illud ius à Sede Petri dimanauerit. Nec enim eſt in Eccleſia poteſtas humana ſuperior poteſtate Pontificis, à qua illæ conſuetudines, & iura, atque priuilegia dimanauerint; cùm ſit veritas Catholica definita in Concilio Conſtantienſi, quatenus inconcuſsè fuit generale, poſtquam tres obedientiæ conuenerunt ad eligendum nouum Pontificem, & approbatum eſt à Martino V. eſt inquam veritas Catholica, *Romanum Pontificem habere ſupremam authoritatem in Eccleſia Dei*. Conſtans autem eſt, poſſe ſupremum Principem diſpenſare in lege humana lata ab eius anteceſſore.

2. Et quamuis Pontifices poſſint concedere priuilegia Principibus ſingularia ob ſeruitia exhibita Sedi Apoſtolicæ, & polliceri, ſe conſeruaturos ea priuilegia; & Principes poſſint à Summo Pontifice ſupplici prece exigere obſeruantiam eorum; & æquum ſit, vt Pontifices eorum votis annuant, quando id cum bono communi Eccleſiæ componitur; tamen nihil horum poteſt à Romano Pontifice auferre poteſtatem abrogandi, vel limitandi, non ſolum validè, ſed etiam licitè conſuetudines illas, & priuilegia, quando bonum ſpirituale Eccleſiæ, & neceſsitas publica id poſtulauerit. Nequit autem Pontifex licitè diſpenſare in iure poſitiuo (in iure inquam poſitiuo; quia vt inquit D. Thomas quodlib. 9. art. 15. *Diſpenſatio humana non aufert ligamen iuris naturalis, ſed ſolum ligamen iuris poſitiui*) niſi iuſta adſit diſpenſandi cauſa; vt autem docet idem S. Thomas 1. 2. quæſt. 97. art. 4. iuſta diſpenſandi cauſa interuenit, quando aliquod præceptum, *quod eſt commodum multitudinis, vt in pluribus, non eſt conueniens huic perſonæ, vel in hoc caſu, vel quia per hoc impeditur aliquid melius, vel etiam induceretur aliquod malum. Et ideo ille qui habet regere multitudinem, habet poteſtatem diſpenſandi in lege humana, quæ ſuæ authoritati innititur, vt ſcilicet in perſonis, vel in caſibus, in quibus lex deficit, licentiam tribuat, vt præceptum legis non obſeruetur. Si autem abſque hac ratione*(ſubdit S. Doctor) *pro ſola ſua voluntate licentiam tribuat, non erit fidelis in diſpenſatione, aut erit imprudens: infidelis quidem, ſi non habet intentionem ad bonum commune: imprudens autem, ſi rationem diſpenſandi ignoret: propter quod Dominus dicit Luc. 12. Quis putas eſt fidelis diſpenſator, & prudens, quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam?* Vt autem aduertit Cardinalis Pallauicinus in Hiſtoria Tridentini lib. 21. cap. 6. num. 17. hæ conditiones exiguntur à D. Thoma, *quò legis relaxatio licita ſit, ac laudabilis, non quò ſit rata*. Eſt autem hęc diſpenſandi in legibus Eccleſiaſticis poteſtas adeò intima authoritati Pontificis, vt per nullam pollicitationem, vel etiam votum (quod ſtrictius vin-

vinculum eſt, quàm vinculum pollicitationis) poſsit Pontifex ſe expoliare poteſtate diſpenſandi licitè in aliquibus caſibus; vt egregiè probauit P. Didacus Laynez ſecundus Generalis Societatis anno 1563. coram Patribus Concilj Tridentini; vt memorat Cardinalis Pallauicinus in hiſtoria Tridentini lib. 21. cap. 6. num. 12. *Cùm enim diſpenſandi in Eccleſiæ legibus, receptiſque Canonibus, ac illos moderandi, vni Papæ à Domino ſit collata poteſtas in commodum fidelium; quantumuis ille ſe voto obſtrinxiſſet ad nunquam diſpenſandum, iſtius equidem voti obligatio locum non haberet, quando charitas dictaret, congruum eſſe vt diſpenſetur.*

DISPVTATIO IV.

In qua ex Synodis Prouincialibus probatur infallibilitas Romani Pontificis, eiuſque ſupra omnia Concilia authoritas.

SECTIO I.

Probatur ex Synodis Africanis.

1. AD probandam ſupremam in vniuerſam Eccleſiam, ac proinde infallibilem, Romani Pontificis authoritatem, ad quam in dubijs fidei, & morum ab exordio Chriſtianiſmi ex omni mundi parte pro reſolutione recurrerunt Epiſcopi, efficax argumentum ſumitur ex Synodis Nationalibus, vel Prouincialibus. Et imprimis hanc infallibilitatem in Pontifice Romano tanquam in vniuerſalis Eccleſiæ Magiſtro, & Sacræ Scripturæ interprete agnouerunt Sinodi Affricanæ, in quibus interfuit S. Auguſtinus, vt conſtat ex eius epiſtolis 91. 92. & 93.

2. Imprimis epiſt. 90. Patres Concilij Carthaginenſis ſic ad Innocentium Papam ſcribunt: *Hoc itaque geſtum, Domine, Frater ſancte charitati tuæ intimandum duximus, vt ſtatutis noſtræ mediocritatis etiam Apoſtolicæ Sedis adhibeatur authoritas, pro tuenda ſalute multorum, & quorumdam peruerſitate etiam corrigenda.... Non dubitamus venerationem tuam, cùm geſta Epiſcopalia perſpexerit, quæ in Oriente in eadem causâ confecta dicuntur, id iudicaturam, vnde omnes in Dei miſericordia gaudeamus*. Illis autem Epiſcopis ſic S. Innocentius reſpondet: *In requirendo de his rebus, quas omni cum ſolicitudine decet à Sacerdotibus, maximè à vero iuſtoque, & Catholico tractari Concilio, antiquæ traditionis exempla ſeruantes, & Eccleſiaſticæ memores diſciplinæ, veſtræ religionis vigorem non minùs nunc in conſulendo, quàm anteà cùm pronuntiaretis, vera ratione firmatis, qui ad noſtrum referendum approbaſtis eſſe iudicium; ſcientes quid Apoſtolicæ Sedi (cùm omnes, hoc loco poſiti, ipſum ſequi deſideremus Apoſtolum) debeatur; à quo ipſe Epiſcopatus, & tota authoritas nominis*

huius emerſit . . . . Vt quidquid de diſiunctis remotiſque prouincijs ageretur, non priùs ducerent finiendum, niſi ad huius Sedis notitiam perueniret: vbi tota huius authoritate, iuſta quæ fuerit pronuntiatio firmaretur, indeque ſumerent cateræ Eccleſiæ, velut de natali ſuo fonte aquæ cunctæ procederent, & per diuerſas totius mundi regiones puri capitis incorruptæ manarent: quid præcipere, quos abluere, quos velut in cœreo inemundabili ſordidatos mundis digna corporibus vnda vitaret. Gratulor igitur, Fratres chariſſimi, quòd per fratrem, & Coepiſcopum noſtrum Iulium litteras ad nos deſtinaſtis, & cùm pro illis curam geritis, quibus præſidentis, Eccleſijs, ſolicitudinem Veſtram pro omnium vtilitate monſtratis: & per cunctas totius orbis Eccleſias, quod omnibus proſit, decernendum eſſe vnà depoſcitis: vt ſuis conſtabilita regulis Eccleſia, ex hoc, quòd illos caueat, pronuntiationis iuſtæ firmata decretalibus pauere non poſſit, qui peruerſis inſtructi, imò deſtructi verborum argutijs, ſub Imagine Catholicæ fidei diſputantes, velut peſtiferum exhalantes virus (vt hominum rectè ſentientium in deteriorem partem corda corrumpant) totam veri dogmatis quærunt euertere diſciplinam. Hactenus S. Innocentius Papa I.

3. Ex quibus conſtat Epiſcopos illos agnouiſſe in Romano Pontifice ſupremam, & infallibilem authoritatem ad determinandas fidei, & morum controuerſias, & ad proponendum fidelibus dogmata, quæ ab illis credi debent: Quomodo enim tot Eccleſiæ Præſules, inter quos aderat S. Auguſtinus, inſtare poterant apud Innocentium Papam, vt in materia Fidei vniuerſale per totum orbem mandaret edictum, ſi non crederent, cum plenaria, atque ſuprema pollere poteſtate ad proponendum fidelibus, quod ab eis credi debeat, & ad id eos obligandi? Quod confirmatur ex his, quæ de Hilario Papa ſcribit Hieronymus in libro de geſtis Romanorum Pontificum ex Damaſo: *Hilarius* (inquit) *natione Sardus ex patre Criſpino, ſedit annos Sex, menſes tres, dies decem. Hic fecit decretale, & per Vniuerſum Orientem direxit, & Epiſtolas de fide Catholica fecit*. Hæc Hieronymus.

4. Rurſum epiſtola 92. Epiſcopi in Concilio Miliuitano, cuius ingenium authore Proſpero Auguſtinus erat, coacti ſic ad eundem S. Innocentium ſcribunt, *Et Apoſtolico eius pectori iuſinuantes* petunt, *vt magnis periculis infirmorum membrorum Chriſti paſtoralem diligentiam adhibere dignetur . . . . . Imitantes Carthaginenſis Prouinciæ Coepiſcopos noſtros, quos ad Sedem Apoſtolicam, quam Beatus illuſtras, hac de cauſa ſcripſiſſe comperimus*. Epiſcopis porrò illis in Spiritu Sancto congregatis ſic ſanctiſſimus Papa reſpondet: *Diligenter ergo, & congruè Apoſtolico conſulitis honori: honori inquam illius, quem præter illa, quæ ſunt extrinſecus, ſolicitudo manet omnium Eccleſiarum ſuper anxijs rebus, quæ ſit tenenda ſententia; antiquæ ſcilicet regulæ formam ſequuti, quam toto ſemper ab orbe mecum noſtis eſſe ſeruatam. Verùm hæc miſſa facio: neque enim hoc veſtram credo latere prudentiam. Quid id etiam actione firmaſtis, niſi ſcientes, quòd*

per

per omnes prouincias de Apoſtolico fonte petentibus, reſponſa ſemper emanent: præſertim quoties fidei ratio ventilatur, arbitror omnes fratres, & Coepiſcopos noſtros non niſi ad Petrum, id eſt ſui nominis, & honoris authorem referre debere, velut nunc retulit veſtra dilectio, quòd per totum mundum poſſit omnibus Eccleſijs in commune prodeſſe. Fiant enim neceſſe eſt cautiores, cùm inuentores malorum ad duplicis relationem Synodi ſententiæ veſtræ ſtatutis viderint ab Eccleſiaſtica communione ſeiunctos. Gemino igitur bono charitas veſtra fungitur: nam & Canonum potiemini gratia ſeruatorum, & beneficio veſtro totus orbis vtetur.

5. Iterum epiſt. 95. ad eundem Sanctiſſimum Innocentium quinque Epiſcopi, quos inter Auguſtinus, poſt prolixam pelagianæ hæreſeos expoſitionem, & confutationem, cum litteris ſuis finem imponunt quo Apoſtolicæ Sedis ſingularem primatum, & vniuerſalem paſcendæ potandæque totius Eccleſiæ ſpiritualem poteſtatem, & inſitum catholicis omnibus in Romanam Eccleſiam temperatum veneratione amorem clariſſimè profitentur: *Dabit ſanè nobis veniam*, (inquiunt) *ſuauitas mitiſſima cordis tui, quòd prolixiorem epiſtolam fortaſſis, quàm velles, tuæ miſimus Sanctitati. Non enim riuulum noſtrum tuo largo fonti augendo refundimus, ſed in hac non parua tentatione temporis, vnde nos liberet, cui dicimus, & ne nos inferas intentationem, vtrum etiam noſter, licet exiguus, ex eodem quo etiam tuus abundans emanet capite fluentorum, hoc à te probari volumus, tuiſque reſcriptis de communi participatione vnius gratiæ conſolari*. Quibus reſpondet S. Innocentius, iam ſatis eorum ſe quæſitis duobus ſuperioribus reſcriptis reſpondiſſe, quid vel de Pelagianorum perfidia, vel de Epiſcoporum Catholicorum ſententia ipſe ſentiret.

6. Vides ex hoc præclaro reciprocarum litterarum commercio (inquit Vincentius Contenſon) quanta ſolicitudine Patres, & Patrum facilè Princeps Magnus Auguſtinus, Sedi Apoſtolicę tanquam Religionis centro viſibili, baſi communionis, & Chriſtianæ veritatis cathedræ principali adhæſerint. Nec illam cum Eccleſia Romana velut perenni, & præcipuo doctrinæ fonte communionem Occidentales duntaxat Epiſcopi, ſed ipſi etiam Orientales totâ, & ſanctâ accuratione ambiebant, vti ex multis paſſim obuijs, ſed nominatim ex Epiſtola III. Hieronymi perſpicuum eſt, in qua ſic habetur: *Ante annos plurimos cùm in chartis publicis iuuarem Damaſum Romanæ Vrbis Epiſcopum, & Orientis atque Occidentis Synodicis conſultationibus reſpondentem*.

7. Præterea Eccleſia Africana luculentum dedit teſtimonium de infallibilitate Romani Pontificis in definiendis fidei quæſtionibus in Epiſtola illa ſydonica trium Conciliorum Africanorum, quam ſcripſit ad Theodorum Papam, & lecta eſt ſub eius ſucceſſore. S. Martino I. in Concilio Lateranenſi ann. 649. Act. 2. *Magnum & indeficientem* (ſic incipit illa epiſtola) *omnibus chriſtianis fluenta redundantem apud Apoſtolicam*

cam Sedem conſiſtere fontem, nullus ambigere poſſit, de quo riuuli prodeunt affluenter, vniuerſum largiſſimè irrigantes orbem Chriſtianorum, cui etiam in honorem Beatiſſimi Petri, Patrum Decreta peculiarem omnem decreuere reuerentiam in requirendis Dei rebus, quæ omnino, & ſolicitè debent, maximè verò iuſteque ab ipſo Præſulum examinari vertice Apoſtolico, cuius vetuſta ſolicitudo eſt tam mala damnare, quàm probare laudanda. Antiquis enim regulis ſancitum eſt, vt quidquid, quamuis in remotis, vel in longinquo poſitis ageretur Prouincijs, non prius tractandum, vel accipiendum ſit, niſi ad notitiam Almæ Sedis veſtræ fuiſſe deductum, vt huius authoritate iuſta quæ fuiſſet, pronunciatio firmaretur, indequè ſumerent cæteræ Eccleſiæ velut de natali ſuo fonte prædicationis exordium, & per diuerſas totius mundi Regiones puritatis incorruptæ manarent fidei Sacramenta ſalutis. Videri poteſt ibidem, id eſt act. ſeu decr. 2. Concil. Lateranenſ. anno 659. Libellus Stephani Epiſcopi Dorenſis, vbi præter alia dicitur; *in Apoſtolica Sede Orthodoxorum dogmatum fundamenta exiſtere.*

8. Relatio Poſſeſſoris Epiſcopi Affricani per Iuſtinum Diaconum Hormiſdę Papæ, quæ extat poſt epiſt. 69. eius Hormiſdæ, ſic incipit; *Decet & expedit ad capitis recurrere medicamentum, quoties agitur de ſanitate membrorum. Quis enim maiorem circa ſubiectos ſolicitudinem geret, aut à quo magis eſt nutantis fidei ſtabilitas expectanda, quàm ab eius Præſide, cuius primus à Chriſto Rector audiuit: Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.*

9. Itaque ad Romanum Pontificem omni tempore, & omni loco Epiſcopi Catholici recurrerunt tanquam ad oraculum in controuerſijs fidei, vt ab illo diſcerent, quid tenendum eſſet. Sciebant enim pro Petro & ſucceſſoribus ipſius, Chriſtum rogaſſe, ne deficeret fides eorum, & ad Pontificem Romanũ ſpectare, confirmare fratres ſuos in fide. Vnde in iure 24. qu. 7. dicitur. *Quoties ratio fidei ventilatur, non niſi ad Petrum, id eſt ad ſui nominis honorem, & autoritatem habentem recurrendum eſt.* Et iterum: *Maiores Eccleſiæ cauſas, præſertim circa articulos fidei contingentes, ad Petri Sedem referendas intelligit, qui nouit pro eo Dominum exoraſſe, ne deficeret fides eius.* At enim quid aliud ſunt omnia ferè decretorum, & decretalium volumina, quàm Romanorum, Pontificum ad Epiſcoporum aliorumque plurimorum conſulta, & dubia varijs in regnis enata, reſponſiones, atque reſcripta?

Digitized by Google

SECTIO II.

Probatur infallibilitas Romani Pontificis ex Concilijs Prouincialibus Galliæ, & ex iudicio multarum illuſtrium Eccleſiarum, & Sanctiſſimorum Epiſcoporum illius Regni.

1. ANdreas Duualius inſignis Doctor Pariſienſis in diſputatione quadripartita de ſuprema Romani Pontificis in Eccleſiam poteſtate, parte 2. in qua probat Romanum Pontificem priuilegio infallibilitatis in decernēda fide, & moribus à Chriſto donatum eſſe, quæſtione 2. poſtquam veritatem hanc multis Gallorum Patrum teſtimonijs firmauit; tandem pag. 232. duo Concilia Gallicana in medium producit; nimirum Aurelianenſe cap. 10. vbi ſic decernit: *Quoties aliquid de ſolennitate Paſchatis dubitatur, inquiſita, vel agnita per Metropolitanos à Sede Apoſtolica Sacra Conſtitutio teneatur: non ob aliam certè cauſam, niſi quia hanc in doctrina firmiſſimam conſeruari huius Concilij Patres vnanimiter credebant.* Et Turonenſe (nempe ſecundum celebratum anno 570.) cap. 21. poſt decretum Papæ recitatum: *Quis*, inquit, *Sacerdotum contra Decreta talia, quæ à Sede Apoſtolica proceſſerunt, agere præſumat, & quorum Authorum valere poſſet prædicatio, niſi quos Sedes Apoſtolica ſemper intromiſit, & Patres noſtri hoc ſemper cuſtodierunt, quod eorum præcepit authoritas. Ex quibus velint nolint Aduerſarij* (inquit Duualius) *liquidò conſtat, veteres Eccleſiæ Gallicanæ Proceres hanc in Summis Pontificibus ex Petri ſucceſſoribus infallibilitatem ſemper agnouiſſe, Chriſtique Domini in Petro orationem non in Petro ſtetiſſe, ſed ad eius Succeſſores certiſſimè transijſſe: eoſque, qui veritatem hanc impugnare conati ſunt, à ducentis aut circiter annis, quibus in Eccleſiam horrenda ſchiſmata irruerunt, cepiſſe.* Synodos Nationales Galliæ in vnum congeſſit M. Nauclerus lib. 8. part. 4. cap. 2. & enumerauit Aurelianenſem quartam. Turonenſem ſecundam, & quartam, Trecenſem. Semiuocenſem, Rhemenſem, & Carnotenſem. Quæ omnes profitentur, Pontificias Sanctiones in dogmaticis tanquam infallibiles fidei regulas eſſe obſeruandas. Vnde veriſſimum eſt Duualij dictum.

2. Hoc iudicium de infallibilitate Romani Pontificis ſecuta eſt Illuſtriſſima Eccleſia Gallicana in Conuentibus generalibus Cleri, & in conuentibus particularibus aliquorum Epiſcoporum, & Eccleſiarum, imò & totum Regnum, quod nunc probando ſuſcipimus, ſequendo ordinem

dinem temporis. Hoc iudicium imprimis ſecuti ſunt Martyres Lugdunenſes, circa annum 180. qui cum in vinculis tenerentur; cum primùm ſciuerunt S. Eleûtherum euectum fuiſſe ad Summum Pontificatum, ad eum ſcripſerunt, mittentes tanquam legatum ſuum S. Irenęum, tunc Eccleſię Lugdunenſis Presbyterum; petentes vt pax, & concordia in Eccleſijs conſtitueretur. Vt autem ex Euſebio, & Hieronymo probat Baronius ad ann. 179. num. 53. & 54. & ex eo Spondanus num. 5. miſſus ab eis eſt Irenæus ob quaſdam Eccleſiæ quæſtiones: *apparet* (inquit Baronius eo num. 54.) *Virum eruditiſſimum delectum fuiſſe legatum ob quaſdam Eccleſiæ quæſtiones*. Romanam enim Eccleſiam *ambiguis conſulendam eſſe innumeræ quibuſcunque ſæculis miſſæ Legationes, de quibus ſuis locis, dicturi ſumus, certò certius manifeſtant*.

3. Sed quæſtiones illas ob quas miſſus fuit Irenæus, *puto* (inquit Spondanus n. 5.) *fuiſſe de prophetia Montani, qua nulla grauior his temporibus videretur eſſe in Eccleſia quæſtio: de qua, & ipſi Martyres priuatum, vt ait Euſebius, iudicium tulerant, occaſione Alcibiadis vnius ex ijſdem Martyribus, qui cùm ad illud vſque tempus vitam auſterè ſolo pane, & aqua contentus duxiſſet, iamque vellet eodem modo in carcere viuere, coactus eſt ab alijs mutare propoſitum, & deinceps omnibus cibis vti, ne videretur Mõtaniſtarum ſuperſtitioſas Xerophagias obſeruare. De his igitur conſultus Eleutherus, ad quem pertineret eius rei plena deciſio, reſcripſit ad Epiſcopos Galliarum, admonens ne quis eſcam aliquando repudiaret vt malam, quæ à Deo creata eſſet; quòd affinis ea eſſet hæreſis dogmati Marcionis, à malo principio hæc omnia creata eſſe dictantis*. Aitque Baronius num. 54. eam Legationem miſiſſe Martyres ad Eleutherum, vt *quod* de prophetia *Montani priuatum*, vt ait Euſebius, iudicium *tulerant*, eius *authoritate* probaretur atque *firmaretur*. De hac Legatione ſic teſtatur Hieronymus in libro de Viris illuſtribus, ſeu catalogo ſcriptorum Eccleſiaſticorum num. 45. *Irenæus*, Pothini Epiſcopi, qui *Lugdunenſem in Galliâ regebat Eccleſiam, à Martyribus eiuſdem loci ob quaſdam Eccleſiæ quæſtiones Legatus Romam miſſus, honorificas ſuper nomine ſuo ad Eleutherum Epiſcopum profert litteras*.

4. Hoc etiam iudicium ſecuti ſunt Rauenius, alijque Epiſcopi Gallicanì in epiſtola Synodica ad Sanctum Leonem, quæ in eius operibus habetur poſt epiſtolam 51. Sancti Pontificis: in ea ſiquidem pluribus proteſtati ſunt, quanti facerent eius circa dubia de fide ſententiã, etiam antequam Concilij generalis Chalcedonenſis conſenſus acceſſiſſet: *Quæ* (inquiunt) *Apoſtolatûs veſtri ſcripta, ita & Symbolum fidei, quiſquis Redemptionis Sacramenta non negligit, tabulis cordis adſcribit, & tenaci, quod ad confundendos Hæreticorũ errores paratior ſit, memoriæ commendauit.... Doctrinæ poſt Deum veſtræ debet quiſque fidelis, vt conſtanter teneat quod credebat: debet etiam infidelis, vt à perfidia ſua agnitâ veritate diſcedat, & Apoſtolicæ inſtitutionis luce perfuſus erroris ſui tenebras derelinquat, magiſque*

giſque ſequatur, & credat, quod per os veſtrum Dominus noſter Ieſus Chriſtus de Sacramento Incarnationis ſuæ docet; quàm id teneat, quod Diabolus humanæ ſalutis, & veritatis inimicus inſtillat. Huic Epiſtolæ ſubſcripſerunt quadraginta quatuor Epiſcopi Galli, vt teſtatur Ludouicus Abelli Doctor Sorbonicus, & Epiſcopus Ruthenenſis in Medulla Theologiæ 1. par. cap. 4. ſect. 1. §. 4.

5. Ceretius, Salonius & Veranus Epiſcopi Gallicani eandem erga Sancti Leonis epiſtolam reuerentiam profeſſi fuerant his verbis: *Illa ſpecialis doctrinæ pagina ita per omnium Eccleſiarum conuenticula celebratur, vt verè conſona omnium ſententia declaretur: meritò illic Principatum Sedis Apoſtolicæ conſtitutum, vnde adhuc Apoſtolici Spiritus oracula referentur*. Idque ſpeciatim de Gallicana Eccleſia teſtatur S. Leo epiſt. 89. *Nobiſcum itaque veſtra fraternitas recognoſcat, Apoſtolicam Sedem pro ſui reuerentia à veſtræ etiam Prouinciæ Sacerdotibus innumeris relationibus eſſe conſultam*.

6. Idem iudicium de infallibilitate Romani Pontificis fecerunt Sancti Epiſcopi Victricius, & Exuperius, ille Rothomagenſis, hic Toloſanus. Nam cùm primùm nefariam Vigilantij doctrinam in Gallijs emergere conſpicati ſunt, conſuluerunt Innocentium Primum tanquam Vicarium Chriſti, & Succeſſorem Petri, eius reſponſum expectantes tanquam oraculum, vt videre eſt apud Baronium tom. 5. ad annum 406. numer. 47. Et hoc teſtimonio inter alia vtitur Illuſtriſſimus Ludouicus Abbelli Doctor Sorbonicus, & Epiſcopus Ruthenenſis in Medulla Theologiæ prima part. cap. 4. ſect. 1. §. 4. vt probet, quòd *quoties aliqua controuerſia in materia fidei exoritur, quoties aliquod nouum dogma exurgit, de quo dubitatur an fidei aduerſetur, certiſſimum medium ad veritatem dignoſcendam, eamque à quouis errore ſecernendam, eſſe, ad Sedem Apoſtolicam recurrere, & inde reſponſa petere, vbi fides non poſſit ſentire defectum*. Vtitur etiam teſtimonio Sancti Auiti Epiſcopi Viennenſis, quem S. Hormiſda Papa ſuum in Gallijs Vicarium conſtituit: nam Hormiſdam ſuper erroribus Græcorum conſuluit, & anno 517. epiſtolam ad Sanctum Pontificem ſcripſit, in qua non ſolùm ſuo, ſed omnium Epiſcoporum Galliæ nomine proteſtatur, ſe eius ſententiæ in materia fidei adheſurum. Verba eius ſunt hæc: *Quia*, inquit, *iam ſecurus, non dicam de Viennenſi, ſed de totius Galliæ deuotione polliceor, omnes veſtram ſuper ſtatu fidei captare ſententiam. Orate, vt ſic nos prædictorum profeſſio fucata non fallat, ſicut ab vnitate, quam regitis, veritas comperta non ſeparat*. Idem S. Auitus Communi Epiſcoporum Galliæ nomine ſcripſit epiſtolam ad Senatores Romæ, ſupremam authoritatem Romani Pontificis à nomine iudicandam, ac proinde authoritatem infallibilem agnoſcit: Nam Senatores alloquens ipſe tanquam Senator, & Epiſcopus inquit: *Quaſi Senator ipſe Romanus, quaſi Epiſcopus obteſtor .... Nec minus diligatis in Eccleſia veſtra Sedem Petri, quàm in Ciuitate apicem mundi*.

Digitized by Google

di. Si profundo illo tractatus veſtri Conſilio rem videtis, non ea tantummodo, quæ Romæ geritur cauſa cogitanda eſt. In Sacerdotibus cæteris, ſi quid fortè nutauerit, reformari: at ſi Papa Vrbis vocatur in dubium, Epiſcopatus iam videbitur non Epiſcopus vacillare. Adducit hanc epiſtolam Labbè tom.4. col.1362. cui hic titulus præfigitur. *De Synodo Romana, in qua Epiſcopos Italiæ, qui ad eam conuenerant, culpandos docet, quòd de Romani Pontificis cauſa iudicandum inferiores ſuſceperint.*

Eandem authoritatem infallibilem ad determinandas fidei, & morum controuerſias agnouerunt illi Prælati Galliæ, qui anno 754. ſequẽtes controuerſias propoſuerunt Stephano Secũdo, ab eo expectantes reſponſum tanquam oraculum; *An per adulterium diſſoluatur matrimonij vinculum? An valeat baptiſmus collatus aquâ manui infusâ? An conferri valeat in vino, ſi aqua deſit?* Has es alias quæſtiones propoſuerunt, vt patet ex reſponſis à Stephano datis, quæ adducit Labbè tom.6. Concil. à col. 1650.

7. Eandem infallibilitatem agnouit Hincmarus Archiepiſcopus Viennenſis, qui obijt anno 860. Nam hic Author in præfatione opuſculi de diuortio Lotharij Regis, ſupremum magiſterium, ac proinde infallibile agnoſcit in Romano Pontifice ad determinandas fidei & morum controuerſias; ſic enim ait: *De omnibus dubijs vel obſcuris, quæ ad rectæ fidei tenorem, vel pietatis dogmata pertinent, Sancta Romana Eccleſia, vt omnium Eccleſiarum Mater, & Magiſtra, nutrix, & doctrix, eſt conſulenda, & eius ſalubria monita ſunt tenenda, maximè ab his, qui in illis regionibus habitant, in quibus Diuina gratia per eius prædicationem omnes in fide genuit, & Catholico lacte nutriuit, quos ad vitam præordinauit æternam.* Eandem authoritatem Romani Pontificis agnouit Æneas Ruriſiacenſis Vrbis Epiſcopus coëtaneus Hincmari: nam cùm Nicolaus I. ſcripſiſſet ad Hincmarum, & cæteros Epiſcopos Galliæ epiſtolam, (quæ inter ipſius epiſtolas eſt 70.) in qua expoſuit cauſas odij, & inuidiæ Græcorum aduerſus Eccleſiam Latinam, miſit eorum obiectiones, vt illas refellerent, & ea quæ contra illos inuenirent, in Vrbem tranſmitterent: hanc Prouinciam reſpondendi obiectionibus Græcorum ſumpſit Æneas Epiſcopus, & ea de re librum compoſuit, qui ſeruatur in Bibliotheca Thuana: cuius Prologum exhibet P. Labbè tom.8.col.418. in quo ſic contra Sedem Conſtantinopolitanam loquitur: *Eſt autem* (inquit) *dictu lamentabile, quia eadem ſedes, quæ caput leuare conatur ad ſuperos, pro rectæ fidei Præſulibus, doctrina fœdatos rectores olim habuit hæreticos, quos tripartita denotat hiſtoria, & Sanctorum Patrum in Canonibus damnat ſolertia. Non verò in Romana Sede Deo rectore tale vnquam contigit dedecus, vt aliquis Hæreſiarches eidem præſideret, quam ſummus Apoſtolorum Princeps ſua ſeſſione illuſtrauit, & fuſo ſanguine conſecrauit, cui ſuas regendas oues Dei filius ſpeciali cura commiſit. Nec mirum quia ipſi dictum fuerat, Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam*

meam

Digitized by Google

meam; Et tibi dabo claues Regni cælorum. Ergo cui propria auctoritate regnum dabat; huius fidem firmare non poterat? Quem cum Petrum dicit, firmamentum Eccleſiæ indicauit.

8. Idem Iuo Carnotenſis, qui obijt anno 1114. nam ille in epiſtola octaua ad Richerium Senonenſem Archiepiſcopum, iudicium Romani Pontificis in rebus fidei determinandis infallibile cenſet, dum hæreticum appellat eum, qui eius iudicio non confirmatur: *Dicitis etiam*, inquit, *in literis, me Sedem inuaſiſſe Gaufridi Coepiſcopi veſtri, in quo manifeſtè contra Sedem Apoſtolicam caput erigitis dum quod illa ædificat, vos, quantum in vobis eſt, deſtruitis, & quod illa deſtruxit, vos ædificare contenditis. Huius iudicijs & Conſtitutionibus obuiare, planè eſt hæreticæ prauitatis notam incurrere, cùm Scriptura dicat: Hæreticum eſſe conſtat, qui Romanæ Eccleſiæ non concordat.* Nomine Scripturæ non Sacram illam & Canonicam intelligere putandus eſt ſed Canonem 26. Gregorij VII. Catholicus non habeatur, qui non concordat Romanę Eccleſię.

9. Hoc idem iudicium de infallibilitate Romani Pontificis habuerunt ſex illi Epiſcopi, qui anno 1140. ſcripſerunt illam, quæ inter epiſtolas Sancti Bernardi eſt 370. in qua ſic loquuntur: *Nulli dubium eſt, quòd ea, quæ Apoſtolica firmantur authoritate, rata ſemper exiſtunt, nec alicuius poſſunt deinceps mutilari cauillatione, vel inuidia deprauari. Ea propter ad veſtram Apoſtolicam Sedem, Beatiſſime Pater, referre dignum cenſuimus quædam, quæ nuper in noſtra contigit tractari præſentia. Quæ quoniam & nobis, & multis religioſis & ſapientibus viris rationabiliter acta viſa ſunt, Veſtræ Serenitatis expectant comprobari iudicio, ſimul & authoritate perpetuò roborari.* Eundem ſenſum de infallibilitate Pontificis in cauſis fidei habuerunt Samſon Rhemorum Archiepiſcopus, Iolenus Sueſſonenſis, Gaufridus Cathalaunenſis, Aluiſus Atrebatenſis, qui in cauſa Abailardi ſcripſerunt ad Innocentium Secundum per hæc verba: *Proceſſimus in hoc negotio, quouſque auſi ſumus, tuum eſt de cætero, Beatiſſime Pater, prouidere, ne in diebus tuis aliquâ hæreticæ prauitatis macula decor Eccleſiæ maculetur.* Apud D. Bernardum epiſt. 191. quibus reſpondit Innocentius apud eundem D. Bernardum epiſt. 194. *Non itaque qui in beati Petri Cathedra (cui à Domino eſt dictum: & tu aliquando conuerſus confirma fratres tuos) licet indignè reſidere conſpicimur: communicato fratrum noſtrorum Epiſcoporum, & Cardinalium conſilio, deſtinata nobis à veſtra diſcretione capitula, & vniuerſa ipſius Petri peruerſa dogmata Sanctorum Canonum authoritate cum ſuo authore damnauimus, eique tanquam hæretico perpetuum ſilentium impoſuimus. Vniuerſos quoque erroris ſui ſectatores, & defenſores à fidelium conſortio ſequeſtrandos, excommunicationiſque vinculo innodandos eſſe cenſemus.*

10. Eandem infallibilitatem agnouit in Romano Pontifice Illuſtriſſima Eccleſia Pariſienſis anno 1324. Vt enim habet hiſtoria Vniuerſitatis Pariſienſis tom. 4. in Annalibus ad annum illum, Stephanus Epiſcopus

Digitized by Google

pus Pariſienſis cum ſuo Capitulo in quadam declaratione facta in laudem, & commendationem doctrinæ D. Thomæ hæc verba habet: *Sacroſancta Romana Eccleſia Fidelium omnium Mater, & Magiſtra in firmiſſima Petri Chriſti Vicarij confeſſione fundata, ad quam velut ad vniuerſalem regulam Catholicæ veritatis pertinet approbatio, & reprobatio doctrinarum, declaratio dubiorum, determinatio tenendorum, & confutatio errorum.* Scripſit autem Stephanus illam epiſtolam pro Canonizatione S. Thomę Cantuarienſis, & ſcripſit de conſilio Venerabilium Decani, & Capituli Pariſienſis, Guilielmi Archiepiſcopi Viẽnenſis Theologiæ Profeſſoris, & aliorum viginti trium Theologiæ Magiſtrorum, & triginti nouem Baccalaureorum in Theologia; vt conſtat ex eadem epiſtola: vnde iudicium Eccleſiæ Pariſienſis, fuit iudicium totius Facultatis Theologicæ Vniuerſitatis Pariſienſis. Quare veriſſimè eruditiſſimus Chriſtianus Lupus in Scholijs Synodorum ad Dictatus canon. 21. pag. 742. ſic teſtatus eſt: *Quod nullus Epiſcopus, nullus Patriarcha, nulla Dioceſis, nulla etiam Oecumenica Synodus ſine Romani Epiſcopi, atque Romanæ Eccleſiæ authoritate definire poſſit de Dogmaticis quæſtionibus, Gallicana olim Eccleſia conſtantiſſimè tenuit. Euidenter hoc lucet ex cauſa Gilberti Porretani Pictauienſis Epiſcopi, &c.*

SECTIO III.

Recentiora teſtimonia Eccleſiæ Gallicanæ pro infallibilitate Romani Pontificis.

1. VEniamus iam ad teſtimonia recentiora. Eandem doctrinam de infallibilitate Romani Pontificis profeſeſſa eſt Illuſtriſſima Eccleſia Gallicana anno 1626. ſiquidem art. 137. ſub titulo iſto, *Monita conuentus Generalis Cleri Gallicani ad Dominos Archiepiſcopos, & Epiſcopos*
„ *huius Regni*, ſic Patres illius Synodi loquuntur: Hortamur Epiſcopos
„ omnes, vt Sacram Apoſtolicam Sedem Romanamque Eccleſiam,
„ vtpote in Dei ſponſione infallibili, & Apoſtolorum, ac Martyrum
„ ſanguine fundatam, omniumque Eccleſiarum Matrem omni hono-
„ re, cultuque proſequantur. Ipſa enim, vt cum Beato Athanaſio lo-
„ quamur, eſt ſacrum illud Caput, à quo in omnes Eccleſias velut
„ in totidem membra omnis ſpiritus diffundatur, quo nutriuntur, ac
„ conſeruantur. Sanctiſſimum quoque Patrem, & Pontificem no-
„ ſtrum, quippe Eccleſiæ Vniuerſalis caput viſibile, Deique in terris
„ Vicarium, Epiſcopum Epiſcoporum, & Patriarcham Patriarcha-
„ rum honore afficient: is enim ſucceſſor eſt Petri, à quo omnis
„ Epiſcopus initium atque originem duxit, & ſuper quem Chri-

„ ſtu

„ ſtus Ieſus Eccleſiam ſuam fundauit, quando illi claues Regni cœlo-
„ rum, atque donum infallibilitatis (NB) in cauſis fidei reliquit: quam
„ fidem non ſine ingenti miraculo durare in eius ſucceſſoribus immo-
„ bilem illibatamque videmus; vnde ingens illa in Romanorum Ponti-
„ ficum Decretis, mandatiſque amplectendis apud omnes fideles &
„ orthodoxos obſeruantia profecta eſt.

4. Eandem infallibilitatem profeſſa eſt conuentus generalis Galliæ in epiſtola ad Innocentium X. data ad finem Octobris anni 1650. his
„ verbis. Scimus, vbi Caput Eccleſiæ, ibi totius fidei arcem, & diſci-
„ plinæ Metropolim: eòque conuenitur à nobis libentiùs, quò in pręſ-
„ ſulum primatis ſinu Pręſules, ſi quando illis dolet, maximè à vulne-
„ ribus Eccleſiæ, iuſtiſſimas querelas deponere par eſt.

5. Sed pręclarum teſtimonium huius infallibilitatis dedit Illuſtriſſima Eccleſia Gallicana, cuius zelo & diligentię debet magna ex parte orbis Chriſtianus hęreſis Ianſenianę damnationem; nam in vnum conuenientes octuaginta quinque Epiſcopi & Archiepiſcopi anno 1653. litteras dederunt ad Innocentium Decimum Pontificem Maximum ſub ſequenti verborum forma.

§. I.

Littera Eccleſiæ Gallicanæ recurrentis ad Sedem Petri tanquam ad infallibile Fidei oraculum pro condemnatione hæreſis Ianſenianæ.

„ 1. BEatiſſime Pater. Maiores cauſas ad Sedem Apoſtolicam re-
„ ferre ſolemnis Eccleſiæ mos eſt, quem fides Petri nunquam
„ deficiens perpetuo retineri pio iure ſuo poſtulat. Æquiſſimæ huic
„ legi obſequentes, de grauiſſimo circa Religionem negotio Sanctitati
„ Tuæ ſcribendum eſſe cenſuimus. Decennium eſt, ex quo vehemen-
„ tiſſimis turbis Gallia magno noſtro mærore commouetur, ob librum
„ poſthumum, & doctrina Reuer. Cornelij Ianſenij Iprenſis Epiſcopi.
„ Tales quidem motus ſedari oportebat, tum Concilij Tridentini au-
„ thoritate, dum Bullæ illius, quæ Vrbanus Octauus felicis memoriæ
„ aduerſus Ianſenij dogmata pronunciauit, & decreta Pij V. ac Grego-
„ rij XIII. in Baium edita confirmauit. Atque huius quidem Bullæ
„ veritatem ac robur nouo diplomate vindicaſti. Sed quia nulli ſigil-
„ latim propoſitioni certa cenſuræ nota inuſta fuit, locus etiam num
„ aliquis quorundam cauillis, & effugio relictus eſt. Intercludendum
„ autem penitus ſperamus, ſi, vt precamur, Sanctitas Tua, quid hac in
„ re ſentiendum ſit, clarè, diſtincteque definiat. Obſtendamur ergo,

„ vt

„ vt has præſertim propoſitiones, de quibus diſceptatio periculoſior „ ac contentio ardentior eſt, Sanctitas tua expendat, ac perſpicuam, & „ certam de vnaquaque ſententiam ferat.

2. I. *Aliqua Dei præcepta hominibus iuſtis volentibus & conantibus, ſecundùm præſentes, quas habent, vires, ſunt impoſſibilia: deeſt quoque ijs gratia, quâ poſſibilia fiant.*

II. *Interiori gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ nunquam reſiſtitur.*

III. *Ad merendum, & demerendum in ſtatu naturæ lapſæ non requiritur in homine libertas à neceſſitate, ſed ſufficit libertas à coactione.*

IV. *Semipelagiani admittebant præuenientis gratiæ interioris neceſſitatem ad ſingulos actus, etiam ad initium fidei; & in hoc erant hæretici, quòd vellent eam gratiam talem eſſe, cui poſſet humana voluntas reſiſtere, vel obtemperare.*

V. *Semipelagianum eſt dicere, Chriſtum pro omnibus omnino hominibus mortuum eſſe, aut ſanguinem fudiſſe.*

„ 3. Experta eſt nuper Beatitudo Tua, quantum Apoſtolicæ Sedis in „ gemino Eccleſiæ capitis errore profligando valuerit authoritas: con„ tinuò ſedata eſt tempeſtas, atque ad Chriſti vocem & imperium „ venti, & mare obedierunt. Quamobrem flagitamus, Beatiſſime Pa„ ter, vt clarâ firmâque de propoſitionum iſtarum ſenſu prolatâ ſenten„ tiâ, cui Reuerend. ipſe Ianſenius morti proximus opus ſuum ſubiecit, „ caliginem omnem diſcutias, animos fluctuantes componas, diſſidia „ prohibeas, Eccleſiæ tranquillitatem ſplendoremque reſtituas. Dum „ hæc ſpes mentibus noſtris affulget, Sanctitati Tuæ multos, & proſpe„ ros annos, ſæculoque beatiſſimam æternitatem Rex ſæculorum im„ mortalis adijciat, optamus, ac vouemus.

§. II.

Litteræ gratulatoriæ Eccleſiæ Gallicanæ ad Innocentium Decimum, in quibus agnoſcit eſſe infallibilem definitionem Pontificiam in materia fidei, prout eritur à Sede Petri pro priori ad Eccleſiæ conſenſum.

1. EAndem infallibilitatem agnouere eiuſdem Eccleſiæ Gallicanæ Illuſtriſsimi Antiſtites in litteris gratulatorijs ad eundem Innocentium de hæreſi Ianſeniana damnata ab eodem datis 12. Iulij ann. 1653 in quibus ita loquuntur.

„ 2. Optata peruenit ad nos tandem Conſtitutio illa, qua Veſtræ

„ Sanctitatis authoritate, quid ſentiendum ſit de controuerſis quinque
„ propoſitionibus, quæ ſunt excerptæ è Cornelij Ianſenij Iprenſis Epi-
„ ſcopi libris, perſpicuè decernitur. Et paucis interpoſitis ſubiungunt:
„ quo in negotio illud obſeruatione dignum accidit, vt quemadmo-
„ dum ad Epiſcoporum Africæ relationem Innocentius I. Pelagianam
„ hæreſim damnauit olim: ſic ad Gallicanorum Epiſcoporum conſul-
„ tationem, hæreſim ex aduerſo Pelagianæ oppoſitam Innocentius X.
„ authoritate ſua proſcripſerit. Enimuerò vetuſtæ illius ætatis Eccleſia
„ Catholica ſola Cathedræ Petri communione, & authoritate fulta, quę
„ in Decretali epiſtola Innocentij ad Africanos data elucebat, quam-
„ que dein Zoſimi altera ad vniuerſos Orbis Epiſcopos epiſtola ſubſe-
„ cuta eſt, Pelagianæ hæreſis damnationi abſque cunctatione ſubſcri-
„ pſit. Perſpectum enim habebat, non ſolùm ex Chriſti Domini noſtri
„ pollicitatione Petro facta, ſed etiam ex Actis priorum Pontificum, &
„ ex Anathematiſmis aduerſus Apollinarium, & Macedonium, non-
„ dum ab vlla Synodo Oecumenica damnatos, à Damaſo paulò antea
„ iactis, iudicia pro ſancienda regula Fidei à Summis Pontificibus lata
„ ſuper Epiſcoporum conſultatione (ſiue ſuam in actis relationis ſen-
„ tentiam ponant, ſiue omittant prout illis collibuerit) Diuina æquè,
„ ac ſumma per vniuerſam Eccleſiam authoritate niti, cui Chriſtiani
„ omnes ex officio ipſius quoque mentis obſequium præſtare tenean-
„ tur. Eâ nos quoque ſententiâ, ac fide imbuti, Romanæ Eccleſiæ præ-
„ ſentem, quæ in Summo Pontifice Innocentio X. viget, authoritatem
„ debitâ obſeruantiâ colentes, Conſtitutionem Diuini Numinis inſtin-
„ ctu à Beatitudine Veſtra conditam, nobiſque traditam ab Illuſtriſsi-
„ mo Athenarum Archiepiſcopo, Nuntio Apoſtolico, & promulgan-
„ dam curabimus in Eccleſijs, ac Diœceſibus noſtris, atque illius exe-
„ cutionem apud fideles populos vrgebimus. Neque verò pœnę dee-
„ runt aduerſus temerarios illius violatores, quę à Iure hęreticis infli-
„ guntur, quibus iuxta Conſtitutionis tenorem, & Breue Sanctitatis
„ Veſtrę nobis directum, contumaces omnes, nullo conditionum, vel
„ ſtatuum diſcrimine, facto perſtringemus; pręſertim cùm in Gallijs ad
„ Epiſcopos in ſolidum iſthæc cura pertineat, vbi nullos hęreticę pra-
„ uitatis Inquiſitores conſtitui patitur mos antiquus ex iure communi
„ profectus. Sanè ſpondere poſſumus Beatitudini Veſtræ, nihil fore
„ quod Decreto Apoſtolico, noſtręque in eo exequendo ſollicitudini
„ moram afferre poſsit: pręcipuè cùm pijſsimus, ac Chriſtianiſsimus
„ Rex noſter, cui Breue Apoſtolicum vnà cum exemplo Conſtitutionis
„ Illuſtriſsimus Nuncius tradidit, interpellato quoque Regię Maieſta-
„ tis pręſidio, nos ad illius Decreti executionem, Edicto ſuo ad nos
„ dato, pro ea, quam debet Eccleſiæ Conſtitutis tuitione, conſtan-
„ ter hortetur; & Magiſtratibus vniuerſis, atque cęteris ſibi ſubditis,
„ tum ad vim arcendam, tum ad computandas, quę fortè poſſent ab
„ hæ-

„ hęreſeos reis excitari, de foro competenti cauillationes pręcipiat,
„ quatenus illam omni ſtudio & opera iuuent, atque tueantur. Quare
„ cùm Rex cęleſtis hac in cauſa fęderatum habeat Regem terrarum (ſi
„ fas ita loqui cum Sixto III.) Sanctitas Veſtra per Petrę ſoliditatem,
„ iam contuſis veritatis hoſtium animis, ſecuros ab omni externa per-
„ turbatione de noua hęreſi triumphos aget. Porrò nos Innocentio X.
„ cuius ore Petrus locutus eſt, vt Leoni I. acclamabat quarta Synodus,
„ hanc diuinam lauream gratulati, ſacros inter Eccleſię faſtos, quod
„ olim de Synodis Oecumenicis fieri ſolitum, Conſtitutionem iſtam
„ ab eo editam lubentes ex animo reponemus: cui optatiſsimam in
„ longęua vita felicitatem adprecantur, qui ſunt cum ea, qua par eſt, ve-
„ neratione &c.

3. Ex hac epiſtola conſtat, quam longè fuerit tunc Illuſtriſsima Eccleſia à ſenſu, quem manifeſtauit Declaratio publicata nomine Cleri Gallicani anno 1682. dum aſſeruit, Definitionem Pontificis non eſſe infallibilem, donec accedat Eccleſię conſenſus. Nam anno 1653. cùm primùm peruenit in Gallias notitia authentica Bullę Innocentij X. condemnantis vt hęreticas quinque propoſitiones Ianſenij, illam Bullam vt Oraculum infallibile ſuſceperunt, quin ad agnoſcendam eius infallibilitatem, & ad habendas pro hęreticis illas quinque propoſitiones, expectauerint conſenſum Eccleſię, nec amplius quid requiſierint, quàm certificari de publicatione Bullę, vt expendi Diſp. 1. ſect. 8. pręſertim §. 3. & 13. Doctores particulares Pariſienſes, alioſque authores Gallos, qui infallibilitatem Romani Pontificis aſſeruerunt infra ſuo loco adducemus, cùm noſtram ſententiam ab authoritate Theologorum comprobabimus.

SECTIO IV.

Illuſtri teſtimonio Illuſtriſſimi Petri de Marca Archiepiſcopi Pariſienſis de ſenſu continuato Eccleſiæ Gallicanæ circa infallibilitatem Romani Pontificis; & ſuffragio Regij Senatus concluditur probatio ex Synodis Prouincialibus Galliæ.

1. ILluſtriſſimus Petrus de Marca Archiepiſcopus Toloſanus, & demum Pariſienſis, in quodam manuſcripto (quod Stephanus Baluzius in compendio eius vitæ libris de Concordia præfixo, aſſerit vlti-

mum eſſe Illuſtriſſimi illius Archiepiſcopi opus, paulò ante mortem ab ipſo confectum) infallibile Papæ in fidei quæſtionibus iudicium ita proponit, vt opinionem contrariam antiquorum Doctorum Vniuerſitatis Pariſienſis (Gerſonium, & alios inſinuabat, de quibus poſtea) ab Eccleſia tolerari tantùm aſſeruerit; cæterùm tunc ipſiuſmet Vniuerſitatis, & aliarum omnium Doctores pro infallibili Papæ iudicio ſtare.

2. Deinde hoc iudicium de infallibilitate Romani Pontificis ſatis manifeſtauit in ipſa Curia Pariſienſi. Etenim cùm Patres Societatis Pariſijs anno 1661. in noſtro Collegio Claromontano defendiſſent publicè hanc theſim: *Datur in Eccleſia Romana controuerſiarum fidei Iudex infallibilis etiam extra Concilium generale, tum in quæſtionibus iuris, tum facti: Vnde poſt Innocentij X. & Alexandri VII. Conſtitutiones, fide diuina credi poteſt, librum, cui titulus* Auguſtinus Ianſenij, *eſſe hæreticum, & quinque propoſitiones ex eo decerptas eſſe Ianſenij, & in ſenſu Ianſenij damnatas*; prout refert Author Regalis Sacerdotij Romano Pontifici aſſerti lib. 3. pag. 506. Cùm, inquam, Patres Societatis has theſes publicè propugnaſſent Pariſijs, quidam partiales Ianſenij acriter contra hanc theſim inſurrexerunt, & tempeſtatem contra Ieſuitas cõmouerunt. Tunc autem Illuſtriſſimus Petrus de Marca ſcriptũ quoddam valdè neruoſum exarauit ad tuendas illas theſes, vt refert Author illus præclari tractatus editi linguâ Gallicâ anno 1687. cui titulus *de Poteſtate Eccleſiæ, ſeu Reſponſum ad tractatum hiſtoricum Domini Maimburg. de Inſtitutione, & Prærogatiuis Eccleſiæ Romanæ; & Epiſcoporum eius* pag. 89. in eo autem ſcripto cùm aſſeruiſset; communem eam eſſe ſententiam, Papam eſſe infallibilem, cùm loquitur è cathedra; cumque exhibuiſſet eorum opinionem, qui ſentiunt Papam loqui è cathedra, cùm pronun-
„ tiat cum conſenſu Eccleſiæ; addit num. 22. „ Nunc loquendum de
„ altera explicatione circa cathedram, aſſerente Papam ſolum interro-
„ gatum a notabili parte Eccleſiæ, aut excitatum magnitudine inordi-
„ nationis, quæ eſt in opinionibus, condentem Decretum cum anathe-
„ mate erroris proponere Eccleſiæ Doctrinam credendam tanquam de
„ fide. Supponitur tamen rem ab ipſo accuratè diſcutiendam, exemplo
„ Apoſtolorum qui pronuntiarunt in Concilio Carthageno, (Hieroſo-
„ lomitano) Inquiſitione factâ, non ita tamen, vt ad eam diſcuſſionem
„ teneatur conſulere Collegium Cardinalium, aut Epiſcopos; ſed viros
„ doctos quos eliget, & ſuper omnia neceſſe eſt ab ipſo inuocari opem
„ Spiritus Sancti, vt influat infallibilitatem, ſed ſolùm ad publicatio-
„ nem, & executionem rerum deciſarum.

3. Et in hoc eodem ſcripto, id eſt in obſeruationibus ad Theſes
„ Claromontanas nu. 22. 31. & 34. ſic ſcribit. „ Hæc opinio, (videlicet
„ quæ in Romano Pontifice agnoſcit infallibilitatem) eſt illa, quam
„ vnicè Hiſpania, Italia, aliæque omnes Chriſtianitatis Prouinciæ
„ docent, ita vt illa, quam ſententiam Pariſienſium Doctorum vo-
„ cant,

„ cant, ad claſſem earum opinionum reuocanda ſit, quæ ſolùm toleran-
„ tur .... Authoritas infallibilem ſententiam in cauſis fidei pronun-
„ tiandi eſt Romanis Pontificibus omniũ Vniuerſitatũ conſenſu acqui-
„ ſita, exceptâ tamen antiquâ Sorbonâ. Imò hoc quoque tempore
„ hanc de infallibilitate Pontificis ſententiam in ipſa Sorbona doceri
„ videmus; nam duodecimâ menſis decembris anno 1600. in Sorbona
„ publicè hæc theſis defenſa eſt, videlicet Romanus Pontifex contro-
„ uerſiarum Eccleſiaſticarum eſt conſtitutus Iudex à Chriſto, qui eius
„ definitionibus indeficientem fidem promiſit. Eandem Theſim in
„ Vniuerſitate Nauarrica ſeptima Decembris propugnatam ſcimus. Et infra num. 34. circa finem de Doctoribus Eccleſiæ: „ Pars maior non
„ ſolùm Theologiæ, ſed etiam Iuris Doctorum communi opinioni ad-
„ hæret, vt pote fundamentis nixæ ſolutu difficillimis, ridetque anti-
„ quæ Sorbonæ opiniones.

4. Ergo iuxta Illuſtriſſimum Petrum de Marca ſententia de infallibilitate Pontificis eſt omnium Vniuerſitatũ Chriſtianitatis, imò omniũ ferè Doctorum Vniuerſitatis Pariſienſis, *exceptâ antiquâ Sorbonâ*. Nomine *antiquæ Sorbonæ* intelliguntur Doctores, qui paulò poſt Conciliũ Conſtantiẽſe in Collegio Sorbonico, ſic dicto à ſuo Fundatore Roberto Sorbonâ, floruerunt: quia immediatè poſt hoc Concilium, in quo Gerſon, & Petrus de Alliaco defenderunt excellentiam Concilij ſupra Papam, & huius fallibilitatem, hæc Doctrina floruit in illa Vniuerſitate, & propugnata eſt à Iacobo Almaino, & Ioanne Maiore Doctoribus Sorbonicis.

5. Adiungo aliud teſtimonium eiuſdem Petri de Marca. Hic eruditiſſimus Author, quamuis famoſus fuerit pro libertatibus Eccleſiæ Gallicanæ pugil, & multa dixerit in ſuo tomo *de Concordia Sacerdotij, & Imperij*, ob quæ opus iſtud Romæ proſcriptum eſt; tamen ſincerè & verè Orbi litterario expoſuit ſenſa, & mentem circa authoritatem Romani Pontificis, quæ ſemper habuit Illuſtriſſima Eccleſia Gallicana.

6. Nam in litura cenſuræ Romanæ affirmat, ſeſe nouem propoſitiones contumelioſas Sedi Apoſtolicæ copioſiſſimè & robuſtiſſimè refutaſſe adeò feliciter, vt pleriſque Magiſtratuum ferè iam perſuaſum ſit, eas ab imperitis, aut Eccleſiæ iniquis hominibus fuiſſe compoſitas. Quarum Propoſitionum tertia eſt: *Non competere Papæ, vt leges Eccleſiaſticas condat, quæ Gallos obligent*. Quarta: *Papam à Dignitate & Sede ſua deijci poſſe, ſi grauiſſimum ſcandalum Eccleſiæ inferat*. Quinta: *Nullo in caſu, vel ſpecie licere Pontifici aliquid ſtatuere, vel diſpenſare aduerſus Canones Conciliorum Generalium*. Septima: *Gallis competere ius eligendi, & conſtituendi ſupremum aliquem Patriarcham, ſi Pontifex Regis rationibus ſeſe non accommodat*.

7. Poſtquam autem dixerat ſe has, & alias propoſitiones his affines efficaciter impugnaſſe: deinde lib. 1. c. 2. n. 2. & 7. proſequitur, & ſequens

„ pro-

Digitized by Google

„ profert teſtimonium. Dicendum itaque eſt (inquit) Gallos ab ipſis
„ Eccleſiæ primordijs vſque ad noſtram ætatem, & communionis Ec-
„ cleſiaſticæ originem in Cathedra Petri conſtituiſſe, & ſupremam Ec-
„ cleſiæ authoritatem huic ſedi collatam ſemper coluiſſe, &c. Ad quod
„ duplici nomine obligantur: quia in Romana Sede vniuerſalis Eccle-
„ ſiæ caput ſuſpiciunt. Conſtat enim illos æquè, ac Concilium Aqui-
„ leienſe (cui præerat Ambroſius) totius Orbis Romani caput Roma-
„ nam Eccleſiam agnoſcere, vnde in omnes venerandæ communionis
„ iura dimanant; adeò vt à Concilij Chalcedonenſis ſocietate alienos
„ ſe eſſe putarent, ni iuxta ſexcentorum illorum Patrum ſententiam,
„ non ſolùm ſingularum Eccleſiarum, ſed etiam vniuerſalis Eccleſiæ
„ caput, Romanum Pontificem venerarentur. Cap. 11. in Synopſi; &
„ num. 1. Perſonam Pontificis à nemine iudicari, Galliarum Reges, &
„ Epiſcopi vnà cum cæteris ſæpiſſime cenſuerunt: adeòque nullum
„ Concilium ipſo vnquam eſſe ſuperius, Sedis Apoſtolicæ Præſulem
„ minorum nunquam ſubiacere iudicio, vt docet Romana Synodus ter-
„ tia. Huius autem priuilegij ratio inde petitur ab Ennodio in Apolog.
„ Quod Romanus Epiſcopus ſit caput omnium Sacerdotum: Sanctorum
„ voce patet, Pontificiam dignitatem Sedis eius factam toto orbe vene-
„ rabilem, dum illi quidquid fidelium eſt, vbique ſubditur, dum to-
„ tius corporis caput eſſe deſignatur. Num. 7. in cauſa hæreſeos publi-
„ cè profeſſæ, & ſchiſmatis, quin de Pontifice Romano iudicium fieri
„ poſſit, nullus vnquam Scriptor dubitauit: quamuis ſententiam malint
„ declaratoriam dici, quàm condemnatoriam. Itaque extra illos duos
„ caſus nunquam; vt pote ſupremum omnis Concilij certum, ac indu-
„ bitatum caput, & Princeps.

8. Lib. 3. cap. 7. num. 1. nec Concilij Conſtantienſis, nec Baſileen-
ſis Decreta, neque Pariſienſium Theologorum (quorum ibi meminit)
ſenſa moratus, confutat opinionem dicentium, præcipuam Gallicarum
libertatum regulam hanc eſſe, vt Concilium Oecumenicum ſuperius
„ Romano Pontifice aſſeratur: Exiſtimo, inquit, libertates Eccleſiæ
„ Gallicanæ hoc axiomate non omnino niti. Qui Romani Pontificis
„ odium in has libertates concitant, id præcipuè vrgent, eas aliâ ra-
„ tione conſtare non poſſe, quàm Apoſtolicæ Sedis dignitate, eò ma-
„ ximè imminuta, quòd Pontifex Concilij generalis authoritati ſubij-
„ ciatur. Attamen hæc ſententia in foro apud nos non diſceptatur &c.

9. Ex ijs apparet, quàm meritò P. Richardus Arſdekin noſtræ
Societatis tomo 1. Theologiæ tripartitæ impreſſæ Antuerpiæ anno
1682. in controuerſia de authoritate Romani Pontificis, & Conci-
liorum, poſtquam infallibilitatem Romani Pontificis, eiuſque ſupra
omnia Concilia excellentiam ſtabilierat, caſtigauerit audaciam quorun-
dam Clericorum Miſſionariorum in Hollandia pag. 117. his verbis: Hic
„ extorquendum eſt telum quibuſdam, qui hoc tempore in partibus

„ here-

„ hæreticorum, ſe vocant Miſſionarios Apoſtolicos, nec dubitant ta-
„ men, vt euehant poteſtatem Principum ſecularium, Apoſtolicæ Se-
„ dis authoritatem infra Concilium deprimere, ac confidenter aſſere-
„ re hanc eſſe Eccleſiæ Gallicanæ certam, & indubitatam doctrinam.
„ Verùm in hoc produnt craſſam rerum Gallicanarum ignorantiam, dū
„ ſuam, & paucorum labem omnibus Galliæ Theologis affricare nitun-
„ tur; Teſtatur id mecum celebris Scholæ Sorbonicæ Doctor Andreas
„ Duvallius, agens de ea ſententia, quæ aſſerit Pontificem eſſe ſupra
„ Concilium Generale Tractatu de Romani Pontificis poteſtate par. 4.
„ quæſt. 7. Totus, (inquit) Orbis, exceptis pauculis Doctoribus eam
„ ſententiam amplectitur, & rationibus validiſſimis, cùm ex Scriptura,
„ Concilijs, & Patribus, tum ex principijs Theologiæ petitis confirma-
„ tur. Atque idem Doctor luculenter oſtendit in Antiloquio §. quo pa-
„ cto, Conciliū Baſileenſe in hoc puncto Pontificiæ authoritati inimi-
„ cum, ab vniuerſa Eccleſia exploſum ſemper, reiectumq; fuiſſe, nec aliā
„ in hoc eſſe fidem Galliæ, quàm vniuerſalis Eccleſiæ.

Itaque Eccleſia Gallicana conſtans ſemper fuit in defendenda authoritate Romani Pontificis infallibili, & eius excellentia ſupra Concilia: in quo ſecuta eſt prima illa luminaria Eccleſiæ Gallicanæ S. Irenæum, S. Proſperum Aquitanicum, & S. Bernardum, quorum verba recitabimus diſp. 7.

10. Apertè etiam pro hac Romani Pontificis infallibilitate ſuffragium tulit Senatus Regius tempore Ludouici XI. Sic enim Illuſtriſſimus Senatus Ludouicum XI. per Ioannem Loſellier Inquiſitionum Cameræ Pręſidem, cuius oratio refertur à Petro Puteano inter tractatus de libertatibus Eccleſiæ Gallicanæ ita Regem alloquitur art. 20. Proteſta-
„ tur Curia Veſtræ Maieſtati, ſe nullo modo propter quæcumque in-
„ feriùs dicenda velle excellenti Sanctitati, dignitati, honori, & au-
„ thoritati noſtri Sancti Patris Papæ, Sanctæque Sedis Apoſtolicæ de-
„ rogare; ſed contra ei omnem honorem, reuerentiam, & obedien-
„ tiam, quam omnes boni fideles Catholici ſupremo Eccleſiæ Paſtori
„ præſtare tenentur, ſicut veros filios Eccleſiæ Matri ſanctiſſimæ red-
„ dere, & exhibere; proteſtans inſuper, ſi quid dictum factumque à ſe
„ fuerit, quod correctione egeat, illud totum velle ſe omnino Eccle-
„ ſiæ Sanctæ Apoſtolicę, & Romanę determinationi ſubijcere, quę er-
„ rare non poteſt, iuxta Canonem A recta 24. q. 1.

SE-

SECTIO V.

Afferuntur etiam nonnulla nationum aliarum Concilia ad probandam eandem infallibilitatem.

1. Afferamus ſolùm aliqua, quæ ad manus ſunt, nam plurimorum Conciliorum Prouincialium acta non extant: eorum verò omnium, quæ extant, acta peruoluere, operis immenſi foret.

2. Exploratū eſt, Concilia Prouincialia, vel nationalia in Italia celebrata, agnouiſſe ſupremam in omnia Concilia authoritatē in Romano Pontifice, & conſequenter infallibilem ad definiendas quæſtiones fidei, & morum, & quamuis paucis illis Doctoribus Gallis negantibus hanc veritatem, ſuſpecta ſint hęc Concilia, vtpote celebrata plerumque coram Romano Pontifice, cuius intererat, vt hæc veritas ſtabiliretur; tamen apud æquos rerum æſtimatores, magnum momentum habent eiuſmodi Concilia. Ex omnibus vnum eligo teſtimonium ex Concilio Romano 21. celebrato anno 483. ſub Felice Tertio Pontifice Romano contra Acacium Conſtantinopolis, & Petrum Fullonem Antiochiæ Epiſcopos, in quo Concilio ſederunt ſeptuaginta ſeptem Epiſcopi.

3. Nam in Epiſtola Synodica huius Concilij ad Clericos, & Monachos Orientales, quam habes apud Labbe t. 4. Conciliorum col. 1126. hæc habentur: *Quotiens intra Italiam propter Eccleſiaſticas cauſas, præcipue fidei, colliguntur domini ſacerdotes, conſuetudo retinetur, vt ſucceſſor præſulum ſedis Apoſtolicæ ex perſona cunctorum totius Italiæ Sacerdotum, iuxta ſolicitudinem ſibi Eccleſiarum omnibus competentem cuncta cōſtituat, qui caput eſt omnium; domino ad Beatum Petrum Apoſtolum dicente: Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduerſus eam. Quam vocem ſequentes trecenti decem, & octo ſancti patres apud Nicæam congregati, confirmationem rerum atque authoritatem Sanctæ Romanæ Eccleſiæ detulerunt: quam vtramque vſq; ad ætatem noſtram ſucceſſiones omnes, Chriſti gratia præſtante, cuſtodiunt. Quod ergo placuit ſanctæ Synodo apud Beatum Petrum Apoſtolum* (ſicut diximus) *per Tutum Eccleſiæ defenſorem, & beatiſſimus vir Felix, caput noſtrum, Papa, & Archiepiſcopus iudicauit, in ſubditis continetur.*

4. Hinc addo aliud teſtimonium deſumptum ex Concilio Aquileienſi celebrato ſub S. Damaſo ann. 382. cui interfuit S. Ambroſius Epiſcopus Mediolanenſis, & ſecundo loco ſubſcribit; nam primo loco ſubſcripſit Valerianus Epiſcopus Aquileienſis. Huius Concilij Patres in Epiſtola Synodica ad Gratianum Imperatorem, ſcribunt: *Totius Orbis Romani caput Eccleſiam Romanam eſſe. Vnde in omnes venerandæ commonitio-*

nitionis iura dimanant. Nam rogant in ea Epiſtola Imperatorem, ne aures præbeat Vrſicino, qui Romanam ſedem repetere moliebatur, & ad alias rationes hanc adiungunt. *Quòd etiam ſi deforet, tamen totius orbis Romani caput Romanam Eccleſiam, atque illam ſacroſanctam Fidem Apoſtolorum ne turbari ſineret, obſecranda fuit Clementia Veſtra. Inde enim in omnes venerandæ commonitionis iura dimanant.* Habes hanc Epiſtolam apud Labbè t. 2. col. 999.

5. In Concilio etiam Romano ſub Nicolao I. Papa, vt videre eſt apud Sirmondum tom. 3. de Concilijs antiquis Galliæ decretum quintum ſic habet: *Si quis dogmata, mandata, interdicta, ſanctiones, vel decreta pro Catholica Fide, pro Eccleſiaſtica diſciplina, pro correctione Fidelium, pro emendatione ſceleratorum, vel interdictione imminentium, vel futurorum malorum à Sedis Apoſtolicæ Præſide ſalubriter promulgata contempſerit, anathema ſit.*

6. Quòd Hiſpania à primis ſæculis Eccleſiæ agnouerit in Romano Pontifice priuilegium infallibilitatis, vi cuius vt orthodoxæ fidei oraculum, ad quod in dubijs fidei recurrere debeant totius orbis Epiſcopi, declararunt Epiſc. Tarracon. cũ ſuo Metropolitano in Epiſt. quã è Synodo Tarraconenſi ſcripſerunt ad Hilariũ Papam, quæ lecta eſt in Conc. Romano an. 465. *Etſi nulla neceſſitas Eccleſiaſticæ diſciplinæ expetendũ re vera nobis fuerat illud priuilegiũ Sedis veſtræ, quo ſuſceptis Regni clauibus poſt Reſurrectionẽ Saluatoris per totum Orbem beatiſſimi Petri ſingularis prædicatio vniuerſorum illuminationi proſpexit: cuius Vicarij Principatus, ſicut eminet, ita metuendus eſt ab omnibus, & amandus. Proinde nos Deum in vobis penitus adorantes, cui ſine querela ſeruitis, ad fidem recurrimus, Apoſtolico ore laudatam, inde reſponſa quærentes, vnde nihil errore, nihil præſumptione, ſed Pontificali totum deliberatione præcipitur* Quecuntur poſtea de Sylvano Epiſcopo Calagurij, eiuſdem Prouinciæ, quod multa patraſſet *poſtponens Patrum regulas, & Romani Pontificis inſtituta, denique contra vetuſtatem Canonum, contra Synodi conſtituta.* (Has enim veras Eccleſiæ libertates ſartas tectas ſeruari cupiebant) concludunt in hunc modũ; *Proinde quia his præſumptionibus, quæ vnitatem diuidunt, quæ ſchiſma faciunt, velociter debet occurri: quæſumus Sedem veſtram, vt quid ſuper hac parte obſeruare velitis, Apoſtolicis affatibus inſtruamur: quatenus fraternitate collecta, prolatis in medium venerandæ Synodi conſtitutis, contra rebellionis ſpiritum veſtra authoritate ſubnixi, quid oporteat de Ordinatore & ordinato fieri intelligere, Deo adiuuante, poſſimus. Erit profectò veſter triumphus ſi Apoſtolatus veſtri temporibus, quod Sancti Petri Cathedra obtinet, Catholica audita Eccleſia, ſi nouella zizaniorum fuerint extirpata.*

7. Epiſcopi etiam Prouinciæ Bæticæ, & Toletanæ circa ann. 237. Sedis Apoſtolicæ definitionem requiſiuerunt ſuper illo articulo, an eſſet licita de vna Sede ad alteram translatio. Quibus reſpondit Anterus Papa; *De mutatione Epiſcoporum, vnde ſanctam Sedem conſulere voluiſtis,*

ſtis , ſcitote illam communi vtilitate , aut neceſsitate fieri licere , ſed non libitu cuiuſquam,aut dominatione . Et quamuis, vt inquit P.Philippus Labbè tom.1.Conciliorum column.*629* in notis ad hanc epiſtolam, illam ſuſpecta videatur viris doctis, vel ex vnius Hieronymi ſegmentis confecta, ſufficit nobis Hieronymum teſtari, Epiſcopos Hiſpaniæ definitionem huius controuerſiæ requiſiuiſſe à Sede Apoſtolica .

8. Hæc ex multis attuliſſe ſufficiat . Vnum teſtimonium,addo quod habetur ex Synodo Petricouienſi in Polonia , tum quia Synodus illa compoſita fuit à ſapientiſſimo Card.Hoſio , qui Conc.Trident.interfuit; imò Pontificius Legatus in illo fuit , tum etiam quia huiuſmodi Synodus celebrata fuit præcedenti ſęculo , in quo ab hæreticis maximè impugnata fuit ſuprema poteſtas Romani Pontificis in totam Eccleſiam , & infallibilitas in definitionibus Fidei . Dicta Synodus Petricouienſis loquens cap.18. de Romano Pontifice ſic dicit . *Habet ille florentiſsimum Clerum , de cuius conſilio ſi quid grauioribus de rebus,præſertim fidei cauſis decernit , labi & errare non poteſt .* Senſit ergo Synodus illa iudicium Papæ eſſe irreformabile , & infallibile , quoties determinat fidei quæſtionem inter Catholicos aliquo modo controuerſam, & vnam partem credendam proponit,atque hoc quaſi antidoto potentiſſimo alumnos ſuos contra vndequaque circumſtantes finitimarum Prouinciarum errores munire cenſuit .

DI-

DISPVTATIO V.

Aliud Caput probandi infallibilitatem Romani Pontificis, ex perpetua praxi Eccleſiæ, in qua pleræque hęreſes extra Concilia generalia damnatæ ſunt.

SECTIO I.

Proponitur praxis iſta Eccleſiæ, & inſigni teſtimonio Auguſtini confirmatur.

1. ERVDITVS Theologus, & Iuriſconſultus Nicolaus Dubois in Vniuerſitate Louanienſi Sacrarum litterarum primarius Profeſſor q. 14. in Acta Apoſtolorũ oſtendit, Romanos Pontifices à temporibus Apoſtolorum vſque ad Alexandrum Septimum, qui tum regebat Eccleſiam quando ipſe ſcribebat, grauiſſimas fidei, & morum quæſtiones decidiſſe, nullo habito Concilio, vel tantùm particulari aliqua paucorum Epiſcoporum Synodo: ad quod probandum diſcurrit per ſingula Eccleſiæ ſæcula. Idem eruditiſſimè præſtat Eminentiſſimus, & ſapientiſſimus Aguirre per plures Diſputationes, nimirum à 5. vſque ad 17. incluſiuè. Idque ipſum teſtantur Epiſcopi Galliæ in litteris gratulatorijs de condemnata hæreſi Ianſeniana datis ad Innocentium X. die 19. Iulij anno 1653. in quibus, cùm in hoc negotio illud obſeruatione dignum accidiſſe animaduertant, vt quemadmodum ad Epiſcoporum Africæ relationem Innocentius I. Pelagianam hæreſim olim damnauit, ſic ad Gallicanorum Epiſcoporum conſultationem, hæreſim ex aduerſo Pelagianę oppoſitam Innocentius X. authoritate ſua proſcripſerit: ſtatim ſequentia
„ ſubiungunt. Enimuerò vetuſtæ illius ætatis Eccleſia Catholica, ſola
„ Petri communione, & authoritate fulta, quæ in decretali epiſtola In-
„ nocentij ad Africanos data elucebat, quamque deinde Zoſimi altera
„ ad vniuerſos Orbis Epiſcopos epiſtola ſubſecuta eſt, Pelagianæ hære-
„ ſis damnationi abſque cunctatione ſubſcripſit. Perſpectum enim ha-

„ bebat, non ſolùm ex Chriſti Domini noſtri pollicitatione Petro facta,
„ ſed etiam ex actis priorum Pontificum, & ex anathematiſmis aduer-
„ ſus Apollinarium, & Macedonium, nondum àb vlla Synodo Oecume-
„ nica damnatos, à Damaſo paulò ante iactis, iudicia pro ſancienda
„ regula fidei à Summis Pontificibus lata ſuper Epiſcoporum conſulta-
„ tione (ſiue ſuam in actis relationis ſententiam ponant, ſiue omittant
„ prout illis collibuerit) Diuina æquè ac ſumma per vniuerſam Eccle-
„ ſiam authoritate niti: cui Chriſtiani omnes ex officio, ipſius quoque
„ mentis obſequium præſtare teneantur. Hucuſque illi, planè fatentes Decreta Pontificum in controuerſijs fidei, & morum facta extra Concilium Generale, imò nullâ Epiſcoporum ſententiâ, ſeu iudicio, habuiſſe priſcis temporibus ſummam, & infallibilem authoritatem in Eccleſia.

2. Præterea Bellarminus lib. 1. de Concilijs cap. 10. vt oſtendat Concilia generalia, quamuis vtiliſſima ſint, non tamen eſſe abſolutè neceſſaria ad damnandas hæreſes, & extinguenda ſchiſmata, hoc argumentum facit: Nam ſi ad extinguendas ſeptem hæreſes celebrata ſunt priora Concilia generalia, pluſquàm centum hæreſes extinctæ ſunt à ſola Apoſtolica Sede, cooperantibus Concilijs particularibus, & ſi vnum ſchiſma ſublatum eſt per generale Concilium Conſtantienſe, ſchiſmata ſupra 5. & 20. ſine Concilio generali ſublata ſunt. Sanè ante tempora Conſtantini Magni nullum Concilium generale in Eccleſia congregatum eſt, & tamen, vt ibidem obſeruat idem Cardinalis, ante tempora Conſtantini plurimæ hæreſes ſunt à Concilijs Epiſcoporum penitus extinctæ & ſublatæ, nimirum authoritate Romani Pontificis, qui, præeunte iudicio Epiſcoporum in Synodo particulari congregatorum, eas hæreſes damnauit.

3. Idque ex praxi perpetua Eccleſiæ comprobatur: vt enim inquit idem Bellarminus lib. 3. de verbi Dei interpretatione cap. 6. omnibus ſæculis in Eccleſia exorta ſunt noua dubia, velut in materia fidei & morum, an ſcilicet aliquod dogma ſit reuelatum à Deo, & aliquod iure naturali, vel Diuino prohibitum, & ſemper eodem modo terminata, nimirum iudicio Romani Pontificis, & Epiſcoporum, qui ipſi tunc aderant, & facilè congregari potuerant. Non ergo eſſentialiter requiritur Concilium generale ad decidendas fidei, & morum controuerſias. Et ſanè, vt diſp. 1. dixi, cum hæc dubia frequenter ſuboriri poſsint, & Concilia Generalia frequenter celebrari non poſsint, non bene Chriſtus conſuluiſſet Eccleſiæ, ſi ſuo Vicario non tradidiſſet authoritatem infallibilem ad declaranda illa dubia, præeunte maturo conſilio, & exacta conſultatione.

4. Talem fuiſſe antiquiſsimam Eccleſiæ praxim oſtendit Sozomenus lib. 6. hiſt. c. 22. vbi exponit controuerſiam ortam tempore S. Athanaſij inter Orientales circa ęqualitatem, & conſubſtantialitatem Spiritus Sancti, atq; his verbis concludit. *Quæ controuerſia cum contendendi ſtudio, vti cre-*

credibile eſt, in dies magis, magiſque creſceret, Epiſcopus Romanus de ea certior factus, ſcripſit ad Eccleſias Orientis literas, vt vnà cum Sacerdotibus, & Epiſcopis Occidentis Trinitatem, & conſubſtantialem eſſe, & gloriâ æqualem exiſtimarent: quo facto ſinguli rebus ab Eccleſia Romana ſemel iudicatis acquieuerunt, hacque controuerſia finem habere viſa eſt. Hucuſque Sozomenus.

5. Hoc pacto quoque, vt loquitur Auguſtinus lib. 2. retractationum cap. 50. *Pelagiana hæreſis cum ſuis Auctoribus ab Epiſcopis Eccleſiæ Romanæ, prius Innocentio, deinde Zoſimo cooperantibus Conciliorum Africanorum litteris conuicta, atque damnata eſt.* Hinc P. Valentia tom. 3. col. 252. meritò pronunciat, ab exordio Eccleſiæ controuerſias omnes de fide motas, ex cathedra Petri fuiſſe deciſas, & ſemper pro hæreticis fuiſſe habitos, qui repugnarent definitionibus Sedis Apoſtolicę. Et Bellarminus lib. 4. de Romano Pontifice cap. 3. teſtatur, Eccleſiam totam ſentire, Romanum Pontificem in decidendis fidei, & morum controuerſijs errare non poſſe: idque inde probat, quoniam plurimas hæreſes, ſine Concilio generali damnauit, vt Pelagij, Priſcilliani, Iouiniani, Vigilantij, aliorumque multorum, quas eo ipſo pro veris hæreſibus tota Chriſti Eccleſia habuit, & exhorruit, quod à Romano Pontifice damnatæ eſſent.

6. Vnde licèt in Eccleſia definitiones Conciliorum generalium nunquam robur, & infallibilitatem habuerint, ſine confirmatione Romani Pontificis, tamen iſtorum definitiones extra Concilium Generale editæ, ſine ipſius confirmatione robur ſemper habuerunt, vt teſtatur D. Auguſtinus lib. 4. contra duas epiſtolas Pelagianorum cap. 12. vbi Pelagianos Concilium Generale appellantes, vt de ipſorum doctrina legitimum ferretur iudicium, ſic impugnat: *An verò Congregatione Synodi opus erat, vt aperta pernicies damnaretur? quaſi nulla hæreſis aliquando, niſi Synodi congregatione damnata ſit, cùm potiùs rariſſimæ inueniantur, propter quas damnandas neceſſitas talis extiterit, multoque ſint, atque incomparabiliter plures, quæ ibi extiterunt, illic improbari, damnarique meruerunt, atque inde per cæteras terras deuitandæ innoteſcere potuerunt. Verùm iſtorum ſuperbia, quæ tantùm ſe extollit aduerſus Deum, vt non in illo velit, ſed potiùs in libero arbitrio gloriari, hanc etiam gloriam captare intelligitur, vt propter illos Orientis, & Occidentis Synodus congregetur: Orbem quippe Catholicum, quoniam Domino eis reſiſtente peruertere nequeunt, ſaltem commouere conantur: cùm potiùs vigilantia, & diligentia Paſtorali, poſt factum illis competens ſufficienſque iudicium, vbicunque apparuerint iſti Lupi, conterendi ſint, ſiue vt ſanentur atque mutentur, ſiue vt ab aliorum ſalute atque integritate vitentur, adiuuante Paſtore Paſtorum.* Hæc Auguſtinus.

7. Qui etiam ſermone 2. de verbis Apoſtoli perſpicuis verbis breuiter rem perſtrinxit: nam cùm miſſum eſſet in Africam Romani Pontifi-

cis Reſcriptum, in quo damnabatur hæreſis Pelagiana, cauſam omninò concluſam cenſuit. *A Sede Apoſtolica*, inquit, *reſcripta venerunt. Cauſa finita eſt; vtinam finiatur aliquando error.* Et lib. 2. operis imperfecti contra Iulianum: *Quid adhuc quæris examen, quod iam factum eſt apud Sedem Apoſtolicam? ergo Hæreſis non adhuc examinanda, ſed coërcenda poteſtatibus ſecularibus.* Hinc Sanctus Doctor poſt damnatam à Pontifice Romano Pelagij ſententiam, ipſum Pelagium eiuſque aſſeclas paſſim in ſuis libris *Hæreticos* appellat

8. Quid dicent Ianſeniſtæ, qui tanti faciunt authoritatem S. Auguſtini, vt illam anteponant Conſtitutionibus Romani Pontificis? Sanè ſi Auguſtinum Hipponenſem ſequi velint, neceſſe eſt, vt deſerant Auguſtinum Iprenſem, & hæreticas agnoſcant eſſe quinque eius propoſitiones, quas tanquam hæreticas damnatas ſciunt ab Innocentio X. manifeſtè enim repugnat S. Auguſtino, qui non vult, vt hæreticam, reſpuere doctrinam illam, quam Sedes Apoſtolica tanquam hæreticam confixit. Alia Auguſtini teſtimonia dabimus diſp. 7. ſect. 1. §. 14.

9. Doctrinam Auguſtini ſectatus eſt fidus eius diſcipulus S. Proſper, qui in libro contra Collatorem, & in Chronico pronuntiauit: *Tunc Pelagianorum machina fracta, quando beatæ memoriæ Innocentius nefarij erroris capita Apoſtolico mucrone percuſſit.* Ipſique Pelagiani hęretici hanc authoritatem in Romano Pontifice, vel inuiti agnoſcebant. Vt enim ſcribit Auguſtinus lib. 2. contra Pelag. & Celeſtium cap. 7. *Celeſtius B. Papæ Innocentij non eſt auſus litteris obſiſtere, imò ſe omnia quæ Eccleſia illa damnaret, damnaturum eſſe promiſit.* Hinc S. Thomas 2.2. q. 1. art. 2. meritò pronuntiauit: *Papa determinante iudicialiter, & definitiuè aliquid eſſe hæreticum, et ab Eccleſia pro hæreſi habendum, conſtat quòd omnes tenentur acceptare: et hæreticus cenſeretur, quicunque de cætero teneret oppoſitum pertinaciter.*

SECTIO II.

Recenſentur multæ hæreſes; & praua dogmata, quæ à primis ſeculis Eccleſiæ, vſque ad noſtra tempora ſine Concilio generali damnata ſunt.

1. SIc qui volebant Paſcha non niſi decimâ quartâ Lunâ, etiamſi Dominicus dies tunc non eſſet, celebrari debere, tandem obtinente ſententia atque definitione Romani Pontificis Victoris Primi anno 197. aut circiter latâ, hæretici ſunt habiti, vt patet ex Euſebio lib. 5. cap. 23.

Digitized by Google

cap.23. & 24. & à propria Secta nominati *Quartadecimani*, vt patet ex Epiphanio hæreſi 50.

2. Sic Cornelius Papa in Concilio Romano anno 252. vel vt ſcribunt alij 253. *Nouatianorum* damnauit errorem, vt patet ex Euſebio lib. 6.cap.33. Conſtat autem Concilium illud non fuiſſe generale, ſiquidem primum Concilium generale fuit Nicænum, quod congregatum fuit anno 325.

3. Damnauit etiam idem Cornelius (teſte Euſebio lib.7.cap.2.) atque etiam Stephanus Primus ad Pontificatum aſſumptus anno 257.errorem rebaptizantium hæreticos, teſte D. Auguſt.lib.5. de Baptiſmo contra Donatiſtas cap.23. Idque apparet etiam ex Cypriano in epiſtol. ad Pompeium, cuius Epiſtolæ mentionem ibi facit Auguſtinus.

4. Syricius Papa damnauit Romæ anno 390.hæreſim Iouiniani. Innocentius Primus anno 416. & Zoſimus eius immediatus Succeſſor, qui duos annos in Pontificatu non compleuit, damnarunt hæreſim Pelagij, vt patet, ex Auguſt.lib.2.retract. cap. 50.

5. Cæleſtinus Papa anno 430. damnauit errorem Neſtorij, quem licèt antea iam Cyrillus impugnaſſet, non tamen Neſtorium pro hæretico habuit, quouſque vidit eius ſententiam damnatam vt hereticam: poſtquam autem vidit damnatam, indubitanter habuit pro hæretico. Nec Cæleſtinus indixit Concilium generale Epheſinum, quia id iudicauerit neceſſarium, vt Neſtorij ſententia pro hæretica ab omnibus haberetur; ſed vt fautoribus Neſtorij, qui multi, & præpotentes erant, omnis calumniandi, & tergiuerſandi occaſio tolleretur, & ipſi Neſtorio occaſio daretur reſipiſcendi, & deſerendi ſententiam, quam ab vniuerſa Eccleſia videbat reprobatum.

6. Hæreſim Monothelitarum damnauit Seuerinus Papa anno 639 vt habetur in Synodo Lateranenſi ſub Martino Papa. Leo Nonus anno 1050. in Concilio Vercellenſi, & Nicolaus II. anno 1059. in Concilio Romano, quæ generalia non fuerunt, damnarunt hæreſim Berengarij.

7. Innocentius II.ad Pontificatum euectus anno 1130. damnauit errorem Petri Abailardi anno 1137. ſecundum Othonem Friſingenſem, cuius damnationis ipſe Innocentius mentionem facit in Epiſtola ad Bernardum, quæ inter alia hæc dicit. *Communicato Fratrum noſtrorum Epiſcoporum, & Cardinalium Conſilio, deſtinata à nobis à veſtra diſcretione, capitula, & vniuerſa ipſius Petri peruerſa dogmata, ſanctorum Canonum authoritate cum ſuo Authore damnauimus, eique tanquam hæretico perpetuum ſilentium impoſuimus.*

8. Eugenius Tertius anno 1148. in Concilio Rhemenſi damnauit errores Gilberti Porretani Pictauienſis Epiſcopi, vt teſtatur S. Bernardus ſerm.80. in Cant.circa finem. Clemens V. ad Pontificatum euectus anno 1319.in Clementina ad *Noſtrum* de hæreticis,damnauit Begardorum, ac Beguinarum errores. Sixtus IV. (qui ad Pontificatum euectus

eſt

eſt ann. 1471.) in Extrauaganti contra Petrum de Oſma damnauit aliquas eius propoſitiones.

9. Pius V: anno 1567. Gregorius XIII. anno 1579. & Vrbanus VIII. anno 1644. 79. propoſitiones Michaelis Baij in rigore & proprio verborum ſenſu ab aſſertoribus intento tanquam *hæreticas, erroneas, ſuſpectas, temerarias, ſcandaloſas, & in pias aures offenſionem immittentes reſpectiuè* damnarunt.

10. Innocentius X. anno 1653. damnauit tanquam hæreticas quinque propoſitiones Ianſenij. Alexander autem VII. ann. 1656. poſtquam iterum eaſdem propoſitiones damnauit, inſuper diſertè definiuit, eaſdem quinq; propoſitiones ex libro Ianſenij excerptas, in ſenſu ab eodem Cornelio Ianſenio intento damnatas fuiſſe. Idem Alexander VII. ann. 1665. & anno 1666. qninque ſupra quadraginta propoſitiones *vt minimum tanquam ſcandaloſas* damnauit atque prohibuit, viginti octo in priori decreto, ſeptemdecim in alio.

11. Denique Dominus noſter Innocentius Vndecimus, qui modo feliciter gubernat Eccleſiam, anno 1679. ſexaginta quinque alias propoſitiones, & vnamquaque illarum, vt minimum tanquam *ſcandaloſas & in praxi pernicioſas* damnauit atque prohibuit.

12. Et anno 1687. praua dogmata Sectæ *Quietiſtarum*, vt vocant, damnauit die 28. Auguſti in Generali Inquiſitione Romana, & in Proœmio ſui Decreti ſequentia verba præmittit. *Cùm compertum fuerit, quendam Michaelem de Molinos perditionis Filium, praua dogmata tum verbo, tum ſcriptis paſſim docuiſſe, & in praxim deduxiſſe, quæ prætextu Orationis Quietis, contra doctrinam & vſum, à Sanctis Patribus, ab ipſis Eccleſiæ naſcentis primordijs receptum, fideles à vera Religione, & à Chriſtianæ pietatis puritate, in maximos errores, & turpiſsima quæque inducebant: Sanctiſsimus Dominus noſter Innocentius Papa XI. &c.* Et ſubinde catalogum contexit prauorum dogmatum, ſeu errorum huius Sectæ, & enumerat ſexaginta octo propoſitiones, quibus enumeratis ſubiungit: *Quas quidem Propoſitiones tanquam hæreticas, ſuſpectas, erroneas, ſcandaloſas, blaſphemas, piarum uurium offenſiuas, temerarias, Chriſtianæ diſciplinæ relaxatiuas, & euerſivas, & ſeditioſas reſpectiuè, ac quæcumque ſuper ijs verbo, ſcripto, vel typis emiſſa damnat, circumſcribit, & abolet, &c.*

13. Et ratio huius praxis eſt manifeſta; quia cùm Chriſtus conſtituerit Romanum Pontificem Summum Paſtorem ſui ouilis, vt oues ſuas paſceret veritate, & virtute, debuit prouidere, ne pro veritate ſeminaretur in Eccleſia error, & pro virtute vitium; ac proinde Summo huic Paſtori infallibiliter aſſiſtere, vt ouibus certò deſignare poſſet paſcua ſalutaria veritatis & virturis, vt ea ſectarentur, & paſcua venenoſa erroris & vitij, vt ab illis fugerent. Quia cùm ſumma ſit ingeniorum luxuriantium licentia, inimicus homo, id eſt Diabolus non dormiat,

ſed

ſed continuò ſatagat inter grana veritatum, & virtutum in agro Domini ſuperſeminare zizania errorum & vitiorum, ſub ſpecie veritatis & virtutis; periculum erat, ne homines ſeducerentur amplectentes pro veritate errorem, & pro virtute vitia, incidentes in illud horrendum væ, quod Iſaias minatur *ÿs, qui dicunt malum bonum, & bonum malum, ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras, ponentes amarum in dulce, et dulce in amarum*: & ne ingrederentur illam infelicem viam de qua Proverb. 16. 25. dicitur: *Eſt via, quæ videtur homini recta, & nouiſſima eius ducunt ad mortem*. Periculum: inquam, erat huius mali, niſi Chriſtus reliquiſſet in Romano Pontifice authoritatem infallibilem ad decidendas fidei, & morum controuerſias, ad determinandum quænam ſit ſana doctrina, quænam periculoſa, quænam vtilis, quænam nociua, quænam relaxatiua Chriſtianæ diſciplinæ, quænam ſecura: nam cùm pericula ſint frequentia, & Concilia generalia non niſi rarò poſſint congregari, non ſufficienter Chriſtus prouidiſſet Eccleſiæ, niſi hanc authoritatem infallibilem ſuo Vicario communicaſſet, quod diſp. 1. fuſius explicatum eſt.

SECTIO III.

Adeò conſtans eſt, ad Romanum Pontificem primariò pertinere cum infallibilitate controuerſias fidei decidere, vt nullam, vel ferè nullam Concilia generalia hæreſim damnauerint, quin prius eam damnauiſſet Sedes Romana.

1. ID longa inductione probat recentiſſimus Conciliorum compilator, eruditiſſimus M. L. Bail, Doctor Theologus, ac Pœnitentiarius Pariſienſis in Summa Conciliorum tom. 1. pag. 722. Sic, inquit, „ ante Concilium Conſtantinopolitanum ſecundum, Damaſus Papa „ collecta Romæ Synodo, Macedonium, Apollinarem, Photium, Sa-„ bellium, & Eunomium condemnauit, vt patet ex epiſtola eius ad „ Paulinum Theſſalonicenſem Epiſcopum. Athanaſius quoque Alexan-„ drinus Patriarcha cum Euſebio Vercellenſi, collecta Alexandriæ Sy-„ nodo, Macedonij hæreſim longè ante Concilium illud generale „ damnauit. Sic Cæleſtinus Papa ante Concilium generale Epheſinum „ cœptum, damnauit Neſtorium, & litteris ad Cyrillum ſcriptis decem „ dies ad deliberandum Neſtorio præſcripſit, infra quos niſi ſententiam

„ mutaret, Excommunicationi, & degradationi ſubiaceret. Quam
„ ſententiam ſecutus Cyrillus, neceſſariò ſe compulſum illa Romani
„ Pontificis epiſtola ſcribit. Contra Eutychetem ante cœptum Conci-
„ lium Chalcedonenſe, iam pronunciauerat Leo Papa, ſcripta eruditiſſi-
„ ma epiſtola contra illud dogma hæreticum, atque ad Concilium miſ-
„ ſa, quam ita ſecuti ſunt illius Concilij Patres, vt nè latum vnguem
„ ab illa diſcederent. Similiter Petrum Antiochenum prius Simpli-
„ cius damnauerat. Sic hæreticos Monothelitas, Cyrum Alexandri-
„ num, Sergium, Pyrrhum, & Paulum Conſtantinopolitanos Epiſco-
„ pos, Theodorus, & Martinus I. Romani Pontifices collectâ Synodo
„ Prouinciali ante celebratam aut celebrari cœptam Synodum ſextam
„ generalem (*in* qua hæc hæreſis totius Eccleſiæ iudicio damnata fuit)
„ publico decreto damnauerant. Ad ipſam quoque Synodum litteras ſcripſit Agatho Papa, quibus hanc hęreſim ſuo iudicio, & præiudicio iugulauit: Agathonis enim relationem (ait Imperator Conſtantinus IV.) tanquam ipſius diuini Petri vocem ſupermirati ſumus: nemo enim diſcrepauit niſi vnus. Sic ante Nicęnam ſecundam Generalem ſeptimam contra Iconomachos collectam, litteras præmiſit Adrianus Pontifex ad Taraſium Patriarcham Conſtantinopolitanum, quibus prius damnauit illam hæreſim. Sic poſtremò Photium Nicolaus Primus prius damnauerat, quàm in Concilio generali octaua Conſtantinopolit. 4. condemnaretur ſub Imperatore Baſilio. Denique contra nullos hæreticos vnquam in Concilio maximè Generali (quod poſtremum eſt remedium ad hæreſes reprimendas) certatum fuit, quin prius multis, & maximis pręiudicijs Epiſcopi orbis Chriſtiani, maximè Sedes Apoſtolica Romana illos pro damnatis habuerint.

2. Imò ſi rectè aduertimus, in primo illo Concilio Hieroſolymitano ab ipſis Apoſtolis celebrato, nonne contra Iudaizantes Chriſtianos, & legalium obſeruationem baptizatis gentibus imponere volentes, iam diu ante manifeſta praxis in contrarium, maximè Petri, & Pauli præiudicabat? Nam & antea Petrus Cornelium cum tota ſua domo baptizauerat, nullo tali iugo impoſito, & Paulus per multas gentes tranſiens, & prædicans ſimiliter fecerat; & denique diſertè Apoſtoli in Epiſtola Synodali ad Gentes miſſa profitentur, ſine vllo mandato nouos illos prædicatores, & perturbatores pacis Eccleſię, ſuum nouum dogma ſparſiſſe. *Audiuimus*, inquiunt, *quia quidam à nobis exeuntes turbauerunt vos verbis, quibus non mandauimus*. Poſtremò Petrus, cùm iam fieret magna conquiſitio, & antequam ad aliquid concludendum veniretur, ſuam ſententiam præmittens, tantum cauſæ præiudicium attulit, vt *tacente multitudine*, Apoſtolorum videlicet, & Seniorum aliquorum, (nam illi ſoli conuenerant) *in ſententiam Petri*, ait Hieronymus, *Iacobus primum*, *moxque alij Presbyteri omnes tranſirent*. Quod exemplum ſecuta Poſteritas, in Sedis Apoſtolicæ Romanæ (in qua Petri ſucceſſor ſedet) præiu-

dicatã ſententiam contra omnes hæreſes, in omnibus Concilij vnanimi conſenſu tranſiuit, vt modò in ſingulis oſtendimus, ſolo primo Nicæno excepto, cuius Acta ad noſtras manus non venerunt. Hactenus laudatus Author.

SECTIO IV.

Roboratur eadem veritas ex eo, quòd licèt ſæpe Romani Pontifices reformauerint definitiones fidei factas à Concilijs Prouincialibus vel Generalibus: nullum vnquam Concilium generale reformauerit definitionem Romani Pontificis in materia fidei, declarando ſcilicet eſſe falſum id, quod ille è cathedra fidelibus propoſuerat tanquam Catholicum dogma.

1. QVod primum ſæpè contigerit, patet multis exemplis. Et primò conſtat ex definitione edita à Concilio Iconienſi contra Cataphrygas celebrato anno 258. quam falſam, & erroneam fuiſſe declarauit poſtea Sanctus Stephanus Papa I. qui anno 257. ſub Valeriano, & Gallieno, martyrio coronatus eſt. Rem narrat Bail in Summa Conciliorum tom. 2. pag. 11. ijs verbis: Iconij in Phrygia
„ hoc Concilium habitum eſt anno 258. occaſione Cataphrygarum
„ hæreticorum, vt de ipſorum, omniumque aliorum hæreticorum
„ Baptiſmatis valore quid ſtatuendum eſſet, inquirerent. Teſtatur
„ enim Euſebius lib. 7. cap. 6. in Iconio & alijs locis tractatum fuiſſe
„ de rebaptizandis hæreticis, priuſquam in Africa ea de re ageretur.
„ Porro ex Cappadocia, Cilicia, Galatia, alijſque proximis Orientalibus regionibus Epiſcopi ad hanc Synodum acceſſerunt: à quibus
„ omnibus conſtitutum ac decretum eſt, nihil eorum quæ ab hæreticis
„ facta ſunt, ab Eccleſia Catholica recipiendum eſſe; ordinationes,
„ Baptiſmum, manuum impoſitiones, aliudue ſacrum quoduis ab hæreticis adminiſtratum, inualidum eſſe. Stephanus Pontifex Romanus Epiſcopos Orientales hæc conſtituentes excommunicat, & Apoſtolicæ Sedis communione priuat; ipſam verò Synodum erraticam
„ contra Apoſtolorum traditionem errorum dogma confirmantem, reprobat. Orientales ad Pontificem ſuos quidem legatos, qui de re-

Digitized by Google

„ bus in Synodo geſtis coram Pontifice rationem redderent, ablega-
„ runt: Verùm Romam venientes, à Stephano Pontifice neq̀ue recepti,
„ neque auditi fuerunt. Ob quam cauſam Firmilianus Cæſareæ Cap-
„ padociæ Epiſcopus ad Cyprianum eam, quam Acta huius Concilij
„ enarrant, Epiſtolam ſcripſit, & de Legatis non auditis valde conque-
„ ritur. Baronius anno prædicto num, 14. 15. & 16.

2. Patet ſecundò exemplo Concilij Ariminenſis, ad quod conuenerunt quadringenti Epiſcopi anno 503. ſub Conſtantino Imperatore, in quo ablata eſt è Symbolo vox *conſubſtantialitatis*, qua ſignificatur Filium eſſe æqualem Patri, & eiuſdem cum Patre ſubſtantiæ & naturæ, ac proinde ſtatutus eſt error contrarius fidei, vt patebit legenti Auguſtinum lib. 3. contra Maximum cap. 14. Hieronymum contra Luciferianos, Ambroſium epiſt. 32. Ruffinum lib. 10. cap. 11. Socratem lib. 2. cap. 29. Baſilium epiſt. 52. ad Athanaſium.

3. Patet tertiò exemplo Concilij Epheſini Secundi congregati anno 449. tempore Theodoſij Iunioris, in quo factione Dioſcori occiſus eſt S. Flauianus Epiſcopus Conſtantinopolitanus, & Legati Pontificis Romani fugati, ac demum hæreſis Eutychiana confirmata: quam Synodum reprobauit poſtea S. Leo Papa in epiſtolis ad Clerum & populum Conſtantinopolitanum, item ad Theodoſium, item ad Pulcheriam, quæ ſunt 22. 23. 24. & 25. inter Epiſtolas S. Leonis.

4. Quartò, exemplo Concilij Conſtantinopolitani ſub Leone Iſaurico anno 730. in quo definitum eſt eſſe illicitum imaginum cultum. Quintò, exemplo Concilij Conſtantinopolitani ſub Conſtantino Copronymo, ad quod anno 755. conuenerunt 318. Epiſcopi; in quo definitum eſt, abolendum eſſe Chriſti & Sanctorum imagines; qui eſt error damnatus poſtea in ſeptima Synodo generali, ſeu in Concilio Generali Nicæno Secundo anno 787. ſecundùm Philippum Labbè ſub Adriano Primo.

5. Mitto alia exempla, quia hæc ſufficiunt ad probandum, ſæpè Pontifices Romanos reformaſſe iudicium & definitionem Concilij generalis in materia fidei, declarando & definiendo oppoſitum eius, quod Concilia etiam generalia quoad maiorem partem vel etiam maximam Patrum, tanquam dogma certiſſimum ſtatuerant. E contra hucuſque in Eccleſia Chriſti non accidit, vt Romanus Pontifex è cathedra docens totam Eccleſiam, illi propoſuerit credendam aliquam falſitatem tanquam dogma fidei, intendens obligare omnes ad tenendum tanquam veritatem infallibilem dogma aliquod falſum, vt coſtabit diſputatione vltima ex ſolutione argumentorum.

SE-

SECTIO V.

Confirmatur praxis illa Eccleſiæ ex eo, quod ex traditionè Apoſtolica mos olim fuit, vt Romanus Pontifex ſtatim atque fuerat creatus, ad confirmandos in fide fratres, fidem ſuam tanquam regulam, normamque certiſſimam eis mitteret & viciſſim Patriarchæ recenter electi mitterent ad ipſum.

1. ID fuiſſe olim in more teſtatur Sanctus Gelaſius Papa ad Summum Pontificatum euectus anno 492. in epiſtola ad Laurentium de Lignido Epiſcopum. *Quia nos* (inquit) *admones dilectione fraterna, vt velut medicinam quandam fidei, Epiſcopis per Illyricum, vel alijs miniſtrare debeamus, quamquam hoc copioſiſſimè factum ſit à beatæ recordationis Prædeceſſore noſtro, & quia mos eſt Romanæ Eccleſiæ Sacerdoti nouiter conſtituto, formam fidei ſuæ ad ſanctas Eccleſias prorogare, hæc eadem compendioſa nimis breuitate ſtudui renouare, vt ſub qua fide viuendum ſit, ſecundùm ſtatuta patrum in hac noſtra epiſtola per breuitatem, ſine faſtidio Lector agnoſcat.* Viciſſimque etiam, qui erant creati nouiter Patriarchæ vel Epiſcopi, Synodicam epiſtolam ſtatim ad Romanum Pontificem mittebant, tum vt rationem eius fidei quam profitebantur redderent, tum vt ab eo, quid ſuper hoc tenere deberent, edocerentur: in hoc Beati Pauli imitatores facti, qui vt ipſemet teſtatur ad Galat. 1. aſcendit Hieroſolymam, vt videret Petrum, *Dignum quippe erat* (inquit Sanctus Ambroſius in cap. 1. epiſt. ad Galatas) *vt cuperet Paulus videre Petrum, quia primus erat inter Apoſtolos, cui delegauerat Saluator curam Eccleſiarum.* Vel vt Theodoretus in epiſtola ad Leonem: *Paulus* (inquit) *præco veritatis, & tuba Sancti Spiritus ad magnum Petrum accurrit, vt ijs, qui Antiochiæ de legalibus inſtitutis contendebant, ab ipſo* (nota) *afferret ſolutionem*. Ita Sophronius Patriarcha Hieroſolymitanus ad Honorium, vt teſtatur Photius in ſua Biblioth. apud Baron. ad annum 633. num. 10. Synodicam mittens, poſtquam de conſuetudine prædicta his verbis locutus fuiſſet. *Apoſtolica* (inquit) *& vetus traditio inualuit, vt qui ad Hierarchiam eliguntur, ad eos qui in Hierarchijs capeſſendis, & adminiſtrandis maiores ſunt, omninò*

ſincerè

ſincerè referant quid ſentiant, & qua fide ſint, quam quidem traditionem ſapientiſſimus Paulus illis tradidit, ideſt, valde cautè ne in vacuum currerent, vanus enim eſſet eorum curſus omnis, ſi quid detrimenti acciperet fides. Hæc addit: *Huic nos conſuetudini ſeruientes, ad vos qualis ſit fides noſtra ſcribimus, vt probetur, ne terminos æternos, quos poſuerunt patres noſtri tranſire videamur, ſcribimus, inquam, ad vos, qui non ſolum noſtis diſcernere, legitima dogmata ab adulterinis, ſed etiam ſupplere, quæ deſunt, poteſtis*. Quod & clariùs poſteà eiuſdem Sophronij Legatus, nomine Stephanus, in Concilio Romano ſub Martino I. Summo Pontifice, his verbis in ſecunda collatione, teſtatus eſt, apud Baron. ad annum 633. num. 37. *Hoc poteſtatiuè* (inquit) *olim, & ab antiquitus facere per Apoſtolicam, ſiue Canonicam conſueuit authoritatem, dum aperta lucubratione, non ſolùm claues regni cælorum creditæ ſunt ei, ſed etiam & paſcere primus iuſſus eſt oues totius Eccleſiæ Catholicæ, cùm Dominus dicit: Petre, amas me, paſce oues meas. Sic etiam ipſe præcipuè, ac ſpecialiter firmam præ omnibus habens in Dominum Deum noſtrum, & immutabilem fidem conuertere aliquando, & confirmare* (nota) *exagitatos conſortes ſuos, & ſpirituales meruit fratres, vtpotè diſpenſatiuè ſuper omnes ab ipſo, qui propter nos incarnatus eſt Deus, poteſtatem accipiens, & ſacerdotalem authoritatem.* Et infra, Sophronium ſecum loquentem introducens, *Quantocyus ergo* (inquit, ibidem numer. 39.) *de finibus terræ ad terminos eius deambula, donec ad Apoſtolicam ſedem, vbi Orthodoxorum dogmatum fundamenta exiſtunt, peruenias, &c.* Ita Nicephorus Patriarcha Conſtantinopolitanus in Synodica ad Leonem III. Summum Pontificem miſſa, poſt expoſitam plenè, & copioſè fidei ſuæ confeſſionem, optans, vt Pontifex fide ſua tanquam regula fixa, & certa norma fidem ipſius firmaret, petit ab eo vt mittat, *ſermones firmantes & dantes intellectum*, (vt inquit) *veſtris doctrinis, & exhortationibus firmati, ſtemus in hac fide ſolidi & integri, omnia quæ in ea ſunt myſteria ab initio tradita, inuiolata conſeruantes*. Ita & Proterius Patriarcha Alexandrinus ad Leonem primum de fide ſua per Synodicam retulit, petijtque, vt in ea firmaretur, ſicut conſtat ex eiuſdem S. Leonis epiſt. ad Iulianum ſcripta, vbi hæc inter alia: *Fratrem Proterium* (inquit) *Alexandrinæ vrbis Epiſcopum gratulor ſatisfactionis plenas de fide ſua ad me litteras direxiſſe, & manifeſtè quidnam credat indicaſſe, cui me dignam gratiam pro fidei ipſius ſinceritate neceſſe eſt præſtare, vt honorem in nullo ſuæ perdat excellentiæ, ſed Sedis ſuæ priuilegia, paternæ antiquitatis exemplo illibata poſſideat*. Hinc Sanctus Cyrillus Patriarcha Alexandrinus, cùm Neſtorianam hæreſim per Orientem latè ſerpentem conſpiceret, de ea ad Cæleſtinum Pontificem in hoc verba referendum iudicauit. *Quandoquidem* (inquit) *Deus à nobis in huiuſmodi cauſa vigilantiam noſtram poſtulat; & longa Eccleſiarum conſuetudo ſuadet cum ſanctitate tua communicare,*

neceſſe

Digitized by Google

neceſſe eſt mihi ſcribere &c. Hinc eruditiſſimus author Ioannes Lelau in ſuo tractatu de Summi Pontificis authoritate lib. 2. non alia de cauſa factum adſtruit; quod Romanus Pontifex in Oriente olim Vicarium haberet Archiepiſcopum Theſſalonicenſem, qui eius nomine Prouincias viſitaret longinquas, aliaque expediret negotia, prout ratio, aut neceſſitas poſtulaſſet, id enim conſtat ex eiuſdem S. *Leonis* epiſtola ad Anaſtaſium.

DI-

Digitized by Google

DISPVTATIO VI.

Nouum Caput probandi infallibilitatem Romani Pontificis authoritate Sanctiſſimorum Pontificum, qui hanc infallibilitatem acerrimè aſſeruerunt, & propugnarunt, quin illis obijci poſſint, ambitiosè cauſam ſuam egiſſe.

§. I.

Quàm ſit validum hoc argumentum.

HOc argumentum eſt ſatis validum; quia quod multi Pontifices vel gloria martyrij illuſtres, vel ſanctitate atque doctrina clariſſimi, palam & conſtanter aſſeruerunt, à nemine ſine ſumma leuitate reijci poteſt, tanquam teſtimonium ſuſpectum, quaſi ambitiosè, atque falsò, ac temerè propriam tantùm cauſam egerint: præſertim cum illis id palam docentibus, nullus illis temporibus ſcriptor Catholicus, tanquam ſibi falſam dignitatem arrogauerint, contradixerit.

2. Vnde P. Suarez lib. 1. aduerſus Regem Angliæ cap. 5. vt perſuadeat infallibilitatem Romani Pontificis in determinandis fidei & mo-
„ rum controuerſijs ex verbis Chriſti, Rogaui pro te Petre &c. ſubiun-
„ git num. 9. Quod in primis probamus authoritate multorum ſummo-
„ rum Pontificum, qui hanc prærogatiuam ſuæ dignitatis, ac Sedis
„ agnoſcentes, ex his verbis Chriſti illam comprobarunt, qui licèt in
„ propria cauſa loqui videantur, nihilominus fide digniſſimi ſunt, tum
„ quia antiquiſſimi, & quaſi per continuam traditionem hoc docue-
„ runt, tum etiam quia multi eorum ſunt Sancti, & Martyres, qui ve-
„ ram, & Catholicam fidem ſanguine ſuo conſignarunt, tum denique
„ quia etiam antiquiſſimi Patres eundem honorem deferunt Romanæ
„ ſedi, & fidei. Pluſculum de hac re infra.

3. In primis, ne de anterioribus Pontificibus loquar, quos tamē apud

alios

paſſim citatos, & plura ipſorum teſtimonia in corpore Iuris inſerta, Lector inueniet, S. Innocentius Primus, ad Pontificatum euectus anno 402. quem Auguſtinus, & alij Patres magnis extollunt laudibus, in epiſt. 28. quæ eſt ad Epiſcopos Mileuitani Concilij, Eccleſiam Romanam, vt fidei puriſſimum fontem perenniter manantem repræſentat: *Nec enim hoc veſtram*, inquit, *credo latere prudentiam, qui id etiam actione firmaſtis, ſcientes quòd per omnes Prouincias de Apoſtolico fonte petentibus reſponſa ſemper emanant, præſertim quoties fidei ratio ventilatur: arbitror enim omnes fratres, & coepiſcopos noſtros non niſi ad Petrum, id eſt ſui nominis, & honoris authorem referre debere, velut nunc retulit veſtra dilectio, quod per totum mundum poſſit Eccleſia omnibus in commune prodeſſe*. Ergo ad Petrum, ideſt ad Romanum Pontificem, qui in munere Petro ſucceſſit, dubia fidei referri debent, & ab illo illarum reſolutio expectanda eſt, eique dubia reſoluenti omnes fideles aſſentire debent: vnde ne tota Eccleſia compellatur errare in materia fidei, neceſſariò fatendum eſt, ex mente S. Innocentij Romanum Pontificem habere authoritatem infallibilem.

4. Abſurdumque planè foret, infallibilitatem huius ſententiæ pendere à conſenſu Eccleſię, id eſt à conſenſu fidelium, qui ne errent conſulere debent in dubijs circa fidem Romanum Pontificem, vt Magiſtrum communem totius Eccleſię: nec enim ſententia Magiſtri ſubijci debet iudicio diſcipuli, vt ab illo firmitatem accipiat. Et hoc abſurdum agnouit Sanctus Pontifex in epiſtola ad Epiſcopos Macedoniæ à Dionyſio Exiguo cum alijs collecta, ſiquidem in ea epiſtola iniuriæ aduerſus Sanctam Sedem tribuebat, quòd iterum circa idem dubium conſuleretur, quaſi reſponſio à S. Sede circa res fidei dimanans poſſet eſſe obnoxia errori. *Aduerti*, inquit, *Sedi Apoſtolicæ ad quam relatio quaſi ad caput Eccleſiarum miſſa currebat, aliquam fieri iniuriam, cuius adhuc in ambiguum ſententia duceretur*. Sentit ergo planè Romanum Pontificem non poſſe errare, dum è cathedra reſoluit dubia fidei, & fidelibus exponit, quid ab ipſis tenendum ſit & credendum.

5. Hanc ipſam infallibilitatem in S. Sede agnouit S. Celeſtinus primus, ad Cathedram Petri exaltatus anno 423. Nam mittens Legatos ſuos in Orientem ad Concilium Epiſcoporum Africæ, eis iniunxit, vt de illorum Epiſcoporum ſententijs iudicarent; hac iuſsione ſignificans, non eſſe ab Epiſcopis expectandum conſenſum, quaſi Papæ iudicium eſſet reformandum per iudicium illorum Epiſcoporum, ſed potiùs per Papæ iudicium, & per inſtructionem ab ipſo datam diſsidia eſſe componenda, atque ad vnitatem redigendam varietatem ſententiarum, & ſuffragiorum illorum Epiſcoporum. Sentiebat ergo planè, iudicium Romani Pontificis non eſſe reformabile per iudicium aliorum Epiſcoporum, ac proinde ad eius infallibilitatem non eſſe expectandum Eccleſiæ conſenſum. Audiamus inſtructionem datam à S. Celeſtino ſuis legatis;

gatis; *Ad diſceptationem*, inquit, *ſi fuerit deuentum*, *vos de eorum ſententijs iudicare debetis, non ſubire certamen*. Ita habet commonitorium Celeſtini apud Chriſtianum Lupum ad Epheſinum Concilium variorum Patrum, Epiſt. cap. 236.

6. Et hac de cauſa Theologorum Princeps S. Thomas 2.2. quæſt. 1. art. 2. hanc veritatem tanquam indubitatam ſupponit: *Papa*, inquit, *determinante iudicialiter, & definitiuè aliquid eſſe hæreticum, & ab Eccleſia pro hæreſi habendum, conſtat quòd omnes tenentur acceptare, & hæreticus cenſetur, quicumque de cætero teneret oppoſitum pertinaciter*.

7. Eandem infallibilitatem in Sede Romana agnouit S. Leo Magnus, ad cathedram Petri euectus anno 440. Nam ſerm. 3. in anniuerſario aſſumptionis ſuæ, exponens verba illa, *Rogaui pro te Petre*, ita loquitur: *Commune erat omnibus Apoſtolis periculum de tentatione formidinis, & Diuinæ protectionis auxilio pariter indigebant, quia Diabolus omnes exagitare, omnes cupiebat elidere, & tamen ſpecialis à Domino Petri cura ſuſcipitur, & pro fide Petri propriè ſupplicatur, tanquam aliorum ſtatus certior ſit futurus, ſi mens Principis victa non fuerit. In Petro ergo omnium fortitudo firmatur, & Diuinæ gratiæ ita ordinatur auxilium, vt firmitas, quæ per Chriſtum Petro tribuitur, per Petrum Apoſtolis conferatur. Cùm itaque dilectiſſimi tantum nobis videamus præſidium diuinitùs inſtitutum, rationabiliter, & iuſtè in Ducis noſtri meritis, & dignitate lætamur, gratias agentes ſempiterno Regi Redemptori noſtro Ieſu Chriſto, qui tantam potentiam dedit ei, quem totius Eccleſiæ Principem fecit, vt, ſi quid etiam noſtris temporibus rectè per nos agitur, rectèque diſponitur, illius ſit gubernaculis deputandum, cui dictum eſt, Et tu conuerſus confirma fratres tuos; et cui poſt reſurrectionem ſuam Dominus ad trinam æterni amoris profeſſionem myſticâ inſinuatione ter dixit, Paſce oues meas; quod nunc quoque procul dubio facit, et mandatum Domini pius Paſtor exequitur, confirmans nos cohortationibus ſuis, et pro nobis orare nonceſſans.*

8. Hæc S. Leo; in quibus verbis duo priuilegia agnoſcit pro Diuo Petro impetrata fuiſſe à Chriſto; alterum, vt ipſe nunquam poſſet veram fidem amittere, quantumuis tentaretur à Diabolo, vt conſtat ex illis verbis, *Si mens Principis victa non fuerit*; alterum vt Sedes eius, ideſt, Succeſſores ipſius in munere Summi Pontificis nunquam è cathedra poſſent aliquid contra fidem docere, ſeu fidelibus aliquid falſum credendum proponere.

9. Vigilius, primò Antipapa, fauore Theodoræ Auguſtæ in Sedem Apoſtolicam intruſus; & poſtea legitimus Pontifex renuntiatus anno 540. & fidei Catholicæ acerrimus Defenſor, in epiſtola quarta ad Iuſtinianum Auguſtum, hanc prærogatiuam in Romana Sede agnouit, dum ita Imperatorem alloquitur. *Ea verò, quæ fidei Catholicæ, vel animæ noſtræ expediunt, ſuggerere non omitto. In primis ſupplicantes, et ipſius Beati Petri Apoſtoli, quem diligitis, intercedente ſuffragio, poſtulantes vt ſemper*

per ad hanc Apoſtolicam Sedem pro diſponendis Reipublicæ veſtræ vtilitatibus, orthodoxas, & Deo placitas, & rugam, aut maculam fidei non habentes, dignemini deſtinare perſonas, per quas, & ea quæ publico veſtro conueniunt, ſalubriter ordinentur, & pro anima veſtræ mercede, Catholicæ diſciplinæ in nullo conturbetur integritas. Ergo Sedes Romana habet oracula infallibilia ad conſeruandam puritatem fidei Catholicæ, & ad illam recurri debet in dubijs fidei, & morum ad obtinendum reſponſum infallibilis veritatis.

10. S. Gregorius Magnus lib.4. epiſt.2. ad Mauritium, demonſtrat non poſſe fieri, vt Epiſcopus Conſtantinopolitanus ſit Epiſcopus vniuerſalis, & proinde caput totius Eccleſiæ, quia multi Epiſcopi Conſtantinopolitani fuerant publicè hæretici, imò & hæreſiarchæ, vt Macedonius & Neſtorius. Sentit ergo manifeſtè, Romanum Pontificem, cùm ſit caput Eccleſiæ, non poſſe è cathedra Petri, errorem docere, & definire; quia tunc tota Eccleſia teneretur errare. Item docet lib.6.epiſt. 37. ad Eulogium. *Quis,* inquit, *neſciat Sanctam Eccleſiam in Apoſtolorum Principis ſoliditate firmatam, cui dictum eſt,* Super hanc petram ædificabo Eccleſiam meam. *Et rurſus,* Et tu aliquando conuerſus confirma fratres tuos. Quo loco apertè aſſerit, firmitatem Eccleſiæ ex firmitate Petri pendere, ac proinde minùs poſſe Petrum errare, quàm ipſam Eccleſiam; cùm certiſſimum ſit, non poſſe Eccleſiam errare in credendo, certiſſimum quoque erit, non poſſe Romanum Pontificem, qui officio Petrus eſt, errare in definiendo, & determinando controuerſias fidei.

11. Eandem infallibilitatem agnouit S. Gelaſius I. ad Pontificatum exaltatus anno 492. in epiſt. ad Anaſtaſium Auguſtum. *Hoc eſt,* inquit, *quòd Sedes Apoſtolica magnopere cauet, vt quia Mundo radix eſt Apoſtoli glorioſa confeſſio, nulla rima prauitatis, nulla prorſus contagione maculetur. Nam ſi (quod Deus auertat, quodque fieri non poſſe confidimus) tale aliquid proueniret, vnde vtique reſiſtere auderemus errori? vel vnde correctionem errantibus poſceremus?*

12. Item Pelagius Secundus exaltatus anno 577. in epiſt.1.ad Epiſcopos Iſtriæ; vbi ait: *Nos ſecundùm Euangelicam vocem ſtudemus fraternitati, ac dilectioni veſtræ, in quantum fragilitas noſtra ſufficit, quæ nobis iuſſa ſunt, cum ſinceritate cordis humiliter exhibere. Noſcis enim in Euãgelio Dominum proclamantem: Simon, Simon, ecce Sathanas expetiuit vos vt cribaret, ſicut triticum: Ego autem rogaui pro te Patrem, vt non deficiat fides tua; & tu conuerſus confirma fratres tuos. Conſiderate, chariſſimi, quia veritas mentiri non potuit nec fides Petri in æternum quaſſari poterit, vel mutari; nam cùm omnes diſcipulos Diabolus ad excribrandum propoſuit, pro ſolo Petro ſe Dominus rogaſſe teſtatur, & ab eo voluit cæteros confirmari.*

13. S. Agatho, qui Pontifex renuntiatus eſt anno 678. in epiſtola ad Conſtantium Imperatorem, quæ lecta eſt in ſexta Synodo Actione 4. &

poſtea Actione 8. ab omnibus Patribus probata eſt, eamdem authoritatem incapacem errandi in ijs, quæ toti Eccleſiæ proponuntur, agnouit in Sede Romana his verbis: *Hæc eſt vera fidei regula, quam & in proſperis, & in aduerſis viuaciter tenuit Apoſtolica Chriſti Eccleſia, quæ per Dei gratiam à tramite Apoſtolicæ traditionis nunquam erraſſe probatur, nec hæreticis nouitatibus vnquam deprauata ſuccubuit, quia dictum eſt Petro*, Simon Simon, Ecce Sathanas &c. Ego autem rogaui pro te &c. *Hic Dominus fidem Petri non defuturam promiſit, & confirmare eum fratres ſuos admonuit, quòd Apoſtolicos Pontifices meæ exiguitatis prædeceſſores confidenter feciſſe, ſemper cunctis eſt agnitum.* Hæc ille. Ratio autem qua probat Romanam Sedem eo vſque nunquam erraſſe in determinandis fidei, & morum controuerſijs, pariter euincit, errare non poſſe deinceps; nimirum ob priuilegium impetratum à Chriſto Petro pro ſe, & ſucceſſoribus ſuis, vt ſcilicet fratres ſuos poſſet in vera fide confirmare: quod ſanè non præſtaret, ſi aliquando poſſet fidelibus aliquid falſum credendum proponere.

14. Item Nicolaus Primus, Vir inſignis ſapientię, & virtutis vt patet ex Baronio & alijs, atq; ex eius vita apud Biniũ to. 3. prima par. p. 410. & qui ad Pontificatum aſcendit anno 858. in epiſtola ad Michaelem Imperatorem, inter priuilegia Sedi Romanæ à Chriſto in perſona Petri conceſſa priuilegium hoc infallibilitatis tanquam præcipuum agnoſcit, vt vi eius poſſet Romanus Pontifex vacillantes in fide confirmare. *Quomodo* (inquit de lib. p. 431. in fine) *non egeat quælibet Synodus Romanæ Sedis? quomodo in Epheſino latrocinio, cunctis Præſulibus, & ipſis quoque Patriarchis prolabentibus, niſi magnus Leo, imitator ſcilicet illius Leonis, de quo ſcriptum eſt, Vicit Leo de tribu Iuda, diuinitus excitatus, os aperiens totum Orbem, & ipſos quoque Auguſtos concuteret, & ad pietatem commoueret; Religio Catholica penitus corruiſſet?* Et inferius; *Cùm Eccleſiæ Romanæ priuilegia Chriſti ore in B. Petro firmata, in Eccleſia ipſa diſpoſita, antiquitus ſeruata, & à Sanctis vniuerſalibus Synodis celebrata, atque à cuncta Eccleſia iugiter venerata, nullatenus poſſint minui, nullatenus infringi, nullatenus commutari, quoniam fundamentum quod Deus poſuit, humanus non valet amouere conatus: & quod Deus ſtatuit, firmum validumque conſiſtit &c.*

15. Eandem prærogatiuam Romanæ Sedis agnouit quoque vt indubitatam S. Leo nonus in Pontificem electus anno 1049. in epiſtola ea quæ eſt ad Petrum Antiochenum pag. 433. de libert. *Nimirum*, inquit, *ſolus eſt ille* (Petrus) *pro quo ne deficeret eius fides, Dominus, & Saluator aſſeruit ſe rogaſſe dicens, Simon Simon, ecce Sathanas expetuit vos, vt cribraret ſicut triticum, ego autem rogaui pro te, vt non deficiat fides tua, & tu aliquando conuerſus confirma fratres tuos. Quæ venerabilis, & efficax oratio obtinuit, quod hactenus fides Petri non defecit, nec defectura creditur in throno illius vſque in ſeculum ſeculi: ſed confirmabit corda fratrum*

carijs

Digitized by Google

varijs concutienda fieri periclitationibus, ſicut vſque nunc confirmare non ceſſauit.

16. Quod validè confirmatur ex epiſtola 1. cap. 6. vbi id ipſum clariſſimè docet: *Taliter*, inquit *Sancta Eccleſia ſuper petram, id eſt Chriſtum, & ſuper Petrum vel Cepham filium Ioannis, qui prius Simon dicebatur, ædificata, quia inferi portis, diſputationibus ſcilicet hæreticorum, quæ vanos ad interitum introducunt, nullatenus foret ſuperanda; ſic pollicetur ipſa veritas, per quam ſunt vera quæcumque ſunt vera, portæ inferi non præualebunt aduerſus eam, cuius promiſſionis effectum ſe precibus impetraſſe à Patre, idem filius proteſtatur dicendo ad Petrum: Simon ecce Sathanas &c. Erit ergo quiſquam tantæ dementiæ, qui orationem illius, cuius velle eſt poſſe, audeat in aliquo vacuam putare?* Audi iam, quanta cum conſtantia priuilegium B. Petri ad ſucceſſores tranſijſſe continuatâ omnium temporum experientiâ confirmet. *Nonne à Sede Principis Apoſtolorum, Romana videlicet Eccleſia, tam per eundem Petrum, quàm per ſucceſſores ſuos reprobata, & conuicta, atque expugnata ſunt omnium hæreticorum commenta, & fratrum corda in fide Petri, quæ hactenus nec deficit, nec vſque in finem deficiet, ſunt confirmata?*

17. Deinde, Innocentius Tertius ad Pontificatum exaltatus anno 1198. ob eximias ſapientiæ, & probitatis dotes, in epiſt. ad Arelatenſem Epiſcopum, prout habetur 3. Decretal. cap. 3. ſeu cap. *Maiores*, de Baptiſm. hoc priuilegium, & infallibilitatem in Sede Romana, vt quid inconcuſſum ſupponit: *Maiores*, inquit. *Eccleſiæ noſtræ cauſas, præſertim articulos fidei contingentes, ad Petri Sedem referendas intelligit, qui eum quærenti Domino, quem diſcipuli dicerent ipſum eſſe, reſpondiſſe notabat: Tu es Chriſtus filius Dei viui, & pro eo Dominum exoraſſe, ne deficiat fides eius. Quibuſdam igitur quæſtionibus quas contra Catholicos hæretici mouerant, nos poſtulas reſpondere.* Agnoſcit ergo in Sede Petri, ad quam tanquam ad oraculum in dubijs circa fidem recurritur ex omnibus mundi partibus, adeſſe priuilegium infallibilitatis. Et idem clariſſimè docuit idem Innocentius ſerm. de Conſecrat. Pontificis Maximi. *Rogauit, & impetrauit, quoniam exauditus eſt pro ſua reuerentia, & fides Apoſtolicæ Sedis in nulla vnquam turbatione defecit, ſed integra ſemper, & illibata permanſit, vt priuilegium Petri perſiſteret inconcuſſum.*

18. Denique Clemens VI. in inſtructione miſſa ad conſolatorem ſeu Catholicorum Armenorum anno 1351. habitâ deliberatione matura cum venerabilibus Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, nonnullis Patriarchis, Archiepiſcopis, & Epiſcopis, alijſque Prælatis Eccleſiaſticis ac ſacræ theologiæ Magiſtris, & decretorum Doctoribus ſic loquitur art. 13. *Si credidiſti, & adhuc credis ſolum Romanum Pontificem dubijs emergentibus circa Fidem Catholicam poſſe per determinationem authenticam, cui ſit inuiolabiliter adhærendum finem imponere, & eſſe verum, et Catholicum quidquid ipſe authoritate clauium ſibi traditarum à Chriſto, determinat eſſe verum,*

Digitized by Google

verum , & quod determinat eſſe falſum , & hæreticum ſit ceſendum .

19. In re tanti momenti, tot, tam ſanctis, tamque ſapientibus Pontificibus credendum eſt, quia præſumi non poteſt, eos aut ignoraſſe per incuriam & negligentiam, ſui officij poteſtatem & authoritatem, aut per malitiam auſos fuiſſe arrogare ſibi hanc prærogatiuam, & mutare formam regiminis à Chriſto inſtitutam, tribuendo ſibi authoritatem Monarchicam, & ſupremam in determinandis fidei, & morum controuerſijs ſibi à Chriſto non conceſſam, quæ ſcilicet Concilio generali ſubiecta non ſit, & quæ ſententiam ferat omnino irreformabilem. Si enim hanc prærogatiuam Chriſtus non conceſſit, & illam Pontifices ſibi vſurparunt, coniecerunt Eccleſiam in manifeſtum periculum errandi in materia fidei, credendo vt veritatem infallibilem expoſitionem reipſa falſam, quam Pontifex veram eſſe definiſſet; ac proinde iam tota Eccleſia decepta fuiſſet per tot ſecula, quandoquidem ſemper pro hæreticis habuit eas doctrinas, quas Romanus Pontifex vt hæreticas damnauit, vt teſtatur S. Thomas 2.2.q.1.art.2.

20. Argumentum iſtud deſumptum ab authoritate Summorum Pontificum, qui hanc prærogatiuam ſuæ degnitatis ac Sedis agnouerunt, & probauerunt ex illis verbis Chriſti, *Ego rogaui pro te* &c. *Et tu aliquando conuerſus confirma fratres tuos*, eſt validiſſimum: Vt enim inquit Leo Papa nonus, *Erit ne quiſquam tantæ dementiæ, qui orationem illius, cuius velle eſt poſſe, audeat in aliquo vacuam putare?*

21. Confirmaturque doctrina Sanctiſſimorum iſtorum Pontificum; quia ſi Sedes Romana hoc priuilegium à Chriſto non accepiſſet, vt nullus in ea ſederet, qui Eccleſiæ aliquid falſum credendum proponeret: hoc aliquando accidiſſet, & Pontifex Romanus etiam è cathedra docens hæreſim aliquando approbaſſet, ſicut in alijs Eccleſijs etiam ab Apoſtolis inchoatis accidiſſe videmus. Nam hæc eſt humana fragilitas, & conditio, vt in tanta varietate, & multitudine perſonarum facilè contingat error: hoc autem nunquam in Romana Eccleſia accidiſſe, latè probat P. Suarez lib. 1. aduerſus Regem Anglie cap. 6. teſtimonijs Pontificum, & Sanctorum Patrum. Vnde Ruffinus in expoſitione Symboli in principio dixit: *In diuerſis Eccleſijs aliqua in ijs verbis inueniuntur adiecta: in Eccleſia tamen Vrbis Romæ hoc non deprehenditur.*

DI-

DISPVTATIO VII.

In qua teſtimonio Sanctorum Patrum, qui à primis ſęculis Eccleſiæ floruerunt, ſtabilitur eadem infallibilitas Romani Pontificis in definiendis Fidei, & morum controuerſijs.

SECTIO I.

Recenſentur authoritates Patrum, qui ante ſextum ſæculum Eccleſiæ Chriſti floruerunt.

§. I.

S. Irenæi.

1. ANTEQVAM ad authoritatem Patrum deſcendam, placet infallibilitatem Romani Pontificis altiùs repetere. Si velimus ad huius infallibilitatis antiquitatem aſcendere, ad B. Petrum aſcendamus, ſine cuius authoritate nec Magnus ipſe Chriſti Euãgeliſta Marcus Euangelium ſuum Eccleſijs tradere auſus eſt, ſic enim Hieronymus de viris illuſtribus: *Marcus, diſcipulus, & interpres Petri, iuxta quod Petrum referentem audierat rogatus Romæ à Fratribus breue ſcripſit Euangelium. Quod cùm Petrus audiſſet, probauit, & Eccleſiæ legendum ſua authoritate dedit, ſicut ſcribunt Clemens, & Papias.* Factum hoc ponderans Thomas Waldenſis tom. 1. lib. 2. cap. 57. verſus finem, ſubiungit. Non-
,, ne Euangeliſta Marcus ſuffultus erat Spiritu Sancto in Euangelij
,, ſcriptione? Sed quia ſine Summo Pontifice, & vniuerſali Chriſti Vi-
,, cario, non debet res fieri, ne caſſa videretur præſidentis authoritas,
,, ideo illud Petro approbandum tradidit.

2. Iam ad Patres Eccleſiæ deueniamus. Agmen ducat omnium ferè Patrum Latinorum antiquiſſimus, fidei zelo flagrantiſſimus, & martyrij

rij gloria illuſtris S. Irenæus, *vir Apoſtolicorum temporum* (inquit Philippus Labbè) *à S. Polycarpo Smirnaorum Antiſtite, cuius in iuuentute fuerat auditor, in Gallias miſſus*; qui anno 178. vel 179. conſecratus eſt Epiſcopus Lugdunenſis, & anno 201. cum omni ferè ſuæ ciuitatis populo paſſus eſt martyrium.

3. Hic talis ac tantus Vir, infallibilitem Sedis Romanæ in determinandis fidei, & morum controuerſijs palam agnoſcit, eo quòd in Eccleſia Romana præſideat Pontifex, qui Succeſſor eſt D. Petri in gubernando Chriſti grege. Sic enim ſcribit lib. 3. aduerſus hæreſes cap. 3. *Sed quoniam*, inquit, *valdè longum eſt in hoc tali volumine omnium Eccleſiarum enumerare ſucceſſiones; maximæ, et antiquiſſimæ, et omnibus cognitæ, à glorioſiſſimis duobus Apoſtolis Petro, & Paulo Romæ fundatæ, & conſtitutæ Eccleſiæ, eam, quam habet ab Apoſtolis traditionem, & annunciatam hominibus fidem, per ſucceſſores Epiſcoporum peruenientem vſque ad nos indicantes, confundimus omnes eos, qui quoquo modo, vel per ſui placentiam malam, vel vanam gloriam, vel per cæcitatem, & malam ſententiam, præterquam oportet, colligunt. Ad hanc enim Eccleſiam propter potentiorem principalitatem neceſſe eſt omnem conuenire Eccleſiam, hoc eſt, eos, qui ſunt vndique fideles: in qua ſemper ab his, qui ſunt vndique, conſeruata eſt ea quæ eſt ab Apoſtolis traditio.*

4. In quo teſtimonio ponderari debet, nomine Eccleſiæ Romanæ hic abſque dubio ſignificari Eccleſiam particularem, quæ habet pro Epiſcopo eum, qui ſuccedit Petro in officio Epiſcopi Romani. De hac Eccleſia docet Irenæus, eſſe veræ fidei Magiſtram, & conſeruare traditiones acceptas ab Apoſtolis; ad illamque tanquam ad oraculum fidei recurrendum eſſe ab omnibus alijs Eccleſijs. Ergo ſentit habere priuilegium infallibilitatis, quo nullæ aliæ gaudent Eccleſiæ, licèt ab Apoſtolis, alijſque fundatæ. Hanc autem prærogatiuam non habet Eccleſia Romana ratione ciuium, vel ſubditorum, qui ſunt ſub iuriſdictione Epiſcopi Romani, vt patet. Ergo habet ratione ſui Paſtoris: at non habet ratione Prælati ſui, quia ille præcisè ſit Epiſcopus Romanus: quia ſi Epiſcopus Romanus eſſet dumtaxat Epiſcopus Romanus, non maiorem haberet infallibilitatem, quàm Epiſcopus Florentinus, vel Toletanus, vel Lugdunenſis, & quilibet alius. Ergo Eccleſia Romana particularis habet ſpecialiter hoc priuilegium, quia eius Epiſcopus eſt ſimul Vicarius Chriſti, & legitimus S. Petri ſucceſſor non ſolùm in Epiſcopatu Romano, ſed in Papatu, & Summo Potificatu, reſpectu Eccleſiæ vniuerſalis. Ergo ſentit, & perſpicuè docet S. Irenæus, Romanum Pontificem quatenus eſt Papa, & Summus Paſtor totius ouilis Chriſti, habere priuilegium infallibilitatis ad determinandas fidei, & morum controuerſias.

5. Quod amplius conſtat ex exemplo Eccleſiæ Corinthiorum fundatæ à S. Paulo, quo ibi vtitur Irenæus, vt probet hoc priuilegium conſeruandi

ſeruandi ſemper puram fidem, eſſe proprium Eccleſiæ Romanæ, quia in illa præſidet Succeſſor Petri, pro quo Chriſtus rogauit, *ne deficeret fides eius*. Quamuis enim Corinthiaca Eccleſia, à Beato Paulo fundata, & docta fuiſſet, eiuſque adhuc recens eſſet memoria, nihilominus inter ſe diſſenſerunt circa veritatem à Paulo ipſis traditam; vnde neceſſarium illis fuit ad Eccleſiam Romanam, tanquam ad Apoſtolicarum traditionum fidelem cuſtodem, & infallibilem veritatum credendarum Magiſtram recurrere, vt ab illa ediſcerent, quid tenere deberent. *Diſſenſione non modica*, inquit Irenæus, *inter eos, qui Corinthi eſſent, fratres facta, ſcripſit, quæ eſt Romæ Eccleſia potentiſſimas litteras Corinthijs, ad pacem eos congregans, & annuntians, quam in recenti ab Apoſtolis acceperant traditionem*. Hanc autem epiſtolam dicitur Eccleſia Romana ad Eccleſiam Corinthiorum ſcripſiſſe, quia illam nomine Eccleſiæ Romanæ ſcripſit Sanctus Clemens Sancti Petri diſcipulus, & qui poſt Sanctum Linum, & Sanctum Cletum in Summo Pontificatu ipſi ſucceſſit, vt teſtatur Sanctus Hieronymus in libro de Scriptoribus Eccleſiaſticis cap. 25. ijs verbis: *Ex perſona Romanæ Eccleſiæ ad Eccleſiam Corinthiorum valdè vtilem epiſtolam ſcripſit, & quæ in multis locis publicè legitur*. Id teſtatur etiam Euſebius lib. 3. hiſt. cap. 11.

6. Hinc deſumitur argumentum ad probandum, quod pro reſolutione, & definitione certa & infallibili dubiorum fidei recurrendum ſit ad Romanam Sedem, tanquam ad fidei Magiſtram. Si enim illi, qui Apoſtolorum temporibus viciniores fuerunt, in dubio fidei pro addiſcenda veritate recurrerunt ad Romanam Sedem, quantò magis recurrere debent, qui ſunt ab Apoſtolicis temporibus per multa ſæcula diſtantes, vt vnitatem fidei, & puritatem conſeruent? Ergo Romana Sedes habet authoritatem infallibilem ad reſoluenda dubia fidei, & declarandum reliquis Eccleſijs, quid credere debeant.

§. II.

Tertulliani, SS. Hippolyti Martyris, & Cypriani.

1. SVccedat S. Irenæo non dignitate, & ſanctitate, ſed antiquitate ſuppar Tertullianus, Prouinciæ Africæ, Ciuitatis Carthaginenſis, patre Centurione Proconſulari natus, vir & legum, & Inſtitutionum Romanarum peritiſſimus, atque inter Chriſtianos Sacerdotes admodum clarus, qui in decrepita ferè ætate obijt anno 215. Hic in lib. de Præſcript. agnoſcit in Romana Sede authoritatem infallibilem, ad inſtruendum in rebus fidei vniuerſas Eccleſias. Etenim inquit, *Si Italiæ adiaces, habes Romam, vnde nobis quoque authoritas præſto eſt. Felix Eccleſia, cui totam doctrinam Apoſtoli cum ſanguine ſuo profuderunt... Videa-*

Digitized by Google

deamus, quid didicerit, quid docuerit &c. Hæc ille. An verò non eſt hoc grande teſtimonium, ab illo præſertim, qui Romanis Clericis inimicus fuiſſe legitur? Initio autem libri de pudicitia Romanum Pontificem vocat *Epiſcopum Epiſcoporum*; quare agnoſcit in ipſo tanquam ſupremo Paſtore iuriſdictionem ſummam in totam Eccleſiam: adeoque commonſtrandi omnibus fidelibus Paſcua ſalutaris doctrinæ, veritates neceſſarias ad ſalutem infallibiliter definiendo.

2. Probatur eadem infallibilitas authoritate S. Hippolyti Epiſcopi & Martyris, Clementis Alexandrini diſcipuli, & Origenis coæui, qui circa annum 230. martyrium paſſus eſt. Hic Sanctus Epiſcopus & Martyr in oratione de conſummatione mundi, ſic primum Apoſtolorum Simonem Petrum laudat: *Princeps Petrus, Fidei Petra, quem Beatum iudicauit Chriſtus Deus noſter, ille Doctor Eccleſiæ, ille primus Diſcipulorum, ille qui regni claues habet*: Ergo cum certum ſit, Romanum Pontificem ſuccedere Petro in munere Summi Pontificis, & capitis viſibilis Eccleſiæ; ita certum eſſe debet, illi ſuccedere in munere *Fidei Petræ, Doctoris Eccleſiæ, & regni claues habentis*. Ergo nequit Romanus Pontifex ſuſtentare errorem; quia error ſupra Petrã fidei inniti non poteſt; nec poteſt docere Eccleſiam dogmata falſa; nam Doctor vniuerſalis Eccleſiæ, à Deo ipſi datus ad eam inſtruendam; nequit eſſe ipſi Magiſter erroris.

3. Probatur authoritate S. Cypriani Epiſcopi & Martyris, qui conſecratus Epiſcopus Carthaginenſis Eccleſiæ, & Africæ Primas anno 248. & paſſus eſt martyrium ann. 258. qui lib. 1. epiſt. 3. docet, perfidiam non poſſe habere acceſſum ad Eccleſiam Romanam; nam loquẽs de Schiſmaticis, & peruerſis hominibus, *Poſt iſta adhuc inſuper*, inquit; *Pſeudoepiſcopo ſibi ab hæreticis conſtituto, nauigare audent, atque ad Petri Cathedram, atque ad Eccleſiam principalem, vnde vnitas Sacerdotalis orta eſt, à Schiſmaticis & profanis litteras ferre, nec cogitare eos eſſe Romanos, quorum fides, Apoſtolo prædicante laudata eſt, ad quos perfidia non poſſit habere acceſſum.*

4. Aurea etiam ſunt eiuſdem Cypriani verba, quæ diſput. 3. ſect. 5. §. 8. citauimus, & expendimus ex epiſt. 55. (aliàs ex libr. 2. epiſt. 1.) Ex integro teſtimonio hanc duntaxat clauſulam nunc delibabo: *Nec enim aliunde hæreſes obortæ ſunt, aut nata ſunt ſchiſmata, quàm inde, quòd Sacerdoti Dei non obtemperatur, nec vnus in Eccleſia ad tempus Sacerdos, & ad tempus iudex vice Chriſti cogitatur, cui ſecundùm magiſteria diuina obtemperet Fraternitas vniuerſa*; ideſt quia non obtemperatur Romano Pontifici, qui vice Chriſti tanquam Summus Sacerdos, & controuerſiarum iudex omni Fraternitati proponit, quid credere debeat: nullus enim poteſt conſeruari tanquam membrum corporis myſtici Chriſti, quod eſt Eccleſia Catholica, niſi ſit vnitum cum capite viſibili eius, nempe cum Succeſſore Petri, qui ad tempus gubernat Eccleſiam: nec poteſt eſſe lapis componens hoc ædificium, niſi ſit vnitum per communicationem fidei cum illa Petra, ſupra quam Chriſtus fundauit Eccle-

ſiam

ſiam ſuam, dum dixit, Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram &c. nimirum cum ſucceſſore Petri.

5. Præclarum etiam eſt illud teſtimonium deſumptum ex libro de Vnitate Eccleſiæ, quod ibidem ponderauimus; nunc ſatis ſit repetere illam vnicam clauſulam: *Primatus Petro datur, vt vna Chriſti Eccleſia, & Cathedra vna monſtretur*: quia nimirum Eccleſia nequit eſſe vna, niſi in illa Petrus, eiuſque ſucceſſor Romanus Pontifex habeat primatum poteſtatis Eccleſiaſticæ in omnes fideles, omneſque ab eius cathedrâ debeant accipere doctrinam fidei. Vt enim cum D. Thoma explicaui diſput. 1. ſect. 8. §. 4. num. 5. non poſſet vnitas fidei, ac proinde vnitas Eccleſiæ conſeruari, niſi in Eccleſia eſſet vnus ſupremus Magiſter, cuius ſententiam in materia fidei omnes ſequi deberent; & vnus ſupremus controuerſiarum iudex, cuius iudicio omnes deberent conformari. Et ideo ſubiungit ibi Cyprianus: *Qui cathedram Petri, ſuper quam fundata eſt Eccleſia, deſerit, in Eccleſia ſe eſſe confidit?* Vbi impoſſibile iudicat, vt quis intra veram Eccleſiam Chriſti ſit, niſi conformetur in fide cum cathedrâ Petri, eam amplectens fidem, quam cathedra Petri omnibus proponit fidelibus; & illa dogmata vt hæretica reſpuens, quæ illa vt hæretica damnat. Lib. autem primo Epiſt. 8. Idem Cyprianus ſic habet: *Deus vnus eſt, & Chriſtus vnus eſt, & vna Eccleſia, & Cathedra vna ſuper Petrum voce Domini fundata*: ſicut ergò, quia Chriſtus vnus eſt, Eccleſia ab illo fundata debet eſſe vna: ita quia Eccleſia vna eſt, vna debet eſſe Cathedra, nempe illa, quæ ſupra Petrum fundata eſt, à qua omnes fideles diſcere debent, quid ſibi credendum ſit in dubijs fidei.

§. III.

SS. Athanaſij, Baſilij, Nazianzeni, Ephrem, Optati.

1. PRobatur authoritate S. Athanaſij, qui anno 325. Concilio Nicæno interfuit, & paulò poſt finitum Concilium factus eſt Patriarcha Alexandrinus, & tandem obijt anno 373. Acerrimus iſte Fidei Catholicæ Defenſor ſupremam authoritatem ſupra omnes Synodos in Pontifice Romano cognouit, & ad ipſum confugit tanquam ad aſylum, vt ſe tueretur à calumnijs Arianorum. Et, vt de ipſo narrat Spondanus in Epitome Baronij ad annum 339. num. 1. Euſebiani indignè ferentes, Athanaſium in Eccleſiam ſuam reſtitutum, vt eum iterum deturbarent, præter veteres coagmentatas calumnias, nouas alias ſuperaddentes, legationem aduerſus eum mittunt ad Iulium Romanum Pontificem. Quid autem apud Iulium actum ſit, fusè declarauit ipſe Iulius I. in litteris ad

Digitized by Google

Arianos poſtea redditis, quas ipſe Athanaſius inſeruit ſuæ ſecundæ Apologiæ ad Conſtantium Imperatorem. In ſumma ex illis habetur, Arianorum Legatos in omnibus ab Athanaſij Presbyteris confutatos, ac profligatos Concilium generale poſtulaſſe; hæreticorum more, qui vt iudicium Romanæ Sedis declinent, ad Concilium generale appellant ab eius ſententia. E contra Legatos Athanaſij ſententiam Romani Pontificis tanquam ſupremi Iudicis Eccleſiæ auſcultantes, eius iudicio contentos fuiſſe. Verba S. Iulij audiamus: alloquens enim Euſebianos, inquit: *Veſtri Legati Macarius nimirum Presbyter, & Martyrius, Heſichiuſque Diaconi, nullo modo cum huc veniſſent, pares Presbyteris ab Athanaſio miſſis, ac ſemper ab illis conuicti, refutatique, Concilium à nobis indici poſtularunt, litteraſque, & ad Euſebianos, & Athanaſium Alexandriam, quibus conuocarentur, mitti: tum enim ſe de Athanaſio probaturos eſſe, quod iam nequirent. Publicè enim coram nobis Martyrius, & Heſichius refellebantur, Athanaſij Presbyteris bonâ cum fiduciâ alacriter reſiſtentibus. Martyrius verò cum ſuis, ſi vera dicenda ſunt, vbique profligabatur, ac proinde Concilium generale poſtulauit.* Hactenus S. Iulius in to. 1. Operum S. Athanaſij pag. 741. impreſſionis Pariſienſis Græco-latinæ anno 1627.

2. Præterea quòd D. Athanaſius agnouerit Sedem Apoſtolicam eſſe ſupra omnes alias Sedes, & Dignitatem Patriarchalem, quâ fruebatur Eccleſia Alexandrina, cuius ipſe erat Epiſcopus, ortum duxiſſe à Sede Romana, & Epiſcopum Alexandrinum à Romano accepiſſe primatum ſupra totius prouinciæ Ægypti Epiſcopos, nempe à Petro per Marcum; probat efficaciter Baronius tom. 3. ad an. 325. pag. mihi 293. Nam cùm Meletius Schiſmaticus impugnaret primatum Eccleſiæ Alexandrinæ in omnes Ægypti Prouincias, & ſimul cum alijs Arianis Athanaſium perſequeretur; Athanaſius ad Iulium Romanum Pontificem confugit, vt ipſius authoritate reſtitueretur ad dignitatem Eccleſiæ Alexandrinæ, à qua per violentam fraudem Arianorum fuerat ſpoliatus; & Iulius ipſum reſtituit in priſtinam dignitatem. Baronium audiamus: *Quidnam eſt rogo, quod de Iulio Papa*, cùm ſcribit Theodoretus lib. 2. cap. 4. *eum vocaſſe Romam Arianos negotium faceſſentes Athanaſio, nec non* „ *Athanaſium, ſic ait*: Ille (nempe Iulius) Eccleſiæ Canonem ſecutus, „ & eos iuſſit Romam venire, & diuinum Athanaſium, quo pro ſe in „ iudicio reſponderet, vocauit *Nonne ex his perſpicuè demonſtratur, ex Romanæ Eccleſiæ authoritate ſubſiſtere primatum Eccleſiæ Alexandrinæ, dum Athanaſius eius Epiſcopus à calumnijs Arianorum circumuentus, & eorum iudicio condemnatus confugit ad Iulium Romanum Epiſcopum, et Pontificem, & ille ad dicendam cauſam, ſcriptis litteris, eoſdem Arianos Romam conuocat*? Hactenus Baronius.

3. Probatur authoritate S. Baſilij Magni, qui Archiepiſcopus Cæſareæ in Cappadocia creatus eſt anno 369. & obijt anno 378. Hic S. Doctor

ctor epiſt.52. quæ eſt ad S. Athanaſium, perſpicuè docet, Romanum Pontificem poſſe vbicumque decidere fidei, & morum controuerſias, & corrigere ea, quæ perperam à Concilijs gneralibus geſta ſunt, ac proinde gaudere authoritate infallibili. *Viſum eſt*, inquit, *mihi conſentaneum, vt ſcribatur Epiſcopo Romano, vt quæ hic geruntur, conſideret, & ſententiam ſuam expromat: Et quoniam difficile eſt, vt communi, ac Synodico decreto aliqui illinc mittantur, ipſe ſua authoritate in iſta cauſa vſus, viros . . . omniaque ſecum habentes, quæ in Arimino facta ſunt, ad ea reſcindenda, quæ illic per vim, & violentiam geſta ſunt. Quæritur autem, et hoc à nonnullis illic, vt & nobis ipſis videtur, neceſſariò vt Marcelli hæreſim illi cùm venerint, tanquam malam ac noxiam, & à ſana fide alienam exterminent.*

4. Ex quibus verbis conſtat, S. Baſilium non putaſſe neceſſarium, quòd congregaretur Concilium generale ad ſtabiliendam fidem; ſed ſatis eſſe recurrere ad Romanum Pontificem, & ab illo poſtulare, vt rem *conſideret, & ſententiam ſuam expromat*: quia cum ſit Summus Paſtor, vti Chriſtus dixit, *Paſce oues meas*; ad ipſum ſpectat è cathedra Petri deſignare ouibus ſuis paſcua ſalutifera ſanæ doctrinæ, qua alantur, & paſcua venenoſa prauorum dogmatum, vt ab ijs abſtineant. Conſtat item S. Baſilium agnouiſſe in Romano Pontifice authoritatem ad corrigendum, & reformandum, quæ in Concilio Ariminenſi ab Epiſcopis Arianis contra veritatem Catholicam definita fuerant. Idem Baſilius Magnus homilia 29. quæ eſt de pęnitentia pag. 172. editionis Antuerpienſis, *Petrus* (inquit) *tertio abnegauit, & collocatus eſt in fundamento*. Et paulò poſt; *Petrus licèt petra eſſet; non tamen petra erat, vt Chriſtus. Vt Petrus petra erat. Nam Chriſtus vere eſt*(id eſt ex ſe, & ex natura ſua, & per ſe ipſum) *immobilis petra. Petrus verò propter petram Chriſtum: Axiomata namq; ſua*(hoc eſt honoris titulos) *largitur alijs Ieſus. Largitur autem ea non euacuatus, ſed nihilominus habens. Lux eſt: vos eſtis lux mundi, inquit: Petra eſt, & petrã fecit*, &c. ergo iuxta Baſilium, Petrus factus eſt à Chriſto firma Petra ad ſuſtentandam veram fidem in ſede ſua, vt inde deriuetur in totam Eccleſiam. Quomodo autem eſſet firma Petra fidei, ſi errores è Cathedra poſſet docere?

5. Probatur authoritate S. Gregorij Nazianzeni, qui & amicitiâ, & ſocietate fuit Baſilio coniunctiſſimus, & factus eſt Archiepiſcopus Conſtantinopolitanus anno 379. & obijt anno 389. Nam in carmine de vita ſua perſeuerantiam Eccleſiæ Romanæ in fide, à qua Conſtantinopolitana exciderat, tribuit dignitati Capitis Eccleſię, quam Chriſtus communicauit Pontifici Romano, veterem Romam ſic nouę opponens.

Fides vetuſtæ recta erat iam antiquitùs,
Et certa perſtat nunc item nexu pio,
Quodcumque labens Sol videt, deuinciens:
Vt vniuerſi Præſidem mundi decet,

Totam

Totam colit quæ Numinis concordiam.
Noua verò quondam (de mea iam non mea
Nunc ſermo nobis) RECTI PES ERAT IN FIDE,
At non item poſt merſa ſub letho graui.

Oratione autem 26. ſuper Petrum fundatam Eccleſiam tradit. *Vides,* inquit, *quemadmodum ex Chriſti diſcipulis insignis vtique omnibus, et excelſis, atque electione dignis hic Petra vocetur, atque Eccleſiæ fundamenta in fidem ſuam accipiat.* Quamobrem Orat. 7. Vocat eum Eccleſię columen, quod conſeruandę inconcuſſę Eccleſię Dei officium ſignificat. Authoritate S. Ephrem Diaconi Edeſſeni, qui obijt ſub Valente Principe Ariano, & fuit S. Baſilij coętaneus, cuius opera tantę fuerunt ęſtimationis, vt teſte Hieronymo in lib. de ſcriptoribus Eccleſiaſticis, *poſt lectionem ſcripturarum in Eccleſijs publicè legi ſolerent.* Hic ſanctiſſimus Author in ſerm. de transfigurat. ait, *ſicut vnus Moyſes Hebræorum Princeps fuit, ita Petrum Eccleſiæ Chriſtianorum fuiſſe Principem conſtitutum.*

6. Authoritate Optati Mileuitani, Mileui in Numidia Epiſcopi, qui floruit ſub Valentiniano, & Valente Imperatoribus circa annum 370. de quo Martyrologium Romanum ad diem Iunij 4. & S. Hieronymus de Scriptoribus Eccleſiaſticis cap. 110. Cuius verba adduxi, & latè expendi diſp. 3. ſect. 5. §. 9.

§. IV.

SS. Leonis, Ambroſij, Maximi, & Chryſoſtomi.

1. LEo primus, & Magnus, non ſolū inter ſummos Pontifices; ſed etiā inter SS. PP. recenſendus ob doctrinā ſingularē ſerm. 3. in ſui cōſecratione: *Magnū, in quibus & mirabile huic viro Petro conſortiū potentiæ ſuæ attribuit Diuina dignatio. Et ſi quid cum eo commune cæteris voluit eſſe Principibus, nuſquam niſi per ipſum dedit, quidquid alijs non negauit.* Et infra: *In Petro omnium fortitudo munitur, & Diuinæ gratiæ ita ordinatur auxilium, vt firmitas, quæ per Chriſtum Petro tribuitur, per Petrum Apoſtolis confirmatur.* Ad Romanum ergo Pontificem, tanquam ad ſupremum controuerſiarum fidei Iudicem attinet, omnibus fidelibus proponere, quid credere debeant, & omnibus oſtendere paſcua ſanæ doctrinæ. Plura alia validiſſima eiuſdem teſtimonia attuli in præcedentibus: & propterea hic omitto.

2. Authoritate S. Ambroſij, qui conſecratus eſt Archiepiſcopus Mediolanenſis anno 370. & obijt anno 397. nam epiſt. 11. ad Ageruchiam, *In omnibus,* inquit, *Romanæ Eccleſiæ formam, et typum ſequimur.* Et in oratione funebri de obitu Satyri fratris ſui: *Aduocauit ad ſe Epiſcopum, nec vllam veram putauit, niſi veræ fidei gratiam, percon-*

tatuſque ex eo eſt, vtranam cum Epiſcopis Catholicis, hoc eſt cum Romana Eccleſia conueniret, et fortè ad id locorum in ſchiſmate Religionis illius Eccleſia erat. Lucifer enim ſe à noſtra tunc temporis communione diuiſerat, et quamquam pro fide exulaſſet, et fidei ſuæ reliquiſſet hæredes, non putauit tamen fidem eſſe in ſchiſmate.

3. Sermone autem 62. de temp. docet firmitatem fidei à Chriſto Eccleſiæ tribui per Magiſterium Petri, & ſucceſſorum eius. *Dicitur Petro, duc in altum, hoc eſt in profundum diſputationum generationis Diuinæ. Quid enim tam profundum, quàm quod ait Petrus ad Dominum, tu es Chriſtus Filius Dei viui? Hanc igitur ſolam Eccleſiæ nauim aſcendit Dominus, in qua Petrus Magiſter eſt conſtitutus, dicente Domino: ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.* Libro autem 4. de fide ad Gratianum cap. 3. ita Petrum Eccleſiæ præpoſitum à Chriſto docet, & Eccleſiæ firmitatem cum Eccleſiæ firmitate coniunctam, vt ad eam coniunctionem ſignificandam Petri nomen inſtitutum fuerit. *Habes in Euangelio, quod Petro dixit: rogaui pro te, vt non deficiat fides tua: eidem autem ſupra dicenti, Tu es Chriſtus Filius Dei viui, reſpondit: Tu es Petrus, et ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam, et tibi dabo claues Regni cælorum. Ergo cui propria authoritate regnum dabat, huius fidem firmare non poterat? Quem cum Petrum dicit, firmamentum Eccleſiæ indicauit.*

4. Item authoritate Maximi Epiſcopi Taurinenſis, qui floruit, & obijt ſub Honorio, & Theodoſio iuniore Imperatoribus. Hic in Epiſtola ad Talaſſium Abbatem, quam adducit Labbè tom. 5. col. 17. 55. ita ſcribit. *Neque enim eſt qui cuilibet, maximè in cauſa fidei vim poſſit inferre .... quanto magis Romanorum Eccleſiæ, & clero, quæ ab olim huċuſque vt pote ſenior cunctarum, quæ ſub ſole ſunt Eccceſiarum, omnibus preeſt. Hoc certè canonicè tam à Concilijs & Apoſtolis, quàm ab horum ſummo principatu conſecuta, & in ſortem adepta nullis omnino propter Pontificatus prouectionem ſcriptis, aut ſynodicarum editionibus chartarum ſubiecta, ſicut etiam in ijs omnes ex æquo ei ſecundùm ius ſacerdotale ſubiecti conſiſtunt.*

5. Authoritate S. Ioannis Chryſoſtomi, qui anno 398. conſecratus eſt Archiepiſcopus Conſtantinopolitanus, & obijt anno 407. Nam Serm. 1. de decem millium debitore, ab ipſo Petrus appellatur. *Chriſti Apoſtolorum Princeps, os diſcipulorum, columna Eccleſiæ, firmamentum fidei, confeſſionis fundamentum, orbis terrarum Piſcator, qui genus noſtrum ex profundis errorum in Cælum ſubtraxit*; Et lib. ad eos, qui ſcandalizati ſunt cap. 17. *fundamentum Eccleſiæ, Princeps cœtùs Diſcipulorum.* Docet autem Sanctus pluribus in locis, Petri nomen ob fidei firmitatem Apoſtolorum Principi impoſitum, inſinuatq; illum ob eam firmitatem fundamentum Eccleſiæ fuiſſe conſtitutum tom. 5. in illa verba *Paulus vocatus* Serm: 49. ante medium. *Petrum quidem*, inquit, *certè à virtute ſic vocauit, & in eius nomine firmitatis Fidei argumentum & indicium collocauit,*

ait, vt appellatione ſua perpetuò tanquam Magiſtra quadam eiuſmodi firmitatis vtatur, Et in cap. 2. epiſt. ad Galat. *Sed prius dicendum eſt de Petro: & quomodo hic vnus ante cæteros Diſcipulos ſolitus ſit profiteri: quandoquidem etiam cognomen ſortitus eſt ob immutabilem, & immobilem fidem. Cùm enim omnes eſſent interrogati, hic ante cæteros proſiliens: Tu es*, inquit, *Chriſtus Filius Dei viui. Quo tempore illi, & claues Regni cælorum traditæ ſunt.*

6. Hanc infallibilitatem Romani Pontificis agnouit idem Chryſoſt. dum homilia 2. in Pſalm. 50. & homilia de Petro, & Eliâ, Romanum Pontificem vocat, *Baſim fidei immobilem.* Item apud D. Thomam Opuſ. 1. contra errores Græcorum lib. 2. cap. 33. ſecundùm nouiſsimam editionem Pariſienſem ann. 1660. Chryſoſt. in Matth. ait: *Filius, quæ Patris ſunt, & ipſius Filij: Poteſtatem Petro vbique terrarum conceſſit, & homini mortali, omnium quæ in Cælo ſunt, dedit authoritatem, vt Eccleſiam vbique terrarum amplificet.* Et in Acta Apoſtolorum. *Petrus à Filio ſuper omnes, qui Filij ſunt, poteſtatem accepit, non vt Moyſes in Gente vna, ſed in vniuerſo Orbe.*

7. Idem docuit homil. 80. ad populum dicens: *Ei* (Petro) *per totum orbem terrarum Eccleſiæ præſidentiam traditam eſſe*, & homil. 87. In Ioan. *Orbis terrarum curam ei eſſe demandatam*, & homil. 85. in Ioan. ait: *Iacobum localiter in loco terminat, Petrum autem totius orbis ordinat Magiſtrum, & Doctorem.*

8. Præterea probatur, quia Chryſoſtomus à ſua ſede expulſus, ad Romanum Pontificem Innocentium I. tanquam ad ſupremum Eccleſiæ Iudicem recurrit, ab eo poſtulans, vt inſontem iudicaret, & Eccleſiæ ſuæ reſtitueret, & aduerſarios ſuos Eccleſiaſticę cenſuræ ſubijceret; Poſtquam enim latè enarrauit iniuriam ſibi illatam ab Epiſcopis ſibi infenſis, per ſummam vim, & iniuſtitiam, ſubiungit: *Quapropter ne confuſio hæc omnem, quæ ſub cælo eſt, nationem inuadat, obſecro, vt ſcribatis quòd hæc tam iniquè facta, & abſentibus nobis, & non declinantibus iudicium, non habeant robur, ſicut neque ſuâ naturâ habent: illi autem, qui iniquè egerunt, pœnæ eccleſiaſticarum legum ſubiaceant: nobis verò, qui nec conuicti, nec redarguti, nec habiti vt rei, litteris veſtris, & caritate veſtra, aliorumque omnium, quorum ſcilicet, & antea ſocietate fruebamur, frui concedite.* Conſtat ergo planè D. Chryſoſtomum agnouiſſe in Romano Pontifice ſupremam authoritatem in omnes Epiſcopos totius Orbis, & propterea à ſententia Synodi Epiſcoporum iniquè contra ſe lata appellaſſe ad Romanam ſedem.

9. Huc accedit, quòd non habuit Chryſoſtomus aptiorem modum exprimendi, quale in ſummo Pontifice Innocentio I. expertus eſſet præſidium, quàm dicendo ipſius ſedem fuiſſe ſibi tunc exulanti portum abſque fluctibus. Extrema enim verba Epiſtolæ è longiſſimè diſtantibus exilij oris Romam ad eum miſſæ ſic habent: *Tertium nunc annum in exilio*

lio verſamur expoſiti peſti, fami, bello, continuis obſidionibus, ſolitudini inexplicabili, quotidianæ morti, Iſauricisque gladijs, non mediocriter nos conſolatur ſolida veſtra fides, & charitas, quæ ſe in me tam tenui, et ſimplici oblectant. Hic noſter murus, hæc ſecuritas, hic portus abſque fluctibus, hic multorum bonorum theſaurus pauperi ſupereſt. Et ſic infallibilitas atq; immutabilitas Pontificis Romani in rebus fidei, ac iuris, quas Chryſoſtomus defendebat, mirabiliter explicantur.

§. V.

S. Hieronymi.

1. AVthoritate S. Hieronymi, qui obijt anno 420. ſecundùm Philippum Labbè, & ſecundùm Cardinalem Bellarminum anno 422. Nam Sanctus hic Doctor, ſæpe infallibilitatem Romanæ Sedis in cauſis fidei determinandis agnouit. Nam pluribus locis docet, Petri nomen ob fidei firmitatem Principi Apoſtolorum impoſitum, & propter eam fidei firmitatem, quam Sedi Petri Chriſtus ſua oratione impetrauit, Cathedram Petri eſſe fundamentum Eccleſiæ. Vnde epiſt. 57. ad Damaſum Papam, inquit: *Quoniam vetuſto Oriens, inter ſe populorum furore colliſus indiſciſſam domini tunicam, & deſuper textam minutatim per fruſta diſcerpit, & Chriſti vineam exterminat vulpes, vt inter lacus contritos, qui aquam non habent difficile, vbi fons ſignatus, & hortus ille concluſus ſit, poſſit intelligi: Ideo mihi Cathedram Petri, & fidem apoſtolico ore laudatam cenſui conſulendam, inde nunc meæ animæ poſtulans cibum, vnde olim Chriſti veſtimenta ſuſcepi. Neque verò tanta vaſtitas elementi liquentis, & interiacens longitudo terrarum me à pretioſæ margaritæ potuit inquiſitione prohibere. Vbicunque fuerit corpus, illuc congregabuntur & aquilæ*, Et infra. *Quamquam igitur tui me terreat magnitudo, tamen inuitat humanitas. A Sacerdote victimam & ſalutem, à paſtore præſidium ouis flagito. Faceſſat inuidia Romani culminis, cum ſucceſſore piſcatoris, & diſcipulo Chriſti loquor. Ego nullum primum, niſi Chriſtum ſequens, Beatitudini tuæ, id eſt, cathedræ Petri communione conſocior, ſuper illam petram ædificatam Eccleſiam ſcio. Quicunque extra hanc domum agnum comederit, profanus eſt. Si quis in Arca Noe non fuerit, peribit regnante diluuio. Et quia pro meis facinoribus ad eam ſolitudinem commigraui, quæ Syriam Barbariæ fine diſterminat, nec poſſum Sanctum Domini interiacentibus ſpatijs à ſanctimonia tua ſemper expetere: ideo hic collegas tuos Ægyptios Confeſſores ſequor, & ſub onerarijs nauibus parua nauicula deliteſco. Non noui Vitalem, Meletium reſpuo, ignoro Paulinum. Quicumque tecum non colligit, ſpargit, hoc eſt, qui Chriſti non eſt, Antichriſti eſt.*

2. Idem Epiſtola 8. ad Demetriadem cap. 9. *Et quia vereor, immo rumo-*

Digitized by Google

rumore cognoui, in quibuſdam adhuc viuere, et pullulare venenata plantaria, illud te pio charitatis affectu præmonendum puto, vt S. Innocentij, qui Apoſtolicæ cathedræ, & ſupradicti Viri ſucceſſor, et filius eſt, teneas fidem, nec peregrinam, quamuis tibi prudens callidaque videaris, doctrinam recipias.

3. Idem contra Ruffinum lib.3.c.5. *Et tamen miror, quomodo probauerit Italia, quod Roma contempſit: Epiſcopi ſuſceperint, quod Sedes Apoſtolica condemnauit.* Et cap. 6. *Innocentem te vocas, ad cuius interpretationem Roma contremuit, abſentem, qui accuſatus reſpondere non audes, et tantùm Romanæ Vrbis iudicium fugis, vt magis obſidionem Barbaricam, quàm paratæ Vrbis velis ſententiam ſuſtinere.* Et lib.3. Apologiæ: *Scito Romanam fidem Apoſtolico ore laudatam eiuſmodi præſtigias non recipere, etiamſi Angelus aliter annunciet, quàm ſemel prædicatum eſt, Pauli authoritate munitam non poſſe mutari.*

4. Idem Epiſtola 58. ad Damaſum Papam: *Si rectum putatis, tres hypoſtaſes cum ſuis interpretationibus debere nos dicere: non negamus, ſed mihi credite, venenum ſub melle latet.*

5. Idem epiſtola 77. Sabellianæ hæreſis, & impietatis, *Arguor*, inquit, *tres ſubſiſtentes, veras, integras perfectaſque perſonas indefeſſa voce pronuntians. Si ab Arianis, meritò. Si ab Orthodoxis? qui huiuſmodi arguunt fidem, Orthodoxi eſſe deſierunt. Aut ſi eis placet, hæreticum me cum Occidente, hæreticum me cum Ægypto, hoc eſt, cum Damaſo, Petroque condemnent. Quid vnum hominem, exceptis ſocijs, criminantur? Si riuus tenuiter fluit, non eſt aluei culpa, ſed fontis.*

6. Denique idem Hieronymus cum omnem fidem ſuam expreſſiſſet in Symbolo, tandem ad Beatum Damaſum Papam ſe conuertens ait. *Hæc fides eſt Papa Beatiſſime, quam in Catholica Eccleſia didicimus, quam ſemper tenuimus: in qua ſi minus peritè; aut parum cautè aliquid fortè poſitum eſt, emendari cupimus à te, qui Petri, & fidem, & ſedem tenes. Sin autem hæc noſtra confeſſio apoſtolatus tui iudicio comprobatur, quicumque me maculare voluerit, ſe imperitum, vel maleuolum etiam Catholicum, non me hæreticum comprobabit.* Hactenus ille. Ex quibus conſtat, Hieronymum, pauperem Monachum, & in præſepi Domini deliteſcentem agnouiſſe in Romano Pontifice authoritatem ad emendandam fidem incongruam, & ad probandam Catholicam. Et apertè tradidiſſe, eam doctrinam fidei debere eſſe inconcuſſam, quam Apoſtolica ſedes probaſſet, & illam reijciendam, vt hæreticam, quam illa, vt talem damnaſſet.

Digitized by Google

§. VI.

Epiſcoporum Catholicorum tempore S. Damaſi.

1. NEc ſolus Hieronymus;ſed Epiſcopi Catholici ſui temporis doctrinam à Damaſo propoſitam fidelibus, tanquam infallibilem fidei regulam venerabantur, & ad illam tanquam ad fidei Catholicæ arcem recurrebant; & hæreticos ſibi aduerſantes cogebant, vt veritatem, & ſinceritatem ſuę fidei coram Romano Pontifice Damaſo probarent. Pro quorum intelligentia notandum eſt, ex hiſtoria Eccleſiaſtica Baronij ad ann. 368. nu. 4. & Spondani, Liberium Papam Damaſi anteceſſorem, de Ariminenſi naufragio reparando ſolicitum, ex Epiſcopis Occidentalibus magni nominis, qui fidei cauſa in Oriente exulabant, Apoſtolicæ ſedis Legatos creaſſe Euſebium Vercellenſem, & Luciferum Calaritanum; hunc autem Antiochiam direxit, vt illius Eccleſię diſſidia componeret; in ea enim Euzoius Arianis præerat; Orthodoxis autem Meletius; ſed non omnes Catholici volebant cum Meletio communicare, eò quòd aliquando Arianis conſenſiſſet, & ideo Luciferum creaſſe Epiſcopum Antiochenum Paulinum virum ſanctum: *cui paruerunt* Orthodoxi Euſtathiani perpetui veritatis Defenſores, atque ita tres ſimul Antiochiæ Epiſcopi fuerunt; & cum omnes fermè Eccleſias (ait Socrates lib. 3. cap. 7.) Euzoius occuparet, Paulinus vnam tantùm obtinuit, Meletius verò extra Ciuitatem conuentus celebrabat,

2. Paulò autem antea, quàm Paulinus crearetur Epiſcopus, (cui ſucceſſit Euſthatius Catholicæ fidei accerrimus defenſor contra Arianos, accerſitus ex ſede Berçenſi ad Antiochenam) ſurrexit Apollinaris Laodicenus; qui cùm pietatis indueret vultum, & Apoſtolica ſe fingeret dogmata conſeruare, paulò pòſt manifeſtus hoſtis apparuit; vt ait Caſſiodorus lib. 9. hiſtoriæ Tripartitæ cap. 3. Hoc ſuppoſito iam probatur, non ſolum Hieronymum, ſed & Catholicos Epiſcopos non aliunde probaſſe, ſe veram fidem tenere, niſi quia tenebant dogmata ea, quæ Damaſus Papa credenda proponebat: quod etiam Apollinaris dicebat, ne vt hæreticus haberetur. Narrat hæc Caſſiodorus loco citato his verbis: *Veniente Sapore Magiſtro militiæ, & oſtendente Principis* (Valentis) *legem, Paulinus quidem fatebatur ſe Damaſi eſſe participem. Promittebat etiam Apollinaris, hoc ipſo languore celato. Porro Flauianus ſapientiſſimus tunc in ordine presbyterij conſtitutus, primò quidem veniente Magiſtro militum, ita ad Paulinum loquutus eſt: Si communionem Damaſi ò amice ſectaris, oſtende nobis dogmatum tuorum apertè concordiam. Ille namque vnam Trinitatis ſubſtantiam confitens, tres ſubſtantias prædicat in aperto: verùm tu è diuerſo ſubſiſtentias perimis Trinitatis, oſtende itaque dogmatũ*

 con-

Digitized by Google

concordiam, et ſuſcipe ſecundũ legem Eccleſias. Cum ergo illum his ſermonibus obiurgaſſet, conuerſus Apollinari dixit, Admiror te amice ſic impudenter veritati reſiſtere, cum apertè noueris, quòd laudabilis Damaſus perfectè naturam noſtram à Deo verbo dicat aſſumptam, tu verò contraria fatearis. Mentem namque noſtram ſalute fraudas. Si autem falsè loquimur; te forſitan accuſantes, vel nunc nouitatem à te natam denega, & Damaſi amplexus doctrinam, ſectam ſuſcipe venerandam veritatis. His rationibus ſapientiſſimus Flauianus illorum fiduciam ita redarguit. Hactenus Caſſiodorus.

§. VII.

S. Auguſtini.

1. AVthoritate S. Auguſtini, qui anno 396. factus eſt Epiſcopus, & anno 430. obijt. Nam in primis lib. 2. de Baptiſmo contra Donatiſtas cap. 1. agens de S. Petro ita ſcribit: *Quis neſcit illum Apoſtolatus Petri principatum cuilibet Epiſcopatum præferendũ*. Vbi expendenda ſunt illa verba, *quis neſcit*, quæ vtique ſunt mirantis, reperiri poſſe aliquem, qui id in dubium quaſi neſciens vocet. Et in epiſt. 162. hęc verba habet: *In Romana Eccleſia ſemper Apoſtolicæ Cathedræ viguit Principatus*. Ergo iuxta Auguſtinum certum eſt, Romanum Pontificem eſſe ſuperiorem reliquis omnibus Epiſcopis, & habere Principatum in Eccleſia Chriſti: Cùm ergo Chriſtus reliquerit in Eccleſia ſua infallibilem authoritatem ad determinandas fidei, & morum controuerſias; & hæc authoritas debeat eſſe apud illum Magiſtratum, penes quem eſt Principatus; ſequitur eſſe apud Romanum Pontificem. Deinde in Pſalmo contra partem Donati inquit: *Numera Sacerdotes vel ab ipſa Sede Petri, in illo ordine Patrum, cui quis ſucceſſerit, videte ipſa eſt petra, quam non vincunt ſuperbæ inferorum portæ*, planè ſentiens nunquam fore, vt portę inferi obtineant à Cathedra Petri, vt aliquem errorẽ Eccleſiæ credendum proponat. Et ideo ſerm. 2. de Verbis Apoſtoli aiebat ſufficere ad certitudinem perfectam iudicium Sanctæ Sedis, nec vlteriùs quicquam requirendum. *Iam de hac cauſa*, inquit, *duo Concilia miſſa ſunt ad Sedem Apoſtolicam, inde etiam reſcripta venerunt. Cauſa finita eſt: error vtinam finiatur*: Et lib. contra Iulianum c. 4. *Cui Eccleſiæ (Romanæ) præſidentem Beatum Innocentium ſi audire voluiſſes, iam tunc periculoſam iuuentutem tuam Pelagianis laqueis exuiſſes. Quid enim potuit Vir ille Sanctus Africanis reſpondere Concilijs, niſi quod antiquitùs Apoſtolica Sedes, & Romana cum cæteris tenet perſeueranter Eccleſia?* Et epiſt. 157. *Conciliorum Epiſcopalium vigilantia in adiutorio Saluatoris, qui ſuam tuetur Eccleſiam, etiam à duobus Venerabilibus Antiſtitibus Apoſtolicæ Sedis Papa Innocentio,*

&

& Papa Zoſimo, niſi correcti etiam egerint pœnitentiam, toto Orbe Chriſtiano damnati ſunt. Sentit ergo iudicium Romani Pontificis in controuerſijs fidei eſſe vltimum, ac proinde non eſſe reformabile per iudicium Concilij generalis.

2. Hac de cauſa Sanctus Doctor quia agnoſcebat in Romano Pontifice aſſiſtentiam infallibilem Spiritus ſancti ad diſcernendam ſanam doctrinam à noxia, ipſius iudicio ſua opera ſubijciebat, & ideo tranſmittens ad Bonifacium primum librum, quem compoſuerat contra duas epiſtolas Pelagianorum, ſic illum alloquitur in prooemio illius operis: *Hæc ergo, quæ iſtis, vt dixi, duabus Epiſtolis eorum, iſta diſputatione reſpondeo, ad tuam potiſſimum dirigere ſanctitatem, non tam diſcenda, quàm examinanda, & vbi forſan aliquid diſplicuerit, emendanda, conſtitui*: Et vt ſe protegeret contra eos, qui eum diffamabant propter doctrinam ab ipſo traditam de præſcientia Dei, ad Summum Pontificem recurrit tanquam ad iudicem infallibilem ſanæ doctrinæ, & ideo in Prologo libri *de quibuſdam articulis ſibi falſo impoſitis*, ſic inquit: *Propoſitis ſingillatim XVI. capitulis, ſub vnoquoque eorum ſenſus noſtri, & Fidei, quam contra Pelagianos ex authoritate Sedis Apoſtolicæ proteximus, verba ponemus, vt qui ſeſe paululum ad legenda dignati fuerint occupare, euidenter cognoſcant, impiarum profanarumque opinionum nullum cordibus noſtris inhæſiſſe veſtigium.*

3. Idem Auguſtinus lib. 2. Retract. cap. 50. manifeſtè ſupponit Romanum Pontificem eſſe ſupremum controuerſiarum iudicem, ad quem attinet hæreſes damnare, & ſanam doctrinam fidelibus proponere. Sic enim ibi ſcribit: *Poſteaquam Pelagiana hæreſis cum ſuis auctoribus ab Epiſcopis Eccleſiæ Romanæ, priùs Innocentio, deinde Zoſimo, cooperantibus Conciliorum Africanorum litteris, conuicta atque damnata eſt, ſcripſi duos libros aduerſus eos, vnum de gratia Chriſti, alterum de peccato originali.* Conſequenter ad hæc idem S. Auguſtinus ad Innocentium Papam ſcribens, & hoc opus de gratia tranſmittens, inquit: *Quod ſi hominibus quidpiam ignorantiæ obrepſerit, tua ſententia corrigatur*; quibus verbis docet, ad Romanum Pontificem attinere iudicium de ſanitate doctrinæ, quæ fidelibus eſt proponenda: quod iudicium debet eſſe infallibile, ne alioqui dum fideles obligat ad recipiendam aliquam doctrinam vt ſanam, obliget ad errandum.

4. Hanc infallibilem Romani Pontificis authoritatem tanquam validiſſimum iaculum contra Parmenianum obiecit lib. 2. ad Bonifacium c. 3. opponens damnationẽ Celeſtij, & Pelagij factã Romæ, per Innocentiũ, Zoſimum, & Bonifacium Pontifices Romanos, qui continuata ſerie Sedem Petri occuparunt, & doctrinam Celeſtij & Pelagij damnarunt: *Cùm* (inquit) *primitus Beatiſſimi Papæ Innocentij litteræ Epiſcoporum litteris reſpondentes Afrorum pariter hunc errorem, quem conantur iſti perſuadere, damnauerint, ſucceſſor quoque eius ſanctus, Papa Zoſimus hoc tenen-*

dum

dũ eſſe, quod iſti de paruulis ſentiunt, nuſquã dixerit, nuſquã ſcripſerit, in ſuper etiãCeleſtiũ ſe purgare molientẽ, ad conſentiendũ ſupra dictis Sedis Apoſtolicæ litteris crebrâ interlocutione conſtrinxit, profectò quicquid interea leuius actum eſt cum Celeſtio, ſeruatâ duntaxat antiquiſſimæ, & robuſtiſſimæ fidei firmate, correctio fuit clementiſſima prauitatis. Et quòd ab eodem Sacerdote poſtea Celeſtius, & Pelagius repetitâ authoritate damnati ſunt, paululum intermiſſæ iam neceſſariò præferendæ ratio ſeueritatis fuit, non præuaricatio priùs cognitæ, vel noua cognitio veritatis. Hæc Auguſt. Quæ verba ſic expendit Waldenſis tom. 1. lib. 2. cap. 47. Innocentius Papa authoritate ſua damnauit errores Celeſtij Africæ Epiſcopi, & per litteras ſuas notum fecit Afrorum Epiſcopis. Auguſtinus approbat, & adducit Innocentium Beatiſſimum Papam: nominat, approbat & adducit Celeſtius coram Zoſimo Papa ſucceſſore eius ſicut coram continuo, & ſuo iudice purgationem appetijt, ſed Papa interlocutionibus crebris ad conſentiendum, Celeſtiũ damnationi in eiſdem litteris cõtentæ conſtrinxit, & eas Apoſtolicæ Sedis litteras Auguſtinus nominat, approbat, & adducit. Quid amplius? Ab eodem Zoſimo Papa, Pelagius, & Celeſtius propter pertinaciam hæreticam eadem authoritate, ſed repetita damnantur. Auguſtinus approbat, & adducit. Iſta videbantur Auguſtino per locum ab authoritate, valida argumenta; Et iterũ reſumens argumentationes, interrogationes Papæ Innoc. & reſponſionem Celeſtij, ſubijcit Aug. *Interrogationibus enim ſancti præceſſoris tui, & Celeſtij reſponſionibus, quibus ſe beati Innocentij Papæ litteris conſentire profeſſus eſt, quis non videat quemadmodum ſic Celeſtius ſic colligatus, & vinculo ſaluberrimo obſtrictus, ne vlterius defendere auderet in baptiſmate paruulorum non dimitti originale peccatum?* Venerabilis quippe Innocentij Epiſcopi de hac re iſta ſunt verba ad Carthaginenſe Concilium: LIBERVM ENIM (inquit) ARBITRIVM OLIM ILLE PERPESSVS, DVM SVIS INCONSVLTIVS VTITVR BONIS, CADENS IN PRÆVARICATIONIS PROFVNDA DEMERSVS, NIHIL, QVEMADMODVM EXINDE SVRGERE POSSET, INVENIT. poſt citata Innocentij verba ſubiungit Auguſtinus: *Quid iſtâ Sedis Apoſtolicæ ſententiâ clarius, atque manifeſtius? Huic ſe Celeſtius conſentire profeſſus eſt, quando, cùm illi à Sancto prædeceſſore tuo dictum eſſet, Illa omnia damnas, quæ iactata ſunt de nomine tuo? Ipſe reſpondit DAMNO, ſecundum Sententiam Beatæ Memoriæ præceſſoris tui Innocentij.* Hactenus Auguſtinus, ex cuius verbis conſtat, ipſum Celeſtium agnouiſſe Romani Pontificis ad damnandas hęreſes ſupremam authoritatem: eaque authoritate vſum eſſe Auguſtinum ad conuincendum hæreticum: Ergo iuxta Auguſtinum Papa habet authoritatem infallibilem ad damnandas hæreſes.

5. In eodem quoque capite 3. lib. 2. ad Bonifacium; Auguſtinus infallibilitatem Romanæ Sedis in definiendo defendit, dum totis viribus repellit

Digitized by Google

repellit rumorem contra Zoſimum Papam falsò ſparſum, quòd ſcilicet præcepiſset credi; *ſine vllo peccati originalis vitio hominem naſci*; ad quem rumorem ſpargendum occaſionem inde ſumpſerunt, quòd Zoſimus Papa verbis Celeſtij, Catholicum animum præſeferentibus, deceptus, catholicum appellauit libellum ipſius; quaſi verò idem foret, verba hęc in laudem illius libri protuliſſe; ac definiſſe, & credenda propoſuiſſe hæretica dogmata in illo contenta. Audiamus iam Auguſtinum loquentem. *Pelagiani* (inquit) *ſpe falſa putauerant, nouum & execrabile dogma Pelagianũ vel Celeſtianum perſuaderi, quorundã Romanorum Catholicis mẽtibus poſſe; quando illa ingenia quamuis nefando errore peruerſa, non tamen contemptibilia, cùm ſtudioſè corrigenda potiùs, quam facilè damnanda viderentur, aliquanto lenius, quàm ſeuerior poſtulabat Eccleſiæ diſciplina, tractata ſunt. Tot enim & tantis inter Apoſtolicam Sedem, & Afros Epiſcopos currentibus, & recurrentibus ſcriptis Eccleſiaſticis, etiam geſtis de hac cauſa apud illam Sedem, Celeſtio præſente, & reſpondente confectis; quænam tandem epiſtola venerandæ memoriæ Papæ Zoſimi, quæ interlocutio reperitur vbi præceperit credi oportere ſine vllo vitio peccati originalis hominem naſci? Nuſquam prorſus hoc dixit, nuſquam omnino conſcripſit. Sed cùm hoc Celeſtius in ſuo libello poſuiſſet, inter illa duntaxat de quibus ſe adhuc dubitare, & inſtrui velle confeſſus eſt, in homine acerrimi ingenij, qui profectò ſi corrigeretur plurimis profuiſſet, voluntas emendationis, non falſitas dogmatis approbata eſt. Et propterea libellus eius Catholicus dictus eſt, quia & hoc Catholicæ mentis eſt, ſi qua fortè aliter ſapit, quàm veritas exigit, non ea certiſſimò definire, ſed detecta ac demonſtrata reſpuere.* Quibus verbis ſatis conſtat, S. Auguſtinum clare docuiſſe, nunquam Romanum Pontificem poſſe ita decipi, & ſeduci ab aſtutia hæreticorum, vt definiat, & credenda proponat dogmata falſa, quamuis poſſit ita circumueniri, vt exiſtimet eſſe virum probum, & Catholicum eum, qui reipſa improbus & hæreticus eſt. Ex præclaris titulis quibus Auguſtinus Romani Pontificis dignitatem, explicat, arguam infra.

§. VIII.

Cyrilli, Chryſologi, Flauiani, Ioannis, Conſtantinopolitani, Ennodij, Fulgentij.

1. AVthoritate S. Cyrilli Alexandrini, qui creatus eſt Patriarcha Alexandrinus anno 413. & præfuit Concilio Epheſino nomine S. Cęleſtini Papæ anno 431. & obijt anno 444. Nam in catena D. Thomæ exponens illa verba, *Super hanc petram ædificabo Eccleſiam meam*, inquit; *Secundùm hanc promiſſionem Eccleſia Apoſtolica Petri ab omni ſeductione, & hæretica circumuentione manet immunis.* Et Dialogo 4. de Trinit.

nit. expendens confeſſionem Petri, & verba Chriſti ad illum, *Et ego dico tibi, quia tu es Petrus* &c. ſubiungit: *Per annominationem aliud nihil quàm inconcuſſam, & firmiſſimam Diſcipuli fidem vocauit, in qua Eccleſia Chriſti ita fundata & firmata eſſet, vt non laberetur, & eſſet in expugnabilis inferorum portis, & in perpetuum manens.* Ad finem huius diſputationis ſeorſim expendam inſignem locum Sancti Cyrilli, ex libro Theſauri pro authoritate ſuprema in vniuerſam Eccleſiam Romani Pontificis quem ſæpe citat D. Thomas; & quem reijciunt vt ſuppoſititium non ſolùm Critici Heterodoxi, quia infenſi ſunt Sedi Apoſtolicæ; Sed aliqui Orthodoxi, illius defendendæ Zeloſiſſimi, quia arbitrantur, Eccleſiam Catholicam his probationibus non indigere. Et efficaciter oſtendã, illum locum veriſſimè citatum fuſſe à D. Thoma; & ſine ſufficienti fundamento explodi à viris Catholicis. Et quamuis non ſit neceſſarius, non propterea debet eius authoritate exproliari Eccleſia Catholica, ſine efficaci ratione.

2. Authoritate S. Petri Chryſologi, qui Epiſcopus Rauennatum factus eſt circa annum 433. & obijt anno 449. aut 450. nam in epiſt. ad Eutychem, ipſum exhortatur, vt iudicio Romani Pontificis, tanquam Iudicis infallibilis in controuerſijs fidei determinãdis acquieſcat. *In omnibus*, inquit, *hortamur te, Frater honorabilis, vt ijs, quæ à Beatiſſimo Papa Romanæ ciuitatis præſcripta ſunt, obedienter attendas: quoniam Beatus Petrus, qui in propria Sede & viuit, & præſidet, præſtat quærentibus fidei veritatem.* Agnoſcit ergo in Romano Pontifice eandem infallibilitatem in reſoluendis fidei dubijs, quæ fuit in B. Petro, quatenus Chriſti Vicario, & Summo Pontifice totius Eccleſiæ.

3. Authoritate S. Flauiani Archiepiſcopi Conſtantinopolitani, qui obijt anno 449. Nam in epiſt. ad S. Leonem eandem authoritatem infallibilem agnouit in Romana Sede: agens enim de hæreſi Eutychetis, ſic Leonem alloquitur: *Cauſa indiget ſolummodò veſtro ſolatio, & defenſione, quâ debeatis conſenſu proprio ad tranquillitatem & pacem cuncta perducere: ſic enim hæreſis, quæ ſurrexit, & turbæ, quæ propter eam factæ ſunt, facillimè deſtruentur, Deo cooperante per veſtras ſanctiſſimas litteras. Remouebitur autem & Concilium, quod fieri diuulgatur, quatenus nunquam vbique ſanctiſſimæ turbentur Eccleſiæ.*

4. S. Fulgentij authoritate, qui ordinatus eſt Epiſcopus Ruſpenſis anno 504. & obijt anno 529. ex Baronij, & multorum aliorum ſententia, in lib. de Incarnat. & de Gratia, & libero Arbitrio eandem in Sede Romana infallibilitatem veneratus: *Id, quod*, inquit, *Romana, quæ Mundi caput eſt, tenet, & docet Eccleſia, totus cum ea Chriſtianus Orbis, & ad iuſtitiam nihil hæſitans credit, & ad ſalutem non dubitat confiteri.* Non ſic locutus eſſet eruditiſſimus Fulgentius, niſi ſuorum temporum tota Eccleſia id crediſſet.

5. Decimononò probatur authoritate Ennodij Diaconi, & poſtea Epi-

Epiſcopi Ticinenſis, qui claruit anno 503. Nam in Defenſione Simachi, Summi Pontificis aduerſus ipſius calumniatores, ſic ſcribit: *Deus ſuo ſine quæſtione reſeruauit arbitrio Pontificem, voluitque Petri Succeſſores cælo tantum debere innocentiam ſuam, & ſubtiliſſimi diſcuſſoris indagini illibatam exhibere conſcientiam: Ipſis verò quidquid vbique fidelium eſt ſubmiſit: quod Acta ipſa Palmaris Synodi teſtantur; nempe contra Religionem, contra ſtatuta veterum, contra regulam Maiorum in Pontificem Romanum à Viſitatoribus inquiri; quandoque Rex Theodoricus recognouit, cùm totius Italiæ Rex eſſet; nam Rauennæ ſe continebat.* Hæc ex Baronio ad annum Chriſti 499. Symachi I. Anaſtaſij Imperatoris 9. Theodorici Regis 7.

6. Authoritate Ioannis Patriarchæ Conſtantinopolitani, qui in Epiſtola, quam ſcripſit ad Sanctum Hormiſdam Papam circa annum 518. agnoſcit infallibilitatem Romanæ Sedis his verbis. *Prima ſalus rectæ fidei regulam cuſtodire, quia non poteſt Domini noſtri prætermitti ſententia dicentis: Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam. Hæc quæ dicta ſunt rerum probantur effectibus, quia in Sede Apoſtolica inuiolabilis ſemper Catholica ſeruatur Religio.*

SECTIO II.

Recenſentur authoritates Patrum, qui floruerunt poſt ſæculum ſextum Eccleſiæ Chriſti.

§. I.

SS. Gregorij Magni, & Auiti:

1. PRobatur authoritate Gregorij Magni Papæ, qui floruit ad finem quinti ſeculi, & principium ſexti, nam anno 590. creatus eſt Pontifex, & anno 604. obijt. Sanctiſſimus hic Pontifex anno 595. ſcripſit epiſtolam ad omnes Epiſcopos Galliæ, quæ eſt 52. libri quarti. In ea autem declarat, Romanum Pontificem eſſe ſupremum controuerſiarum fidei Iudicem, ad quem ſpectat dubia fidei cum infallibilitate reſoluere; ſic enim ait: *Si quam verò contentionem, quod longè faciat Diuina potentia, de fidei cauſa euenire contigerit, aut negotium emerſerit, cuius vehemens ſit fortaſſis dubietas, & pro ſua magnitudine iudicio Sedis Apoſtolicæ indigeat; examinata diligentiùs veritate, relatione ſua ad noſtram ſtudeat perducere notionem, quatenus à nobis valeat congruâ ſine dubio ſententiâ terminari.*

2. Authoritate S. Auiti Alcimi, Epiſcopi Viennenſis, qui vt teſtatur Bellarminus, vir fuit nobiliſſimus, (vt pote Auiti Imperatoris Romani nepos, vt teſtatur Labbè. ſanctiſſimus, & doctiſſimus, qui ab Hormiſda Papa Vicarius in Gallijs conſtitutus eſt, & obijt anno 523. ſecundùm Labbè, S. iſte Epiſcopus agnoſcit in Romano Pontifice authoritatem infallibilem ad determinandas fidei, & morum controuerſias epiſt. 87. ad Horſmidam Papá, *vbi* quærens ab ipſo quid factum fuerit de Neſtorio & Eutychete atque alijs Schiſmaticis, inquit: *Securus, non dicam de Viennenſi, ſed de totius Galliæ devotione polliceor, omnes ſuper ſtatu fidei veſtram captare ſententiam*. Vides qualiter aperto S. Auiti teſtimonio tota Gallia in quæſtionibus fidei ab ore Pontificis Romani pendebat. Præmiſerat verò Epiſt. 36. ad Conarium Patricium: *Scitis Synodalium legum eſſe, vt in rebus quæ ad Eccleſiæ ſtatum pertinent, ſi quid fuerit dubitationis exordium, ad Romanæ Eccleſiæ Maximum Sacerdotem, quaſi ad caput noſtrum, membra ſequentia recurratis*. Patet verò, ad Romanæ Eccleſiæ ſtatum maximè pertinere, definitiones controuerſiarum fidei.

§. II.

SS. Maximi, Bedæ, Damaſceni, Studitæ, Ignatij Conſtantinopolitani.

1. AVthoritate S. Maximi Monachi, & Martyris, qui celeberrimam in Africa habuit anno 645. diſputationem cum Pyrrho Patriarcha C.P. Sede ſua pulſo coram Georgio Patricio in conuentu Epiſcoporum, & glorioſus Chriſti Confeſſor & Martyr ex hac vita diſceſſit. Hic in Epiſtola ad Marinum Diaconum, quæ refertur à Baronio ad ann. 648. hoc priuilegium Romanæ Sedis agnoſcit, dum ita loquitur: *Omnes termini terræ, & quicumque vbique terrarum Chriſtum Dominum pura mente, & orthodoxa fide confitentur, quaſi ad Solem æterni luminis Sanctiſſimam Romanorum Eccleſiam, & eius confeſſionem, & fidem intenti reſpiciunt, ex ipſa rutilantem ſplendorem recipientes ſpiritualium, & ſanctorum dogmatum; quemadmodum ſex illæ ſanctæ Synodi diſertis verbis, & magna cum religione expoſuerunt, apertiſſimè pronunciantes Fidei ſymbolum. Ab initio enim Aduentus Incarnati Verbi vniuerſæ vtique terrarum Chriſtianorum Eccleſiæ à Sancta Romanorum Eccleſia originem habuerunt, fundamentum ſolidum & maximum, contra quod portæ inferi nullo pacto præualebũt iuxta ipſiuſmet Saluatoris promiſſionem; vt habeat claues, ſcilicet orthodoxæ Fidei, & confeſſionis, & aperiat illis, qui ad ipſam Romanam Eccleſiam cum pietate accedunt, veram, & realem ſolam pietatem quærentes:*

&

Digitized by Google

& claudat è contra, & obſtruat omne os hæreticorum, quod loquitur iniquitatem in cælum. Vbi vides, Romanorum Eccleſiam ideo eſſe fundamentum ſolidum & maximum, contra quod portæ inferi nullo pacto præualebunt, quia habet claues orthodoxæ fidei, quæ ſine priuilegio non errandi conſtare non poſſunt.

2. Authoritate Venerabilis Bedę, qui obijt anno 735. qui homil. .... *Ideo Beatus Petrus, qui Chriſtum vera fide confeſſus, vero eſt amore ſecutus, ſpecialiter claues regni cælorum, & principatum iudiciariæ poteſtatis accepit, vt omnes per orbem credentes intelligant, quia quicunq; ab vnitate fidei, vel ſocietatis illius quolibet modo ſeipſos ſegregant, tales nec peccatorum vinculis abſolui, nec ianuam poſsint Regni cæleſtis ingredi.* Ex quibus concludit; *vnde nos neceſſe eſt tota intentione, fratres chariſsimi, & fidei, quam docuit Sacramenta diſcere, & congruentia fidei opera demonſtrare.* Adeò certum erat Pothoni Abbati Prumienſi, errorem apud Sanctā Sedem locum habere non poſſe, vt ſecus ſentientes ſtultitię arguat: *Stultitiæ quidem elogio denotandi, qui illam Petri Sedem aliquo prauo dogmate fallere poſſe arbitrati ſunt, quæ nec ſe fefellit, nec ab aliqua hæreſi vnquam falli potuit.* Item authoritate S. Ioannis Damaſceni, qui florebat anno 731. & tempore Leonis Iſauri ſcripſit orationes pro defenſione ſacrarum imaginum; & poſtea ſuperuixit, & multa paſſus eſt ab Imperatore Conſtantino Copronymo, propter fidem Catholicā Sanctus hic Doctor oratione de transfiguratione, itá ad Petrum de Eccleſia loquitur: *Hanc Chriſtus ſuo ipſe cruore comparauit; tibi autem vt fideliſsimo famulo in fidem tradidit.* Et infra: *Qui te cæleſtis regni clauicularium conſtituit.* Et infra dicit, voluiſſe Chriſtum, Petrum adeſſe ſuę transfigurationi, *vt Antiſtitem, qui totius Eccleſiæ gubernaculū ſuſcepiſſet.*

3. Authoritate S. Theodori Studitę, qui floruit initio ſeculi noni, & martyr obijt an. 826. & ſępe hanc infallibilitatem Romanæ Sedis agnouit. Nam epiſt. ad Paſchalem Papam, *Audi*, inquit, *Apoſtolicum caput, paſtor ouium Chriſti à Deo electi, clauiger Regni cælorum, petra fidei, ſuper quam ædificata eſt Eccleſia Catholica &c. Huc ades, ab Occidente exurge, & ne repellas in finem. Tibi namque dixit Chriſtus Deus noſter: Tu aliquādo conuerſus confirma fratres tuos.*

Idem Epiſt. ad Michaelem Imperatorem: *Si verò aliquid dubitare, vel non credere videtur veſtra diuina Magnificentia, eius rei explicatio à Pontifice piè eſt poſtulanda: magna, & à Deo firmata manus veſtra, vt publicæ cupida vtilitatis iubeat à Veteri Roma capere declarationem, vt à principio à Patribus noſtris eſt traditum. Ea, ò Chriſti imitator, inter omnes Eccleſias Dei, ſummum & ſupremum obtinet locum: cuius Petrus tenuit primam Sedem, ad quem dixit Dominus Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non praualebunt aduerſus eam.*

Idem Epiſt. ad Naucratium: *Teſtor nunc coram Deo & hominibus,*

diuiſi ſunt à corpore Chriſti, & à ſuprema Sede apud quam Chriſtus, depoſuit claues fidei, aduerſus quam portæ inferi à ſæculo non preualuerunt, nec præualebunt vſque ad conſummationem eius, hæreticorum videlicet effrænata ora, ſecundum promiſſionem veracis Domini.

4. Authoritate S.Ignatij Patriarchæ Conſtantinopolitani, cuius ſedem violenter occupauerat Photius, & qui ad illam reſtitutus eſt anno 863. ab octaua Synodo ſub Nicolao I.Papa, & tandem obijt circa ann. 878. Nam Sanctus iſte ſcripſit ad eundem Nicolaum epiſtolam, quæ lecta eſt in Actione 3.octauæ Synodi, in qua Petri, & ſucceſſorum eius poteſtatem, & authoritatem infallibilem profitetur his verbis. *Dixit Petro Magno, & ſummo Apoſtolorum, Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduerſus eam.* Et iterum. *Tibi dabo claues Regni cælorum; & quodcunque ligaueris ſuper terram, erit ligatum, & in cælis: & quodcunque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum & in cælis. Tales enim beatas voces non ſecundùm quandam vtique ſortē Apoſtolorum Principi ſolùm circumſcripſit et definiuit, ſed per eum ad omnes, qui poſt illum ſecundùm ipſum efficiendi erant Summi Paſtores, et diuiniſſimi ſacrique Pontifices ſenioris Romæ tranſmiſit. Et ideo ab olim et priſco tempore in exorſis hæreſibus, et præuaricationibus Eradicatores, et Interemptores malorum zizaniorum, et labefactorum, et penitus inſanabiliter ægrotantium membrorum multi multoties facti ſunt eorum, qui ſanctitatem, et ſummam Paternitatem tuam illic præceſſerunt, ſcilicet Principis Apoſtolorum, et illius zelum in fide, quæ ſecundùm Chriſtum eſt, imitantes.*

§. III.

B.Petri Damiani, S.Anſelmi, Ruperti, S.Bernardi, Hugonis de S.Victore, S.Thomæ Cantuarienſis, Petri Cellenſis.

1. AVthoritate B. Petri Damiani Cardinalis, & Epiſcopi Oſtienſis qui multis legationibus, ac laboribus pro Eccleſia Romana perfunctus, obijt anno 1072. Hic Author idem priuilegium infallibilitatis in Romana Sede ſerm.3.qui eſt de natiuitate B.Ioannis Baptiſtæ, agnoſcit: ſic enim ait: *Illa Mater, et Magiſtra Eccleſiarum omnium Eccleſia Romana, cui dictum eſt, Ego rogaui vt non deficiat fides tua.* Conſtat enim

enim non aliunde habere Eccleſiam Romanā, quòd ſit Magiſtra omniū Eccleſiarum ac proinde quòd gaudeat priuilegio infallibilitatis ad inſtruendum in fide omnes Eccleſias, niſi quia in illa præſidet Romanus Pontifex, tanquam verus & legitimus ſucceſſor illius, cui Chriſtus dixit, *Ego rogaui pro te Petre, ne deficiat fides tua*. Idque clariùs adhuc expreſſit ſapiens iſte Cardinalis opuſc.5.cap. 1. dicens: *Non dubium, quia quiſquis cuilibet Eccleſiæ ius ſuum detrahit, iniuſtitiam facit: qui autem Romanæ Eccleſiæ priuilegium ab ipſo Summo omnium Eccleſiarum capite traditum auferre conatur, hic proculdubio in hæreſim labitur. Et cùm ille notetur iniuſtus, hic eſt dicendus hæreticus. Fidem quippe violat, qui aduerſus illam agit, quæ mater eſt fidei, et illi contumax inuenitur, qui eam cunctis Eccleſijs prætuliſſe cognoſcitur!*

2. Opuſculo eodem 5. in fine ſic habet: *Nos, ſi quid errauimus ad Petri Magiſterium libenter accedimus, et retractationis opprobrium non veremur. Hæc eſt enim illa, vt ita loquor, officina fabrilis, cui nimirum is, qui dicebatur fabri filius præſidet; ad cuius Regulam omnis meritò moneta reducitur, ad cuius rectitudinis lineam, quidpiam vſpiam deprauatum fuerit, reformatur.*

3. Authoritate S. Anſelmi, qui anno 1093. Archiepiſcopus Cantuarienſis electus eſt, & obijt 1109. Is lib. de Incarnat. Verbi cap. 1. eandem infallibilitatem Romanæ Sedis agnouit, nam alloquens Summum Pontificem Vrbanum Secundum, inquit: *Diuina prouidentia veſtram elegit ſanctitatem, cui vitam, & fidem chriſtianam cuſtodiendam, & Eccleſiam ſuam regendam committeret. Ad nullum itaque alium rectiùs refertur, ſi quid contra Catholicam fidem oritur in Eccleſia, vt eius authoritate corrigatur, nec vlli alij tutius, ſi quid contra errorem reſpondetur, oſtenditur, vt eius prudentiâ examinetur.*

4. Authoritate Ruperti Tuitienſis Abbatis, qui obijt anno 1135. nam hic lib. 2. de officijs authoritatem infallibilem in Romana Sede agnoſcit: *Tantis*, inquit, *hæreſibus fermentata eſt Græcia, vt mirum videri non debeat hoc, quod de fermento immolat. Tantæ è contrario ſinceritatis ſemper fuit Romana Eccleſia, vt cui deeſt Scripturarum notitia, vel argumentandi facultas, ſola illi de azymo contra Græcos ſufficere debeat eius authoritas. Nam Conſtantinopolitana non ſolùm hæreticos, ſed & hæreſiarchas protulit multos: Romana verò Eccleſia ſuper Apoſtolicæ fidei petram altiùs fundata, firmiter ſtetit, & tam Græciæ, quàm totius Orbis hæreticos ſemper confutauit, & de excelſo fidei tribunali datâ ſententiâ iudicauit.*

5. Authoritate Hugonis de Sancto Victore ex ordine Canonicorum Regularium S. Auguſtini in cœnobio S. Victoris ad muros Pariſienſes, Coætanei S. Bernardi, ad quem ſcripſit epiſtolam 77. qui obijt an. 1140. Nam lib. 2. de Sacramentis par. 2. manifeſtè aſſerit, poteſtatem Romani Pontificis non habere poteſtatem vllam ſuperiorem in terris, à qua iudicetur; ac proinde cenſet iudicium Romani Pontificis in dubijs fidei

eſſe

eſſe vltimum, adeoque irreformabile. Docet in eo capite, duas eſſe poteſtates, nempè ſęcularem, & ſpiritualem, & in vnaquaque poteſtate diuerſos eſſe gradus, & ſubiungit: *In vtraque poteſtate diuerſi ſunt gradus, & ordines poteſtatum: ſub vno tamen vtrinque capite diſtributi, & quaſi ab vno principio deducti, & ad vnum relati. Terrena poteſtas caput habet Regem. Spiritualis poteſtas habet Summum Pontificem. Ad poteſtatem Regis pertinent, quæ terrena ſunt, & ad terrenam vitam facta omnia. Ad poteſtatem Summi Pontificis pertinent, quæ ſpiritualia ſunt, & vitæ ſpirituali attributa vniuerſa. Quantò autem vita ſpiritualis dignior eſt quàm terrena, & ſpiritus quàm corpus: tantò ſpiritualis poteſtas terrenam ſiue ſæcularem poteſtatem honore ac dignitate præcedit. Nam ſpiritualis poteſtas terrenam poteſtatem, & inſtruere habet, vt ſit: & iudicare habet, ſi bona non fuerit. Ipſa verò à Deo primùm inſtituta eſt, & cùm deuiat, à ſolo Deo iudicari poteſt: ſicut ſcriptum eſt. Spiritualis dijudicat omnia, & ipſe à nemine iudicatur. Quòd autem ſpiritualis poteſtas (quantùm ad diuinam inſtitutionem ſpectat) & prior ſit tempore, & maior dignitate: in illo antiquo veteris inſtrumenti populo manifeſtè declaratur: vbi primùm à Deo Sacerdotium inſtitutum eſt, poſtea verò per Sacerdotium (iubente Deo) regalis poteſtas ordinata. Vnde in Eccleſia adhuc Sacerdotalis dignitas poteſtatem regalem conſecrat, & ſanctificans per benedictionem, & formans per inſtitutionem. Sic ergo (vt dicit Apoſtolus) qui benedicit maior eſt, & minor qui benedicitur: conſtat abſque omni dubitatione, quòd terrena poteſtas, quæ à ſpirituali benedictionem accipit, iure inferior exiſtimetur.*

6. Authoritate S. Bernardi, qui ann. 1115. Clareuallenſi cœnobio præfectus eſt Abbas, & obijt an. 1153. Nam Mellifluus Doctor ſæpius in ſuis operibus docet, Romani Pontificis iudicium eſſe infallibile in dubijs fidei determinandis. Sufficiat vnicus locus ex epiſt. 190. in qua ſcribens ad Innocentium Secundum, inquit: *Oportet ad veſtrum referri Apoſtolatum pericula quæque, & ſcandala emergentia in Regno Dei, ea præſertim, quæ de fide contingunt. Dignum namque arbitror ibi potiſſimùm reſarciri damna fidei, vbi non poſſit fides ſentire defectum: hæc quippe huius prærogatiua Sedis. Cui enim alteri aliquando dictum eſt. Ego pro te rogaui Petre, vt non deficiat fides tua. Ergo quod ſequitur, à Petri ſucceſſore exigitur, & tu aliquando conuerſus, confirma fratres tuos. Id quidem modò neceſſarium. Tempus eſt, vt veſtrum agnoſcatis, Pater amantiſſime, Principatum, probetis zelum, miniſterium honoretis: in eo planè Petri impletis vicem, cuius tenetis & Sedem, ſi veſtra admonitione corda in fide fluctuantia confirmatis, ſi veſtra authoritate conteritis fidei corruptores.* Neque de Bernardo præſumi poteſt, hoc quaſi blandiendo dixiſſe: Liberius namque ſolebat S. Bernardus de Summis Pontificibus, & ad Summos Pontifices loqui, quàm vt adulationis poſſit eſſe ſuſpectus.

7. Authoritate S. Thomæ Cantuarienſis, celeberrimi libertatis Eccleſiæ defenſoris, & Martyris inſignis, qui anno 1162. ex Cancellario

Regni

Regni electus eſt in Archiepiſcopum Cantuarienſem, & poſtea pro defenſione Eccleſiæ glorioſus Martyr occubuit anno 1172. Nam hic glorioſus Pontifex in epiſt. 97. quæ eſt ad Epiſcopos Angliæ apud Chriſtianum Lupum, hanc authoritatem infallibilem in Romano Pontifice agnouit. *Quis Romanam Eccleſiam*, inquit, *caput omnium Eccleſiarum, & fontem Catholicæ doctrinæ ambigit eſſe? quis claues Regni Cælorum Petro traditas eſſe ignorat? Nonne in fide, & doctrina Petri totius Eccleſiæ doctrina conſurgit, donec occurramus omnes Chriſto in virum perfectum, in vnitatem fidei, & agnitionem Filij Dei? quicumque ſit, qui rigat, aut plantat, Deus nulli dat incrementum, niſi illi qui plantauit in fide Petri, et doctrinæ ipſius acquieſcit.* Et epiſt. 122. quæ eſt ad Gilbertum Londonienſem Epiſcopum. *Solus infidelis, aut qui cum errore ſuperat, hæreticus, aut Schiſmaticus, Apoſtolicis obtrectat obedire mandatis.*

8. Idque confirmatur etiam authoritate Petri Abbatis Cellenſis, qui obijt anno 1187. nam S. Bernardi veſtigia premens, epiſt. 1. ad Alexandrum Tertium Pontificem Romanum, authoritatem Romanæ Sedis agnoſcit. *In grauiſſimis*, inquit, *quæſtionibus, ſicut olim ad Moyſem, ſic nunc, Pater venerande, ab omni Eccleſia Dei recurritur ad Beati Petri, et veſtram Sedem. Iam enim communiter communis imponitur vobis ſollicitudo omnium Eccleſiarum, quam ſingulariter, et ſpecialiter Petro videtur dictum: Et tu conuerſus confirma fratres tuos.*

§. IV.

D. Thomæ, S. Bernardini Senenſis, Gennadij, B. Capiſtrani, S. Antonini.

1. AVthoritate S. Thomæ Doctoris Angelici & Theologorum Principis, qui natus anno 1224. obijt anno 1274. qui non potuit luculentiùs ſupremam, & infallibilem authoritatem Romani Pontificis in determinandis fidei, & morum controuerſijs adſtruere: nam 2.2. q. 1. art. 10. ita ſcribit: *Ad illius authoritatem pertinet editio Symboli, ad cuius authoritatem pertinet determinare ea, quæ ſunt fidei, vt ab omnibus inconcuſſa fide teneantur. Hoc autem pertinet ad authoritatem Summi Pontificis, ad quem maiores & difficiliores Eccleſiæ quæſtiones referuntur, vt dicitur in Decret. extra. de Baptiſmo c. maiores. Vnde & Dominus Luc. 22. Petro dixit quem Summum Pontificem conſtituit, Ego pro te rogaui Petre, vt non deficiat fides tua: & tu aliqando conuerſus confirma fratres tuos.*

2. Deinde S. Doctor opuſculo 1. contra errores Græcorum lib. 2. c. 32. copioſè tractat de ſuprema authoritate Romani Pontificis in vniuerſam Eccleſiam, cui annexa eſt infallibilitas in definiendo, vt probaui

diſp.

diſp.1.ſect.6. §.2. Nam titulus capitis 32., eſt iſte: *Quòd Pontifex Romanus eſt primus et maximus inter omnes Epiſcopos*. Titulus capitis 33. eſt hic: *Quòd idem Pontifex in totam Eccleſiam Chriſti vniuerſalem prælationem habet.* Titulus vero capitis 34. eſt hic: *Quòd idem habet in Eccleſia poteſtatis plenitudinem.* Titulus capitis 35. *Quòd in eadem poteſtate, quæ collata eſt Petro à Chriſto, ſit Petri ſucceſſor*. Titulus capitis 36. *Quòd ad alio eũ pertinet determinare quæ ſunt fidei* c.37. *Quòd ipſe Patriarchis Prælatus exiſtit*: Denique titulus capitis 38. *Quòd ſubeſſe Romano Pontifici, ſit de neceſſitate ſalutis*. Quæ omnia probat authoritatibus Patrum Græcorum, præſertim S.Cyrilli, & S.Chryſoſtomi, & ex Concilijs in Græcia celebratis, & ideo cap.32. dicit. *Oſtendendum eſt ergo ex authoritatibus Græcorum Doctorum, prædictum Chriſti Vicarium in totam Eccleſiam Chriſti poteſtatis plenitudinem obtinere*. Quis autem non videat implicatorium eſſe, quòd Romanus Pontifex habeat plenitudinẽ poteſtatis Chriſti Eccleſiæ, & quòd non habeat plenitudinem poteſtatis in Concilium generale, repræſentans Eccleſiam; ſed ſit ei ſubiectum, ipſiuſque iudicium ſit reformabile per Concilium?

3. Authoritate S.Bernardini Senenſis, qui obijt anno 1444. nam part.3. ſerm. hanc infallibilitatem Romani Pontificis agnoſcit his verbis: *Cùm Papa ſit Chriſti Vicarius, & gerat vicem Dei in terris, ſequitur, quòd habet plenitudinem poteſtatis, & illud quod facit, præſumitur] facere authoritate Dei. Ideo ipſo approbante aliquid, & nos approbare debemus, immò ipſius ſententiæ eſt magis ſtandum, quàm totius mundi ſententiæ.*

4. Authoritate Gennadij Patriarchæ, id eſt Georgij Scholarij, qui interfuit Concilio Florentino anno 1438. deinde factus anno 1453. ex Laico Patriarcha Conſtantinopolitanus, aſſumpto Gennadij nomine, in tam ſublimi throno annos quinque, & menſes aliquot egit, quibus elapſis, Patriarchico munere abdicato in monaſterium ſe contulit, ibiq; mortuus eſt circa an. 1460. Hic namque Author in defenſione Concilij Florentini cap. 5. ſec.12. agnoſcit infallibilitatem Romani Pontificis in reſoluendis fidei dubijs, his verbis: *Oportet nos tanquam membra caput ſequi, ideſt, Romanum Pontificem, & Apoſtolicam ſedem, à qua debemus petere, quid credere, & ſentire debeamus, ac tenere, quia ipſius tantùm eſt confutare, redarguere, confirmare, ordinare, ſoluere, & ligare.*

5. Authoritate B.Ioannis Capiſtrani, qui obijt anno 1456. nam in opuſculo de authoritate Papæ & Concilij 3.p.2. Principalis, probat ſuperioritatem Papæ ad Concilium varijs rationibus, quarum vna eſt, quæ ſequitur: *Succedit namque Papa loco Petri in eadem perfectione poteſtatis, & Vicariatûs dignitate, qua & ipſe B.Petrus à Chriſto fuit in vniuerſali Eccleſia ſublimatus*. Et ſanè à folio 104. pag.2. vſque ad fol.126. pag.2. incluſiuè viginti quatuor conficit argumenta ad probandum Papam eſſe ſupra Concilium, & tandem concludit his verbis: *Patet igitur expreſſiſſimè, Papam ſupra Concilium, & non Concilium quantumlibet œcumeni-*

meni-

menicum ; & vniuerſale Papæ ſubijci, et obedire teneri, à quo ſalus omnium fidelium poſt Chriſtum pendet. Ex eo autem, quòd Papa ſit ſupra Concilium, neceſſariò infertur eius iudicium in controuerſijs fidei eſſe vltimum, & irreformabile, atque omnino infallibile, vt probaui diſput. 1.

6. Authoritate S. Antonini Archiepiſcopi Florentini, qui obijt ann. 1459. nam in ſumma Theologica par. 4. tit. 8. c. 3. §. 5. irreformabile declarat iudicium Papæ ijs verbis *Licèt Papa in particulari errare poſſit, vt in iudicialibus, in quibus proceditur per informationem, alias in his quæ pertinent ad fidem, errare non poteſt, ſcilicet, vt Papa in determinando, &c. Vnde magis ſtandum eſt ſententiæ Papæ de pertinentibus ad fidem, quam in Iudicio proferret, quàm opinioni quorumcumque ſapientum.*

„ 7. Idem Sanctus Antoninus 3. part. Summæ Theol. tit. 22. cap. 2.
„ §. 3. probat neceſſitatem vnius capitis in Eccleſia ex neceſſitate con-
„ formitatis in veritate fidei, & morum circa neceſſaria ad ſalutem,
„ quæ conformitas non poteſt ſaluari, niſi in ordine ad vnum caput,
„ ſeu vnum Præſidentem, ad quem ſpectet ſententiare quid creden-
„ dum ſit, & quid non credendum.

§. V.

Probatur etiam ex titulis, & præconijs, quibus SS. Patres Summi Pontificis dignitatem extollunt.

1. COmprobant hanc ſupremam atque adeo infallibilem authoritatem Romani Pontificis præconia, quibus Patres alijque inſignes ſcriptores Romanam ſedem celebrant.

Caſſiodorus in epiſt. 15. lib. 5. Romanum Pontificem appellat *Epiſcopum Patriarcharum.*

Petrus Bleſenſis epiſt. 145. & Bernar. epiſt. 239. appellant *Epiſcopum Orbis.*

Petrus Damianus Opuſc. 25. cap. 1. illum vocat *Epiſcopum vniuerſalem omnium Eccleſiarum.*

In Concilio Chalcedonenſi Actione 3. in tribus epiſtolis appellatur S. Leo *Epiſcopus vniuerſalis.*

In Concilio Lateranenſi ſub Innocentio III. Eccleſia Romana appellatur, *Mater, & Magiſtra vniuerſorum Chriſti fidelium.*

Ipſe Innocentius III. ad Catholicum Armeniorum appellat, *Matrem Eccleſiarum omnium, quæ totum orbem ſua irradiat charitate*, & ſic paſſim loquuntur alij Summi Pontificis.

S. Cyprianus epiſt.46. S. Leo epiſt.97. & 66. Romanum Pontificem vocant *Epiſcopum Catholicæ Eccleſiæ*. Et quidem aliquando Romani Pontifices huiuſmodi titulum adhibent, pręſertim in ſubſcriptionibus magni momenti, vt notat Raynaudus in Corona aurea 10. tomo pag. 55. Ratio autem cur per antonomaſiam Romanus Pontifex appelletur Epiſcopus Eccleſiæ Catholicæ, eſt; quia ad ipſum ſpectat cura totius Eccleſiæ, & alios Epiſcopos vocat in partem miniſterij; cùm non poſſit per ſe ipſum immediatè ad omnia attendere. Extat exẽplum dictæ ſubſcriptionis, in litteris Paſchalis Secundi Pontificis Maximi datis anno Chriſti 1114. ad Ioannem Priorem Eccleſiæ D.Petri de Valerijs in Septimania,quas exhibet Stephanus Baluzius tom.2. Miſcellaneorum pag.189. ſic incipit: *Apoſtolicæ ſedis authoritate debitoque compellimur pro vniuerſarum Eccleſiarum ſtatu ſatagere*. Cui epiſtolæ ſubſcribit ſub hac verborum formula.

Ego Paſchalis Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopus.

Sed alijs omiſſis ſatis nobis ſit indicare elogia, quæ S.Auguſtinus Doctorum aquila habet de Romano Pontifice, eiuſque ſede.

Ser. 24.de tempore Romanum Pontificem appellat, *Verticem membrorum omnium Eccleſiæ*.

Epiſt. 162. *Patrem Chriſtianæ plebis.*

Lib. 2. de Baptiſmo contra Donatiſtas cap.1. *Apoſtolatus principatu cuilibet Apoſtolo præferendum.*

Lib. 1. ad Bonifac. *Altius præſidentem, & præeminentem celſiori faſtigio ſpeculæ paſtoralis.*

Ser. 124. de tempore, & Ser.15. de ſanctis, *Immobile fidei fundamentum, ſupra quod ædificij Eccleſiaſtici altitudo conſurgit.*

In Pſalmo contra partem Donati, *Petram quam non vincunt ſuperbæ inferorum portæ.*

Ser. 124. de tempore, *Crepidinem Confeſſionis fidei.*

Serm. 16. de Sanctis, *Firmamentum omnium.*

Epiſt. 86. *Cælorum ianitorem.*

Epiſt. 75. *Paſtorem gregis Dominici.*

Ser. 124. de temp. *Eccleſiæ Rectorem.*

Lib. 2. de Baptiſmo contra Donatiſt.cap.1. *In quo primatus Apoſtolorum excellenti gratiâ præeminet.*

SE-

SECTIO III.

Vindicatur à ſeuera criſi non ſolùm hæreticorum, ſed quorundam Orthodoxorum, inſignis locus S. Cyrilli Alexandrini, ſæpe citatus à D. Thoma pro ſuprema, & infallibili Romani Pontificis authoritate, & ab illis reiectus tanquam ſuppoſititius.

1. S. Thomas opuſc. 1. contra errores Græcorum cap. 68. ſecundùm editiones primas, & ſecundùm editionem Pariſienſem anni 1660. lib. 2. cap. 34. vt probet, *Romanum Pontificem habere in Eccleſia poteſtatis plenitudinem*, qui eſt titulus illius capitis, inducit authoritatem S. Cyrilli Alexandrini in libro Theſauri dicentis: *Sicut Chriſtus Dux accepit à Patre ſceptrum Eccleſiæ Gentium ex Iſrael egrediens ſupra omnem principatum, & poteſtatem, ſuper omne quodcumque eſt, vt ei cuncta curuentur, pleniſſimam poteſtatem; ſic & Petro, & eius ſucceſſoribus commiſit.* Et etiam: *Nulli alij quàm Petro, Chriſtus quod ſuum eſt plenum, ſed ipſi ſoli dedit.* Et cap. 35. vt probet quod Romanus Pontifex eſt Petri ſucceſſor in eadem poteſtate ei à Chriſto collata; inducit eundem Cyrillum in libro Theſauri dicentem: *Quòd Apoſtoli in Euangelijs, & Epiſtolis affirmarunt in omni doctrina Petrum eſſe loco Dei, et eius Eccleſiam eidem dantes locum in omni capitulo, et Synagoga, et in omni electione, et affirmatione.* Et infra: *Cui*, ſcilicet Petro, *omnes iure diuino caput inclinant, et primates mundi tanquam ipſi Domino Ieſu obediunt.* Et cap. 37. vt probet, quòd Romanus Pontifex Patriarchis prælatus exiſtat, aſſumit authoritatem eiuſdem Cyrilli dicentis: *Quòd ipſius*, ſcilicet Apoſtolici, *Throni Romanorum Pontificum ſolius eſt reprehendere, corrigere, ſtatuere, ſoluere, & loco illius ligare, qui ipſum ædificauit.*

2. Et in opuſculo contra impugnantes Religionem, quod eſt 19. ſecundùm priores editiones, & ſecundùm nouiſſimam eſt 34. cap. 3. circa finem pag. 549. nouiſſimæ editionis, vt probet eos qui impugnant inſtitutum Religionis approbatæ à Sede Apoſtolica, & in hoc derogant Apoſtolicæ poteſtati, non ſolùm falſitatis, ſed etiam hæreſis crimen incurrere, inducit textum ex iure Canonico cap. *Omnes*, diſt. 22. vbi dicitur: *Qui Romanæ Eccleſiæ priuilegium ab ipſo ſummo omnium Eccleſiarum capite traditum auferre conatur, hic proculdubio in hæreſim labitur.* Et infra: *Fidem quippe violat, qui aduerſus illam agit, quæ eſt Fidei Mater.*

Digitized by Google

immediatè ſubdit S. Doctor. *Hoc autem priuilegium Chriſtus Romanæ Eccleſiæ contulit, vt omnes ei ſicut Chriſto obediant. Vnde dicit Cyrillus Alexandrinus in lib. 2. Theſaurorum. Vt membra maneamus in capite noſtri Apoſtolici Throni Romanorum Pontifice, à quo noſtrum eſt quærere, quid credere, & quid tenere debeamus, ipſum venerantes, ipſum rogantes præ omnibus, quoniam ipſius ſolùm eſt reprehendere, corrigere, & loco illius ligare, qui illum ædificauit: et nulli alij, quod ſuum eſt plenum, ſed ipſi ſoli dedit, cui omnes iure diuino caput inclinant, et Primates mundi tanquam ipſi Domino Ieſu Chriſto obediunt. Vnde patet* (ſubinfert S. Thomas) *quod quicunque dicit non eſſe obediendum his, quæ per Papam ſtatuuntur, in hæreſim labitur.* Hactenus Angelicus Doctor, qui eundem locum, in eundem ſcopum citat in 4. diſt. 24. q. 3. art. 2. in 3. quæſtiuncula.

3. En præclarum teſtimonium Scriptoris Græci celeberrimi, Patriarchalis ſedis ſublimitate, vitæ ſanctitate, rerumque Diuinarum ſciētiâ præexcellentis, quo nihil illuſtrius adduci poteſt ad confirmandam veritatem Canonis 44. Concilij Nicæni, ſecundùm verſionem Arabicam Abrahami Ecchellenſis Maronitæ; qui Canon communis eſt omnibus Sectis Chriſtianorum in Oriente, vt vidimus diſput. 3. ſect. 2. §. 8. & §. 10. in quo Canone dicitur: *Quemadmodum Patriarcha poteſtatem habet ſuper ſubditos ſuos; ita quoque poteſtatem habet Romanus Pontifex ſuper vniuerſos Patriarchas, quemadmodum habebat Petrus ſuper vniuerſos Chriſtianitatis Principes, et Concilia ipſorum: quoniam Chriſti Vicarius eſt. etc.*

4. Quia liber Theſauri Sancti Cyrilli continet doctrinam ex diametro oppoſitam hæreſibus huius ſeculi, *Hunc theſaurum verè inſignem abiudicare ante aliquot annos Sancto Cyrillo voluit malè feriatus de Caluini grege Nouator,* inquit Philippus Labbè in Diſſertatione hiſtorica de Scriptoribus Eccleſiaſticis tom. 1. pag. 243. qui immediatè ſubiungit: *Verùm hunc pro meritis egregiè decolorarūt Petauius in Theologicis dogmatibus, & Theophilus Raynaudus in Erotematis.* At quia hic S. Cyrilli locus eſt tam inſignis ad ſtabiliendam ſupremam Romani Pontificis authoritatem in vniuerſam Eccleſiam, & conſequenter authoritatem infallibilem, ad damnanda praua dogmata: hæretici, quibus hæc dignitas Pontificia ſemper fuit lapis offenſionis, in quem impingunt, & quam à mundo exterminare vellent, vt tutò ſuas hæreſes diſſeminare poſſent; reſpondent illum locum Cyrilli eſſe ſuppoſititium, quia in libro Theſauri, quem habemus, non reperitur.

5. Hanc obiectionem præoccupauit, & diſiecit Philippus Labbè loco nuper citato; vbi loquens de Theſauro S. Cyrilli, inquit: *Librum hunc mutilum eſſe docent citati à D. Thoma plures loci, ac imprimis duo illi inſignes: Primus: Petro omnes iure diuino caput inclinant, & primates mundi tanquam ipſi Domino Ieſu obediunt. Secundus: Debemus nos, qui membra ſumus, capiti noſtro Romano Pontifici, & Apoſtolicæ ſedi adhærere. Quibus*

bus in furias verſi aguntur Nouatores, & crimen falſi veraciſſimo ac ſanctiſſimo Scriptori, non verentur impingere Ioannes Raynoldus, & Andreas Riuetus, quorum impudentiam Deo dante in examine Heterodoxorum Criticorum abunde reuincemus. Hæc Labbè.

6. Dubitarique non poteſt in Codicibus manuſcriptis operũ S. Cyrylli, qui communes erant tempore D. Thomæ, ſic legi, ſicut S. Doctor ſcribit. Nemo enim prudens ſibi perſuadere poteſt, Sanctum Thomam in eo opuſculo, in quo Grecorum errores impugnabat, ex teſtimonijs Sanctorum Patrum Græcorum, vti voluiſſe teſtimonijs falſis, aut dubiæ fidei, de quorum falſitate ſtatim poſſet redargui à Græcis.

7. Qui attentè perpenderit firmam ſecuritatem, qua, D. Thomas aggreditur errores Grecorũ in illo opuſculo, dubitare nõ poterit, authoritates ab ipſo adductas fuiſſe ipſi exploratas. Cap. 32. libri ſecundi illius opuſculi contra Græcos, ſic loquitur: *Similis error eſt dicentium, Chriſti Vicarium Romanæ Eccleſiæ Pontificem, non habere vniuerſalis Eccleſiæ Primatum, errori dicentium, Spiritum Sanctum à Chriſto non procedere. Ipſe enim Chriſtus Dei Filius ſuam Eccleſiam conſecrat, & ſibi conſignat Spiritu Santo, quaſi ſuo charactere, & ſigillo, vt ex ſupra poſitis authoritatibus manifeſtè habetur. Et ſimiliter Chriſti Vicarius ſuo primatu & prouidentiâ vniuerſam Eccleſiam, tanquam fidelis miniſter, Chriſto ſubiectam conſeruat. Oſtendendum eſt ergo ex authoritatibus Græcorum Doctorum, prædictum Chriſti Vicarium in totam Eccleſiam Chriſti plenitutudinis poteſtatem obtinere.* Hucuſque S. Thomas, qui ad ſtandum promiſſis, probat aſſumptum ex Concilio Chalcedonenſi, ex Sancto Chryſoſtomo, ex S. Cyrillo Hieroſolymitano; ſed præcipuè ex Sancto Cyrillo Alexandrino, producens in medium verba citata. Quis ergo ſine ingenti temeritate audebit dicere, Sanctum Thomam in re tam graui deceptum fuiſſe, citando ſine delectu, & diligentiâ teſtimonia ſuppoſititia?

8. Et ſanè D. Thomam verè citaſſe loca S. Cyrilli, ex eo etiam probatur, quòd Hieronymus Donatus in Apologetico de Romanæ Sedis Principatu, Franciſcus Turrianus lib. 2. de Romani Pontificis authoritate, & Lindanus lib. 4. Panopliæ cap. 86. producunt Græca Cyrilli verba ex ipſius theſauro, quæ Latinè reddita ſunt eadem in ſubſtantia cum verbis adductis à D. Thoma. Probatur etiam ex eo, quòd eruditus Gennadius, non ille antiquus Epiſcopus Maſſilienſium, ſed alius multò recentior, id eſt Georgius Scholarius, qui interfuit Concilio Florentino anno 1438. & deinde factus ex Laico anno 1453. Patriarcha Conſtantinopolitanus, Gennadij nomen aſſumpſit, in apologia pro ſancta, & Oecumenicâ Synodo Florentinâ cap. vltimo protulit illum locum S. Cyrilli citatum à S. Thoma in opuſculo contra impugnantes religionem, eiſdem verbis, quibus illum produximus ex D. Thoma.

9. Vn-

9. Vnde ex eo, quòd locus ille S.Cyrilli allegatus à S. Thoma pro Primatu Romani Pontificis,& ſuperioritate in omnes Patriarchas, nō reperitur in editione operū S.Cyrilli,qua vtimur,non probat,non eſſe verum,vt etiam obſeruat P.Theophilus Raynaudus to.10.pag.168.vbi hæc habet: *Non inuenitur quidem is locus in vulgati hactenus theſauri opere. Sed eam editionem eſſe multipliciter mutilam conſtat ex multis, quæ Cypariſſiota ex eo opere allegat, nec reperiuntur in opere theſauri hactenus vulgato.* Addit, certum argumentum ad hoc probandum confici ex teſtimonijs Hieronymi Donati, Franciſci Turriani, & Lindani nuper allegatis: nam translatio facta à Turriano ex Græco in Latinum, ſic ad verbum habet: *Debemus nos, vt qui membra ſumus, capiti noſtro Pontifici Romano, & Apoſtolicæ Sedi adhærere. Ad nos pertinet, ab eo, quid credendū quid opinandum, quid tenendum ſit, quærere: quoniam ſolùm Pontificis ſit, arguere, corrigere, increpare, ratum facere, diſponere, ſoluere, ligare &c.* Quæ verba poſtquam retulit Raynaudus, addit: *Paulò pleniùs eum ipſum S. Cyrilli locum latinè expreſſum retulit S.Thomas opuſc.1.cap.68. & opuſc.19. cap.3. Quod, etiamſi nunc is locus nullibi Græcè extaret, eum non eſſe ſuppoſititium, manifeſtè euinceret. Nemo enim auſit cogitare S.Thomam voluiſſe Lectori imponere, proferendo falſa teſtimonia, eo præſertim opere, quo impugnat Græcos, falſiloquij ſæpe notatos, facilè enim expertus eſſet recriminatores, & falſæ allegationis reprehenſores.* Hactenus Theophilus Raynaudus.

10. His adiungit magnum pondus criſis,& iudicium Cardinalis Bellarmini, qui in libro de Scriptoribus Eccleſiaſticis, agens de operibus S.Cyrilli, etiam cenſet,librum Theſauri eſſe mutilum, & imperfectum, eò quòd in illo non reperiantur multa, quæ citantur à S. Thoma in opuſculo contra errores Græcorum ex Theſauro Cyrilli, quæ in his libris non reperiuntur.

11. Idque ipſum ampliùs firmatur, quòd cùm D. Thomas in quartum diſt.24. quæſt.3. art.2. in tertia quæſtiuncula in ſecundo argumento, ſed contra,citaſſet eundem locum S. Cyrilli Alexandrini, quem adduximus ſupra ex opuſculo contra impugnantes Religionem cap.3. in margine huius loci in vltima editione operum Sancti Thomæ facta Pariſijs anno 1660. R. P. Ioannes Nicolai Ordinis Prædicatorum Doctor Pariſienſis, notat, licèt locus ille non reperiatur in libris Cyrilli, qui modo extant; nihilominus certum eſſe, plures Cyrillum ſcripſiſſe libros,quàm qui modò extant, & ſubdit: *Et alioqui, quòd Cyrillus de Summo Pontifice præclariſſimè ſit locutus, ex Concilio Florentino ſeſſ.7. colligitur; imò græca verba quantùm ad primam partem Turrianus lib.2. de Pontificis Poteſtate, ac Lindanus in Panoplia cap.87. refert; ex quibus conſtat Apoſtolicum Thronum dici Romanum Pontificem,nec Pontificum legi debere.* Prima autem pars verborum Sancti Cyrilli, quæ ibi citat S.Thomas, ſecundum Codices correctos, eſt hæc: *Vt membra maneamus in capi-*

Digitized by Google

capite noſtro, Apoſtolico Throno, Romanorum Pontifice, à quo noſtrum eſt quærere ipſum venerantes, ipſum rogantes præ omnibus; quoniam ipſius ſolius (nota ly ſolius) *eſt reprehendere, corrigere, ſtatuere, diſponere, ſoluere, & ligare, loco illius, qui ipſum ædificauit.*

12. Adde Ipſum Interpretem, qui ex Græco in Latinum opera Cyrilli vertit, animaduertere, ſe aliqua non vertiſſe in Latinum, quæ inueniebantur in textu Græco; quia iudicauit aliqua textui Cyrilli fuiſſe addita. Et veriſimile eſt, inter alia præcidiſſe textum citatum toties à D. Thoma. Quis autem ſciat, hunc Interpretem non fuiſſe deceptum? & cur potius illi, quàm D. Thomæ debeamus credere? Quare fixum eſt, non dari ſufficiens fundamentum, vt reijciamus vt ſpuriam, & ſuppoſititiam illam authoritatem S. Cyrilli, cùm tot viri eruditiſſimi cenſeant libros theſauri non eſſe integros, ſed multa illis deeſſe, quæ à Cyrillo dicta ſunt: & ſtemus potius iudicio S. Thomæ, quàm Criticorum heterodoxorum, qui hanc authoritatem Cyrilli auerſantur, ex odio & rabie in Romanam Sedem; imò quàm Criticorum orthodoxorum huius ætatis, qui præ nimio zelo defendendi Eccleſiam, ne videantur ipſius iura dubijs argumentis protegere, fugiunt ab ijs rationibus, quę non nituntur principijs omninò certis; cùm tamen Eccleſia ius habeat, vt eius defenſores non ſolùm vtantur argumentis omninò certis, ſed probabilibus quibus ſcilicet nihil poteſt opponi, quod non ſufficienter ſoluatur; nam hæc argumenta prioribus adiuncta rem illuſtriorem faciunt: & æquum non eſt, vt tam facilè aduerſarijs cedamus; ſed potiùs inſudandum nobis eſt in quærenda ſolutione ad argumenta, quibus Eccleſiam his teſtimonijs expoliare tentant hæretici, quibus videntur manus dare, qui propter difficultates ab illis motas non audent amplius illa teſtimonia in medium producere.

***

SE-

SECTIO IV.

Infallibilitas Romani Pontificis, eiuſque excellentia ſupra omnia Concilia, cognita fuit tempore Concilij Epheſini ab Eutherio Thyanenſi Epiſcopo, & Helladio Tarſenſi, qui appellauerunt ad Sixtum III. Pontificem Romanum à ſententia lata à Cyrillo, & à Concilio contra ipſos, & alios Epiſcopos.

1. Conſtat id ex tomo primo epiſtolarum variorum Patrũ ſcriptarum tempore Concil. Epheſini, quas eruditiſſimus Chriſtianus Lupus deprompſit ex manuſcriptis Codicibus Caſſinenſis Bibliothecæ, quando iuſſu Alexandri VII Louanio auocatus eſt in Vrbem, & in Italia per quinque annos commoratus eſt. Hic Tomus excuſus Louanij anno 1682. vno poſt obitum Authoris anno. Horum Epiſcoporum epiſtola habetur in illo tomo cap. 117. pag. 241. eiuſque titulus eſt iſte; *Epiſtola Deo Amiciſſimi Eutherij Epiſcopi Thyanenſis, & Helladij Tarſienſis, ſcripta ad magni nominis Romæ Epiſcopum Sixtum.*

§. I:

Appenduntur capita aliqua illius epiſtolæ.

1. Ex hac epiſtola excerpam capita aliqua, quæ ad propoſitum præſens faciunt. Sic autem incipit: *Multam prouidentiam humani generis per ſingula tempora faciens Dominus Chriſtus, alio tempore alia luminaria præparauit ad eorum Ducatum, qui bonæ ſint voluntatis, conuictionemque contrariorum, & mendacij quidem deſtructionem, veritatis autem confirmationem. Sicut etiam ſub illo maiori Pharaone Beatum Moyſen contra Iamnes et Mambre, et ſicut ſuper Simonem Magum, Petrum benè vincentem; ſic et contra eos, qui nunc inſurrexerunt, inimicos tuam protulit Sanctitatem, per quam bonæ ſpei ſumus et nos, quod Orbis terrarũ ab Ægyptio liberetur errore, qui Moyſes nouus exiſtens omnem quidem Ægy-*

ptium

ptium hæreticum percuties, ſaluabis verò omnem Iſraelitam Orthodoxum. Igitur contra veritatem multis millibus geſtis, & mundiſſima Orthodoxiæ margarita multas excipiente inimicitias, & quantas nulla vnquam tradit hiſtoria, ab his qui harum vocum nouitatem contra Paternam Fidem Apoſtolicam repererunt, noſtrum quidem eſt, qui triplices multiplicesque patimur tempeſtates, & pene in Piratas incidimus, ad eum clamare, qui à Deo productus eſt Gubernator, eumque pro amore veritatis quanta poſſibile eſt edocere: tuæ autem Gratiæ ſapientiæque eſt non deſpicere, neque otioſè tranſcurrere huiuſmodi quæſtionem, tantamque cauſam; ſed & perſcrutari cum dilectione boni laboris, & imponere emendationem cum tota conſtantia, & Deo dilecta fiducia. Et olim ſiquidem ſæpius iam ex Alexandria huiuſmodi hæreticis zizaniјs inſurgentibus, ſuffecit veſtra Apoſtolica Sedes per vniuerſum tempus illud ad mendacium conuincendum, impietatemque reprimendam, & corrigenda quæ neceſſarium fuit, muniendumque Orbem terrarum ad gloriam Chriſti, tam ſub illo ter Beato, & inter ſanctos habendo Epiſcopo Damaſo, quàm ſub pluribus aliјs glorioſis atque admirabilibus. Cuius rei gratia & nos præſumimus has ſupplicationes offerre, vt adiuuetis Orbem terrarum: Et in illa parte quæ errat, & in illa quæ tyrannidem ſuſtinet. Quæque ad hoc impugnatur, vt ad ea, quæ non conueniunt, aſſenſum præbeat; eò quòd non velit, nec expedire iudicet, vt Ægyptiorum Capitulorum varias vocum nouitates excipiat,

2. Poſtmodum latè conqueruntur de ijs, quæ à Cyrillo, & à toto Concilio decreta fuerant contra ipſos, & alios Epiſcopos. Quibus enarratis, ſic pag. 245. concludunt: *Rogamus verò, & ſanctis tuæ Religioſitatis prouoluimur pedibus, vt manum porrigas ſalutarem, & auferas mundi naufragium, omniumque horum inquiſitionem iubeas fieri, & his illicitis cæleſtem ſuperduci correctionem: vt reuocentur quidem Sancti Paſtores, qui iniuſtè ſunt à ſuis Ouibus effugati, & reddatur Gregibus ordo, & antiqua concordia: & vt non vltra lamentatus & mugitus pro votis offerantur ac Pſalmis, dum multi diſperſi ſunt. Et ne quiquam periclitentur circa ea, quæ præcipua ſunt, dum vitant ab hæreticis vel lauacrum regenerationis, vel myſticam communionem accipere, quæ ab Orthodoxis ſumere ad ſalutem minimè permittuntur:*

3. *Quæ ex parte quidem videntes, ex parte verò audientes, olim concurriſſemus ad Sanctitatem tuam nos qui è diuerſis regionibus ſumus, id eſt, ex Euphrateſia, ex vtraque Cilicia, ſecunda Cappadocia, Bithynia, Theſſalia, & Mæſia: Vt & fontes effunderemus lachrymarum, & publicè deſleremus peregrina, & inſueta huius vitæ mala, niſi detineret nos Luporum terror, inſidiantium Gregibus ad rapinam, & ad errorem, omnemque aduerſitatem. Vnde coacti ſumus noſtra vice dirigere Religioſiſſimos Clericos, et Monachos, qui impleant locum noſtrum. Quæſumus igitur, vt abſque dilatione exſurgatis, et feruido zelo magnum Victoriæ trophæum contra æmulorum cuneos erigatis, ante oculos habentes boni Paſtoris diligentiam, ſimul*

 et ſtu-

et ſtudium circa Ouem, quæ errauerat. Et non abſque periculo deputetis, ſi quid faſtidioſè circa tot Paſtores, et Oues agatur: dum illæ quidem errent, illi verò tyrannicam ſuſtineant violentiam.

4. *Imitamini potiùs et magnũ pietatis Præconem Paulũ, Oculum Mundi quem nos vt pignus habere familiaritatis noſtræ erga veſtram credimus ſanctitatem. Ciuis enim noſter exiſtens, errore totius Orbis extincto, illius Apoſtolicæ Sedis factus eſt ornamentum, et à Beato Petro dexteram ſocietatis accepit, vt appareret ab vtriſque æquam ſubtilitatem dogmatum cuſtodiri. Etiam quæſumus, ne deſpiciamur à vobis nos, quos tot mala circundant. Non enim de pecunijs vel gloria, aut quolibet alio temporalium decertamus, ſed pro pietatis poſſeſsione communi, pro paterno fidei theſauro, pro ſpe communi fidelium, pro bona confeſsione Apoſtolorum, pro immortali certamine Martyrum, et maximè pro aduentu clementiaque Dominica, cuius virtutem inuincibilem inuocantes ſine ceſſatione clamamus: Parce Domine populo tuo, et ne dederis hæreditatem tuam in opprobrium.*

5. *Eutherius Epiſcopus Metropolis Thyanenſium ſubſcripſi. Et quæſo, vt me ores incolumem, Deo amiciſſime, & ſanctiſſime Pater.*

6. *Helladius Epiſcopus Metropolis Tharſi ſubſcriſi. Et rogo, vt me ores incolumem, Deo Amiciſſime, & Sanctiſſime Pater.*

§. II.

Scholia, & notæ Chriſtiani Lupi in Epiſtolam Eutherij, & Helladij Epiſcoporum ad Sixtum Tertium P. M., qui præfuit Eccleſiæ immediatè poſt S. Cæleſtinum I. ſub quo celebratum eſt Concilium Epheſinum.

1. HArum Epiſtolarum explicationem reiecit Lupus in alium tomum, cuius titulus eſt: *Scholia, & notæ ad variorum Patrum epiſtolas, concernentes Acta Epheſini, & Chalcedonenſis Concilij, nuperrimè repertas in Bibliotheca celeberrima Monaſterij Caſinenſis, & nunc primum in lucem editas.* In hoc ſecundo tomo edito ſimul cum primo „ pag. 450. hanc exponens epiſtolam Lupus, inquit: Hæc epiſtola eſt „ ſummi ponderis, & grandi Dei beneficio reuelata huic noſtro tem- „ pori. Etenim hodie quidam inuadunt S. Petrum Apoſtolum (mo- „ dernos quoſdam libros, & librorum Scriptores intelligi) ac eius Ro- „ manam Sedem machinantur ſpoliare ſuis per ipſum Chriſtum Domi- „ num datis priuilegijs, iuribus, ac dignitatibus: Iure Romanarum „ ex toto Orbe appellationum. Affirmant Orientales olim Epiſcopos

„ nun-

„ nunquam ad Romanos Pontifices, ſed ſemper prouocaſſe ad genera-
„ lem Synodum totius Eccleſiæ. Eſt imperita, ac maligna fabula, quam
„ ſpero abundè refutaſſe in ſingulari Opere de Romanis appellationi-
„ bus. Eius interim Authores ac fautores, ſunt homines non minimi
„ nominis apud ſuos, ideoque firmos fatigant, infirmos capiunt, me-
„ dios cum ſcrupulo dimittunt. Præſens epiſtola euertit omnem fa-
„ bulam. Eſt enim authenticum Inſtrumentum appellationis, quam
„ Helladius ac Eutherius, non ad generalem, ſed aduerſus generalem
„ Synodum interpoſuerunt apud Sixtum Tertium Pontificem, & quod
„ per Legatos ad ipſum tranſmiſerunt. Hi videntes ſe non dumtaxat
„ ab Epheſina Oecumenica, & Conſtantinopolitana Maximiani Syno-
„ do degradatos, ſed etiam nunc per proprium Patriarcham Ioannem,
„ ac S. Cyrillum à pace excluſos, ideòque iam per armatum Principis
„ brachium omnino extrudendos è ſuis Sedibus, conuerſi ſunt ad aliud
„ conſilium. Appellauerunt, ac inuocauerunt Sixtum Pontificem: non
„ dumtaxat aduerſus pacem, aut Maximiani Decretum, ſed etiam ad-
„ uerſus Epheſinam Synodum: Omnia eius Acta accuſarunt, poſtulan-
„ tes retractari, & circumduci. Ex quo præfati Nouatores docentur &
„ aliam veritatem: nempe quòd Orientalis olim Eccleſia crediderit
„ Papam eſſe omnino ſuperiorem generali Synodo. Appellari enim
„ non poſſit niſi ad altiorem Iudicem. Nec hæc eſt vnica iſtius formæ
„ appellatio. Etenim etiam S. Flauianus Conſtantinopoleos Epiſco-
„ pus, Theodoretus Cyrenſis, Euſebius Doryleenſis, ac alij plures ad-
„ uerſus Epheſinum Latrocinium prouocarunt ad Magnum Leonem.
„ Et trium famoſorum Capitulorum Oſores aduersùs Chalcedonenſem
„ Synodum inuocarunt Vigilium Pontificem. Et hic omnino retra-
„ ctauit Synodum: Eius tamen de iſtis Capitulis iudicium noluit defi-
„ nitiuè circumducere. Hinc natum eſt quintum Concilium.

2. Deinde poſt pauca ſubiungit Lupus: S. Petrum, ac eius Succeſſo-
„ rem Sixtum rectiſſimè æquiparant Moyſi. Ad Romanos enim Ponti-
„ fices pertinet Hæreticos, & Schiſmaticos, noui Teſtamenti Magos
„ ſupprimere, ac in Cælo volantes, ſeu in Eccleſiarum thronis domi-
„ nantes præcipitare, ac degradare. Appellantes hanc Romanæ Ec-
„ cleſiæ authoritatem inſigniter profitentur his verbis: Ad eum clama-
„ re, qui à Deo productus eſt gubernator. Per appellationem clama-
„ re ad Gubernatorem totius Eccleſiæ. Non ad generalem Syndum,
„ ſed ad ſolùm iſtum Gubernatorem. Etenim ad eius gratiam, ac ſa-
„ pientiam ſpectat non deſpicere, neque otioſè tranſcurrere motas in
„ quauis Eccleſia quæſtiones, & cauſas, ſed perſcrutari cum dilectio-
„ ne boni laboris, & imponere emendationem cum tota conſtantia
„ definire veritatem, ac eius præuaricatores punire. Hic enim Gu-
„ bernator obligatur explère mandatum ſui Domini: Confirma fratres
„ tuos. Et hoc eius opus nequaquam eſt nouum. Etenim & olim ſæ-

„ pius ex Alexandria hæreticis zizaniјs inſurgentibus ſuffecit veſtra
„ Apoſtolica ſedes per vniuerſum tempus iſtud ad mendacium conuincēdum, impietatemque reprimendã, & corrigenda, quæ neceſſarium
„ fuit, muniendumque Orbem terrarum ad gloriam Chriſti, tam ſub
„ illo ter Beato Epiſcopo Damaſo, quàm ſub pluribus alijs, glorioſis, atque admirabilibus. Damaſus ad Petri Alexandrini Epiſcopi appellationem damnauit Arianum Lucium, intruſum ab Arianis. Item damnauit appellantem Maximum Cynicum, etiam Ægyptium, ac Alexandrinum. Etiam alios damnauit hæreticos. Omnia ſolus. Imitatus ſuos Anteceſſores.

„ 3. Eandem Romanæ Eccleſiæ authoritatem profitentur hæc verba: Rogamus, & ſanctis tuæ Religioſitatis prouoluimur pedibus, vt manum porrigas ſalutarem, & auferas Mundi naufragium, omniumque horum inquiſitionem iubeas fieri, & his illicitis cæleſtem ſuperduci correctionem. Vt reuocentur quidem Sancti Paſtores, qui iniuſtè ſunt à ſuis ouibus effugati, & reddatur Gregibus Ordo, & antiqua Concordia. Rogant ſe ac alios eiectos aut deiectos Epiſcopos reueſtiri, per Papam retractari omnia, ac etiam definiri. Et ita auferri totius Mundi naufragium. Rogant hoc iudicium non fieri per nouam Synodum, nec delegari in Partibus, ſed Romæ expleri per ipſum Pontificem. Manifeſtè iuxta Canones Sardicenſes. Hinc pergunt: Olim quidem concurriſſemus nos, qui ex diuerſis Regionibus ſumus, ex Euphrateſia, ex vtraque Cilicia, Secunda Cappadocia, Bithynia, Theſſalia, & Moeſia, niſi detineret nos Luporum terror, inſidiantium Gregibus ad rapinam, & errorem, omnemque aduerſitatem. Vnde coacti ſumus noſtra voce dirigere Clericos, & Monachos. Ex quo vides hanc appellationem ac profeſſionem non fuiſſe ſolius Helladij ac Eutherij, ſed omnium iſtarum Prouinciarum. Vides Appellationem, quam aduersùs Epheſinum Latrocinium fecit ad Magnum Leonem Theodoretus, non fuiſſe eius primam. Notanda ſunt & hæc verba: Et non abſque periculo deputetis, ſi quid faſtidioſè circa tot Paſtores, & oues agatur. Affirmant non ſolos Paſtores, ſeu Epiſcopos, ſed etiam Oues, id eſt Chriſtianum populum poſſe prouocare ad Pontificem: Et hunc obligari ad eos iuuandos.

4. Poſtea recenſet Lupus capitula varia, quæ contra Cyrillum allegarunt illi Epiſcopi, quibus recenſitis addit Lupus pag. 456. Hos omnes articulos. Helladius ac Eutherius, & cuncti illis adhęrentes Epiſcopi per appellationem detulerunt ad Apoſtolicam Sedem, ad iudicium ſolius Sixti Pontificis. Videlicet omnia Acta Epheſini Concilij, Perſonæ ac doctrinę Neſtorianæ damnationem, quatuor Metropolitanorum excluſionem à pace, ipſam pacem, Acta ſui Patriarchę Ioannis, Capitula, & Acta S. Cyrilli, item Acta Memnonis. Omnes erant

„ gra-

,, grauiſſimæ cauſæ: Et propter ipſas non poſtularunt aliam Synodum,
,, ſed Iudicium ſolius Sixti. Quia nempe omnis tunc ſub cælo Eccleſia
,, credebat ac profitebatur iſtud Iudicium eſse ſuperius omni Synodo.
,, Appellatio fuit omnino interiecta ante datam paci à Sixto confirma-
,, tionem. Imò ante pacis examen. Lucet ex his Epiſtolę verbis: No-
,, ſtrum eſt ad te clamare, & Te edocere. Tuæ autem Gratiæ ac ſapien-
,, tiæ eſt non deſpicere, neque otioſè tranſcurrere tantam cauſam. Et
,, ex verbis præcedentis Epiſtolæ: Dirigatis aliquos cum communi hac
,, formula, & litteris accommodis ad Occidentis Patres. Timor enim
,, eſt ne præuenientibus litteris aliorum, quaſi vnitio facta ſit, & rebus
,, incongruis conſentientibus vniuerſis, ſegniores appareant ad ea, quę
,, malè acta ſunt, corrigendum. Quid opus coniecturis? S. Cyrillus in
,, ſuis ad Donatum Nicopolitanum Epiſcopum litteris diſertè ſcribit
,, de Ioanne Antiocheno, ac eius, qui pacis conditiones ſubſcripſerant,
,, Epiſcopis: Miſerunt eandem illam Epiſtolam, quam ad me ſcripſe-
,, runt, & in qua admiſerunt pacis articulos, ad Sanctiſſimos, Sixtum
,, Magnæ Romæ, & Maximianum S. Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ,
,, Epiſcopos. Et Ioanni Antiocheno Sixtus reſcripſit: Hæc Sanctitatem
,, tuam volumus prædicare, quæ ſcribis. Expertus es negotij præſentis
,, euentu, quid ſit ſentire nobiſcum. Proinde Ioannes, ac ipſi adhęren-
,, tes Epiſcopi retulerunt omnia Romanæ Eccleſiæ: Et aduerſùs hanc
,, relationem interceſſit præſens Appellatio.
,, 5. Et Sixtus ipſam omnino admiſit, & ante datam paci confirma-
,, tionem maturè omnia retractauit. Etiam Conſtantinopolitanam Ma-
,, ximiani Synodum. Et Appellantes, quantumuis exaudire in omnibus
,, non potuerit, omnino exaudiuit in quibuſdam. Inſuper Maximiani
,, Synodum, imò & pacis Acta circumcidit, & quędam eius Capita cir-
,, cumduxit. Nempe quatuor Metropolitarum excluſionem à pace.
,, Etiam hos, dummodo tres præfatos pacis articulos admitterent, vo-
,, luit incluſos: voluit quietos manere, aut etiam reſtitui ſuis Eccleſijs.
,, Lucet ex eius ad Sancti Cyrilli relationem reſcripto. Ioannes Antio-
,, chenus, ſicut fratri, & Coepiſcopo Maximiano ſæpe iam ſcripſimus,
,, non eſt redeuntibus difficilis aperire ianuam, vt verò, niſi perditio-
,, nis filius, nemo ſit perditus, ſitque ei maior cauſa lugendi, quòd me-
,, ruit ſolus excludi. Et tunc Helladius, quoniam tandem obediuit Pon-
,, tifici, fuit admiſsus ad pacem, ac piè in Domino obdormiuit apud
,, ſuam Eccleſiam. Notanda ſunt verba: Sicut fratri Maximiano ſæpe
,, iam ſcripſimus. Nempe Maximianus à Pontifice frequenter rogarat
,, ſuſtineri Acta ſuæ Synodi: Pontifex verò ſemper fuit mitior ad cle-
,, mentiam. Porro iſti quatuor erant damnati etiam ab Epheſina
,, Synodo: Et omnia iſta vincula ſoluit ſolus Sixtus.
,, 6. Ex his intelligens fundamentum impoſturæ, de qua S. Cyril-
,, lus ſcripſit ad Melitinenſem Acacium: *Quod ſi qui Epiſtolam, tanquam*

à Phi-

à Philippo Reuerendiſſimo Romanæ Eccleſiæ Presbytero ſcriptam, attulerint, perinde ſonantem ac ſi Sanctiſſimus Epiſcopus Sixtus depoſitionem Neſtorij moleſtè acceperit, eique opem tulerit. Ne credat hoc tua Sanctitas. Scripſit enim conſona Sanctæ Synodo, omniaque illius geſta confirmauit, ac nobiſcum „ *ſentit.* Dum Sixtus Eutherij ac Helladij Appellationem audiret, & „ omnia illius capita retractaret, eorum Fautores ſparſerunt, Pontificem „ adeò illis fauere, vt etiam Neſtorij damnationem, ideòque, & cun- „ cta Epheſini Concilij Acta improbaret, & foret propediem circumdu- „ cturus. Addebant hæc ſibi nuntiata per litteras Philippi Presbyteri, „ à Celeſtino Pontifice Legati ad eandem Synodum. Et certè Sixtus „ fuit facilioris ingenij. Quod enim adhuc Presbyter Pelagianis cir- „ cumſcriptus aliquando fauerit, diſcimus ex litteris S. Auguſtini. Hinc „ in præſentis examinis exordio poſſit etiam ceſpitaſse: Philippus Pres- „ byter poſſit iſtud ſcripſiſse ad aliquem Orientis Epiſcopum. Quidquid „ ſit, poſt plenè audita omnia tulit iuſtum Iudicium. Notanda ſunt „ S. Cirilli verba: Omnia illius geſta confirmauit. Non Pacis, ſed Ephe- „ ſinæ Synodi. Quoſdam pacis articulos circumduxit. Epheſina Acta „ fuerant à S. Celeſtino confirmata: Cur igitur eadem denuo confir- „ mauit Sixtus? Reſpondeo, ob præſentem Appellationem. Hæc per- „ ſuaſit illa retractari, ideòque, & denuò confirmari.

7. Ex hac epiſtola manifeſtè conſtat, fas eſse appellare à ſententia Concilij Generalis ad Romanum Pontificem. Et hinc rurſus euincitur, Romanum Pontificem eſse ſupra omnia Concilia; quia à ſuperiori ad inferiorem nefas eſt appellare. Ex eo autem quòd Romanus Pontifex ſit ſupra omnia Concilia, euidenter infertur ſuppoſita fide, illum eſse authoritatis infallibilis, eiuſque iudicium in rebus Fidei eſse vltimum, & irreformabile.

§. III.

Confirmatur eadem authoritas Romani Pontificis ex alia epiſtola eiuſdem Eutherij Epiſcopi ad Alexandrum, & Theodoretum.

1. IDque ipſum conſtat ex epiſtola alia, quę habetur eodem tom. 1. pag. 240. cap. 116. cuius titulus eſt; *Deo Amiciſſimis, & Sanctiſſimis Dominis meis, & cum omni reuerentia nominandis, Sanctis Comminiſtratoribus Alexandro, & Theodoreto, Eutherius Gaudere.*

2. Sub hoc autem titulo ſic ſcribit: *Diuinum Sactitatis veſtræ zelum, qui vbique peruenit, nocte dieque fulgentem, clamant iam vniuerſa terra, & mare, à quo & nos, valdè ſegnes, ſtimulati ſumus ad bonorum deſiderium,*

rium, piæque confeſſionis inſtantiam, ita vt audeamus per litteras deprecari, & de eis, quæ agenda ſunt, commonere. Perclaruit igitur hoc eſſe iuſtum præſenti in tempore, vt adijciat Sanctitas Veſtra cæteris rectitudinibus ſuis & hoc ſtudium, quod nunc exigit tempus, vt dirigatis aliquos cum communi hac formula, & litteris accommodis ad Occidentis partes, & excitetis ad hoc pro fide certamen eos, qui illic ſunt, habentes inſitum fidei zelum. Timor eſt enim, ne præuenientibus litteris aliorum, quaſi vnitio facta ſit, & rebus incongruis conſentientibus vniuerſis, ſegniores appareant ad ea, quæ male acta ſunt, corrigendum. Et nos quidem quaſi in libro, quæ ſunt placita, exponentes, id eſt, ego & Dominus meus per omnia Sanctiſſimus Epiſcopus Helladius, horum reſcripta veſtra, quæ ſecundùm Deum eſt Charitati direximus. Veſtræ autem Religioſitatis eſt, & probare, & proferre, & ad finem perducere. Quæ cum Sanctitate Veſtra eſt, Fraternitatem ego, & qui mecum ſunt ſalutamus.

§. IV.

Scholia Chriſtiani Lupi ad eam epiſtolam.

1. POſtea in ſecundo tomo in ſcholijs ad caput illud 116. pag. 448. ſic inquit Lupus; „ Hæc epiſtola eſt maximi ponderis. Laudat „ enim Romanam appellationem, quam Helladius Tharſenſis, ac Eu„therius Metropolita Thyanenſis non dumtaxat aduersùs initam pa„cem, ſed etiam aduersùs omnem Epheſinam Synodum fecerunt ad „ Sixtum tertium Pontificem. Hi duo Metropolitæ, videntes ſe exclu„ſos à pace, viderunt ſuam degradationem, quam Epheſina fecerat, & „ Conſtantinopolitana Maximiani Synodus confirmauerat, probari & „ admitti etiam à Ioanne Patriarcha. Viderunt nihil ſibi ſupereſſe, niſi „ eiectionem ac infame exilium. Nam Eutherius à Firmo Cæſareenſi „ Exarcho ſuper ordinationem ſuſtinuerat, & Helladius acceperat non „ vanas minas ſimilis violentiæ. Et Imperator Theodoſius his omnibus „ iam fauebat, dans militaris executionis aſſiſtentiam. In ſua quidem „ Sacra, quæ Epheſinam Synodum ſoluit, iuſſione edierat, latæ in „ Orientales Epiſcopos degradationis iuſtitiam ſibi non apparere; aſt „ nunc agebat omnia contraria. Hinc ergo illi appellauerunt ad Sixtum „ Pontificem. Non ſolummodò aduersùs pacem, ſed etiam aduersùs „ omnia Acta Epheſini Concilij. Poſtularunt omnia retractari per Se„dem Apoſtolicam, & circumduci.

„ 2. Et in hac epiſtola addunt varia. Primò, quòd hæc ſua appella„tio ſit communis formula. Hoc eſt, quòd ipſi adhæreant alij quam„plures Epiſcopi. Secundò, quòd Occidentales, id eſt, Romana Ec„cleſia habeat inſitum fidei zelum, ideòque apud ipſam non ſit diffi-

„ dendum

„ dendum de Iuſtitia. Tertiò, quòd tranſmittant appellationis Inſtru-
„ mentum, examinandum, probandum, aut corrigendum. Quartò,
„ Theodoretum ac Alexandrum rogant, vt hanc communem formulam
„ dignentur proferre, & ad finem perducere: Vt dirigant aliquos cum
„ communi hac formula, & litteris accommodis ad Occidentis partes,
„ & eas excitent ad hoc certamen fidei. Vt hoc ſtudium ſuperaddant
„ cæteris ſuis rectitudinibus. Et certum eſt, quòd & Alexander, & Theo-
„ doretus hæc omnia expleuerint. Appellatio enim omnino fuit tranſ-
„ miſſa Romam, ideòque per iſtos duos omnino probata atque adiuta.
„ Aliàs mittenda non fuerat. Et hinc diſcimus, quod Theodoretus non
„ ſolummodo poſt inflictam ſibi ab Epheſino Latrocinio damnationem,
„ ſed dudum antea Romanas appellationes probauerit, immò & ipſis
„ adhæſerit. Nam etiam in Eccleſiaſtica hiſtoria ſcripſit, quòd S. Papa
„ Iulius, S. Athanaſij, ac aliorum Orientalium Epiſcoporum appella-
„ tionem admittens, ac ipſos ante Sardicenſem Synodum reueſtiens,
„ proceſſerit iuxta vetuſtum Eccleſiæ Canonem. Præſentis appellatio-
„ nis tempus oſtendunt hæc epiſtolæ verba: Timor enim eſt, ne præ-
„ uenientibus litteris aliorum, quaſi vnitio facta ſit, & rebus incon-
„ gruis conſentientibus vniuerſis, ſegniores appareant ad ea, quæ ma-
„ lè acta ſunt, corrigendum. Edicunt factam ante datam initæ paci à
„ Sixto confirmationem: Poſt miſſas Romam relationes, quibus Cy-
„ rillus ac Ioannes confirmationem poſtulauerant. Et ſanè tunc opor-
„ tuit.

§. V.

Eadem authoritas Romani Pontificis illuſtratur ex eo, quod S. Sixtus reuocauerit Decretum Concilij Epheſini contra aliquos Epiſcopos, qui ad ipſum appellarunt.

1. IDem Chriſtianus Lupus in eo primo tomo cap. 190. pag. 377. contexit catalogum quindecim Epiſcoporum, qui exulare iuſſi ſunt à proprijs Eccleſijs, quia acquieſcere noluerunt factis Cyrilli, & Decretis Concilij Epheſini, cui ipſe præſidebat. Titulus autem illius capitis eſt iſte. *Quanti à Sanctis Eccleſijs exierunt, nolentes ſuam conſcientiam vulnerare, neque acquieſcere factis Cyrilli, ſeu eius ſuſtinere communionem.*

2. Explicans autem poſtea hoc caput idem Author tom. 2. pag. 539.
„ inquit. Hoc Caput eſt ſummi ponderis. Reuelat & docet res hucuſ-

„ que

„ que penitus incognitas. Primò, quod Sancti Cyrilli iudicium,
„ quo quatuor Metropolitas à pace excluſerat, non habuerit effectum
„ in omnibus. Etenim Helladius Tharſenſis fuit admiſſus in pacem,
„ & permanſit Epiſcopus. Nempe ob ſuam Romanam appellationem,
„ & Romanum Reſcriptum, quo Sixtus Tertius Pontifex non ſolùm
„ iſtud Sancti Cyrilli, nec ſolùm Conſtantinopolitani Concilij, ſed
„ etiam Epheſini Concilij Decretum circumduxerat. Ex quo lucidiſ-
„ ſimè patet, quod Orientalis Eccleſia ſemper conſtantiſſimè credide-
„ rit Generalium Synodorum ſancita ſubeſſe Romano Pontifici, ideo-
„ que hunc eſſe omnibus iſtis ſuperiorem.

SECTIO V.

Suprema, & infallibilis authoritas Romani Pontificis agnita fuit, & opere ipſo propugnata à Theodoreto Epiſcopo Cypri, qui interfuit Concilio Epheſino; atque etiam agnita à Ruffino.

1. THeodoretus fuit vir planè doctiſſimus, inquit Bellarminus, Sancti Cyrilli æqualis, & aliquando aduerſarius, vt notum eſt ex Concilio Epheſino. Quamuis autem Neſtorio fauerit initio controuerſiæ; tamen poſtea reſipuit, & Neſtorium inter hæreticos enumerauit lib. 4. de fabulis hæreticorum: & in Concilio Chalcedonenſi admiſſus fuit inter Catholicos.

2. Anno 431. celebratum fuerat Concilium Epheſinum primum, legitimum, & vniuerſale, cui interfuit Theodoretus, & in quo præſedit S. Cyrillus Alexandrinus nomine S. Cæleſtini primi; in quo damnata eſt nefanda hæreſis Neſtorij Epiſcopi Conſtantinopolitani. Poſtea anno 449. ſub S. Leone I. celebratum eſt Epheſinum II. vniuerſale Concilium reprobatum, & communiter appellatum *Epheſinum Latrocinium*; in quo à 138. Epiſcopis Præſide Dioſcoro Alexandriæ Epiſcopo, Eutyches abſolutus, & Flauianus cum Euſebio Dorylæi, Ibâ Edeſſæ, & Theodoreto Cypri Epiſcopis condemnatus, & in eorum ſedes alij ſunt ſubrogati.

3. Ab hac Conciliabuli illius iniqua ſententia appellauit Theodoretus ad Leonem I. Pontificem Romanum, tanquam ad ſupremum Eccleſiæ iudicem, habentem ſuperioritatem in omnes Synodos, & potentem earum ſententias reuocare, ſi iniuſtas eſſe deprehenderit; & tanquam ad infallibilem Iudicem controuerſiarum fidei, ad quem ſpectat vltimum iudicium ferre, an aliqua doctrina ſit hæretica, an catholica;

vt patet ex eius epiſtola ad Sanctum Leonem, in qua ſic ipſum alloquitur: *Oro, atque obteſtor Sanctitatem tuam, vt rectum, ac iuſtum tribunal veſtrum inuocanti opem ferat, iubeatque ad vos venire, & doctrinam meam Apoſtolicis veſtigijs inhærentem oſtendere .... Ante omnia, vt à vobis docear, oro, an me oporteat in hac iniuſta depoſitione acquieſcere, an non; veſtram enim ſententiam expecto: quod ſi in iudicatis manere me iuſſeritis, manebo, neque vlli hominum deinceps moleſtus ero, ſed rectum Dei, Saluatoriſque noſtri iudicium expectabo.* Quibus verbis apertè fatetur tribunal Romani Pontificis eſſe ſupremum in Eccleſia, à quo nulla ſit appellatio, & poſt quod non ſuperſit niſi tribunal Chriſti: ergo ſentit eſſe infallibile in determinandis fidei, & morum controuerſijs. Idque confirmatur ex Epiſtola 63. S. Leonis ad Theodoretum data, in qua de illius reſtitutione agens ſic ſcribit: *Gloriamur in Domino, qui nullum nos in fratribus detrimentum habere permiſit: ſed quæ noſtro priùs miniſterio definierat, vniuerſæ Fraternitatis irretractabili firmauit aſſenſu, vt verè à ſe prodijſſe oſtenderet, quod priùs à prima omnium Sede formatum, totius Chriſtiani Orbis iudicium recepiſſet.*

4. Ruffinus Toranus, ſeu Turanius, Aquileienſis Eccleſiæ Preſbiter, *Sancti Hieronymi* (inquit Bellarminus) *quondam amiciſſimus, deinde æmulus factus*. Vt enim ſcribit Labbè quamvis non ſemel fuerit ab Hieronymo laudatus, tamen ſubortis varias ob cauſas ſimultatibus ſæpius ab eodem exagitatus eſt, partim, vt Origenis partium accerrimus defenſor, partim vt Pelagianorum amicus ac nouorum ſectator dogmatum. Et licet à S. Paulino epiſt. 9. ad Seuerum vere *Sanctus & ipſe doctus, & ſcholaſticis, & à ſalutaribus Literis Græcè ac Latinè diues* appelletur: tamen Gelaſius Papa Canone *Sancta Romana* diſt. 15. hæc ſcribit: *Ruffinus vir Religioſus plurimos Eccleſiaſtici operis edidit libros, nonnullas etiam ſcripturas interpretatus eſt. Sed quoniam B. Hieronymus in aliquibus eum de arbitrij libertate notauit, illa ſentimus, quæ Beatum Hieronymum ſentire cognoſcimus.*

5. Ruffinus ergo cum animaduerteret ſe in doctrina notari, ad Romanum Pontificem Anaſtaſium tanquam ad ſupremum controuerſiarum fidei iudicem, & veræ doctrinæ catholicæ communem Magiſtrum confugit, vt coram eo fidem ſuam probaret; & de hoc argumento epiſtolam Apologeticam ad ipſum ſcripſit, quæ incipit: *Audiui quoſdam*, in cuius fine ſic concludit: Nemo ergo mihi ex hoc
„ quæſo te ſancte ac venerabilis, & beate pater conflet inuidiam, nemo
„ factionibus vtatur, & calumnijs, quod in Eccleſia Dei fieri non licet.
„ Vbi enim ſimplicitas tuta erit & innocentia, ſi hic non erit? Orige-
„ nis ego neque defenſor ſum, neque aſſertor, neque primus interpres:
„ Alij ante me hoc opus fecerant, feci & ego poſtremus rogatus à fra-
„ tribus. Si iubetur ne fiat, iuſſio ſolet obſeruari in poſterum. Si
„ culpantur qui ante iuſſionem fecerunt, culpa à primis incipiat. Ego

„ enim

» enim præter hanc fidem, quam ſupra expoſui, id eſt quam Eccleſia
» Romana, & Alexandrina, & Aquileienſis noſtra tenet, quæque Hie-
» roſolymis prædicatur, aliam nec habui vnquam, nec habeo in Chri-
» ſti nomine, nec habebo: Et ſiquis aliter crediderit, quiſquis ille eſt,
» anathema ſit.

SECTIO VI.

Ipſi Baſileenſes Patres, dum in ſuis Epiſtolis Synodalibus extollere conantur authoritatem Concilij ſupra Papam, ea principia admittunt, ex quibus neceſſariò infertur oppoſitum.

1. PAtres Baſileenſes in epiſtola Synodali 3. anno 1432. ſequentia habent. *Nunc ad propoſita per Venerabilem Archiepiſcopum Tarentinum dicendum reſtat. In primis latè explicat iuriſdictionem & poteſtatem ſummi Pontificis, quòd caput ſit & Primas Eccleſiæ, Vicarius Chriſti, & à Chriſto, non ab hominibus vel Synodis, alijs Prælatus, & Paſtor Chriſtianorum: & ei data ſunt à Domino claues, & vni dictum eſt: Tu es Petrus. Et ſolus in plenitudinem poteſtatis vocatus ſit, alij in partem ſolicitudinis, & multa huiuſmodi, quæ, cum vulgatiſſima ſint, minimè neceſſarium erat recenſere. Iſta planè fatemur & credimus, operamque in hoc ſacro Concilio dare intendimus vt omnes eandem ſententiam credant.* &c.

2. Et poſt pauca. *Hoc nos meminiſſe decet, Catholicam Eccleſiam illam eſſe, cuius confeſſio in ſymbolo continetur: Sanctam Eccleſiam Catholicam. Huius Eccleſiæ Catholicæ tanta authoritas eſt, vt ſola Chriſti Euangelia illa dicantur quæ Eccleſia recipit: plures enim de Apoſtolis etiam ſcripſiſſe dicuntur Euangelia. Sed quia tantùm quatuor approbauit Eccleſia, illa ſola, & non alia, veneramur. Ideo Beatus Auguſtinus in plerique locis aſſerit: Euangelio non crederem, niſi me Eccleſiæ authoritas commoueret. Illa enim ſacra ſcriptura dicitur, quam ſacram declarat Eccleſia. Huius Eccleſiæ determinationi catholici omnes ſuas meritò ſententias ſubmittunt: & niſi ab ipſa approbentur Eccleſia, Catholici eſſe non poſſunt. Hæc Sancta Eccleſia tanto priuilegio à Chriſto Saluatore noſtro, qui eam ſanguine ſuo fundauit, dotata eſt, vt eam errare non poſſe firmiter credamus.*

3. Ex ijs, quæ Patres illi coacti manifeſtis Euangelij teſtimonijs admiſerunt; arguitur contra ipſos efficaciſſime. Nam ſi iuxta ipſos Romanus Pontifex, eſt caput & Paſtor Eccleſiæ iſtius, cui à Chriſto tot prærogatiuæ conceſſę ſunt; ergo tota illa debet ſubiacere Romano Pon-

Digitized by Google

tifici, vt corpus ſubiacet capiti; & vt ouile ſubiacet Paſtori : ergo tota illa tenetur obedire Papæ vt capiti, & vt ſummo Paſtori, qui ipſam tanquam Vicarius viſibilis Chriſti viſibiliter gubernat. Ergo Concilium generale repræſentans hanc Eccleſiam, hoc corpus, & hoc ouile, non poteſt præcipere Summo Pontifici, ſed potiùs illi præcipienti debet obedire : quia monſtroſum eſt, quòd corpus imperet capiti, & ouile Paſtori. Concilium namque generale eo titulo, quòd repræſentet corpus Eccleſię, & ouile Chriſti, non maiora habet priuilegia, quàm illa, quæ à Chriſto conceſſa ſunt corpori huic myſtico Eccleſiæ, & ouili ſuo. Ergo cum corpus Eccleſię non ſit ſupra caput, nec ouile ſupra Paſtorem, Concilium generale non eſt ſupra Papam, quem Chriſtus conſtituit Vicarium ſuum in terris, & quem fecit caput viſibile ſui corporis myſtici, & Paſtorem totius ſui ouilis & gregis; ſed potiùs Papa eſt ſupra Concilium. Ergo iudicium Romani Pontificis in fidei quæſtionibus determinandis non eſt reformabile per Concilium : ergo eſt iudicium vltimum, cui omnes fideles tenentur conformari : ergo eſt infallibile : quia vt latè probatum eſt Diſput. 1. cum communitas Eccleſiæ Catholicæ ſit infallibilis in credendo; debet ſupremus iudex controuerſiarum fidei, cui omnes tenentur obedire, eſſe infallibilis in docendo, proponendo, & determinando.

DI-

DISPVTATIO VIII.

In qua ex Iure Pontificio, id eſt ex Sacris Canonibus, & Pontificum Decretis ſtabilitur Romani Pontificis in determinandis fidei & morum controuerſijs infallibilitas.

SECTIO I.

Breuis notitia de iure Pontificio.

1. IVRIS Pontificij volumina (inquit Canus lib. 8. cap.7.) circa varia rerum genera verſantur. Primùm enim catholicam fidem, & profitentur, & explicant, vt in tit. de ſum. Trin. Deinde de moribus definiunt, & religione Chriſtiana, quantum aut Euangelica lege, aut naturæ ratione definire licet: vt videre eſt in tit. de vſura, de iureiurando, de diuortijs, de ſimonia. Preterea differunt quoque de moribus Eccleſiaſticis, deque religionis cæremonijs, & officijs Miniſtrorum Eccleſiæ, quatenus hæc omnia diſponuntur legibus poſitiuis; quales ſunt multæ in tit. de celebrat. Miſſæ, de Cleric. peregrin. coniugatis, & cætera; de ætate, & qualitate ordin. de obſeru. Ieiun. & breuiter in lib. 1. decret. de officijs Iudicum, & in 2. de Ordine iudiciario. Poſtremò autem huiuſmodi Pontificia iura præſcribunt pœnas his, qui leges vel Euangelicas, vel naturales, vel etiam Eccleſiaſticas perruperint, vt in tit. de excom. de rapt. de Apoſtaſ. de hæret. licet cernere.

2. In ſpeciali autem diſtinguendo, & diuidendo Ius Canonicum, illud cōplectitur quinque partes, nempe Decretum, Decretales, Sextum Decretalium, Clementinas, & Extrauagantes. Decretum, opera & ſtudio Gratiani Monachi Benedictini, ex Sacræ Scripturæ ſententijs, Conciliorum, & Summorum Pontificum decretis ac reſponſis, Romanorum Imperatorum legibus, Sanctorum Patrum, & Eccleſiaſticorum hiſtoricorum dictis, & ipſius Gratiani, ac eius diſcipuli Paleæ commen-

Digitized by Google

mentarijs compilatum eſt. Vt autem notat P. Suarez libr. 4. de legib. cap. 5. num. 6. Sententiæ, ſeu dicta Sanctorum per ſe, & quatenus nituntur authoritate eorum, non habent vim legis: quia lex non eſt actus doctrinæ tantùm, ſed poteſtatis: Sancti autem Patres non habebant poteſtatem hanc, nec etiam hac intentione talia ſcripta tradebant. Nec etiam illæ Patrum ſententiæ accipiunt vim legis, eò quòd à Gratiano in ſuo Decreto inſertæ ſint, niſi ab aliquo Pontifice fuerint canonizatæ, ſicut contingit, quando illas Decretalibus ſuis inſerunt. Ratio eſt (inquit P. Suarez num. 7.) quia nec Gratianus habuit poteſtatem dandi vim legis, nec Pontifex pro legibus approbauit omnia, quæ in decreto Gratiani continentur. Quapropter, (vt inquit P. Layman tom. 1. pag. 53.) cùm opus hoc, ſiue totum complexum Gratiani à nullo hactenus Pontifice confirmatum ſit; ideo non omnes Canones, ſiue Capitula Decreti Pontificij, vel Eccleſiaſtici iuris authoritatem habere credendum eſt, ſed ſingula ad propriam originem reuocari debent, videlicet ad Pontificiam authoritatem, quæ ſunt ſumpta ex Pontificum Decretis, vel Oecumenicis Concilijs, aut etiam non Oecumenicis, quæ tamen poſtea à Sede Apoſtolica confirmata ſunt: ad ciuilem verò, quæ ex Imperatorum Conſtitutionibus, vel Reſcriptis: Dicta verò Sanctorum Patrum, ipſiuſque Gratiani, ac Paleæ, quæ Eccleſiaſticis regulis, boniſque moribus non repugnant, licèt per ſe nullam iuris authoritatem habeant, nihilominus conſuetudo obtinuit, vt in foro externo etiam illa ad cauſarum deciſionem inſeruiant.

3. Totum verò Decretum in tres partes diuiditur. Prima continet Diſtinctiones centum, & vnam; & vnaquæque Diſtinctio in varios Canones diuiditur. Secunda pars continet cauſas triginta ſex; & vnaquæque cauſa diuiditur in quæſtiones varias; & vnaquæque quæſtio in varios canones, ſeu varia capitula: Cauſæ autem trigeſimæ quartæ quæſtio tertia continet tractatum de Pœnitentia, diuiſum in ſeptem Diſtinctiones, quarum quælibet complectitur multos canones, ſeu varia capita. Tertia pars Decreti eſt de Conſecratione, & continet Diſtinctiones quinque, & ſub vnaquaque Diſtinctione Canones multos.

4. Secunda pars Iuris Canonici continet quinque Decretalium libros, quæ ſunt variorum Pontificum Decreta à Gregorio Nono ad Pontificatum euecto anno 1227. in vnum corpus collecta, & ſub varijs titulis prò diuerſitate materiarum diſtincta. Intentio quippe Pontificis fuit Conſtitutiones, & Decretales epiſtolas ſuorum Prædeceſſorum in diuerſa diſperſas volumina, in vnum Corpus, reſecatis ſuperfluis pro vtilitate ſtudentium cogere.

5. Tertia pars Iuris Canonici continet librum Sextum Decretalium à Bonifacio Octauo ad ſolium Pontificale anno 1294. exaltato, ex diuerſorum Pontificum reſponſis compilatum. Quod volumen in alios quinque libros diuiſit; ita vt Sextus decretalium cùm præcedentibus decre-

by Google

cretalium libris compleat numerum ſenarium, & in ſe complectatur quinque alios libros, ſicut volumen Decretalium, licèt minoris molis, eoſdemque diſtinctos in varios titulos, qui ſæpe ſunt ſimiles titulis Decretalium; nam ſicut in Decretalibus primus titulus primi libri eſt de Summa Trinitate & Fide Catholica, ita & primus titulus Decretalium: in Decretalibus, ſecundus titulus eſt de conſtitutionibus, tertius de reſcriptis, & pariter ſe habent ſecundus, & tertius titulus in Decretal. Eſt autem Sextus Decretalium Bonifacij, eiuſdem authoritatis cum Decretalibus Gregorij.

6. Nec mirum eſſe debet Epiſtolas ſiue Reſponſa Summorum Pontificum legum ſiue Decretorum vim obtinere, vt quod vni Eccleſiæ Papa v.g. reſpondit, in altera quoque Eccleſia ad controuerſiæ deciſionem cum authoritate allegari poteſt, vt bene animaduertit P. Layman, præſertim vbi Decretalis epiſtola in corpus Iuris Canonici redacta publicã authoritatem meruit; quandoquidem idipſum in ciuilibus quoque Imperatorum reſponſis obſeruatur, ſicut conſtat ex leg. 1. ff. de conſtitutionibus Principum. Rectè tamen ex Iſidoro monet Gratianus in Diſt. 29. diligenter inſpiciendum eſſe, vtrum Papæ vel Imperatoris reſponſum ex ſpeciali cauſa, perſona, loco & tempore prodierit, tunc enim ad alias cauſas transferri non poteſt.

7. Quarta pars Iuris Cononici complectitur Conſtitutiones Clementis Quinti ad Pontificatum euecti anno 1305. in quinque libros varioſque titulos diſtinctas, qui ſæpe ſunt ijdem, qui in Decretalibus, & in 6. apponuntur, vt patet in primo de Summa Trinitate, & fide Catholica, & in ſecundo de reſcriptis, & ſub quolibet titulo varia quoque capita continentur. Quæ Conſtitutiones à nomine Authoris Clementinæ appellantur.

8. Quinta denique pars continet Conſtitutiones Extrauagantes Ioannis Vigeſimi Secundi ad thiaram euecti anno 1316. in vno libro ſub quatuordecim titulis, varijſque capitulis ſub quolibet titulo, & continet etiam libros alios quinque Extrauagantium communium diuerſorum Pontificum, videlicet eiuſdem Ioannis XXII. Clementis IV. Bonifacij VIII. Benedicti XII. euecti an. 1334. & Sixti IV. euecti ad Papatum anno 1471.

SE-

SECTIO II.

Quanta ſit authoritas Sacrorum Canonum, & quàm validum argumentum, quod ex illis conficitur.

1. MAxima Sacrorum Canonum commendatio eſt illa, quam habet Innocentius Tertius in epiſtola ad Antiochenum Patriarcham, quæ citatur in cap. *Cum ex illo* de tranſlatione Epiſcopi, id eſt in cap. 1. tituli 7. libri primi Decretalium, vbi apertè docet, *Canonica inſtituta continentia maiores Eccleſiæ cauſas ad Sedem Apoſtolicam eſſe referendas*, ortum ducere ex priuilegio, quod Chriſtus Dominus Beato Petro, & in ipſo omnibus eius ſucceſſoribus indulſit, cum illi dixit, *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & tibi dabo claues regni cælorum*, item *Paſce oues meas*. Docet ergò, priuilegium Romanæ Sedis iudicandi de maioribus cauſis, & reſoluendi dubia fidei, neceſſariò conſequi ad primatum, quem Chriſtus in ſua Eccleſia conceſſit Petro, & ſucceſſoribus eius. Ergo Sacri Canones ſtabilientes infallibilitatem Romani Pontificis, & eius authoritatem ſupra totam Ecclebam, omniaque Concilia, fundantur in primatu Romani Pontificis, & ex illo per neceſſariam conſequentiam deducuntur: ergo ex mente Innocentij Tertij manifeſtata in eius epiſtola, inſerta corpori Iuris, & à tota Eccleſia recepta, neceſſariò infertur, Sacros Canones declarantes infallibilitatem Romani Pontificis, ſpiritu Dei fuiſſe ſcriptos, ac proinde continere infallibilem veritatem. Quod enim ex principijs fidei per neceſſariam conſequentiam deducitur, infallibilis veritas eſt, & concluſio Theologica omnino certa, & per conſequens propoſitio ei contradictoria erit manifeſta falſitas.

2. Sed clariùs etiam id docuit idem Innocentius Tertius in Concilio Generali Lateranenſi celebrato anno 1215. cui interfuere 412. Epiſcopi, & octingenti alij Patres, vti habetur in cap. *Qualiter & quando* ſecundo de *accuſationibus*, id eſt cap. 24. tituli primi in quinto Decretalium. Ibi namque expreſsè affirmat, ex authoritatibus noui, & veteris Teſtamenti proceſſiſſe Canonicas Sanctiones, idque dicit ſacro approbante Concilio. Audiamus eius formalia verba: *Qualiter & quando debeat Prælatus procedere ad inquirendum, & puniendum ſubditorum exceſſus, ex authoritatibus noui, & veteris Teſtamenti colligitur euidenter, ex quibus poſtea proceſſerunt canonicæ ſanctiones, ſicut olim apertè diſtinximus, & nunc Sacri approbatione Concilij conſecramus*. Ergo certum eſt, Sanctiones ſtabilitas à Romanis Pontificibus ad gubernationem Eccleſię vni-

vniuerſalis, proceſſiſſe ex authoritatibus noui & veteris Teſtamenti, ac proinde ſpiritus Dei eſse ſcriptas.

3. Idque priùs docuerat S. Damaſus Papa citatus in capite *Violatores* 25. quæſt. 1. affirmans, *Canones Eccleſiaſticos inſtinctu Spiritus Sancti eſſe edito*. Vnde in textu illo ſic habetur: *Violatores Canonum voluntaris, grauiter à Sanctis Patribus iudicantur, & à Sancto Spiritu, inſtinctu cuius ac dono dictati ſunt, damnantur: quoniam blaſphemare Spiritum Sanctum non incongruè videntur &c.*

4. Hinc doctiſſimus Cano lib. 8. de locis cap. 7. concluſione 1. deducit, in ijs, quæ ad fidem pertinent, tractandis, & definiendis ſeu reſoluendis, Theologos non egere Iuriſconſultorum authoritate & ſuffragio, ſed potiùs Iuriſperitos à Theologis mutuare debere eorum titulorum Iuris Canonici expoſitionem, qui de fide decernunt: redditque rationem: quia ſiue Pontifices, ſiue Concilia quæ in volumina Iuris coguntur, quidquam definiant, quod ad fidem ſpectare videatur, id certè *non ex ſenſu ſuo, ſed ex ſacris litteris, atque Chriſti, & Apoſtolorum traditionibus colligant neceſſe eſt. Cùm ergo principia*, (infert Canus) *vnde Pontifices, & Concilia ad quæſtionem fidei decernendam proficiſcuntur, propria ſint Theologicæ facultatis, cuius eſt cognoſcere quæ à Deo ſunt vel conuenientia, vel repugnantia; planè conuincitur in eiuſmodi rebus Sacrorum Canonum intelligentiam non à Iuriſperitis, ſed à Theologis eſſe petendam*. Additque id libenter in Concilijs, & Congregationibus Sanctæ Inquiſitionis agnoſci à Patribus, quibus eſt fidei cognitio mandata. Non enim priùs quemquam hæreſeos crimine damnant, quin Theologi definierint, quod in iudicium venit, id hæreſim eſſe.

5. Hinc etiam idem Cano lib. 8. cap. 6. multis argumentis probat, Iuris Canonici notitiam eſſe Viro Theologo apprimè vtilem, & ferè neceſſariam, eo vel maximè (inquit) quòd Summi Pontificis, & Conciliorum authoritas, quæ continentur in voluminibus Iuris Canonici, Theologis argumenta ſubminiſtrat propria Theologicæ facultatis. Vt enim eleganter idem Cano ſcribit lib. 8. cap. 2. Theologiæ Scholaſticæ, proprium munus illud primum eſt, vt quæ in Sacris litteris, Apoſtolorum traditionibus abdita continentur, ea in lucem quaſi è tenebris eruantur. Colligit enim Theologus ex principijs fidei à Deo reuelatis concluſiones ſuas, atque in principijs ipſis implicitas per argumentationem naturæ conſentaneam explicat. Quemadmodum enim Muſica facultas ex ijs, quæ ſunt in Arithmetica poſita, ea ratiocinando connectit, quæ ſunt in numeris ſonantibus aut conſona, aut diſſona: ita Schola Theologica ex his, quę Fides poſuit, ea, quæ ſunt conſequentia, naturæ ratione conficit de Deo, rebuſque diuinis.

6. Et hoc ipſo exemplo vtitur cap. 7. concluſ. 2. vt euincat Iuriſperitos ſeu Canoniſtas à Theologis accipere debere ſanam doctrinam eorum, quę ad mores pertinent, & in Iure Canonico tractantur. Nam

quemadmodum Muſicus ab Arithmetico concluſionum ſuarum rationẽ ſumit, eo quòd eæ concluſiones à principijs Arithmeticæ deriuantur; ita & ſi quæ ad dogmata de moribus ius Pontificum vel ex Euangelio, vel ex Philoſophia colligit, ea ſanè tamquam à proprijs principijs accepta Theologus cognoſcet, rectiuſque intelliget, & interpretabitur. Vnde ſi Canoniſta Theologus non ſit, vel à Theologo cognitionẽ mutuet, facilè in errorem incidet.

7. Eſt ergo notitia Iuris Canonici Theologo valde neceſſaria; quia cùm Ius Canonicum ſuos Canones ex ſcripturis noui, & veteris Teſtamenti hauſerit, & definitiones Conciliorum, decretaque Pontificum in principijs reuelatis nitantur; ſubminiſtrant Theologis abundantem materiam ad eruendas concluſiones ſuas, & explicandam, & confirmandam doctrinam fidei, & morum.

8. Hinc P. Suarez lib. 4. aduerſus Regem Angliæ cap. 9. nu. 2. obſeruat, ius Canonicum quandoque appellari Ius diuinum, idque iure merito, non ſolùm quatenus, & poteſtate diuinâ, & ſupernaturaliter collatâ, latum eſt; ſed quia de rebus diuinis, & ad bonum animæ pertinentibus diſponit, & in dictis vel exemplis Scripturæ frequenter fundatur.

9. Ex quibus omnibus conſtat, argumentum petitum à Sacris Canonibus, ſeu per legitimam conſequentiam deductum ex ſtatutis, definitionibus, & decretis Iuris Canonici, quæ decreta vel facta ſunt à Concilijs, vel à Summis Pontificibus, eſſe validiſſimum: tum quia Summorum Pontificum decreta à Iure diuino, hoc eſt à libris vtriuſque Teſtamenti dimanaſſe creduntur: tum quia Sacri Canones, inſtinctu Spiritus Sancti, ad Eccleſiæ vtilitatem editi ſunt, vt definit Damaſus, inquit Cano lib. 8. cap. 7. circa finem.

SECTIO III.

Afferuntur pro infallibilitate Romani Pontificis textus ex Iure Canonico.

AFferam 1. textus ex Gratiani Decreto 2. ex Decretalibus 3. ex Extrauagantibus.

§. I.

Expenduntur textus Decreti.

1. PRima probatio ſumatur ex Cap. *Præceptis* Diſt. 12. quod deſumptũ eſt ex Gregorio Papa VI. cuius capitis ſcopus eſt, quòd Apoſtolicis præ-

præceptis nullus ſuperbè reſiſtat. In eo namque inter alia ſic dicitur: *Nulli dubium ſit, quòd non ſolùm Pontificalis cauſatio* (id eſt accuſatio Epiſcoporum, vt explicat ibi Gloſſa) *ſed omnis ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, & Religionis relatio ad Sedem Apoſtolicam, quaſi ad caput omnium Eccleſiarum debuit referri, & inde normam aſſumere, vnde aſſumpſit exordium: cuius authoritatis ſanctionem omnes teneant Sacerdotes, qui noluerint ab Apoſtolicæ Petræ (ſuper quam Chriſtus vniuerſalem fundauit Eccleſiam) ſoliditate conuelli. Si quis hæc Apoſtolicæ Sedis præcepta non obſeruauerit, percepti honoris eſſe hoſtis non dubitetur*. Ergo quotieſcunque inter Catholicos controuerſia vel dubium circa res fidei datur, ad Sedem Petri recurrendum eſt; & omnes tenentur id amplecti, quod ipſe determinauerit, & ab omnibus credi iuſserit; & quicumque huic eius deciſioni atque definitioni noluerit acquieſcere, hoc ipſo à Petræ ſoliditate, hoc eſt à vera fide manebit ſeparatus.

2. Ex cap. *Si Romanorũ* Diſt. 19. quod deſumptum eſt ex Nicolao Papa in epiſtola ad Epiſcopos & Archiepiſcopos per Gallias cõſtitutos, vbi ſic habetur: *Si Romanorum Pontificum decreto, cæterorum opuſcula tractatorũ approbantur, vel reprobantur, ita vt quod Sedes Apoſtolica probauit, hodie teneatur acceptum; quod illa repulit, hactenus inefficax habeatur: quanto potiùs, quæ ipſa pro Catholica fide de profanis dogmatibus, pro varijs & multifarijs Eccleſiæ neceſſitatibus, & fidelium moribus diuerſo tempore ſcripſit, omni debent honore præferri, & ab omnibus prorſus in quibuslibet opportunitatibus diſcretione, vel diſpenſatione magiſtrà reuerenter aſſumi?*

3. Ex cap. *Sic omnes* Diſt. 19. quod deſumptum eſt ex Agathone Papa in epiſtola ad Archiepiſcopum Cantuarienſem, alioſque Epiſcopos, vbi ita habet: *Sic omnes Sanctiones Apoſtolicæ accipiendæ ſunt, tanquam ipſius diuinâ voce Petri firmatæ*. Ergo quando Romanus Pontifex è cathedra Petri aliquam fidei quæſtionem determinat, & fidelibus declarat quid debeant credere, eius vox ac definitio perinde eſt infallibilis, ac ſi ex diuina voce Petri prodiret.

4. Ex cap. *Enim vero* Diſt. 19. quod deſumptum eſt ex Stephano Papa, vbi ſic habetur: *Quia in ſpeculum, & exemplum Sancta Romana Eccleſia, cui nos Chriſtus præeſſe voluit, propoſita eſt; quidquid ſtatuit, quidquid ordinat, perpetuò quidem, & irrefragabiliter obſeruandum eſt*. Ergo quando Romanus Pontifex aliquam controuerſiam fidei determinat, & omnibus fidelibus præcipit, vt aliquam doctrinam pro hæretica habeant, vt fecit Innocentius X. cum quinque propoſitionibus Ianſenij; omnes tenentur eius iudicio ſe conformare. Vnde infertur, hoc ipſo eius iudicium eſſe infallibile & irreformabile, alioqui tota Eccleſia teneretur errare.

5. Ex cap. *Ita Dominus* Diſt. 19. quod deſumptum eſt ex epiſt. 87. Sancti Leonis I. vbi ſic habetur: *Ita Dominus noſter Ieſus Chriſtus humani generis Saluator inſtituit, vt veritatis, quæ antè à legis, & Propheta-*

rum præconio continebatur, per Apoſtolicam tubam in ſalutem Vniuerſitatis exiret, ſicut ſcriptum eſt: In omnem terram exiuit ſonus eorum, & in fines Orbis terræ verba eorum. Sed huius muneris Sacramentum ita Dominus ad omnium Apoſtolorum officium pertinere voluit, vt in Beatiſſimo Petro Apoſtolorum omnium ſummo principaliter collocaret: vt ab ipſo quaſi quodam capite dona ſua, velut in corpus omne diffunderet, vt exortem ſe myſterij intelligeret eſſe diuini, qui auſus fuiſſet à Petri ſoliditate recedere. Hunc enim in conſortium indiuiduæ vnitatis aſſumptum, id quod ipſe erat, voluit nominari, dicendo: Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam: vt æterni ædificatio templi mirabili munere gratiæ Dei in Petri ſoliditate conſiſteret, hac Eccleſiam ſuam corroborans firmitate, vt illam nec humana temeritas poſſet appetere, nec portæ contra illam inferi præualerent.

6. Ex cap. *Omnes* Diſt. 22. deſumpto ex epiſtola Nicolai Primi ad Mediolanenſes, ibi: *Illam vero* (Romanam Eccleſiam) *ſolus ipſe fundauit, & ſupra Petram fidei mox naſcentis erexit, qui B. Petro æternæ vitæ clauigero terreni ſimul, & cæleſtis imperij iura commiſit. Non ergo quælibet terrena ſententia, ſed illud verbum, quo conſtructum eſt cælum, & terra, per quod denique omnia condita ſunt elementa, Romanam fundauit Eccleſiam. Illius certè priuilegio fungitur, cuius authoritate fulcitur. Vnde non dubium eſt, quia quiſquis cuilibet Eccleſiæ ius ſuum detrahit, iniuſtitiam facit. Qui autem Romanæ Eccleſiæ priuilegium ab ipſo ſummo omnium Eccleſiarum capite traditum auferre conatur, hic procul dubio in hæreſim labitur: & cùm ille vocetur iniuſtus, hic eſt dicendus hæreticus. Fidem quippe violat, quæ aduerſus illam agit, quæ eſt Mater fidei, & illi contumax inuenitur, qui eam cunctis Eccleſijs prætuliſſe cognoſcitur.* Et infra. *Vnde ipſe Sanctus Ambroſius ſe in omnibus ſequi Magiſtram Sanctam Romanam Eccleſiam profitetur.*

7. Iam veniamus ad textus ſecundæ partis Decreti. Septimò ergo probatur ex textu, *Hæc eſt fides* 24. quæſt. 1. qui deſumptus eſt ex epiſtola S. Hieronymi ad S. Damaſum, vbi ſic habetur: *Hæc eſt fides, Papa Beatiſſime, quam in Catholica didicimus Eccleſia, quamque ſemper tenuimus, in qua ſi minùs peritè aut parùm cautè fortè aliquid poſitum eſt, emendari cupimus à te, qui Petri ſedem, & fidem tenes. Si autem hæc noſtra confeſſio Apoſtolatus tui iudicio comprobatur, quicumque me culpare voluerit, ſe imperitum, vel maleuolum, vel etiam non Catholicum, ſed hæreticum comprobabit.*

8. Ex cap. *Quoties* 24. quæſt. 1. quod deſumptum eſt ex Innocentio Papa I. ibi: *Quoties ratio fidei ventilatur, arbitror omnes fratres, & Coepiſcopos noſtros, non niſi ad Petrum, id eſt, ſui nominis, & honoris authoritatem referre debere, veluti nunc retulit veſtra dilectio, quod per totum mundum poſſit Eccleſijs omnibus prodeſſe.*

9. Ex cap. *Generali* 25. quæſt. 1. quod deſumptum eſt ex Adriano Papa, vbi ſic habetur: *Generali Decreto cenſemus, & conſtituimus, vt exe-*

execrandum anathema ſit, & velut prauaricator fidei Catholicæ ſemper apud Deum reus exiſtat, quicunque Regum ſeu Epiſcoporum, vel Potentum, deinceps Romanorum Pontificum decretorum cenſuram in quoquam crediderit, vel permiſerit violandam. Et hoc ipſum valide probatur ex 25. qu. 1. c. 16. par. 2. quem textum adducemus lib. 2. dum probabimus Romanum Pontificem eſſe ſupra omnia Concilia, quia poteſt in eorum legibus diſpenſare.

10. Quorundam antiquiſſimorum Pontificum teſtimonia, quamuis in Gratiani Decreto contenta hic non appoſui; ne cogar hic definire, adeòque diſcutere multiplicem ac proinde longiſſimam quæſtionem quæ non eſt huius loci de qua tamen aliquid indicaui in diſp. 3.

§. II.

Hoc ipſum habetur ex Decretalibus.

1. EX cap. *Significaſti* de Electione, & Electi poteſtate; vbi Paſchalis Papa Panormitano Archiepiſcopo ſcribens, ſtatuit vt Electo Archiepiſcopo Sedes Apoſtolica pallium non tradat, niſi priùs præſtet fidelitatis iuramentum. Et poſt multa ſic loquitur: *Aiunt in Concilijs ſtatutum non inueniri, quaſi Romanæ Eccleſiæ legem Concilia vlla præfixerint; cùm omnia Concilia per Romanæ Eccleſiæ authoritatem, & facta ſint, & robur acceperint, & in eorum ſtatutis patienter excipiatur authoritas.* Ex quibus verbis apertè colligitur, Romanum Pontificem eſſe ſupra omnia Concilia: Si enim Concilia eſſent ſupra Papam, ei poſſent legem præfigere, nec indigerent Papæ authoritate, ſi haberent authoritatem ſuperiorem authoritate illius. Hinc autem euidenter infertur, Romanum Pontificem non poſſe errare in determinandis fidei, & morum controuerſijs; quia ſi poſſet errare, hoc ipſo eius iudicium eſset reformabile per ſuperiorem authoritatem, alioqui totam Eccleſiam obligaret ad errandum; quia ſi non habet Superiorem, à quo poſſit eius iudicium reformari, non eſt appellabilis eius ſententia, ſed omnes ſe debent illi conformare: ac proinde ſi ipſe poſset errare in definiendo dubia fidei, omnes fideles poſsent errare accipiendo vt dogma fidei errorem definitum ab authoritate ſuprema, & inappellabili.

2. Ex cap. *Maiores* de Baptiſmo, & eius effectu, vbi ex Innocentio Tertio definitur, Baptiſmum vtiliter conferri paruulis, licet non credant, nec intelligant, quia remittitur eis peccatum originale. Ante hanc definitionem declarat Innocentius, & ex illo, & cum illo Gregorius Nonus, horum dubiorum certam, & infallibilem deciſionem pertinere ad Romanum Pontificem, qui ſedet in cathedra Petri, cui à Chriſto conceſsum eſt priuilegium infallibilitatis: & ſic loquitur *Maiores no-*

ſtræ

Digitized by Google

ſtræ Eccleſiæ cauſas , præſertim articulos fidei contingentes ad Petri Sedem referendas intelligit, qui eum quærenti Domino, quem diſcipuli dicerent ipſum eſſe , reſpondiſſe notabat : Tu es Chriſtus filius Dei viui ; & pro eo Dominum exoraſſe , ne deficiat fides eius . Quibuſdam igitur quæſtionibus , quas contra Catholicos hæretici mouerant , nos poſtulat reſpondere .

3. Ex cap. *Ad abolendum* de hereticis , quod deſumptum eſt ex Lucio Tertio Papa , vbi declaratur Romanæ Sedis infallibilitas , dum ſtatuitur pro hæreticis eſſe habendos , qui aliter ſentire auſi ferint, quàm illa tenet : *Vniuerſos , qui de Sacramento Corporis , & Sanguinis Domini Noſtri Ieſu Chriſti , vel de Baptiſmate , ſeu de peccatorum confeſſione , matrimonio , vel reliquis Eccleſiaſticis Sacramentis , aliter ſentire aut docere non metuunt , quàm Sacroſancta Romana Eccleſia prædicat , & obſeruat , perpetui anathematis vinculo innodamus .*

4. Probatur quoque Romani Pontificis infallibilitas ex cap. *Fundamenta* , de Electione , & Electi poteſtate in ſexto vbi dicitur : *Sedem Petri nulli ſubeſſe homini, quæ ore Diuino cunctis dignoſcitur eſſe prælata.* Hinc enim rectè infertur illam eſſe ſuperiorem cunctis Patribus Concilij ſimul etiam ſumptis , ac proinde habere authoritatem ſupremam in Eccleſia Chriſti , eiuſque iudicium eſſe ſupremum , & irreformabile , ac per conſequens infallibile in determinandis fidei controuerſijs ; quia tota Eccleſia tenetur ſequi iudicium ſupremi Iudicis controuerſiarum fidei .

§. III.

Atque etiam ex Extrauagantibus .

1. EX Extrauaganti *Vnam Sanctam* inter communes de maioritate , & obedientia , in qua Bonifacius VIII. declarauit , Romanum Pontificem habere ſuperioritatem ſuper omnes Chriſti oues ab ipſo diſtinctas , etiam collectiuè ſumptas , ac proinde ſupra reliquos omnes Epiſcopos , etiam vt congregatos in Concilio Generali . Ex qua ſuperioritate apertè deducitur eius infallibilitas in determinandis fidei , & morum controuerſijs . Audiamus iam Bonifacij verba : *Igitur* , inquit , *Eccleſiæ vnius , & vnicæ vnum corpus , vnum caput , non duo capita quaſi monſtrum , Chriſtus videlicet , & Chriſti Vicarius Petrus , Petrique Succeſſor , dicente Domino , Paſce oues meas : meas inquit , & generaliter , non ſingulariter has vel illas , per quod commiſiſſe ſibi intelligitur vniuerſas. Siue ergo Græci , ſiue alij ſe dicant Petro eiuſque Succeſſoribus non eſſe commiſſos , fateantur neceſſe eſt de ouili Chriſti non eſſe , dicente Domino in Ioanne vnum ouile, & vnicum eſſe Paſtorem.* Vbi Gloſſa hunc textum exponens, *Notandum eſt* , inquit , *hanc Decretalem ſic ordinatè procedere,*

quod

quod ex omnibus fere verbis habetur concluſio principalis, quæ ponitur in fine Decretalis, quòd ſubeſſe Summo Pontifici eſt de neceſſitate ſalutis.

2. Finem autem ſic imponit Bonifacius. Nam poſtquam explicuerat poteſtatem datam à Chriſto Petro, & Succeſsoribus ſuis, ſubiungit: *Eſt autem hæc authoritas (etſi data ſit homini, & exerceatur per hominem) non humana, ſed potius diuina, ore diuino Petro data, ſibique ſuiſque ſucceſſoribus in ipſo, què confeſſus ſit petra firmata, dicente Domino ipſi Petro, Quodcunque ligaueris &c. Quicunque igitur huic poteſtati à Deo ſic ordinatæ reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit; niſi duo, (ſicut Manichæus) fingat eſſe principia, quod falsũ, & hæreticum iudicamus: quia teſtante Moyſe, Non in principijs, ſed in principio cælum Deus creauit, & terram. Porrò ſubeſſe Romano Pontifici omni humanæ creaturæ declaramus, dicimus, definimus, & pronuntiamus omnino eſſe de neceſſitate ſalutis.* Ergo Concilium Generale ſubeſt Romano Pontifici, & hic poteſt Concilio præceptum imponere, & legem præſcribere; ac proinde Papæ authoritas eſt in Eccleſia omnium ſuprema, & nulli ſubiecta in terris, ſed immediatè ſoli Deo.

§. IV.

Confirmatur ex Extrauaganti Sixti IV. contra Petrum Oxomenſem.

NOn eſt hæc inſerta in Corpore Iuris, viſum tamen eſt hic attexere. M. Bañez in ſecundam ſecundæ art. 10. quæſtione 1. de Eccleſia, & Andreas Duuallius Doctor Pariſienſis in diſputatione quadripartita de Romani Pontificis authoritate par. 2. cap. 6. referunt, Petrum Oxomenſem, Doctorem alias Pariſienſem Clericum ſecularem, qui Salmanticæ Sacræ Theologiæ primariæ Cathedræ præfectus fuit, tradidiſse multas propoſitiones abſurdiſſimas, quæ damnatæ fuerunt in *Concilio* Complutenſi ſub Alphonſo Carrillo Archiepiſcopo Toletano circa an. 1473. earumque damnationem confirmaſse poſtmodum Sixtum Quartum Pontificem Max. „ Huius Doctoris (inquit Bañez) inter alias ſeptima propoſitio erat, Eccleſiam Romanam (quam pro particulari, non pro vniuerſali ſumebat) poſse errare in fide, quæ damnata eſt tanquam hæretica. Et ipſe Sixtus Quartus in extrauagante contra eundem Petrum confirmauit illius congregationis acta, & eandum propoſitionem damnat tanquam hæreſim. Quapropter ipſe Petrus coactus eſt ſententiam retractare ſub hac verborum forma: Conſentio Sanctæ Matri Eccleſiæ Romanæ, & Sedi Apoſtolicæ, & ore & corde confiteor, me tenere illam fidem quam Dominus Sixtus Papa moder-

„ nus

Digitized by Google

„ nus authoritate Apoſtolica, & Euangelica tenet, & omnes qui contra hanc fidem venerint, dignos æterna damnatione pronuntio. Sic narrat Bañez loco citato. Prædictam etiam propoſitionem inter damnatas à Sixto IV. reponit Bellarminus lib. 4. de Romano Pontif. cap. 4. vbi notat, quando dicitur Romanam particularem Eccleſiam perſiſtente Romæ Sede Apoſtolicâ errare non poſse, id præcipuè intelligi de Pontifice ipſò, qui non poteſt errare errore iudiciali, id eſt, dum iudicat, & definit quæſtionem fidei.

§. V.

Praeoccupatur obiectio contra prædicta.

1. AT etiam hic obijcient Aduerſarij non eſse validum argumentum ſumptum à Sacris Canonibus, quia illi plerumque compoſiti ſunt ex verbis Summorum Pontificum, quorum teſtimonium in hoc negotio non videtur audiendum, quia nemo in propria cauſa eſt legitimus teſtis. Verùm hæc reſponſio (inquit eximius Doctor P. Suarez lib. 3. aduerſus Regem Angliæ cap. 16.) à Viro Catholico audiri non poteſt. Primò, quia reuera Pontifices Romani in hoc negotio non tam ſunt teſtes in propria cauſa, quam in cauſa Chriſti, & vniuerſali totius Eccleſiæ. Deinde, quia non tam ſunt teſtes, quàm iudices in ſimilibus cauſis, nam ad eos ſpectat dogmata fidei declarare, & Eccleſiæ proponere, vt in ſuperioribos viſum eſt: hic autem articulus ad dogmata fidei pertinet, vt ijdem Pontifices eadem certitudine decernunt, & ex diuina Scriptura in ſuperioribus probatum eſt. Vnde ſiue Iudices, ſiue teſtes dicantur, non proprio, ſed diuino ſpiritu ducti, veritatem docuiſſe credendi ſunt. Præterea, etiamſi eorum teſtimonium vt humanum conſideretur, maximæ authoritatis eſt, & rem facit euidenter credibilem: nam credibile non eſt, in hoc puncto per ignorantiam erraſſe quia multi illorum fuerunt ſapientiſſimi. Fuerunt etiam viri ſanctiſſimi; propterea credi non poteſt ex ambitione, & arrogantia poteſtatem ſibi non datam vſurpare voluiſſe, quod in re grauiſſima non niſi per maximum ſcelus, & ſummam impietatem facere potuiſſent.

2. Hinc deducitur Romanum Pontificem habere ſtrictam obligationem tuendi priuilegium hoc Sanctæ Sedis, vt exponit S. Nicolaus I. epiſt. 23. ad Gallos Epiſcopos Synodi Siluanectenſis: *Priuilegia Sedis noſtræ*, inquit, *vſque ad mortem, diuina annuente gratia, veſtigia Patrum noſtrorum ſequentes, defendemus. Sed & vos illa, quatenus illibata, vtpote totius Eccleſiæ Domini remedia, cuſtodiantur, toto conamine, & omnibus votis operari ac deſudare debetis. Quoniam Priuilegia Sedis Apoſtolicæ tegmina ſunt, vt ita dicamus totius Eccleſiæ Catholicæ: Priuilegia, inquam, huius*

huius Eccleſiæ munimina ſunt circa omnes impetus prauitatum : arma ſunt, (inquit idem epiſt. 30. ad Carolum Franciæ Regem) *contra omnes impetus prauitatum, & munimenta Domini Sacerdotum, & omnium prorſus, qui in ſublimitate conſiſtunt, imò cunctorum, qui ab eiſdem poteſtatibus diuerſis afficiuntur incommodis.*

SECTIO IV.

Supremam & infallibilem authoritatem Romani Pontificis etiam Romani Imperatores agnouere, & faſſi ſunt.

1. IN primis id conſtat ex titulo primo Codicis, de Summa Trinitate, & Fide Catholica, in quo Imperatores Gratianus, Valentinianus, & Theodoſius ita ſanciunt: *Cunctos populos, quos clementiæ noſtræ regit imperium, in tali volumus religione verſari, quam Diuum Petrum Apoſtolum tradidiſſe Romanis religio vſque adhuc ab ipſo inſinuata declarat, quamque Pontificem Damaſum ſequi claret .... Hanc legem ſequentes Chriſtianorum Catholicorum nomen iubemus amplecti, reliquos verò dementes, veſanoſque iudicantes hæretici dogmatis infamiam ſuſtinere, diuina primùm vindicta, poſt etiam motus animi noſtri, quem ex cæleſti arbitrio ſumpſerimus, vltione plectendo.*

2. Vt autem Imperatores enumeremus, qui extra corpus iuris ciuilis agnouerunt ſupremam adeoq; infallibilem authoritatem Romani Pontificis incipiamus à Cõſtantio Cęſare, de quo ſcribit Ammianus Marcellinus, quamuis à Religione Chriſtiana alienus, in ſua hiſtoria de hoc Imperatore, quòd cùm iam cognoſceret Athanaſium è ſua ſede deiectum per Synodum Epiſcoporum, ardenti tamen deſiderio cupiebat, illud confirmari per Liberium Epiſcopum Vrbis Romæ. Intelligebat enim irrita fuiſſe omnia, quæ ab alijs acta fuiſſent, niſi Romani Pontificis conſenſus acceſſiſſet.

3. Sed placet iterum Theodoſij Imperatoris teſtimonium adducere, qui ſolam Eccleſiam Romanam tanquam veritatis Magiſtram agnoſcebat. De eo ſic ſcribitur in hiſtoria Concilij Conſtantinopolitani primi apud Binnium tom. 1. pag. 521. & apud Labbe tom. 2. columm. 915. ex Sozomeno, & Socrate: *Gratianus Auguſtus Theodoſium, Imperij Collegam adſciuit. Is Homouſianæ fidei religioſiſſimus cultor, Theſſalonicæ baptizatus, publicè cauit edicto, vt vniuerſæ gentes in eam fidem, quam de Patris & Filij, & Spiritus Sancti diuinitate, ab Apoſtolo Petro Romanis traditam, Damaſus Pontifex prædicabat, ſublatis diſſidijs, & quæ in foro haberi ſolebant, ea de re diſceptationibus conuenirent. Mox Conſtantino-*

polim profectus, vt Oecumenici Concilij præſidio damnatis hæreſibus, in vnam rectam fidem conſociaret Eccleſias, centum quinquaginta Catholicæ communionis Epiſcopos, Eucherio, & Syagrio Conſulibus, euocauit, non ſine Damaſi Summi Pontificis authoritate.

4. Item Valentinianus Imperator in Occidente paulò ante cœptum Chalcedonenſe Concilium Generale in *ſacrâ ſuâ* (ita appellabatur tunc diploma imperatorium) ita alloquitur Theodoſium Secundum Imperatorem Orientis, dum eum rogat, vt Leonem Papam iuuare velit in congregando Concilio Generali. *Fidem* (inquit) *à noſtris maioribus traditam, debemus cum omni competente deuotione defendere, & dignitatem propriæ venerationis N. B.B. Apoſtolo Petro intemeratam, & in noſtris temporibus conſeruare, quatenus Beatiſſimus Romanæ Ciuitatis Epiſcopus, cui principatum ſuper omnes, Antiquitas contulit, locum habeat ac facultatem de Fide, & Sacerdotibus iudicare.*

5. Ita Valentinianus (qui regnauit in occidente anno 425.) in epiſtola præambula ad Concilium Chalcedonenſe; Qui ideo dicit, Antiquitatem contuliſſe *Romanæ Ciuitatis Epiſcopo Principatum* Sacerdotij ſuper omnes, quia omnis retro Antiquitas hanc eius prærogatiuam recognouit. Vocat autem dignitatem B. Apoſtoli Petri *Dignitatem propriæ venerationis*, eo quod ſoli Petro in ſuis ſucceſſoribus, & nulli alteri tributa ſit. Et iterum in litteris ad Theodoſium *Beatiſſimus* (inquit) *Romanæ Vrbis Epiſcopus, cui Principatum Sacerdotij ſuper omnes Antiquitas contulit, locum habeat & facultatem de fide iudicare.*

6. Eandem authoritatem agnouit Catholicus & piiſſimus Imperator Marcianus, qui regnauit anno 451. Nam in epiſtola ſua, quæ habetur tom. 2. Concil. inter epiſtolas præambulares prope finem: ita loquitur: *Pro reuerentia & Catholica Religione Chriſtianæ Fidei, cuius auxilijs virtutem noſtræ potentiæ confidimus gubernari, Tuam Sanctitatem* (intelligit Leonem Primum) *Principatum in Epiſcopatu diuinæ Fidei poſſidentem, ſacris litteris in principio credimus alloqui.* Ergo agnoſcit Marcianus Romanum Pontificem habere Principatum Diuinæ Fidei inter omnes Epiſcopos ac proinde ad ipſum tanquam ad ſupremum Eccleſiæ Principem attinere de rebus Fidei decernere.

7. Iuſtinianus quoque Imperator huius nominis primus, qui regnauit anno 530. hanc Romani Pontificis authoritatem ſolemniter declarauit in Authentica his verbis. *Legum originem anterior Roma ſortita eſt, & Summi Pontificatus apicem apud eam eſſe, nullus eſt qui dubitet.* Idem in epiſtola ſua ad Ioannem ſecundum Romanum Pontificem, ſic loquitur. *Nec enim patimur, quidquam, quod ad Eccleſiarum ſtatum pertineat, quamuis manifeſtum, & indubitatum ſit, quod mouetur, vt non etiam veſtræ innoteſcat ſanctitati, quæ caput eſt omnium ſanctarum Eccleſiarum.* Dum enim caput omnium Eccleſiarum vocat, ſuperioritatem in illo agnoſcit reſpectu reliquorum omnium Epiſcoporum reliquarum Eccleſia-

ſia-

Digitized by Google

ſiarum; ac proinde cenſet eius authoritatem eſſe ſupremam: ac per conſequens in rebus fidei determinandis infallibilem. Petens autem idem Imperator, an dici deberet pro hominum ſalute crucifixum eſſe vnum de Trinitate, de quo fuerat orta controuerſia, ſic ſcribit ad Hormiſdam: *Reuerentia veſtra cautiſſimo ſuo reſcripto quid ſequi, quidne ſupra hoc vitare debeamus nos certiorare dignetur, hoc enim credimus eſſe Catholicum, quod veſtro Religioſo reſponſo nobis fuerit intimatum.*

8. Idem inſuper cenſuit Phocas Imperator, qui regnauit anno 603. nam ſanctionem edidit, qua declarauit, *Romanam Eccleſiam caput eſſe omnium Eccleſiarum*: vt teſtantur Beda in libro de ſex ætatibus in Phoca, & Ado in chronico, & Paulus Diaconus lib. 18. de rebus Romanis. Eandem infallibilitatem alij Imperatores agnouerunt in Romano Pontifice, vt Andronicus Imperator Epiſt. ad Ioannem XXI. apud Eugubinum lib. 2. de donatione Conſtantini, dum illum vocat, *Succeſſorem Petri Apoſtoli verticis Apoſtolorum, qui habet poteſtatem de fide iudicandi, & ſi quæ de Fide ſubortæ ſunt quæſtiones, ſuo iudicio diſſoluendi.*

9. Item Conſtantinus Pogonatus eandem infallibilitatem agnouit, dum ad Leonem Papam ſcribens, illum appellat: *Paſtorem Romanæ Eccleſiæ ſupra Petrum fundatæ, & portis inferi, hoc eſt inſidijs hæreticorum nunquam ſuccubituræ.* Et iterum ab eodem Imperatore in eadem epiſtola Papa appellatur, *Propugnator impenetrabilis ab omni errore, quem Deus prouidit doctrinis eum per omnia veritati adſtringens, vt quemadmodum Petrus &c.*

10. Habetur apud Theophilum Raynaudum tom. 10. pag. 174. teſtimonium Caroli Magni, quod ex codice vetuſtiſſimo Bibliothecæ Vaticanæ Longobardicis literis exarato refert Auguſtinus Steucus, qui præfuit Bibliothecæ Vaticanæ lib. 2. contra Vallam; habet autem ſic, *Romana Eccleſia Sanctæ fidei ſpiritualibus munita armis, & à fonte lucis & origine bonitatis ſalutaribus ſatiata fluentis, & horrendis, atrocibuſque hæreſum obſiſtit monſtris, & melliflua prædicationis pocula catholicis per orbem miniſtrat Eccleſijs. Nam Beatiſs. Hieronymus vir diuinis legibus, & multarum linguarum peritia eruditus, dum Bethlemiticis moraretur in aruis, & à B. Papa Damaſo Romæ poſito de difficilibus conſuleretur quæſtionibus eũ pro cauſa fidei verſa vice conſuluiſſe dignoſcitur. Vnde datur intelligi ſanctos & eruditos viros per diuerſas mundi partes prædicationis & ſcientiæ lampade coruſcantes, non ſolum à Sancta Romana Eccleſia non receſſiſſe; ſed etiam tempore neceſſitatis ob fidei corroboratione͂, & ab eo adiutorium imploraſſe.* Quod regulariter (vt præfati ſumus, & exemplis docuimus) *omnes catholicæ debent obſeruare Eccleſiæ, vt ab illa poſt Chriſtum ad muniendam fidem adiutorium petant, quæ non habens maculam, nec rugam, & portentoſa hæreſum monſtra calcat, & fidelium mentes in fide corroborat.*

11. Agnouit quoque & faſſus eſt eandem infallibilitatem, & ſummam poteſtatem Romani Pontificis ſcribens ad Gregorium X. Michael Palęologus Græcorum Imperator, *Sancta*, inquit, *Romana Eccleſia ſummum, & plenum primatum & principatum ſuper vniuerſam Eccleſiam Catholicam obtinet, quem ſe ab ipſo Domino & in Beato Petro Apoſtolorum Principe ſeu vertice, cuius Romanus Pontifex eſt Succeſſor, cum poteſtatis plenitudine recepiſſe, veraciter, & humiliter cognoſcit. Et ſicut præ cæteris tenetur fidei veritatem defendere; ſi quæ de fide ſubortæ fuerint quæſtiones ſuo debent iudicio definiri.*

12. Eandem infallibilitatem Romani Pontificis agnouit Maximilianus Imperator in epiſtola ad Leonem X. ann. 1518. his verbis: *Verum cum ſuſpectæ aſſertiones & periculoſa dogmata à nemine rectius & verius dijudicari queant, quam à Beatitudine veſtra, quæ ſola vt poteſt, ita debet vanarum quæſtionum, ſophiſticarum rationum, & verboſarum contentionum authores compeſcere.... Nos quidquid ſuper his ſanctè ſtatuerit in imperio noſtro ad laudem & honorem Dei Omnipotentis & Chriſtifidelium ſalutem, ab omnibus obſeruari faciemus.*

13. Item Imperator Carolus V. in Edicto Vormacienſi edito anno 1521. vbi ita loquitur: *Nos ad perpetuam rei memoriam præſtandamque decreti ſententiæ ac condemnationis Bullæ quam ſanctus noſter pater Papa velut ordinarius Iudex controuerſiarum religionis edidit, executionem; ſupra memoratum Martinum Lutherum tanquam membrum ab Eccleſia Dei ſeparatum, pernicioſi ſchiſmatis authorem manifeſtum, pertinacemque hæreticum, à nobis vobiſque vniuerſis & ſingulis exiſtimandum, denunciandumque renunciamus & declaramus.*

DISPVTATIO IX.

In qua eadem Romani Pontificis infallibilitas probatur authoritate Theologorum, & ex cenſuris Theologicis, quas doctrinæ oppoſitæ inurunt.

SECTIO I.

Oſtenditur ante Concilium Conſtantienſe fuiſſe inauditam inter Patres & Theologos ſententiam, negantem Romano Pontifici infallibilitatem in determinandis fidei, & morum controuerſijs.

1. NON eſſe Authores Catholicos , & non Schiſmati-
cos ex ijs , qui ſcripſerunt ante annum 1474. in
quo inchoatum eſt Concilium Conſtantienſe, qui
hanc infallibilitatem negauerint Romano Pontifi-
ci affirmat Ruardus Tapper Doctor & Decanus
Louanienſis orat. 3. Theologica pag. 339. dicens
„ opinionem contrariam fuiſſe nouiter introdu-
„ ctam à quibuſdam Pariſienſium , contra doctri-
„ nam veterum omnium Scriptorum , qui Romani Pontificis iudicium
„ in quæſtionibus fidei eſſe prorſus infallibile concorditer ex Scriptu-
„ ris tradunt . Idem teſtatur Andreas Duuallius Academiæ Pariſienſis
alumnus ac Theologiæ Profeſſor in libro de ſuprema Romani Pontifi-
cis in Eccleſiam poteſtate anno 1614. in lucem edito , & à duobus alijs
Doctoribus approbato , dicens ſententiam agnoſcentem in Sede Roma-
na priuilegium non errandi in quęſtionibus fidei decidendis fuiſſe com-
munem in Vniuerſitate Pariſienſi,ante tempora Concilij Conſtantienſis;
atque academię illius alumnos ab illa ne vnguem quidem receſſiſſe. Au-
„ diamus eius verba: Velint nolint aduerſarij, liquido conſtat , veteres
„ Eccleſiæ Gallicanæ Proceres,hanc in Summis Pontificibus Petri ſuc-
„ ceſſo-

„ ceſſoribus infallibilitatem ſemper agnouiſſe, Chriſtique Domini ora-
„ tionem in Petro non ſtetiſſe, ſed ad eius ſucceſſores certiſſimè tran-
„ ſiſſe, eoſque, qui hanc veritatem impugnare conati ſunt, à ducentis
„ circiter annis, quibus in Eccleſiam horrenda ſchiſmata irruerunt,
„ cępiſſe.

2. Teſtatur etiam Illuſtriſſimus Petrus de Marca Archiepiſcopus Pariſienſis in quodam manuſcripto, quod Stephanus Baluzius in compendio eius vitæ libris de Concordia præfixo aſſerit vltimum eſſe illius Illuſtriſſimi Archiepiſcopi opus, paulò ante mortem ab ipſo confectum, in quo infallibile Papæ in fidei quæſtionibus iudicium ita defendit, vt opinionem contrariam aliquorum Doctorum Vniuerſitatis Pariſienſis (nimirum Gerſonis, & Cardinalis Cameracenſis, qui Concilio Conſtantienſi interfuerunt, & Iacobi Almaini, ac Ioannis Maioris, qui ad finem decimi quinti ſęculi, & ſub initium decimi ſexti floruerunt, & poſt Caietanum ſcripſerunt) ab Eccleſia tantùm tolerari aſſeruerit, cæterum illam de infallibilitate Pontificis eſſe communem Theologorum ſententiam.

3. Teſtatur etiam M. Dominicus Bañez 2.2.q.1.art.10. Cùm enim in quarta concluſione aſſeruiſſet, in publico fidei iudicio non poſſe
„ Summum Pontificem errare, ſtatim ſubiungit. Hanc concluſionem
„ aſſerit D. Thomas: & citatis alijs multis authoribus addit: Quocirca
„ arbitror hanc concluſionem tanquam Apoſtolicam traditionem eſſe
„ tenendam. Et quidem vt talis haberetur ab omnibus fidelibus, niſi à
„ tempore Concilij Conſtantienſis in agro Domini inimicus homo, id
„ eſt Diabolus, zizaniam ſuperſeminaſſet. Etenim vſque ad illa tem-
„ pora ſoli Græci errabant in hac parte. Atque ita D. Thomas in opu-
„ ſculo citato hunc errorem tanquam Græcorum ſingularem narrat. Et
„ proculdubio, ſi quæſtio hæc ad Concilium deferretur, non dubito
„ quin prædicta concluſio definiretur tanquam verę fidei.

4. Idq; inde etiã ſuadetur, quod pro ſentẽtia contraria nullus Theologus, nec author Catholicus & nõ Schiſmaticus citatur, qui ſcripſerit ante Concil. Conſtantienſe, vt conſtabit legenti Bellarmin. lib. 4. de Romano Pontifice c. 2. §. *ſecunda ſententia.* Conſtabit quoque legenti librũ illum, qui anno 1683. in lucem prodijt, vt conciliaret authoritatem Declarationi Cleri Gallicani, quæ facta fuerat anno præcedenti 1682. cuius titulus eſt: *Vindiciæ doctrinæ Maiorum Scholæ Pariſienſis contra Defenſores Monarchiæ vniuerſalis & abſolutæ Curiæ Romanæ.* Nam quamvis maximè ad defenſionem illius Declarationis intereſſet, citare multos antiquos Doctores Pariſienſes pro Doctrina ſtabilita à Clero Gallicano in ſua declaratione, nullum Pariſienſis Scholæ alumnum citarunt, qui ante Concilium Conſtantienſe ſcripſerit; ſed per maiores Scholæ Pariſienſis ibi intellexerunt Petrum de Alliaco Cameracenſem Epiſcopum, qui anno 1411. creatus fuit Cardinalis à Ioanne XXIII. & obijt

anno

anno 1426. & Ioannem Gerſonem Cancellarium Vniuerſitatis Pariſienſis, qui obijt anno 1429. & alteruter interfuit Concilio Conſtantienſi, quod cœptum eſt anno 1414. & vterque in Vrbe ipſa Conſtantienſi anno 1417. occaſione ſchiſmatis ſcripſit extollendo authoritatem Concilij ſupra Papam. Inſuper intellexerunt Iacobum Almainum, & Ioannem Maiorem Doctores Pariſienſes, qui obierunt poſt annum 1500. & horum Doctorum tractatus recuderunt, & inſeruerunt illis Vindicijs. Indèque etiam conſtat, doctrinam de excellentia Concilij ſupra Papam, & de huius fallibilitate cœpiſſe in illa Academia poſt Concilium Conſtantienſe: nam iſtud finitum eſt anno 1418. & tamen anno 1419. Ioannes Sarraſin Ordinis Prædicatorum, qui in illa Vniuerſitate gradum licentiatus habebat, publicè docuit hanc propoſitionem: „ Quandocumque in aliquo Concilio aliqua inſtituuntur, tota authoritas dans vigorem ſtatutis, in ſolo ſummo reſidet Pontifice, vt refertur lib. 1. Vindiciarum pag. 4. & 5. Quod ſanè non auderet, ſi oppoſita doctrina eſſet propria illius Vniuerſitatis. Verum quidem eſt, quod Facultas Theologica ægrè hoc tulerit: Cæterùm hoc ſolum probat, quod poſt Concilium Conſtantienſe cœpit in Vniuerſitate Pariſienſi vigere doctrina extollens authoritatem Concilij ſupra Papam.

SECTIO II.

Academia Pariſienſis ante tempora Concilij Conſtantienſis, authoritatem infallibilem Romani Pontificis conſtanter profeſſa eſt.

1 ID probatur; quia vt narrat Author tractatus de libertatibus Eccleſiæ Gallicanæ lib. 7. cap. 11. tota Vniuerſitas Pariſienſis in Concilio apud Clementem (id eſt Robertum Gebennenſem Epiſcopum, electum Fundis tempore ſchiſmatis anno 1378. qui ſe Clementem VII. appellauit, & Sedem Apoſtolicam iterum Auenionem transferre conatus eſt, & reuera fuit Antipapa) quem tanquam legitimum Pontificem ſequebatur, per Magiſtrum Petrum de Alliaco anno 1387. infallibile Romani Pontificis iudicium in cauſis fidei eſſe profeſſa eſt his verbis in „ hiſtoria Vniuerſitatis ad hunc annum relatis: Igitur pro veſtris humilibus filijs Vniuerſitatis prædictæ, & pro nobis eorum Nuncijs, qui ſuis in hac parte obſequimur mandatis, & documentis innitimur, corde, & ore vnanimiter proteſtamur, quod quidquid hactenus in hac cauſa per eos actũ eſt, & quidquid in ea nunc, vel aliàs pro eis acturi, aut dicturi ſumus, totum correctioni, & iudicio Sedis Apoſtolicæ, & ſedentis in ea Summi Pontificis humiliter ſubmittimus, dicen-

„ ri-

,, tes cum B. Hieronymo 24.quæſt.1. Hæc eſt fides, Pater Beatiſſime,
,, quam in Catholica Eccleſia didicimus, in qua ſi minus peritè, aut
,, minus cautè fortè aliquid poſitum eſt, emendari petimus à te, qui
,, Petri fidem, & ſedem tenes. Non ignoramus enim, ſed firmiſſimè
,, tenemus,& nullatenus dubitamus, quod Sancta ſedes Apoſtolica eſt
,, illa cathedra Petri, ſupra quam, eodem Hieronymo teſte, fundata
,, eſt Eccleſia, vt habetur eadem quæſtione in cap. *Quoniam vetus.* Et
,, ſicut dicit Cyprianus 93.diſt. *Qui cathedram*. De qua ſede, in perſo-
,, na Petri Apoſtoli in ea ſedentis dictum eſt, Petre rogaui pro te, vt
,, non deficiat fides tua Luc.22. Hæc eſt igitur ad quam determinatio
,, fidei, & approbatio veritatis Catholicæ, & hæreticæ impietatis dete-
,, ſtatio maximè pertinet. Idipſum probatur ex tractatu, qui ex parte
ſtudij Pariſienſis oblatus eſt Clementi VII. Auenione ſedenti, quem
Gallia habebat vt Summum Pontificem, cuius tractatus exemplar ma-
nuſcriptum aſſeruatur in Bibliotheca Nauarrenſi: in eo ſic habetur:Pri-
,, ma concluſio eſt, quod ad ſanctam ſedem Apoſtolicam pertinet au-
,, thoritate iudiciali ſupremâ circa ea quæ ſunt fidei iudicialiter defini-
,, re. Et hæc probatur, quia ad illius tanquam ad ſupremi iudicis au-
,, thoritatem pertinet in fide iudicialiter definire, cuius fides nunquam
,, deficit, ſed ſanctæ ſedis Apoſtolicæ fides nunquam deficit; quia de
,, hac ſancta ſede in perſona Petri Apoſtoli in ea præſidentis dictum eſt
,, Petre,rogaui pro te vt non deficiat fides tua Luc.22.Propter quod di-
,, cit Cyprianus 9.Qui Cathedram Petri ſuper quam fundata eſt Eccle-
,, ſia deſerit, in Eccleſia ſe eſſe confidit? Et Hier.24. cap. *Quam vetus*
,, dicit, quod ſuper eam fundata eſt Eccleſia & quicumque ſecum non
,, colligit diſpergit, &c.

2. Adeò erat veneranda illi Vniuerſitati ſententia de infallibi iudicio Papæ, vt nullus ante hunc annum eius Facultatis Doctor adducatur,qui ab ea receſſerit, & poſtea, licèt occaſione ſchiſmatis, aut aliorum diſſidiorum ab ea nonnulli declinauerint, nunquam tamen ab ipſis Vniuerſitatis incunabulis vſque ad poſtremas contentiones defuerint Doctores, qui eam ſequerentur. De zelo huius Illuſtriſſimæ Academiæ in defendenda authoritate Pontificis ſermo redibit infra Sectione quinta.

SECTIO III.

Catalogus Illuſtrium Doctorum Scholæ Pariſienſis, qui ante Concilium Conſtantienſe, primatum, & infallibilitatem Romani Pontificis, eiuſque ſupra Concilia authoritatem propugnarunt.

§. I.

Alcuinus Vniuerſitatis Pariſienſis Fundator, Lanfrancus Archiepiſcopus Cantuarienſis in Academia Pariſienſi Scholæ Rector, & Petrus Lombardus Magiſter Sententiarum.

1. PRimo loco nominamus Alcuinum, ſiue Flaccum Albinum Alcuinum, ex Britannia à Carolo Magno Francornm Rege euocatum, eiuſque Magiſtrum; qui vt volunt Galli, ei author fuit fundandæ Vniverſitatis Pariſienſis, quem fuiſſe officio Scholaſticum, ſcribit P. Philippus Labbè; Scolaſticus autem appellatur Præfectus Vniuerſitatis, qui ſcholam authoritate Pontificia regit: & gradus Academicos confert, ſic hodie vſque appellatur in Salmantina Academia eius Cancellarius: vnde videtur Alcuinus fuiſſe Vniuerſitatis Pariſienſis primus Scholaſticus, ſeu Cancellarius. Obijt autem anno 804. Doctor Andreas Duvallius in tractatu de ſuprema Romani Pontificis in Eccleſiam authoritate par. 2. cap. 2. Alcuinum appellat ſfundatorem Academiæ Pariſienſis.

2. Hic author lib. 1. de divinis officijs cap. 19. hanc authoritatem Romani Pontificis his verbis ſtatuit:, Religionis cultum ſic Dominus „ inſtituit, vt in Beatiſſimo Petro principaliter collocaret, atque ab „ ipſo quaſi capite dona ſua vellet in corpus omne manare. (Nota hæc verba, in corpus omne, ne putes Alcuinum ſenſiſſe, à Summo Pontifice in alias Eccleſias ſeorſim acceptas, non autem in corpus ipſum Eccleſiæ vniuerſalis, fidei veritatem, aliaque Diuina dona manare.) „ Vnde conſtat ab vniuerſali Orbis communione ſeparatos eſſe, ſicut „ docet B. Pelagius, qui qualibet diſſenſione inter ſacra Myſteria

„ Apoſtolici Pontificis memoriam ſecundum conſuetudinem non fre-
„ quentat.

3. De Lanfranco Archiepiſcopo Cantuarienſi Pariſinæ Scholæ Do-
„ ctore ſic ſcribit Bellarminus: Lanfrancus Archiepiſcopus Cantuarien-
„ ſis, vir ſanctus & doctus, in Concilio Romano ſub Nicolao Pontifi-
„ ce anno 1059. diſputauit cum Berengario Hereſiarcha, eumque ita
„ conuicit, vt Berengarius librum ſuum in ignem iniecerit: ſed eo ad
„ vomitum redeunte, ſcripſit inſignem librum de veritate corporis Do-
„ mini in Euchariſtia. P. Philippus Labbè teſtatur illum fuiſſe natione Italum, patriâ Papienſem, & ex Abbate S. Stephani Cadomenſis factum eſſe Archiepiſcopum Cantuarienſe, & Angliæ Primatē anno 1070. obijſſe autem anno 1089. D. Andreas Duvallius in diſputatione de Romani Pontificis infallibilitate cap. 2. pag. mihi 231. illum recenſet inter Maiores Scholæ Pariſienſis: aſſerit enim Lanfrancum cum Berengario in Academia Pariſienſi ſcholas rexiſſe, eiuſque verba deſumpta ex tractatu de Euchariſtia contra Berengarium adducit ad probandam infallibilitatem Romani Pontificis: „ Beati Doctores (inquit Lanfrancus) ſi non
„ eiſdem verbis, tamen ſententijs eiſdem multis in locis concorditer ad-
„ ſtruxerunt hæreticum eſſe omnem hominem, qui à Romana & vni-
„ uerſali Eccleſia in fidei doctrina diſcordat. At cur quæſo (ſubiungit Duvallius) haberetur hæreticus ſi ipſa in hæreſim, aut errorem, definiendo poſſet incidere?

4. Petrus Lombardus Magiſter ſententiarum dictus, ex Theologicæ Scholæ Præſidente ſeu Scholaſtico, id eſt Cancellario, Epiſcopus Pariſienſis factus anno 1059 obijt anno 1104. in quarto ſentent. diſt. 24. in
„ qua agit de ordinibus ſacris in §. de Presbyteris (inquit) Summos Pon-
„ tifices, & minores Sacerdotes inſtituit Deus per Moyſem, qui ex præ-
„ cepto Dei Aaron in Summum Pontificem, filios verò eius vnxit in mi-
„ nores Sacerdotes Chriſtus quoq; duodecim elegit diſcipulos priùs ve-
„ rò quos & Apoſtolos vocauit: quorum vicem gerunt in Eccleſia maio-
„ res Pontifices. Deinde & alios ſeptuaginta duos diſcipulos deſigna-
„ vit, quorum vicem in Eccleſia tenent Presbyteri: vnus autem inter
„ Apoſtolos Princeps extitit Petrus, cuius Vicarius & Succeſſor eſt
„ Pontifex Summus. Vnde dicitur Apoſtolicus: qui & Papa vocatur,
„ ſcilicet Pater Patrum. Et inferius §. de quadripartito ordine Epiſco-
„ porum, ſic habet: Ordo autem Epiſcoporum, quadripartitus eſt,
„ ſcilicet in Patriarchis, Archiepiſcopis; Metropolitanis, & Epiſcopis.
„ Patriarcha Græce ſummus Patrum interpretatur, qui primùm ideſt
„ Apoſtolicum tenet locum: vt Romanus, Antiochenus, Alexandrinus,
„ ſed omnium Summus eſt Romanus. Ergo, iuxta Magiſtrum, Summus Pontifex eſt ſucceſſor Petri, & eſt Princeps inter omnes Epiſcopos, ſicut Petrus fuit Princeps inter omnes Apoſtolos, & eſt Summus inter Patriarchas: Ergo habet primatum in Eccleſia Dei: implicat autem habere

bere primatum, & ſubijci in Eccleſia alteri poteſtati diſtinctæ, ergo non ſubijcitur Concilio ſed eſt ſupra Concilium, ergo eius authoritas eſt infallibilis : vt enim ſæpe oſtendimus , ex eo , quod Romanus Pontifex ſit ſupra Concilia, euidenter infertur eſſe infallibilem in determinandis fidei, & morum controuerſijs.

§. II.

Alexander Alenſis, Albertus Magnus.

1. ALexander Alenſis , qui Doctor irrefragabilis meruit appellari, & Sanctorum Doctorum Bonauenturæ, & Thomæ Aquinatis præceptor fuit , magnum Seraphicæ Religionis ornamentum , qui floruit ferè ducentis annis ante Concilium Conſtantienſe (nam obijt ann. 1245.) qui egregiam illam Theologiæ ſummam hortatu Innocentij Papæ Quarti ſcripſiſſe fertur . Hic grauiſſimus Doctor infallibilitatem Romani Pontificis apertè agnouit, & profeſſus eſt ; ſi quidem agnouit , Summum Pontificem non poſſe ab alio Iudice, quam à Deo iudicari , ac proinde agnouit eius iudicium in rebus fidei determinandis eſſe vltimum , ac per conſequens non poſſe per Concilium Generale reformari eius definitiones . Euidens autem eſt , ſuppoſita fide , ſupremum tribunal Eccleſię Cattholicę à Chriſto inſtitutum ad determinanda fidei & morum dubia , eſſe infallibile , quia alioqui poſſet errare : ergo manifeſtè ſenſit definitiones Pontificis Romani propoſitas toti Eccleſiæ eſſe infallibiles .

2. Quod autem hoc docuerit , conſtat. Nam 3. parte Summæ Theologicæ q.40. quæ eſt de perſona Iudicis, membro 3. in fine fol.160. ſecundum impreſſionem Venetam anni 1575. reſpondens ad tertium , „ & vltimùm dubium illius quæſtionis inquit : Ad illud quod quæ„ritur , vtrum poſſit eſſe aliqua poteſtas , quæ poterit iudicare Sum„mũ Pontificem; dicendum quod (ſicut oſtendebatur) Summus Ponti„fex non poteſt ab alio quàm à Deo iudicari ; ſicut dicitur q.3. Facta „ſubditorum à nobis iudicantur, noſtra verò à Domino iudicantur. Ex „quo accipitur, quod Summus Pontifex iudex eſt ordinarius ſingulo„rum, & nullus eſt qui eum iudicet, niſi Deus.

3. Idem author ibi fol.159. propoſuerat tertio & vltimo loco quæſtionem iſtam : *Vtrum ſuprema poteſtas ſpiritualis, quæ eſt ſupremi Pontificis , poſſit habere aliquam humanam , quæ ipſam dijudicet ?* Et cum adduxiſſet quædam argumenta pro parte affirmatiua , immediatè pro parte negatiua , quam in fine ipſe ſectatur; citat Hugonem de S. Victore lib.2. „de Sacramentis , part.2. cap.4. vbi ait: Poteſtas Summi Pontificis à Deo

 „ (ſolo)

„ (ſolo) iudicari poteſt, ſicut ſcriptum eſt 1. ad Corinth. 2. Spiritualis
„ iudicat omnia, & ipſe à nemine iudicatur. Citat etiam Canonem
„ Gelaſij 3. q. 3. Cuncta per orbem nouit Eccleſia, quod Sacroſancta Ec-
„ cleſia Romana fas de omnibus habeat iudicandi, neque cuiquam li-
„ ceat de eius iudicare iudicio. Item Innocent. in eodem. Nemo iudi-
„ cabit primam Sedem: neque enim ab Auguſto, neque ab omni Clero,
„ neque à Regibus, neque à Populo Iudex iudicabitur. Item Symma-
„ chus in eodem aliorum hominum cauſas Deus voluit per homines
„ terminare, ſed Sedis illius Præſidem ſuo ſine quæſtione reſeruauit ar-
„ bitrio. Replicabo dictum: Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædifi-
„ cabo Eccleſiam meam; & quodcumque ſolueris &c. Et iſtæ ſunt pro-
bationes quibus ſupponebat Alenſis fuiſſe oſtenſam veritatem ſuæ aſſer-
tionis.

4. Beatus Albertus Magnus S. Thomæ Magiſter, qui tanto diſcipu-
lorum concurſu Pariſijs docuit, vt cum ſchola nimis eſſet anguſta, in fo-
ro, quod ab eius nomine vocatur, legere coactus ſit, qui obijt ſex an-
nis poſt D. Thomam, nempe anno 1280. ſed valde ſenex, nimirum æta-
tis ſuæ 87. ſecundùm Labbè, cum D. Thomas obierit ætatis ſuæ 50. ſi-
quidem magnus hic Doctor ex verbis illis Chriſti, *Rogaui pro te Petre*
&c. infert, Petri ſucceſſores à fide non defecturos, quantumuis illorum
fides impetatur. *Hoc argumentum*, inquit, *efficax eſt pro ſede Petri, et ſuc-
ceſſore ipſius, quod fides eius non finaliter deficiat.* Quod ideo dixit, quia
licet Pontifex, dum dubia fidei diſcutit & agitat, poſſit aliquando flu-
ctuare; cùm tamen rebus diſcuſſis ad definiendum procedit, nihil poteſt
Eccleſię credendum proponere, quod à vera fide ſit alienum. Idemq;
„ adhuc clarius docet in c. 16. Matthęi 19. Et tibi dabo claues Regni Cę-
„ lorum. Dabo autem tibi ſingulariter, non quòd ſingulariter acceperit
„ Petrus: ſed quia in vnitate ordinis Eccleſiæ, vnus eſt, qui accipit in
„ plenitudine poteſtatis, qui eſt ſucceſſor Petri, & Petrus in poteſtate:
„ alij autem in eadem vnitate accipiunt in parte poteſtatis, eo quod
„ vocantur in partem ſollicitudinis. Item docet in cap. 3. Marc. v. 16.
„ Idem in cap. 5. Lucæ v. 3. Aſcendens autem in vnam nauim, quæ erat
„ Simonis, profeſſor vnitatis, quem loco ſui in terris conſtituere in-
„ tendit; ad cuius regimen vnum omnes Eccleſiæ particulares referun-
„ tur, omnes enim illæ in partem vocantur ſollicitudinis, cùm tamen
„ vna ſit cura vniuerſalis. Idem Albertus in 2. parte ſummæ Theologiæ
„ q. 141. membro 3. in fine. Superior aut habet poteſtatem limitatam,
„ aut poteſtatis plenitudinem, ſicut Papa, qui eſt Ordinarius cuiuslibet:
„ ſi primo modo; tunc non habet poteſtatem in ſubditos ſine inferioris
„ voluntate. Si ſecundo modo, tunc habet, quia Papa eſt ordinarius
„ omnium hominum, quia vice Dei eſt in terris.

§. III.

Digitized by Google

§. III.

S. Bonauentura Doctor Seraphicus.

1. S. Bonauentura, Doctor Seraphicus, qui obijt anno 1274. tomo primo opuſculorum pag. 140. colum. 1. ſecundùm impreſſionem Venetam anni 1572. id eſt in Breuiloquio 6. parte cap. 12. deſcribens Hierarchiam Eccleſiaſticam, ſupremam authoritatem Romani Pontificis, non habentem in terris ſuperiorem, ac proinde authoritatem infallibilem agnoſcit: Sic enim ait:„ Quia excellentia quantò magis deſcen-„ dit, tantò magis dilatatur, & quantò magis aſcendit, tantò magis „ vnitur, hinc eſt quod plures ſint Epiſcopi, pauciores Archiepiſcopi, „ pauciſſimi Patriarchæ, & vnus Pater Patrum, qui Papa meritò appel-„ latur, tanquam vnus primus, & ſummus Pater ſpiritualis omnium „ patrum, immò omnium fidelium, & Hierarcha præcipuus, Spon-„ ſus vnicus, caput indiuiſum, Pontifex ſummus, Chriſti Vicarius, „ fons, & origo, regula cunctorum principatuum Eccleſiaſticorum, à „ quo tanquam à ſummo deriuatur ordinata poteſtas vſque ad infima „ Eccleſiæ membra, ſecundùm quod exigit præcellens dignitas in Ec-„ cleſiaſtica Hierarchia.

2. Idem Seraphicus Doctor eodem tom. 1. opuſculorum fol. 373. col. 2. id eſt, in expoſitione Regulæ Fratrum Minorom cap. 1.„ Petrus „ à Petra dictus, à Domino poſitus eſt Eccleſiæ fundamentum. Tu es „ Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam; vbi Raba-„ nus, Vt omnes per orbem credentes intelligant, quia quicunque ab „ vnitate fidei, vel ſocietate illius, quolibet modo ſegregant ſeipſos, „ nec à vinculis peccatorum abſolui, nec ianuam poſſunt regni cæle-„ ſtis intrare. Hinc Petro Dominus dedit ſuper alios Apoſtolos ordi-„ nariam poteſtatem dicens: Et tu aliquando conuerſus confirma fra-„ tres tuos. In huius figuram dicitur Sapientiæ 18. quod in veſte pode-„ ris, quam habebat Aaron, totus erat orbis terrarum. Quod ſi vnus „ non eſſet, qui in omnes exercere poſſet iuriſdictionem, vbi maneret „ ſtatus Eccleſiæ? Si, partibus diſcordantibus, non eſſet qui poſſet ma-„ num mittere in ambobus, fuiſſetque Sinagoga felicior quàm Eccle-„ ſia, quia illa habebat vnum Summum Pontificem, qui omnes diſcor-„ dias poterat terminare, vt patet in Deuteron.

3. Sed clariſſimè hoc ipſum docet to. 2. opuſculorum fol. 494. col. 1. id eſt, in opuſculo de Eccleſiaſtica Hierarchia in ſecunda parte, in qua agit de Ordinibus ſecundæ Hierarchiæ, vbi ſic loquitur „ Regalis „ poteſtas ſubiacet poteſtati, & authoritati ſpirituali, ſicut in prima „ Canonica Petri dicentis, Vos eſtis gens ſancta, regale Sacerdotium, „ &c.

Digitized by Google

,, &c. nam temporale regnum velut quoddam adiectum, ſubiacet Sa-
,, cerdotio in nouo Teſtamento, ſed in veteri Teſtamento Sacerdotium
,, ſubfuit regno. Vnde dicitur in Exodo, Elegi vos in populum pecu-
,, liarem, in Sacerdotale regnum &c. vbi regnum ponitur ſubſtantiuè,
,, ſed Sacerdotium adiectiuè, & ideo Reges tunc poterant amouere ab
,, officio ſummos Sacerdotes, ſicut Salomon amouit Abiathar. Iam ve-
,, rò poſſunt Sacerdotes, & Pontifices ex cauſa amouere Reges, & de-
,, ponere Imperatores ſicut ſæpius accidit, & viſum eſt, quando ſcili-
,, cet eorum malitia hoc exigit, & reipublicæ neceſſitas ſic requirit:
,, Summus verò Pontifex, penes quem prima in terris reſidet authori-
,, tas, non à Rege, non à Principe ſæculari, non ab homine iudicatur,
,, ſed ſolius Dei iudicio reſeruatur. Spiritualis enim homo iudicat om-
,, nia, & à nemine niſi à ſolo Deo iudicatur.
,, 4. Deindè in 4.diſt.19 ar.3.q.1.planè docet,& à priori explicat re-
,, pugnare omnẽ poteſtatẽ iuriſdictionis exterioris,cui ipſe Papa ſit ſub-
,, iectus,ſolumque in foro interno poſſe ſe ſubijcere confeſſori,dando illi
,, iuriſdictionem, vt ipſum abſoluat.Dicendum (inquit) quòd ſicut dicit
,, Dionyſius:lex diuinitatis eſt,media per prima,&vltima per media per-
,, ducere ad purgationẽ,illuminationem, & perfectionem. Ideo ſicut vi-
,, demus in omnibus, ſiue rationabilibus, ſiue in naturalibus, ſiue in cæ-
,, leſtibus, quòd ad hoc, quòd ſit concordia & decor, oportet quòd ſit
,, ordo: ſic intelligendum eſt, & in ſpiritualibus poteſtatibus in ipſa Ec-
,, cleſia: vnde legitur quòd terribilis eſt, vt caſtrorum acies ordinata.
,, Quoniam igitur ordo attenditur ſecundum prælationem, & ſubiectio-
,, nem: & prælatio attenditur ſecundum aſcenſum, & deſcenſum, non
,, ſecundum æqualitatem: & in aſcendendo ad ſuperius eſt ſtatus, & re-
,, ductio ad vnum:e contra in deſcendendo eſt multiplicatio:ideo ſecun-
,, dum rectum ordinem Eccleſię oportuit vnum eſſe prælatum primum,&
,, ſupremum, in quo eſſet ſtatus omnis prælationis Eccleſiaſticæ: & quia
,, in illo ſtatus eſt tanquam in primo,& ſimpliciſſimo in illo genere: ideo
,, virtus in eo vnita eſt, & ſolus eſt inter prælatos, qui habet plenitudi-
,, nem poteſtatis. Item quoniam per receſſum ab vno fit multiplicatio,&
,, per hoc virtutis diminutio:ideo quantò prælati alij inferiores ſunt,tan-
,, tò plures ſunt,& tantò minorem habent poteſtatem: ita quòd ſtatus eſt
,, in Sacerdotibus parochialibus,qui immediatè gerunt populi curam:
,, & iſtorum iuriſdictio arctata eſt ad portiũculam determinatam, & cui-
,, libet commiſſa eſt ſua portio ſecundum rectã ordinationem, & illa iu-
,, dicatur eſſe meſſis ſua. Et quoniã non licet alij ſacerdoti mittere ma-
,, num, vel falcem in alienam meſſem:ideo alius non habet poteſtatem
,, eius ſubditum abſoluere, niſi ſit ſuperior, vel vicem habeat ſuperio-
,, ris:vt Pœnitentiarij Domini Papæ,& Pœnitentiarij Epiſcopi, Legati,
,, & priuilegiati, qui faciunt hoc authoritate ſuperioris:ſicut Nuncius à
,, Principe procedens poteſt in omnes ſubditos alijs inferioribus: Hæc

„ autem intelligenda ſunt ſecundum legem communem, quia in articulo „ neceſſitatis indulget rectitudo iuris cuilibet ſacerdoti quēlibet abſol- „ uere ſi ſit in Eccleſię vnitate. Pro regula igitur habendum eſt, quòd ſo- „ lus ſacerdos proprius habet poteſtatis executionem in ſuos. Et poſtea „ in reſponſione ad ſecundū: Dicendum quod clauis ſacerdotalis quam- „ uis quantum eſt de ſe, indifferens ſit ad omnes: tamen vis motiua huius „ clauis, quæ eſt iuriſdictio, vt priùs viſum eſt, non ſe habet ad omnes „ niſi in vno ſolo: & ideo vnus ſolus poteſt omnes abſoluere: quando er- „ go Dominus dedit clauem, & hanc poteſtatem, ipſe præſupponit eius „ executionem ſecundum regulam poteſtatis collatæ Petro, & eius Suc- „ ceſſoribus. Et denique ibidem quæſt. 2. ad 3. oſtendit, Papam non poſ- „ ſe ſubijci in foro externo alicui humanę poteſtati; ſed ſolum in foro in- „ terno poſse ſeipſum ſubijcere confeſsario, ei tribuendo iuriſdictionem, „ vt ipſum à peccatis ſuis abſoluat.

§. IV.

S. Thomas Doctor Angelicus.

1. EAndem doctrinam conſtanter ſemper docuit Angelicus Doctor S. Thomas, amicus & commagiſter Seraphici Doctoris, & qui eodem an. 1274 obijt; vt patebit legenti 2. 2. quæſtione 1. art. 10. & quæſt. 10. de potentia, art. 4. ad 13. & 2. 2. quæſt. 11. art. 2. vbi ait: *Quod authoritas vniuerſalis Eccleſiæ reſidet in Romano Pontifice principaliter*; & 4. contra gent. cap. 76. num. 2. & 3. vbi à priori probat, regimen à Chriſto inſtitutum eſse Monarchicum, & ſupremam authoritatem Eccleſiæ eſse penes Romanum Pontificem, qui toti Eccleſiæ præſit, & omnibus fidelibus, etiam ſimul ſumptis, ſuperior ſit, ſicut Paſtor ſuperior eſt gregi ſibi commiſso, & caput ſuperius eſt reliquo corpori. Item opuſculo 1. contra Græcorum errores, in quo probat ex authoritatibus Patrum orientalium, „ Romanæ Eccleſiæ Pontificem habere vni- „ uerſalis Eccleſiæ primatum, quodque ad eum pertineat ea, quæ ſunt „ fidei, determinare. Quod etiam conſtat ex toto hoc opere, in quo S. Thomæ doctrinam ſequimur, & ſæpe citamus; eamque cum D. Thoma tuetur Ordo Dominicanorum, & alij quaſi certatim.

2. Idque ipſum docet S. Thomas, dum ſæpe ſtatuit, poteſtatem iuriſdictionis, quam habent Epiſcopi, & ſacerdotes, eam accipere immediate à Romano Pontifice, & ſolum mediate à Chriſto: id autem ſtatuit in 4. diſtinct. 24. quæſt. 3. art. 2. vbi reſpondens ad primam quæſtiunculam, inquit: „ Dicendum, quod ſacerdos habet duos actus; „ vnum principalem, ſcilicet conſecrare verum corpus Chriſti; alium „ ſecun-

Digitized by Google

„ ſecundarium, ſcilicet præparare populum ad ſuſceptionem huius Sa-
„ cramenti, vt priùs dictum eſt. Quantum ad primum actum, actus ſa-
„ cerdotis non dependet ab aliqua ſuperiori poteſtate niſi diuina; ſed
„ quantum ad ſecundum dependet ab aliqua ſuperiori poteſtate, & hu-
„ mana: omnis enim poteſtas, quæ non poteſt exire in actum niſi præ-
„ ſuppoſitis quibuſdam ordinationibus, dependet ab illa poteſtate, quę
„ illas ordinationes facit. Sacerdos autem non poteſt abſoluere, & li-
„ gare, niſi præſuppoſitâ prælationis iuriſdictione, qua ſibi ſubdantur
„ illi, quos abſoluit: Poteſt autem conſecrare quamlibet materiam à
„ Chriſto determinatam, nec aliud requiritur quantum eſt de neceſſi-
„ tate ſacramenti. Deinde in eodem articulo §. *Ad tertiam quæſtionem*,
„ vbi ſic ait: Dicendum quod vbicumque ſunt multa regimina ordina-
„ ta in vnum, oportet eſſe aliquid vniuerſale regimen ſupra parti-
„ cularia regimina; Quia in omnibus virtutibus, & artibus, vt dicitur
„ in 1. Eth. (cap. 1.) eſt ordo ſecundùm ordinem finium: Bonum autem
„ commune diuinius, eſt quàm bonum ſpeciale: & ideo ſuper poteſta-
„ tem regitiuam quæ coniectat bonum ſpeciale, oportet eſſe poteſtatem
„ regitiuam vniuerſalem reſpectu boni communis; aliàs non poſset eſse
„ colligatio ad vnum. Et ideo cùm tota Eccleſia ſit vnum corpus, opor-
„ tet ſi iſta vnitas debet conſeruari, quòd ſit aliquá poteſtas regitiua
„ reſpectu totius Eccleſiæ ſupra poteſtatem Epiſcopalem, qua vnaquę-
„ que ſpecialis Eccleſia regitur, hæc eſt poteſtas Papæ: Et ideo qui
„ hanc poteſtatem negant, Schiſmatici dicuntur, quaſi diuiſores Ec-
„ cleſiaſticæ vnitatis. Et inter Epiſcopum ſimplicem & Papam, ſunt
„ alij gradus dignitatum, correſpondentes gradibus vnionis; ſecundùm
„ quos vna congregatio vel communitas includit aliam; ſicut commu-
„ nitas vnius prouinciæ includit communitatem ciuitatis: & commu-
„ nitas regni communitatem vnius prouinciæ, & communitas totius
„ mundi communitatem vnius regni. Et poſt prædicta verba, reſpon-
„ det ad primum argumentum, quo contendebatur ſupra Epiſcopos
„ non poſse eſse aliquem ſuperiorem in Eccleſia, quia omnes Epiſcopi
„ ſunt Apoſtolorum ſucceſsores: ſed poteſtas, quæ data eſt vni Apo-
„ ſtolorum, ſcilicet Petro, Mat. 16. eſt etiam data omnibus Apoſtolis
„ Ioan. 20. Ergo omnes Epiſcopi ſunt pares, & vnus non eſt ſuper alterũ
„ Ad hoc, in quam, argumentum reſpondens, inquit. Ad primum
„ ergo dicendum quòd quamuis omnibus Apoſtolis data ſit communi-
„ ter poteſtas ligandi, & ſoluendi, tamen vt in hac poteſtate ordo ali-
„ quis ſignificaretur, primò ſoli Petro data eſt; vt oſtendatur, quòd ab
„ eo in alios debeat iſta poteſtas deſcendere: Propter quod etiam ei
„ dixit ſingulariter, Confirma fratres tuos; & Paſce oues meas, id eſt
„ loco mei. Vbi Chryſoſtomo dicit: Præpoſitus, & caput eſto fratrum,
„ vt ipſi te in loco meo aſumentes, vbique terrarum te in throno tuo
„ ſedentem prædicent, & confirment. Et tandem eandem doctrinam
„ tradit

Digitized by Google

„ tradit ſecunda ſecundę q. 39. art. 3. vbi probat, quod quamuis ſchiſmatici, & hæretici retineant poteſtatem Ordinis in ordine ad validè conſecrandum; nihilominus non retinent poteſtatem iuriſdictionis, quippe quam non accipiunt immediatè à Chriſto, ſed ab Eccleſia, quæ priuat ſpirituali iuriſdictione ſchiſmaticos omnes atque hæreticos.

§. V.

Henricus de Gandauo Doctor ſolemnis, Auguſtinus de Ancona, & AEgidius Romanus.

1. HEnricus de Gandauo Pariſinus Doctor, ſolemnis titulo celeberrimus, & Archidiaconus Tornacenſis, in qua vrbe obijt ætatis 76. anno 1293. vt inquit Labbè. Hic Author defendit excellentiam Papæ ſupra Concilia, ac proinde eius infallibilitatem in determinandis fidei, & morum controuerſijs: & ideo pro hac ſententia illum poſt D. Thomam, & D. Bonauenturam citat Andreas Duuallius in Diſputatione quadripartita de ſuprema Romani Pontificis in Eccleſiam poteſtate, part. 2. cap. 4. in fine, pag. mihi 298. ſed non citat locum. Docet autem „ id quodlib. 6. quæſt. 25. „ In Eccleſia militante ſub Deo, Chriſtus, ſecundùm quod homo, caput eſt, & Monarcha. Hierarcha primus poſt Chriſtum Petrus erat, cui ambas claues tradidit, & duos gladios commiſit: vnde Papa habet vtrumque gladium, ſpiritualem, & temporalem in authoritate quadam prima, & ſuperiore. Deinde idem Henricus quodlib. 9. quæſt. 22. ſuperioritatem Papæ in omnia Concilia tradit his verbis: Ipſe etiam Papa poteſt facere edicta vniuerſalia, quæ omnes vbique adſtringunt, in quibus nulli Epiſcopi habent iuriſdictionem, niſi quatenus eis committitur à Papa, & in iure edito ab ipſo eis conceditur. Epiſcopi verò ſtatuta non poſſunt facere ligantia aliquos extra proprias diœceſes, in quibus etiam Papa plenam habet iuriſdictionem. Si verò conſideremus iuriſdictionis executionem; ſic dico, quod Papa habet iuriſdictionem limitandi alijs ſuam, & ſibi reſeruandi, ſecundum quod opus ſibi viſum fuerit. Et licèt Epiſcopi habeant poteſtatem non à Papa, ſed immediatè à Chriſto, tam eam quæ eſt ordinis, quam eam quæ eſt iuriſdictionis in ordinando Eccleſias ſuas, ſecundùm edicta à Papa inſtituta, & in reſumendo ea, quæ Papa ſubtraxit, habent à Papa, & à Deo mediante Papa.

2. Auguſtinus Triumphus de Ancona Ordinis Erem. S. Auguſtini, qui floruit ad initiũ anni 1300. vt ait Bellarm., Pariſijs diſcipulus S. Thomæ,

Digitized by Google

deinde in eius Vrbis Academia Doctor, ac denique Profeſſor, in libro de poteſtate Eccleſiaſtica quæſt. 10. art. 5. vbi ſic ſcribit: „ Papam poſſe „ aliquid addere ſupra illa quæ ſunt fidei, dupliciter poteſt intelligi, „ vel quantum ad dubiorum interpretationem, vel quantum ad occul- „ torum, & implicitorum explicationem. Vtroque modo poteſt Papa „ aliquid addere ſuper illa, quæ ſunt fidei: quia ſi aliqua ſunt dubia, „ & obſcura in fide, ad eum pertinet interpretari, & determinare. „ Poſt cuius determinationem hæreticum eſſet contrarium pertinaci- „ ter aſſerere.

3. Ægidius Romanus Doctor *fundatiſſimus* vulgo dictus, S. Thomæ Aquinatis diſcipulus, eiuſque doctrinæ defenſor acerrimus, qui Ordinis Eremitarum S. Auguſtini renuntiatus eſt Prior Generalis in Comitijs generalibus habitis Romæ anno 1292. commendatione, & opera Philippi Pulchri Chriſtianiſſimi Francorum Regis, cuius fuerat præceptor: & qui ad Bituricenſis Archiepiſcopatus apicem euectus, & interfuit Concilio Viennenſi anno 1311. & tandem obijt anno 1316. quem aliqui Cardinalem Sanctæ Eccleſiæ fuiſſe ſcribunt. Author iſte ſui præceptoris veſtigia premens ſæpe docuit, Romanum Pontificem eſſe ſupra omnia Concilia, atque authoritatem infallibilem habere; idque magis ſupponendo, quàm diſputando quaſi de re nullo pacto dubia. In primis in libro de renuntiatione Papæ, quem ſcripſit contra aliquos, qui Bonifacio VIII. infenſi contendebant, Cęleſtinum, cui ipſe ſucceſſit, non potuiſſe renuntiare Papatui, ac proinde Bonifacium non eſſe legitimum pontificem. Nam cap. 8. colum. 3. inquit: „ Ordinare totam Eccleſiam, „ & ſtatuere, qui ſint Epiſcopi, qui Archiepiſcopi, qui Primates, & „ Patriarchę, & ſtatuere, quomodo hi confirmentur, & quomodo poſ- „ ſint cedere, vel quomdo poſſint abſolui, vel transferri, ſpectat ad „ Summum Pontificem, quia cùm ipſe ſolus ſit caput totius vniuerſalis „ Eccleſiæ, ad ipſum ſpectat ſtatuere ea, quæ reſpiciunt ordinem vni- „ uerſalis Eccleſiæ. Et paulò inferius: Propter quod omnes alij à Pa- „ pa ſolùm illos Epiſcopos, & eo modo confirmare poſſunt, quo con- „ ceſſum eſt ipſis à iure, vel quo conceſſum eſt eis à Papa, cuius eſt iu- „ ra condere: Et columna 4. Ideo Decretalis illa, Inter corporalia, „ quod Epiſcoporum translatio, depoſitio, & conceſſio eſt ſoli Roma- „ no Pontifici reſeruata; quia quidquid pertinet ad ſuperiorem poten- „ tiam, ſi non conceditur inferiori, dicitur illud potentiæ ſuperiori re- „ ſeruatum. Et paulò inferius: Cùm confirmatio, & conceſſio, & cæ- „ tera talia reſpiciant ordinem vniuerſalis Eccleſię, non poterunt alij à „ Papa in eis aliquid facere, niſi quatenus eſt eis à Papa conceſſum; Sed „ cùm Papa nullum habeat Superiorem; cùm ipſe ex libero ſuo aſſenſu „ electioni de ſe factæ ſuſcipiat huiuſmodi onus, & ex hoc ipſo habeat „ plenam iuriſdictionem, ſufficit eius liber conſenſus, vel ſua libera re- „ nunciatio, ad hoc, vt ipſe deponat huiuſmodi onus, & vlterius non

„ ſit

„ ſit Papa. Itaque hic grauiſſimus Doctor docet reliquos Epiſcopos, & Prælatos, quia habent in terris ſuperiorem, nempe Papam, non poſſe ſine illius facultate renunciare Epiſcopatui, & amittere iuriſdictionem; Papam verò, cùm non habeat in terris ſuperiorem, poſſe validè, imò & licitè renuntiare, ſi ſe tanto oneri cenſeret imparem. Senſit ergo manifeſtè Concilium non eſſe ſupra Papam; ne alioqui falſa eſſet illa vniuerſalis, Papa nullum habet ſuperiorem; & Papa non poſſet renuntiare, niſi Concilium daret ad hoc facultatem.

4. Sed hoc ipſum clariſſimè docet in eodem libro cap. 9. col. 1. & 2. vbi approbat rationem iſtam, quod „ Quia Papatus eſt ſuprema virtus,
„ ideo non poteſt tolli per virtutes alias creatas, quæ omnes ſunt infe-
„ riores ea. Aſſerit enim hanc rationem concludere, ſi loquamur de
„ amotione violenta, quia impoſſibile eſt, inquit, quod Nanus infe-
„ rat violentiam Giganti, & quod inuito Gigante moueat eum de lo-
„ co ſuo.

5. Eandem doctrinam habet c. 10. in nona parte illius capitis col. 2.
„ vbi ait: „ Quia Summus Pontifex habet curam de vniuerſo Mundo
„ conſequens eſt, quod ad ipſum ſpectet omnibus alijs leges impone-
„ re, & omnes alij tenentur ſecundùm leges ab eo conditas viuere. Iſta
„ ergo plenitudo poteſtatis ex ſua iuriſdictione vniuerſali, & ex ſua
„ vniuerſali cura ſufficienter concludi poteſt.

6. Idem in 3. diſtinct. 29. parte 2. quæſtione vn. art. vn. „ Cùm ali-
„ quid componitur ex duobus, ſemper ſupremum ſumit nomen totius,
„ vt quod facit Papa, dicatur facere Eccleſia, quia Papa eſt caput Ec-
„ cleſiæ. Et ſicut Papa ſupremum in Eccleſia dicitur, ſic anima noſtra,
„ vel animus, vel homo interior videtur eſſe nos ipſi. Et de renuncia-
„ tione Papæ cap. 10. part. 5. Si Papa conſtitueret in Eccleſia Archidia-
„ conum, ſicut Laurentius fuit Archidiaconus S. Sixti, apud quem
„ erant theſauri Eccleſiæ reconditi, qui diſperſit eos, & dedit paupe-
„ ribus: & conſtitueret Cancellarium, ita vt ad Archidiaconum ſpecta-
„ ret recipere omnes theſauros, & omnia tributa, & omnia numiſma-
„ ta: ad Cancellarium verò ſpectaret beneficia confirmare, & cauſas,
„ & negotia decidere: tunc Papa nihil haberet facere, niſi fortè ſi ori-
„ retur aliqua quæſtio de Fide, quia ad eum ſpectaret huiuſmodi quę-
„ ſtionem decidere. Et in cap. 2. contra exemptos. Habet (inquit) Pa-
„ pa ex ſola electione omnem apicem Eccleſiæ quantum ad ea quæ ſunt
„ iuriſdictionis.

Digitized by Google

§. VI.

Ioannes Pariſienſis.

1. DE eo ſic Labbè; Ioannes de Paſijs Ordinis Prædicatorum, Doctor Theologus Pariſienſis facultatis floruit ſub finem ſeculi decimi tertij, & initium decimi quarti. Bellarminus aſſerit claruiſſe circa annum 1296. & addit: *Quoniam incidit in tempora turbulenta ob diſcordiam inter Bonifacium VIII. Pontificem, & Philippum Pulchrum Regem Gallorum, videtur propenſior fuiſſe erga Regem, quàm erga Pontificem.* Aliquando Labbè teſtatur, ſe vidiſſe qui diceret, eum obijſſe Romæ, cum ad Bonifacium Octauum (qui obijt anno 1303.) ab eo euocatus perrexiſſet. Sunt qui vitam eius prorogent vſque ad tempus Clementis V. qui electus eſt in Pontificem anno 1305. Vtcũque res ſe habeat; quamuis hic Author notetur de exiguo affectu erga Pontificem, nihilominus in tractatu de poteſtate Regali, & Papali cap 3. manifeſtè tradit ſupremam authoritatem Romani Pontificis ad decidendas fidei, & morum controuerſias, & non agnoſcit authoritatem Papâ ſuperiorem, à qua iudicium Papæ reformari poſſit ſic enim ait: „Manifeſtum eſt, quod licèt „ populi diſtinguantur per diuerſas diœceſes, & ciuitates, in quibus „ præſunt Epiſcopi diuerſi in ſpiritualibus, tamen vna eſt omnium fide„ lium Eccleſia, & vnus populus Chriſtianus.

„ 2. Et ideo ſicut in qualibet diœceſi, eſt vnus Epiſcopus, qui eſt „ caput Eccleſiæ in illo loco vel populo, ita in tota Eccleſia, & in to„ to populo Chriſtiano eſt vnus ſummus Epiſcopus, Papa ſcilicet Ro„ manus Petri ſucceſſor: vt ſic Eccleſia militans per ſimilitudinem à „ triumphante deriuetur, vbi vnus præſidet qui præſidet toti vniuerſo „ Apoc. 21. Ipſi populus eius erunt, & ipſe Deus cum eis erit eorum „ Deus; & Ioelis 1. Congregabuntur filij Iuda, & filij Iſrael pariter, vt „ ponant ſibi caput vnum, Ioan. 10. Fiet vnum ouile, & vnus Paſtor. „ Quod quidem de Chriſto intelligi non poteſt, ſed de aliquo alio Mi„ niſtro, qui præſit loco eius. Nam poſt corporalem ſubtractionem „ præſentiæ corporalis Chriſti, conuenit interdum circa ea quæ „ ſunt fidei quæſtiones moueri, in quibus propter diuerſitatem „ opinionum vel ſententiarum diuideretur Eccleſia, quæ ad ſui vni„ tatem requirit fidei vnitatem, niſi per vnius ſententiam Eccle„ ſiæ vnitas ſeruaretur. Hic autem principatum huiuſmodi habens „ Petrus, ſucceſſorque eius, non quidem ſynodali ordinatione, ſed ex „ ore Domini, qui Eccleſię ſuæ noluit deficere in neceſſarijs ad ſalutem, „ ipſo dicente Ioan: vltimo ante aſcenſionem Petro ſingulariter, Paſce „ oues meas; & Luc. 22. ante paſſionem, Et tu aliquando conuerſus

„ con-

Digitized by Google

„ confirma fratres tuos. Hunc autem ordinem ad vnum ſupremum „ magis inuenimus inter Miniſtros Eccleſiæ, quàm inter Principes ſe- „ culares, quia Miniſtri Eccleſiaſtici diuino cultui ſpecialiter deputati „ ſunt Domino, tanquam populus peculiaris. Et ideo ex diuino inſti- „ tuto eſt ordo omnium miniſtrorum ad vnum. Non ſic autem fideles „ laici habent ex iure diuino, quod ſubſint in temporalibus vni monar- „ chæ ſupremo, ſed ex naturali inſtinctu qui ex Deo eſt, habent quod „ ciuiliter, & in communitate viuant, & per conſequens, vt ad benè vi- „ uendum in communi Rectores eligant, diuerſos quidem ſecundùm „ diuerſitates communitatum. Quod autem ad vnam ſupremam Hierar- „ chiam in temporalibus reducantur, nec ex inclinatione naturali, nec „ ex iure diuino habent, nec eis conuenit ita ſicut Miniſtris Eccleſia- „ ſticis.

3. Et poſtquam hanc concluſionem poſuit, adducit multas rationes ad probandum, quod licèt non debeant omnes homines eſſe ſub domi- nio temporali vnius Regis, debeant tamen omnes fideles eſſe ſub pote- ſtate vnius Monarchæ ſpiritualis, & harum rationum quarta eſt: „ Quia „ omnes, inquit, fideles conueniunt in vna Fide Catholica, ſine qua „ non eſt ſalus, & ſæpe conuenit multas quæſtiones oriri de pertinen- „ tibus ad ſalutem ſeu fidem in diuerſis regionibus, ſicut & regnis: Et „ ideo ne propter diuerſitatem controuerſiarum vnitas fidei deſtruatur, „ neceſſe eſt, vt dictum eſt, vnum eſſe ſuperiorem in ſpiritualibus, per „ cuius ſententiam controuerſiæ eliminentur. Sic autem non eſt neceſ- „ ſe omnes fideles vniri in aliqua Republica communi, ſed poſſunt ſe- „ cundùm diuerſitatem climatum, regionum, & conditionum hominum „ eſſe diuerſi modi viuendi, & diuerſæ politiæ: eſt virtuoſum in vna „ gente, non eſt virtuoſum in alia.

4. Et ad hanc rationem Vnitatis Fidei recurrit etiam Gerſon pro ſtatuendo vno Monarchâ ſpirituali in tota Eccleſia. Sic enim ait in tract. de ſtatibus Eccleſiaſticis tit. de ſtatu Prælatorum conſiderat. 13. *Status Epiſcopalis habet rationabiliter Monarcham ſupremum, ſcilicet Papam, ratione Vnitatis Fidei, & Sacramentorum.*

§. VII.

Doctor ſubtilis Scotus.

1. IOannes Duns Scotus Doctor Subtilis nuncupatus, Franciſcanæ Fa- miliæ Anteſignanus, qui obijt Coloniæ anno 1308. hanc etiam doctrinam tenet in 4. diſt. 24. quæſt. vnica §. *de ſecundo articulo*, vbi re- fert opinionem eorum, qui cum Dionyſio, & Iſidoro tenent Epiſcopa- „ tum eſſe propriè ordinem, quam probat ijs verbis: Ad quod videtur „ eſſe

„ eſſe ratio, cùm Epiſcopo conueniat quædam ſpiritualis poteſtas, in
„ quantum Epiſcopus; aut illa erit ordinis, & tunc propoſitum, aut iu-
„ riſdictionis, & tunc poſſet auferri per Superiorem, quod videtur in-
„ conueniens, quia conſecratio alia multò minor conſecratione Epi-
„ ſcopi non poteſt auferri, quin ſemel conſecratum ſemper maneat
„ conſecratum, vt probatur ex Extrauaganti de conſecratione Eccleſiæ,
„ vel Altaris. Ergo ſupponit Scotus, Epiſcopos non accipere immediatè à Chriſto poteſtatem iuriſdictionis; quia ſi acciperent, non poſſet ab ipſis auferri per Superiorem, nimirum per Romanum Pontificem, ſicut non poteſt ab ipſis auferri poteſtas ordinis, quia illam accipiunt à Chriſto.

2. Idem docet in reportatis Pariſienſibus in eadem diſt. 24. quarta
„ ſentent. quæſt. vnica, §. ſecundus articulus, vbi docet, Epiſcopa-
„ tum quantum ad vtilitatem actuū eſſe ordinem perfectiorem Sacerdo-
„ tio, quia Epiſcopus poteſt in omnia, in qua poteſt Sacerdos, & vltra in
„ hoc, quod poteſt conferre ſacros ordines, & confirmare. Probat autem
„ Epiſcopatum eſſe ordinē, quia hæc poteſtas Epiſcopalis (ideſt poteſtas
„ conferendi ordines ſacros, & confirmandi) vel eſt poteſtas ordinis, vel
„ eſt poteſtas iuriſdictionis. Non ſecundo modo, quia non poteſt ab
„ Epiſcopo auferri hæc poteſtas, quandiu manet Epiſcopus; quin ſi fiat,
„ factum eſt: ergo poteſtas illa conferendi ordines, & confirmandi eſt
„ poteſtas ordinis. Ergo Scotus ſupponit poteſtatem iuriſdictionis non eſſe eſſentialem Epiſcopatui, ſed poſſe tolli manente ordine Epiſcopali. Ergo ſupponit Epiſcopos non accipere immediatè à Chriſto poteſtatem iuriſdictionis, ſed ſolùm mediante Romano Pontifice: vnde Epiſcopus poterit priuari poteſtate confirmandi, & conferendi ordines ſacros licitè, non tamen conferendi validè; nam ſi contra prohibitionem Papæ confirmet, confirmatio erit valida, quia Papa non poteſt auferre ab illo poteſtatem validè confirmandi, & ordinandi, ſicut nec poteſtatem validè conſecrandi panem. At poteſtate iuriſdictionis poteſt priuari; vndè non ſolùm illicitè, ſed etiam inualidè illam exercebit. Ergo ſolus Papa habet immediatè à Deo poteſtatem iuriſdictionis: ergo poteſtas iuriſdictionis, quam habet Concilium, non eſt immediatè à Chriſto, ſed mediante Romano Pontifice: ergo ex mente Scoti Concilium eſt infra Papam, à quo accipit poteſtatem iuriſdictionis.

3. Itaque Scotus probat Epiſcopatum eſſe ordinem diſtinctum à Sacerdotio; quia Epiſcopus quatenus Epiſcopus poteſt ſacros ordines, & Sacramentum confirmationis conferre, quod non poteſt merus Sacerdos. Illa autem poteſtas vel eſt poteſtas ordinis, vel iuriſdictionis. Sed non eſt poteſtas iuriſdictionis; ergo eſt poteſtas ordinis, ac proinde conſtituit ordinem diſtinctum à Presbyteratu. Minorem probat; quia Epiſcopus nequit priuari poteſtate validè ordinandi, & conferendi confirmationem: quamuis enim excommunicetur, & ſuſpendatur, validè

admi-

adminiſtrabit confirmationem, & validè ordinabit, licet illicitè; ſicut Sacerdos excõmunicatus,& degradatus verè conſecrabit panem,ſi ſupra illum proferat verba conſecrationis, quamuis illicitè hoc faciat. Si autem illa poteſtas eſſet poteſtas iuriſdictionis, poſſet Epiſcopus priuari tali poteſtate; Epiſcopus enim excommunicatus atque ſuſpenſus, non ſolùm illicitè, ſed inualidè exerceret iuriſdictionem Epiſcopalem. Ergo manifeſtè docet Scotus, Epiſcopos non accipere immediatè à Chriſto poteſtatem iuriſdictionis: nam ſi à Chriſto acciperent immediatè, non poſſent à Papa tali poteſtate priuari: ergo ſecundùm Scotum plenitudo, & fons totius iuriſdictionis Eccleſiaſticæ reſidet in Papa: ergo nulla eſt iuriſdictio Eccleſiaſtica in Eccleſia, cui Papa debeat ſubijci. Ergo Concilium generale non habet poteſtatem Eccleſiaſticam ſupra Papam. Ergo iudicium Romani Pontificis in determinandis fidei & morum controuerſijs eſt vltimum: ergo irreformabile: ergo infallibile; quia alioqui tota Eccleſia teneretur errare in fide. Eandem doctrinam tradit in quartum diſt.19. quæſt. vnica agens de collatione clauium, vt conſtabit legenti reſolutiones Scoti in 4. ad illam Diſtinctionem, in quibus Melchior Flauius eiuſdem Ordinis, breuiùs & clariùs propoſuit ea, quæ prolixius, & obſcuriùs ab Scoto tractata fuerant. Quæ reſolutiones habentur poſt Commentaria eiuſdem Scoti in quartum.

§. VIII.

Heruæus Natalis, & Aureolus.

1. HEruæus Natalis Brito Ordinis Prædicatorum Doctor Pariſienſis Magiſter Generalis decimuſquartus, & Durandi æqualis, contra quem ſcripſit librum in ijs, in quibus à Sancto Thoma diſſentit, Theologus fuit doctiſſimus, & obijt anno 1323. ſecundùm Antonium Senenſem in Bibliotheca Patrum Prædicatorum, & ſecundum Bellarminum Anno 1325. Hic Author in tractatu de poteſtate Papę fol.2. col.4. authoritatem infallibilem Romani Pontificis in reſoluendis dubijs fidei
„ & morum clarè docet his verbis: Ad euidentiam autem, quòd ad Pa-
„ pam pertinet authoritas declarandi dubia in talibus, id eſt in perti-
„ nentibus ad ius naturale vel Diuinum, ſciendum, quòd declarare du-
„ bia in aliquibus poteſt dupliciter contingere: vno modo inquiſitiuè,
„ ſicut poteſt quilibet ex ingenio vel habitu inquirere de dubijs ali-
„ cuius ſcientiæ; & iſto modo declarare, poteſt pertinere ad quemcum-
„ que doctum, & ſcientem, in aliqua ſcientia. Alio modo poteſt acci-
„ pi, declarare cum authoritate aliqua, ſcilicet quòd declaratio ſua
„ debeat haberi pro vera, ita quòd non liceat oppoſitum tenere, vel
„ opinari. Et iſto modo poteſtas & authoritas declarandi prædicta du-
„ bia,

Digitized by Google

„ bia, eſt ſolum apud Summum Pontificem ſimpliciter. Et quia talis
„ authoritas ſit ſimpliciter apud Papam, patet ſic; quia oportet ponere
„ in Eccleſia vnum caput, ad quod pertinet declarare illa, quæ ſunt du-
„ bia circa quæque ad fidem pertinentia, ſiue ſint ſpeculatiua, ſiue agi-
„ bilia. Sed conſtat, quia in Eccleſia non poteſt eſſe aliquod tale, niſi
„ ſolus Papa: Ergo &c. Minor patet. Maior probatur, quia oportet
„ poni Eccleſiam ſic diſpoſitam, quòd tota communitas vniuerſalis Ec-
„ cleſiæ, maneat in vnitate fidei, & in vna ſententia de fide. Sed hoc
„ non poteſt eſſe, niſi tota communitas Eccleſię haberet recurſum ad
„ vnum caput, ſcilicet ad Præſidentem, apud quod eſſet authoritas de-
„ clarandi dubia circa ea, quæ ſunt fidei: Ergo &c.

Et poſtea latè probat, Papam non accipere ſuam poteſtatem ab Eccleſia, ſed immediatè à Chriſto. Et poſtquam id probauerat alijs rationibus, addit tertiam fol. 4. col. 2. deſumptam ex parte modi habendi
„ iſtam poteſtatem. Quia illam, inquit, poteſtatem inſtituere propria
„ anthoritate, qua aliquis vtitur, vt Vicarius alicuius Domini, ad nul-
„ lum alium pertinet, niſi ad illum Dominum, cuius ille qui ſic tali po-
„ teſtate vtitur, eſt Vicarius. Sed poteſtas Papæ, de qua loquimur, eſt
„ poteſtas, qua ipſe Papa vtitur vt Vicarius Chriſti in terris: Ergo iſtam
„ poteſtatem inſtituere, ad nullum alium pertinet niſi ad Chriſtum.
„ Et paulo poſt: Petrus, cui ſuccedit Papa non ſicut ſimplici Epiſcopo,
„ ſed ſicut Generali Vicario Chriſti, ſuper totam Eccleſiem factus eſt
„ expreſsè à Chriſto Vicarius Generalis, quando dixit ei Ioan. 21. Pa-
„ ſce agnos meos: & paſce oues meas.

2. Petrus Aureolus natione Gallus ex Ordine S. Franciſci Archiepiſcopus Aquenſis, Scoti Diſcipulus, Doctor Pariſienſis, & eiuſdem Academiæ Profeſſor, qui floruit initio decimi quarti ſeculi, teſtatur ſupremam Iuriſdictionem Papæ in totam Eccleſiam, cui nulla alia æqualis, ne dum ſuperior ſit in 4. ſententiarum diſt. 20. art. 1. vbi examinans vtrum ſolus Papa Indulgentias concedere poſſit, pro parte affirmatiua,
„ arguit ſic: Solus ille qui habet meritum Paſſionis Chriſti in ſuo the-
„ ſauro, poteſt Indulgentias dare. Sed ſolus Papa habet huiuſmodi
„ theſaurum in poteſtate ſua: quia meritum Chriſti, cùm ſit vniuerſale,
„ reſidet apud vniuerſalem poteſtatem: Sed authoritas ſolius Papę eſt
„ vniuerſalis: Ergo. Reſoluit quæſtionem ſic. Aliqui dicunt, quod
„ ſolus Papa poteſt authoritatiuè & de iure dare indulgentias: Alij ve-
„ ro ex commiſſione, & ideo taxatus eſt eis modus, & quantitas qua-
„ draginta ſcilicet dierum. Alij dicunt, quod quilibet Epiſcopus eſt
„ Succeſſor Apoſtolorum: ideo authoritatem habet ſuper meritum
„ Chriſti. Mihi videtur, quod ſolus Papa authoritatiuè poteſt per
„ modum relaxationis authenticè pœnas relaxare. Ratio eſt, quia ſibi
„ ſoli dictum eſt: Quodcumque ſolueris. Sed per modum recompen-
„ ſationis & ſatisfactionis, videtur dicendum, quod non ſolus Papa,

„ ſed

„ ſed & alij, puta Epiſcopi, licet modo magis arctato. Ratio eſt, quia
„ corpus Eccleſiæ eſt hierarchicè ordinatum; & ſicut Papa præſidet
„ omnibus de iure, ſic Epiſcopus præſidet aliquibus. Hucuſque
„ Aureolus.

§. IX.

Guido Carmelita, & Ioannes de Belna.

1. GVido Carmelita, ex Priori Generali Ordinis B. Mariæ de Monte Carmelo, & ex Inquiſitore Generali Epiſcopus Maioricenſis in Inſulis Balearibus, qui obijt anno 1330. in Summa de hæreſibus, primo errore Waldenſium, eandem authoritatem, & infallibilitatem Ro-
„ mani Pontificis tuetur his verbis: Conſtat, quod Dominus Petrum
„ (& in Petro Petri ſucceſſores) poſuit omnium fidelium Caput, cui
„ ait Dominus Luc. 22. Rogaui pro te, vt non deficiat fides tua; tu au-
„ tem aliquando conuerſus confirma fratres tuos: ita quod in directio-
„ ne & confirmatione fidei Petro, & Petri ſucceſſoribus eſt ſtandum &
„ obediendum. Sic quod Petri fides non deficiet à Sede Apoſtolica,
„ nec à Romana Eccleſia Chriſti Sponſa, quæ tota pulcra eſt, & labes
„ hæreſis, ſeu macula non eſt in ea. Item nolentes obedire Romano
„ Pontifici Paſtori ouium Chriſti, cui in Petro Dominus ait Ioan. vlti-
„ mo, Paſce oues meas, deſinunt eſſe oues Chriſti, quia oues Chriſti
„ vocem eius libenter in doctrina fidei audiunt, Ioan. 10. Et Chriſtus
„ cum Petri ſucceſſoribus adeſt, per ſuam gratiam eos dirigens, & con-
„ firmans in fide, vt eorum doctrinâ & regimine perſeueret Sedes Apo-
„ ſtolica, & Romana Eccleſia ſine ruga aut macula hæreticæ prauitatis.

2. Ioannes de Belna Inquiſitor Carcaſſonenſis. Floruit author iſte anno Domini 1319. ſub Philippo Franciæ & Nauarræ Rege, & ſub Ioanne XXII. Pontifice Romano; nam, vt conſtat ex Nicolao Eymerico in Directorio Inquiſitorum parte 2. quæſt. 15. eo anno ſimul cum Illuſtriſſimo Bernardo Archiepiſcopo Narbonenſi ſententiam tulit contra quoſdam hæreticos. Eruditiſſimus Stephanus Baluzius tomo primo Miſcellaneorum, ideſt collectionis veterum monumentorum, quæ hactenus latuerunt in Codicibus, ac Bibliothecis, impreſſo Pariſijs anno 1678. pag. 285. adducit, quoddam Opuſculum, quod iudicat eſſe Ioannis de Belna Inquiſitor Carcaſſonenſis, in quo ſequentia habentur
„ verba. Quæſtiones aut dubia, quæ circa illa, quæ ſunt fidei, oriun-
„ tur, ad Sedem Apoſtolicam pertinet interpretari, declarare, & etiam
„ amputare. Quamobrem ipſa ſedes eſt ſemper in huiuſmodi conſu-
„ lenda. Verùm quia ſcripſiſtis quòd vobis ſcriptum fuerat per Do-
„ minum Epiſcopum Lodouenſem de voluntate, & mandato Domini

Digitized by Google

„ noſtri Summi Pontificis, quòd in dubijs quæ ſcripſiſtis, recurreretis
„ ad Inquiſitores Carcaſſonæ, vel Toloſæ; ea, quæ mihi videntur ſu-
„ per infraſcriptis articulis, ſeu dubijs per vos tranſmiſſis reſpondeo,
„ ſalua ſemper definitione, & iudicio Sedis eiuſdem, & ſi quid ſecus,
„ aut aliter in reſponſionibus meis appareret, vel inueniretur, illud
„ totum & totaliter eius iudicio derelinquo.
„ In primis igitur ad illuminandum fundamentum erroris omnium
„ ſapientium dico, eſſe fidei articulum credere vnam ſanctam Romanam
„ Eccleſiam Catholicam; quæ ideo vna eſt, quia eoſdem articulos fi-
„ dei credit, confitetur, & docet, & eadem Sacramenta ſunt, in qui-
„ bus eſt Sanctorum communio, & in qua ſola Eccleſia eſt, & extra
„ quam nulla eſt remiſſio peccatorum. Hæc autem Sancta Eccleſia vna
„ eſt ab vnitate capitis, quod eſt Chriſtus, cuius Vicarius in terris vnus
„ eſt Summus Pontifex Papa Romanus Succeſſor Beati Petri Apoſtoli,
„ cui & eius Succeſſoribus in eo Chriſtus dedit poteſtatem ligandi, &
„ ſoluendi; à cuius Eccleſiæ vnitate, & capitis vnione procul dubio
„ diuiduntur illi, qui poteſtatem ligandi, & ſoluendi, & obediendi ei-
„ dem Summo Pontifici Papæ Romano abſque alia diffinitione ſanctæ
„ Eccleſiæ ſola ſua temeritate auferunt, ipſumque Romanum Pontifi-
„ cem, & alios conſentientes in ſuis definitionibus, pertinaciter aſſe-
„ runt, & dicunt eſſe hæreticos, nec eis eſſe obediendum, non atten-
„ dentes tales temerarij aſſertores quòd in eo, in quo Papam, & ſibi
„ conſentientes hæreticos eſſe iudicant, ſe ipſos hæreticos conſtituunt,
„ & condemnant.

§. X.

Petrus de Palude.

1. PEtrus de Palude Ordinis Prædicatorum, Doctor in Theologia, & Patriarcha Hieroſolymitanus, natione Burgundus, qui obijt anno 1342. in tractatu de cauſa immediata Eccleſiaſticæ poteſtatis, impreſſo Pariſijs in quarto anno 1506. perſpicuè docet, excellentiam Romani Pontificis ſupra omnia Concilia, dum docet omnem poteſtatem iuriſdictionis, quæ eſt in Eccleſia, deriuari immediatè à Romano Pontifice: ex quo euidenter infertur, nullam eſſe ſuperiorem Romano Pontifice, ſed omnem aliam iuriſdictionem eſſe inferiorem iuriſdictione Pontificis, ac proinde Pontificis iudicium in controuerſijs fidei eſſe irreformabile, ac proinde infallibile.

2. In primis artic. 1. in prima concluſione ſtatuit, quod Petrus à Chriſto habeat poteſtatem ſuper omnes Apoſtolos, tanquam Princeps,

&

& Prælatus eorum. Deinde ſecundam concluſionem ſtatuit his verbis: „ Secunda concluſio principalis eſt, quod Petrus à Chriſto habuit prælationem ſuper totam Eccleſiam vniuerſalem, quia in vno corpore non debent eſſe plura capita, ſed vnum tantum, aliàs eſſet monſtrum, & illis diſſidentibus membra non poſſent bene regi. Vni corpori ſuo myſtico Chriſtus Petrum ſicut caput vnum præfecit, propter quod ſuper illud *Tibi dabo claues Regni cælorum*, dicit Gloſſa, ſpecialiter eam Petro conceſſit, vt ad vnitatem nos inuitaret; ideo enim eum Principem Apoſtolorum conſtituit, vt Eccleſia vnum principalem Chriſti haberet Vicarium, ad quem diuerſa membra Eccleſiæ recurrerent, ſi fortè inter ſe diſſentirent; quia ſi diuerſa capita eſſent in Eccleſia, vnitatis vincula rumperentur.

„ 3. Præterea ponit tertiam concluſionem: Quod Petrus à Chriſto habuerit plenitudinem poteſtatis: quia ſicut Rex præter particulares theſaurarios vult habere vnum, de quo magis confidit ſuper omnes theſauros ſuos, per cuius manum omnia tranſeant, ſicut Actorum 8. Eunuchus Candacis Reginæ Æthiopum erat ſuper omnes gazas eius; & ſicut Rex Pharao Ioſeph conſtituit Dominum domus ſuæ, & Principem omnis poſſeſſionis ſuæ: ſic Chriſtus ſuper omnes theſauros regni cœlorum, quod eſt Eccleſia iuſtorum, voluit eſſe vnum vniuerſalem theſaurarium, qui haberet plenam diſpenſationem totius theſauri; ſed quia infidelitatem Iudæ fuerit expertus, voluit ponere fidelem Petrum ſuper hoc opus. Vnde Petrus Luc. 12. Domine ad nos dicis hanc parabolam, an ad omnes? & Dominus tunc dixit Petro ſingulariter, Quis putas eſt fidelis diſpenſator & prudens quem conſtituit? &c. Amen dico vobis, ſuper omnia bona ſua conſtituet eum.

„ 4. Deinde ponit quartam: Quarta, inquit, concluſio eſt, quod Petrus à Chriſto immediatè habuit poteſtatem & dignitatem Epiſcopalem, & ab ipſo conſecratus eſt Epiſcopus. Vnde Anacletus Papa XXI. d. *in nouo* dicit ipſi S. Petro primo Pontificatus in Eccleſia Chriſti datus eſt, dicente Domino ad eum: Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduerſus eam; & tibi dabo claues regni cœlorum. Hic igitur ligandi atque ſoluendi poteſtatem primus accepit à Domino. Et ratio eſt, quia Dei perfecta ſunt opera; vnde ſicut Deus in creatione homines perfectos fecit, & quibus naturaliter propagatio procedere potuit; ſic Deus Apoſtolos, quos principia Eccleſiæ in recreatione fecit, ſic perficere debuit, vt per eos Eccleſia propagari poſſet: ſed ſine Epiſcopo Eccleſia non poterat proficere, à quo ſolo omnia Sacramenta Eccleſiaſtica poſſunt miniſtrari: ergo oportuit, quod Chriſtus Pontifex recedens, aliquem loco ſui Epiſcopum relinqueret.

„ 5. Vltimo ponit quintam: Quinta, inquit, concluſio principalis eſt, quod Chriſtus prædictam eminentiam poteſtatis & dignitatis

Digitized by Google

„ Epiſcopalis Petro ante reſurrectionem ſuam non contulit; quia „ quandiu ipſe corporaliter inter homines viuens per ſeipſum Eccle- „ ſiam rexit, nulla neceſſitas, nec decentia, nec vtilitas fuit, quod ipſe „ alium loco ſui poneret, ſed ſolum quando per aſcenſionem ſe abſen- „ tare debuit, ſicut Prælati tunc demum quando ſe abſentant ad ma- „ gnum tempus, loco ſui conſtituunt Vicarium generalem. Vnde ſu- „ per illud Lucæ 22. Facta eſt autem contentio inter eos quis eorum „ eſſet maior, dicit Gregorius: hæc contentio videtur habuiſſe moti- „ uum, quod cùm Dominus ab hominibus tranſmigraret, oportebat „ aliquem eorum Principem fieri, quaſi Domini vicem gerentem; quaſi „ diceret, antequam tranſmigraret, non erat neceſſe.

6. Poſtea art. 2. agit de poteſtate à Chriſto collata immediatè alijs Apoſtolis; & ponit ſeptimam concluſionem his verbis: *Septima concluſio eſt de poteſtate Pontificali, ſcilicet quod alij Apoſtoli non acceperunt à Chriſto poteſtatem Epiſcopalem immediatè, nec facti ſunt ab eo Epiſcopi ſicut Petrus: ſed magis à Petro mediatè, vel immediatè ſolo, vel cum alio, & cum alijs.*

7. Quam concluſionem latè probat, & vindicat ab obiectionibus per quatuor folia; & poſtea ponit octauam concluſionem ſic: *Octaua,* inquit, *concluſio eſt de poteſtate iuriſdictionis, quod eam alij Apoſtoli non habuerunt à Chriſto immediatè, ſed quamcumque habuerunt, à Petro habuerunt.* Hanc concluſionem latè & doctiſſimè probat. Et quia hæc doctrina à fortiori concludit, omnem poteſtatem iuriſdictionis, quæ eſt in Epiſcopis diſtinctis à Romano Pontifice, & conſequenter in Concilio, dimanare à Sede Petri, & eſſe illa inferiorem; illam hic appendam ad vtilitatem legentium.

8. Ibi igitur in ſeptima ratione pro octaua concluſione fol. 13. col. 1. concludit:.

9. *Igitur Chriſtus per illa verba,* Tibi dabo claues &c. *promiſit vtraſque claues, ſcilicet tam ordinis quam iuriſdictionis: Quare quando dixit claues regni cælorum non diſtinguens has vel illas, de omnibus intellexit, vt de priuilegijs cap.* quia circa. *Ergo omnes claues regni cælorum, per quas Eccleſia militans intrat in triumphantem, & per quas homo de Eccleſia eijcitur, & in eam introducitur, ſiue ſint claues ordinis, per quas hoc fit directè & immediatè, ſiue claues iuriſdictionis, quæ primis clauibus deſeruiunt præparando & exequendo; omnes iſtas claues ſiue ambas Chriſtus promiſit Petro dare, & dedit. Et quia non promiſit ſibi mittere per alium, ſed dixit,* Tibi dabo: *ideo etiam dedit per ſeipſum. Et quia dixit,* Super hanc petram ædificabo Eccleſiam meam. *Quare non ſolùm de Chriſto principaliter, ſed etiam de Petro poſt Chriſtum Sancti exponunt; cum quidquid eſt in ædificio toto, ſolidetur in fundamento. Ideo omnis poteſtas Eccleſiæ primo collata eſt Petro, immo non eſt data Eccleſiæ niſi in Petro, licet non ſit data Petro propter ſe, ſed propter Eccleſiam.*

Digitized by Google

10. Et eodem art. 2. fol. 15. col. 4. ad multas alias probationes antea poſitas addit hanc: *Quod fuit totum & totaliter datum Petro, in quibuſcumque inueniatur, proceſſit à Petro. Sed tota poteſtas iuriſdictionis, quam habuerunt Apoſtoli, fuit data Petro: ergo eam habuerunt ab illo. Maior patet: quia id quod nimirum eſt ſine facto noſtro, ad alios transferri non poteſt, vt dicit regula iuris ff. de regulis iuris, l. id quod noſtrum. Vnde res quæ ſemel facta eſt mea, à quocumque poſtea iuſtè habeatur, oportet quod ſit per meam conceſſionem. Minor probatur: quia poteſtas Apoſtolorum fuit poteſtas Eccleſiæ, cùm ipſi eſſent membra Eccleſiæ: tota autem poteſtas Eccleſiæ fuit collata Petro, imo non eſt collata Eccleſiæ niſi in perſona Petri. Vnde Auguſtinus dicit, & habetur 24. q. 1.* quemcumque: *quando Petrus claues accepit, Eccleſiam factam ſignificauit: quaſi diceret, Eccleſia in Petro, & Petrus pro Eccleſia à Chriſto claues accepit; per quod patet, quod omnes claues Eccleſiæ Petro fuerunt collatæ. Vnde quicumque eas habet, à Petro poſtea eas accepit, loquendo de clauibus iuriſdictionis, in quibus Chriſtus plenitudinem, & primatum ſibi dedit. Quare de clauibus ordinis nil plus habuit ipſe, quam minimus Sacerdos, vel Epiſcopus, niſi quod prius tempore, prius à digniore factus eſt Epiſcopus.*

11. In quarto articulo agit de poteſtate Papæ, & ponit tres concluſiones. Prima quod poteſtas Papalis non eſt ab Eccleſia. Secunda, quod eſt à ſolo Chriſto immediatè. Tertia, quod ab ipſo eſt omnis iuriſdictio Eccleſiaſtica, & ſpiritualis in toto Mundo, & in tota Eccleſia. Primam concluſionem principalem latè probat, & incipit: *Quod poteſtas Papæ propria, qua præeminet toti Eccleſiæ, habens in ea plenitudinem poteſtatis, non ſit ab Eccleſia, patet triplici ratione.* Hæc ille: implicat autem Papam præeminere toti Eccleſiæ, & habere plenitudinem poteſtatis in ea, & quod ſit inferior Concilio. Et poſtea accedens ad tertiam concluſionem, ipſam magis explicat his verbis: *Tertia concluſio principalis, quod omnis poteſtas iuriſdictionis Eccleſiaſticæ, & prælatio in Eccleſia procedit, deriuatur & originatur à Papa, vel à Sede Papali, ideſt ab Eccleſia Romana*; probatur tripliciter: & in confirmanda prima probatione ait, quod *Papa Romanus in omni præeminentia, plenitudine, & poteſtate, & dignitate iuriſdictionis ſuccedit plenè, & perfectè Petro.*

§. XI.

§. XI.

Franciſcus Mayronus Scoti Auditor, & Ioannes Bachonius Doctor reſolutus.

1. FRanciſcus Mayronus, Scoti Auditor fuit Natione Gallus, vt ſcribit P. Labbè, diſcipulus Ioannes Duns Scoti, *Doctor illuminatus*, dici ſolitus; & vt idem Labbè narrat, ſeptem poſt Magiſtri ſui obitum annis dicitur fuiſſe primus author in Pariſienſi Academia Theologici illius actus, qui Sorbonica dicitur, ab ortu Solis vſque ad Occaſum, ſiue à quinta, vel ſexta matutina ad quintam, vel ſextam veſpertinam. Obijt autem anno 1325. Hic author in 4. diſt. 19. quæſtion. 1. artic. 2. defendit plenitudinem poteſtatis eſſe in Romano Pontifice, ac proinde poteſtatem Concilijs ſuperiorem. Inquirit ibi, an Succeſſoribus Petri commiſſa ſit plenitudo poteſtatis: *Videndum* (inquit) *qualiter Succeſſoribus eius* (Petri) *eſt commiſſa plenitudo poteſtatis*. & reſpondet affirmatiuè; & aſſertionem probat multis rationibus: „ quarum tertia eſt: Quia vbicumque eſt eadem cauſa condendi ius, „ ibi debet eſſe eadem ratio. Sed eadē ratio nunc ſicut tunc, nempe ha„ bere Principem. Quarta: quia Petrus commiſit Eccleſiam Beato Cle„ menti, ſicut Chriſtus ſibi commiſerat: & Linus etiam fuit electus de „ conſenſu Clementis. Talem igitur iuriſdictionem dedit Lino, qualem Chriſtus ſibi. Ergo ſentit, quod ſicut Chriſtus dedit Petro plenitudinem poteſtatis, quia illum fecit Eccleſiæ Principem ſupremum; ita dat Succeſſoribus Petri, quia etiam habent ſupremum Principatum Eccleſiæ. Ergo eorum poteſtas non habet in terra ſuperiorem.

2. Ioannes de Bachone, ſeu Bachonius, qui cognomen Doctoris reſoluti meruit, natione Anglus, Ordinis Carmelitarum, Doctor Pariſienſis, qui obijſſe dicitur anno 1346. vt ſcribit Labbè, quem vt Anteſignanum, plerumque ſequitur illuſtris Carmelitana Familia, in Prologo libri quarti ſentent. qu. 10. egregiè tuetur primatum Romani Pontificis, eiuſque in totum corpus Eccleſiæ ſuperioritatem, ac proinde excellentiam ſupra omnia Concilia, quatenus diſtincta à capite Eccleſiæ, ac proinde infallibilitatem in determinandis fidei, & morum controuerſijs, ita vt pro hæreſi debeat ab omnibus fidelibus haberi propoſitio aliqua hoc ipſo, quod Romanus Pontifex illam toti Eccleſiæ, vt hæreticam proponat, id eſt, hoc ipſo, quod determinet dubium cum intentione obligandi fideles. Quærit ibi art. 1. An Chriſtus aliquem Vicarium dimiſit, qui eſt caput omnium? & reſpondet ad quæſtionem „ his verbis. Inter 43. errores quos abiurarunt Nuncij Græcorum in

ani-

„ animabus dominorum ſuorum in Concilio Lugdunenſi, quos habui
„ de Libraria Eccleſiæ Roffenſis, ſecundus error eſt, quòd negant pri-
„ matum Romanæ Eccleſiæ: & quartus eſt, quod dicunt Dominum Pa-
„ pam non habere plus poteſtatis quàm Patriarchas Græcos, & quid-
„ quid præter conſenſum eorum per Papam ſine approbatione eorum
„ factum eſt, nullius valoris eſt, & quicquid actum eſt per Apoſtolicos
„ à ſeptima Synodo, & citra nullius eſt valoris.

3. Ibi latè exponit, & impugnat errores Græcorum; & defendit prærogatiuas Sedis Romanæ, quas Ioannes XXII. ſtatuit in Conſtitutione, quæ incipit, *Licet ſecundum Apoſtolum*, contra hæreticum Marſilium de Padua, & Ioannem de Ianduno. Et poſtea art. vel tract. 2. fol. 22 vbi quærit, *An Papa poſſit de plenitudine poteſtatis, ſine Fratribus ſuis diſponere de vniuerſali ſtatu Eccleſiæ*, ſtatuit authoritatem infallibilem Romani Pontificis. Item in 4. diſt. 17. quæſt. 1. fol. 108. col. 3. vbi inquirit, *An Chriſtus dederit principalius claues Petro quàm alijs?* probat Petrum, & Succeſſorem eius Romanum Pontificem eſſe ſingularem Vicarium Chriſti ſupra totam Eccleſiam. Et probationem concludit his verbis:
„ Dixit Petro in ſingulari, Duc in altum rete, & omnibus in commu-
„ ni dixit, laxate retia in capturam: ſed qui ſoli Petro dixit, & nulli
„ alij, Duc in altum, ſignat, quod ad ipſum ſolum, tanquam ad caput
„ omnium, ſingulariter pertinet in alium laxare rete capitalis iuriſdi-
ctionis. Et in eandem diſt. 17. quęſt. 1. in ſolutione ſecundi dubij, affir-
„ mat; Solùm Romanum eſſe vniuerſalem Paſtorem Eccleſiæ. Ipſe ſolus,
„ inquit, eſt vniuerſalis Paſtor Eccleſię ..... Quare ille ſolus imparti-
„ tur authoritatem Decretis, & Concilijs, nec ſe ſubijcit ijs. Idque
„ probat ex cap. *Inter* de translatione Epiſcoporum; vbi (inquit) dici-
„ tur, quod Romanus Pontifex non puri hominis, ſed Dei vicem gerit
„ in terris: Et Deus eſt author legis; non legi alligatus.

SE-

SECTIO IV.

Catalogus Theologorum antiquorum, qui ante Concilium Conſtantienſe extra Vniuerſitatem Pariſienſem propugnarunt infallibilitatem Romani Pontificis, eiuſque ſupra omnia Concilia excellentiam.

ENumerauimus ſupra Theologos antiquos, alumnos, ſeu Doctores Scholæ Pariſienſis, nunc enumeremus Theologos antiquos, qui non fuerunt eius alumni.

§. I.

Potho Prumienſis, & Guilielmus Antiſiodorenſis, & Pariſienſis.

1. POtho (inquit P. Labbè) *Prumiæ celebris in Diœceſi Treuirenſi Cœnobij Monachus, & Presbyter* (non Epiſcopus; vt habet Index Bibliothecæ Pariſienſis vltimæ) *ſcribere cœpit de Domo Dei ann. 1152. quo Conradus III. Imperator ſeu Rex Romanorum viuere desijt.*

Hic author lib. 3. de ſtatu Domus Dei clarè tuetur authoritatem Romani Pontificis his verbis: Eccleſiaſticæ autem diſciplinæ authoritatis Priuilegium quod in Apoſtolica Sede fundatur, vbi diuinæ voluntatis inſtitutio omnibus principaliter Eccleſiæ Prælatis, eorumque ſubditis traditur, vbi firmamentum diſpenſationis Eccleſiaſticæ ſpecialiter collocatur. Hoc namque priuilegium B. Petro Apoſtolorum Principi, cœleſti decreto principaliter traditum atque firmatum, Sancti Patres cum magna veneratione ſuſcipientes, atque Sanctam Romanam Eccleſiam obſeruantes, tam in generalibus Concilijs, quam & in cęteris ſcripturis & geſtis ſuis, vniuerſalem Matrem appellauerunt; Et ſicut eius documenta in confirmatione fidei, & eruditione Sacræ Religionis, ita etiam iudicia ſuſceperunt; in hoc conſentientes, & quaſi vno ſpiritu & vna voce concordantes, omnes maiores res, & præcipua negotia, nec non omnium Eccleſiarum iudicia, ad eam quaſi Matrem & caput referri debere: ab ea nuſquam appellari, iudicia à nemine retractari, aut refelli debere, vel poſſe.

2. Gui-

2. Guilielmus Antiſiodorenſis Epiſcopus, qui teſte Philippo Labbè obijt ann. 1223. libro 4. Summæ ſuæ in libros quatuor ſententiarum titulo de ordinis Sacramento, agnoſcit Papam non habere in terris poteſtatem aliquam ſupra ſe, ac proinde agnoſcit eius ſententiam definitiuam in controuerſijs fidei eſſe irreformabilem, ac proinde infallibilem. „ Quòd hoc agnoſcat, patet: ſic enim ait: Cùm Dominus Papa non ha- „ beat ſuperiorem vel parem, de neceſſitate inferior conſecrat eum.

3. Guilielmus Pariſienſis natione Gallus, Aruernus ſcilicet, Theologus, Philoſophus, ac Mathematicus præſtantiſſimus, qui obijt anno „ 1249. in tractatu de Sacramento ordinis inquit: Papa eſt Succeſſor „ Petri, quantum ad poteſtatem & dignitatem. At poteſtas Petri fuit ſuprema, & non habens in terra ſuperiorem: ergo talis eſt poteſtas Papæ: ergo non ſubijcitur iudicio Concilij in dubijs fidei determinandis.

§. II.

Richardus de Mediauilla.

1. Richardus de Mediauilla Ordinis S. Franciſci, natione Anglus, qui Doctor fundatiſſimi & copioſi cognomen obtinuit, qui per multos annos Oxonij docuit, & ibi obijt circa annum 1300. in 4. diſt. 24. art. 5. quæſt. 1. apertè docet, Epiſcopos non accipere immediatè poteſtatem iuriſdictionis à Chriſto, ſed mediante Romano Pontifice, ac proinde docet poteſtatem iuriſdictionis ſupremæ in Eccleſia Chriſti eſſe penes Papam, & proinde non ſubiacere poteſtati Concilij, nec ab illo poſſe iudicari. Vnde neceſſariò ſequitur, eius iudicium in cauſis fidei eſſe irreformabile, ac proinde infallibile.

„ 2. Interrogat in ea quæſtione Richardus, Vtrum omnium Epiſco- „ porum ſit aliquis in Eccleſia ſuperior: & reſoluit, omnibus Epiſcopis „ vnum in Eccleſia præeſſe, qui ſub Chriſto totius Eccleſiæ caput eſt, „ ſcilicet Epiſcopum Romanum. Proponit autem contra hanc conclu- „ ſionem argumentum quartum his verbis: Epiſcopi ſunt ſucceſſores „ Apoſtolorum: ſed inter Apoſtolos nullus fuit ſuper alios: qui omnes „ ſuam poteſtatem immediatè à Chriſto acceperunt: ergo nullus Epi- „ ſcopus omnibus alijs ſuperior eſt. Cui argumento ſic reſpondet. Ad „ quartum dicendum, quod minor eſt falſa. Petrus enim ſummus fuit „ inter alios Apoſtolos, quia quamuis poteſtatem clauium omnes im- „ mediatè receperunt à Chriſto, tamen poteſtatem iuriſdictionis acce- „ perunt mediante Petro, vt patet ex ſuperioribus dictis: & quia iu- „ riſdictio miniſtrat materiam, quæ eſt ſubditus habentis iuriſdictio- „ nem, quæ requiritur ad hoc, quòd poteſtas clauium exeat in actum:

Digitized by Google

„ ideo vſus illius poteſtatis, quem omnes immediatè acceperunt à
„ Chriſto, indirectè dependebat à Petro: ſic dico de poteſtate Epiſco-
„ porum per comparationem ad Papam.

3. Sed in corpore articuli rem magis explicat, & à priori probat
„ his verbis: Reſpondeo, quòd omnium Epiſcoporum eſt aliquis in
„ Eccleſia ſuperior, qui ſub Chriſto totius Eccleſiæ caput eſt. Cuius
„ ratio eſt. In omni re vna ex diuerſis rebus integrata oportet eſſe ali-
„ quid præeminens, quo diuerſæ partes teneantur in vnum: ſicut eſt
„ anima in humano corpore, & corpus ſuper contrarietatem eleuatum,
„ quod eſt Cælum in machina mundi: per virtutem enim cæleſtem
„ conciliantur elementa quæ contraria ſunt; vnde cùm Eccleſia ſit
„ vnum corpus Chriſti myſticum ex diuerſis ſtatibus, & membris con-
„ ſtitutum, ad obſeruationem huius vnitatis oportet eſſe vnum caput
„ omnium ſtatuum Eccleſiæ, & membrorum vniuerſali regimine regi-
„ tiuum, ſub quo diuerſi ſtatus Eccleſiæ, & membra diuerſa conueniant
„ ſecundùm debitam proportionem in vnum, vt ſic conformetur Ec-
„ cleſia militaris ſuo exemplari in cælo. Vnde Bernardus lib. de conſid.
„ cap. 13. Sicut Seraphim, & Cherubim, ac cæteri ordinantur ſub vno
„ capite Deo, ita hìc ſub vno ſummo Pontifice Primates, vel Patriar-
„ chæ, Archiepiſcopi, Epiſcopi, Presbyteri, vel Abbates, & reliqui in
„ hunc modum. Ille autem Epiſcopus qui præeſt toti Eccleſiæ eſt
„ Epiſcopus Romanus. Vnde 9. quæſt. 3. Cuncta primo. Cuncta per
„ mundum nouit Eccleſia, quòd Sacroſancta Romana Eccleſia fas de
„ omnibus habet iudicandi, neque cuiquam de eius licet iudicare iudi-
„ cio: Et ſicut dicitur decret. diſt. 21. quamuis nullis Synodis prælata
„ eſt, ſed Euangelica voce Domini, & Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti
„ primatum obtinuit.

4. Idque ipſum prius docuerat ibidem diſt. 19. art. 1. quæſt. 3. in
qua inquirit, ***vtrum quilibet Sacerdos poſſit vſum clauium in perſonam quamlibet exercere***; & reſoluit negatiuè, quia cum Sacerdos in conſecratione, ordinis tantum poteſtatem accipiat, non autem iuriſdictionis, propterea quilibet quemlibet abſoluere non poteſt. Audiamus eius
„ verba: Reſpondeo, quòd actio non tantùm requirit potentiam, à qua
„ ſit, ſed ſubiectum debitum in quo recipiatur. Vnde ad ligare, &
„ ſoluere non tantùm requiritur poteſtas clauium, à qua ſunt iſti actus
„ ſed etiam materia debita in qua recipiuntur: non eſt autem materia
„ debita quantum ad iſtos actus reſpectu claues habentis, niſi perſonæ,
„ ſuper quas habens claues habet aliquam iuriſdictionem: non omnis
„ autem Sacerdos habet iuriſdictionem ſuper quemlibet, quia iuriſdi-
„ ctiones in Eccleſia diſtinctæ ſunt aliquo modo ad inſtar diſtinctionis,
„ quæ eſt in Eccleſia triumphante, vt ſicut ibi ſub Chriſto principe
„ ſunt Angeli, quorum quidam ſunt ſuperiores, quidam medij, qui-
„ dam inferiores, neque æqualis eſt omnium poteſtas: ſic in Eccleſia

„ mili-

Digitized by Google

„ militante ſub Vicario Chriſti ſunt Patriarchę, Archiepiſcopi, Epi-
„ ſcopi, & ſub illis inferiores Sacerdotes, & eſt eorum poteſtas diſtin-
„ cta ſecundum ordinationem Vicarij Chriſti: & ideo eſt conceden-
„ dum, quòd non omnis Sacerdos poteſt vſum clauium in perſonam
„ quamlibet exercere.

§. III.

Durandus.

1. EAndem authoritatem infallibilem Romani Pontificis agnouit, & aſſeruit Durandus à Sancto Portiano Ordinis Prædicatorum, & Epiſcopus Meldenſis, Theologus inſignis, vulgo dictus *Doctor reſolutiſſimus*, qui centum annis ante Concilium Conſtantienſe floruit, ſiquidem obijt anno 1333. & Conſtantienſe cęptum eſt ann. 1415. & vt inquit Bellarminus, floruit circa annũ 1320. Quod hanc infallibilitatem agnouerit, probatur primò, quia ipſe in Pręfatione ad ſua Commentaria in quatuor libros ſententiarum, iudicio Romanæ Sedis vt infallibili Sacrę Scripturæ interpreti, & regulæ viſibili, cui conformari debent, qui à via veritatis declinare nolunt, humiliter ſubiecit his verbis: Hunc mo-
„ dum Deo adiuuante tenere volumus, vt nihil ſcribamus, vel docea-
„ mus, Sacræ Scripturæ diſſonum. Quod ſi per ignorantiam, vel per
„ inaduertentiam aliquid diſſonum ſcriberemus, ipſo facto pro non
„ ſcripto habeatur. Et quia interpretatio dubiorum Sacrę Scripturę
„ ad Sanctam Eccleſiam Romanam & Catholicam pertinet, omnia
„ opera noſtra huius libri & ſequentium, eius correctioni totaliter
„ ſupponimus: vtpote qui à pueritia, in fide & obedientia Romanæ
„ Eccleſiæ nutriti ſumus, & in Romana Curia in Scholis Sacri Palatij
„ veritatem Sacræ Scripturæ docuimus, & per Sedem Apoſtolicam ad
„ Epiſcopalem dignitatem, quamuis immeriti promoti ſumus.

2. Probatur ſecundò manifeſtè; quia ex eo quòd Romanus Pontifex non habeat ſupra ſe Iudicem aliquem in terra; euidenter deducitur eſſe ſupra Concilia omnia; & hinc per neceſſariam conſequentiam deducitur eius iudicium in controuerſijs fidei & morum eſſe vltimum Eccleſię iudicium, cui omnes ſe conformare debent, ac proinde eſſe infallibile: quia de fide eſt, Chriſtum reliquiſſe in Eccleſia ſua authoritatem infallibilem ad determinandas fidei & morum controuerſias, & declarandum, quiſnam ſit legitimus ſcripturæ ſenſus; & manifeſtum eſt, hanc authoritatem debere eſſe in ſupremo iudice controuerſiarum fidei, à quo non ſit appellatio ad tribunal viſibile ſuperius, à quo eius iudicium reformari poſſit. At certum eſt Durandum expreſsè docuiſſe, Papam non poſſe iudicari à Iudice aliquo in terris, cui in foro externo contra

Digitized by Google

ſuam voluntatem ſubijciatur. Ergo certum eſt, aſſeruiſſe authoritatem infallibilem Pontificis.

3. Minor, quæ ſola probatione indiget, conſtat: nam in 4. diſt. 19. quæſt. 2. cum numero 5. diſtinxiſſet duplicem poteſtatem clauium, videlicet vnam clauium ordinis, quæ ſolum reſpicit forum conſcientiæ vel pœnitentiæ, & duntaxat exercetur in illum, qui ſua peccata voluntariè ſubijcit Confeſſori; alteram, quæ eſt poteſtas iuriſdictionis, quæ reſpicit forum contentioſum ligando per excommunicationem, vel ab-
„ ſoluendo ab ea. Poſtea num. 15. ita ſcribit: Non eſt ſimile de cla-
„ uibus ordinis, & de clauibus iuriſdictionis: quia effectus clauium iu-
„ riſdictionis tranſit in inuitum, effectus autem clauium ordinis non
„ tranſit niſi in voluntarium. Papa autem non habet, nec habere po-
„ teſt iudicem, cui ſubmittatur inuitus, nec per conſequens poteſt ſe
„ ſubmittere alicui quantum ad iuriſdictionem, quæ de natura ſua po-
„ teſt ferri in inuitum. Sed effectus clauium ordinis de ſe extenditur
„ ad omnes, niſi ſint excepti per priuilegium Petri, quod non militat
„ contra Petrum, quia ſolum eſt de ouibus ſubiectis Petro, & non de
„ ipſo: propter quod Petrus potuit, & ſucceſſor eius poteſt ſubijcere
„ ſe cui voluerit quantum ad vſum clauium ordinis in foro pœniten-
„ tiæ.

4. Idque poſtea clariſſimè docuit diſt. 24. quæſt. 5. in qua inquirit, vtrum in Eccleſia ſit aliqua poteſtas maior Sacerdotali. Ibi enim poſtquam diſtinxit poteſtatem iuriſdictionis, quæ eſt ad regendum populum, à poteſtate conſecrationis, & adminiſtrationem Sacramentorum; & poſtquam animaduertit, hic non ſe compati poteſtatem conſecrationis cum poteſtate iuriſdictionis, quia abſque dubio poteſtas conſecrationis eſt maior, quàm iuriſdictionis: inquirit, an inter poteſtates iuriſdictionis vna ſit maior alia: & doctrinam ſtatuit, ex qua conſtat, Epiſcopos non accipere immediatè à Chriſto poteſtatem iuriſdictionis, ſicut accipiunt poteſtatem conſecrationis, ſed accipere mediante Romano Pontifice; ac proinde docet plenitudinem poteſtatis Eccleſiaſticæ eſſe in Romano Pontifice, & inde deriuari in reliquos Epiſcopos. Vnde ſequitur Papam eſſe ſupra Concilium, & conſequenter eius authoritatem ad decidendas fidei, & morum controuerſias eſſe vltimam & ſupremam, ac per conſequens eius iudicium in rebus fidei non eſſe reformabile per iudicium Concilij.

„ 5. Iam Durandum audiamus. In illa ergo quæſt. 5. num. 5. Pri-
„ mò, inquit, oſtendetur, quòd in Eccleſia ſint multi maiores ſimplici
„ Sacerdote quoad poteſtatem iuriſdictionis. Hoc autem ſic probat:
„ quia poteſtas, quę tota data eſt vni in ſuo fonte, non eſt in alijs, niſi de-
„ riuata & limitata pro illius voluntate: ſed poteſtas iuriſdictionis,
„ quæ eſt ad regendum populum, tota & in ſuo fonte data fuit ſoli
„ Petro & ſucceſſoribus eius, quando cura Eccleſiæ ipſi fuit commiſſa,
„ di-

„ dicente Domino Ioannis vltimo; *Paſce oues meas*: hoc enim nulli „ aliorum Apoſtolorum dictum eſt, nec tum, nec ante, nec poſt: ergo „ talem poteſtatem plenam & perfectam habet ſolus ſucceſſor Petri, qui „ ob hoc Papa dicitur, quaſi Pater Patrum. In alijs autem non eſt niſi „ deriuata & limitata prout Papæ placet; inter quos gradum infimum „ tenent ſimplices Sacerdotes, quibus de iure (cuius Papa eſt conditor) „ aut nulla iuriſdictio competit, aut minima, vt excommunicare pro „ furtis notorijs, & huiuſmodi in locis, vbi hoc de conſuetudine obti„nent. Supra autem ſimplices Sacerdotes ſunt Epiſcopi, qui habent „ iuriſdictionem ordinariam ſuper totam diœceſim. Super hos autem „ ſunt Archiepiſcopi, qui non ſolùm habent iuriſdictionem in ſua „ diœceſi, ſed ſuper totam Prouinciam in quibuſdam caſibus. Super „ omnes denique Papa collocatur, penes quem reſidet plenitudo & „ primitas huius poteſtatis; & hoc eſt rationabile, quia optimum regi„men vnius multitudinis eſt, quando regitur per vnum ſupremum, „ à quo deſcendit authoritas regendi in medios, & vſque ad infimos, „ & propterea hoc regimen eſt optima politia ſecundùm Philoſophum „ 2. Politicorum: Sed regimen Eccleſiæ optimè à Chriſto inſtitutum: „ ergo in Eccleſia debet eſſe vnus vniuerſalis Rector, à quo deſcendat „ authoritas regendi in medios vſque ad rectores infimos; & hic eſt „ Papa, & propter hoc ſtat vnitas Eccleſiæ, quia omnia membra ſunt „ ſub vno capite: qua de cauſa illi qui hanc poteſtatem negant, Schiſ„matici dicuntur, quaſi vnitatis Eccleſiæ diuiſores. Et ſic primum „ patet, ſcilicet quòd multi ſunt maiores ſimplici Sacerdote quoad po„teſtatem iuriſdictionis.

§. IV.

Aluarus Pelagius, Thomas Valdenſis, & Gabriel Biel.

1. ALuarus Pelagius, Natione Hiſpanus, ex iuriſconſulto Bononienſi Ordinis Minorum Religioſus, & Doctoris Subtilis Scoti Auditor, Pœnitentiarius Ioannis XXII. Papę, eiuſque acerrimus Defenſor, & poſtea Siluenſis in Algarbijs Epiſcopus, qui floruit circa ann. 1320. & ſecundum Labbè obijt circa annum 1340. in Prooemio libr. „ de planctu Eccleſiæ ſic ſcribit. Vnam, Sanctam, Catholicam Eccle„ſiam Romanam, Sponſam Chriſti confiteor, veneror & obſeruo, ex„tra quam ſalus non eſt. Sponſum eius legitimum & caput, Domi„num reuerendiſſimum, & ſanctiſſimum, Dominum Ioannem Papam „ XXII. de Caturco (cuius Papatu durante, & in annum decimumquar-

„ tum

,, tum ſe Dei gratia extendente, hoc opus in ciuitate Auinionenſi, vbi
,, tunc cum ſua vera Curia reſidebat, incepi) ſucceſſorem almi Petri
,, Apoſtoli, & Vicarium Domini noſtri Ieſu Chriſti, vicem non puri ho-
,, minis, ſed Dei & Hominis Domini Ieſu Chriſti tenentem in terris,
,, verè colo, profiteor, & amplector. Petrum de Corbario Apoſtatam
,, Fratrum Minorum, quem Ludouicus Bauarus (qui ſe pro Imperato-
,, re gerit, & pro ſuis ſceleribus à dicto Domino Ioanno vero Papa,
,, ſchiſmaticus, & hæreticus ſententialiter extitit condemnatus) in præ-
,, dicta ſancta Sede Petri intruſit, cum Dathan, & Abiron Schiſmati-
,, cis, quos viuos terra abſorbuit, niſi pœnituit, habere cenſeo por-
,, tionem.

,, 2. Idem cap 6. lib. 1. Synodus vniuerſalis in Papam (corrigibilem
,, præſertim) iuriſdictionem non habet, nec in eum ſententiam depoſi-
,, tionis profert, etiam in hæreſi, ſed dicit ei: ore tuo iudica cauſam
,, tuam, quoniam ex te (inquit) iuſtificaberis, aut ex ore tuo condem-
,, naberis. (Et poſt.) Papa enim ſuper omnia generalia Concilia eſt,
,, & ab ipſo ipſa recipiunt iuriſdictionem, & authoritatem, & licen-
,, tiam congregandi ſe, non ipſe ab eis principaliter.

3. Thomas Valdenſis natione Anglus, Ordinis Carmelitarum in Anglia Prior Prouincialis. Theologiæ eximium decus, qui obijt anno 1430. ſcripſit egregium opus, quod intitulauit, *Doctrinale Antiquitatum Fidei Eccleſiæ Catholicæ* in tres tomos digeſtum, in quibus aduerſus wicleffiſtas, & Huſſitas eorum recentes aſſeclas exactiſſimè diſſeruit: quod opus Martinus V. Pontifex Maximus maximè probauit, & Breui ſuo Apoſtolico commendauit: quod Breue initio operum præfigitur.

Hic ſapientiſſimus ac grauiſſimus Theologus manifeſtè ſępe docet hanc infallibilitatem Romani Pontificis, pręſertim tom. 1. lib. 2. cap. 19. cuius titulus eſt, *quòd authoritate Eccleſiæ ſymbolicæ ſunt omnia dubia definienda*. Et cap. 24. circa finem vbi ſtatuit, inter omnes Eccleſiæ Antiſtites Romano Pontifici ſummam fidem eſſe adhibendam.

,, 4. Item cap. 32. cuius titulus eſt. Quod Romana ſedes tenet pri-
,, matum ſuper omnes Eccleſias. Et cap. 35. cuius titulus eſt, quòd
,, omnis Romanus Papa rite ingrediens, in poteſtatem & præeminen-
,, tiam Eccleſiæ ſuccedit cum Petro. Sed vt alia omittam, hanc veri-
tatem ex profeſſo probat eodem tom. 1. lib. 2. art. 3. cap. 47. pag. 284.
,, cuius titulus eſt: Quòd Papa habet ab antiquo poteſtatem infrin-
,, gibilem ad determinandum fidei veritates, & debellandum,
,, & cancellandum omnes falſitates hæreticas: Quod ibi latiſ-
ſimè probat præclaris ſanctorum Patrum teſtimonijs, præſertim S. Auguſtini, & S. Hieronymi, quæ omitto, quia eſſet nimis prolixum illa referre.

5. Gabriel Biel, quem alij Heluetium patria fuiſſe pugnant, alij Spirenſem, ex ordine Clericorum in commune viuentium primùm à

Gerardo

Gerardo Magno, apud Dauentriam inſtitutorum, Sacræ Theologiæ licentiatus & publicus in vniuerſitate Tubingenſi à Duce Wittembergenſi ann. 1477. fundata Profeſſor, qui obijſſe dicitur anno 1495. in quartum ſententiarum Diſt. 17. quæſt. 2. notabili 4. pag. 564. clarè docet, omnem poteſtatem iuriſdictionis deriuari à Romano Pontifice; vnde apertè ſequitur poteſtatem iuriſdictionis, quam habet Concilium ad definiendum eſſe ſubordinatam Papæ, vt pote ab ipſo acceptam, ac proinde non poſſe iudicium Romani Pontificis in dubijs Fidei reformari per iudicium Concilij generalis, quatenus diſtincti à Pontifice: Audiamus eius verba: Notandum, quòd in Eccleſiaſtica hierarchia ſemper „ debet eſſe vnus ſummus Princeps, vel hierarcha: in quo plenè reſi- „ det tota poteſtas iuriſdictionis: à quo ad inferiores præſidentes quoſ- „ cunque mediatè, vel immediatè, omnis Eccleſiaſtica iuriſdictio, „ iuxta ſummi Principis arbitrium ſine ſuæ poteſtatis detrimento deri- „ uatur: vt habetur in cap. loquitur Dominus ſupra alleg. 24. quæſt. 1. „ & clarè 19. ita Dominus. Et per hoc quiſcunque habet iuriſdictio- „ nem in alium ligandi, & ſoluendi: habet illam à Papa, qui eſt ſum- „ mus hierarcha, & princeps Eccleſiæ. Et hoc mediatè, vel im- „ mediatè.

6. Et diſt. 24. quæſt. 1. pag. 66. clarè docet, omnem poteſtatem iuriſdictionis deriuatam fuiſſe mediante Petro in cæteros Apoſtolos, vnde à fortiori ſequitur deriuari à Romano Pontifice, in omnes Epiſcopos, & in Concilia; ac proinde ſequitur Papam eſſe omnibus Concilijs „ ſuperiorem. Quoad iuriſdictionem (inquit) quæ requirit ſubiectio- „ nem materiæ, vt poſſit exire in actum, & eſſe potentia propinqua, „ Petrum cæteris præfecit, & eum ouium ſuarum paſtorem, & iudicem „ conſtituit: & per ipſum in cæteros ſecundum ſui diſpenſationem iu- „ riſdictionem deriuare voluit. Hoc deſignauit Luc. 22. ſecundum „ opinionem multorum: cùm inquit: Tu aliquando conuerſus confir- „ ma fratres tuos. Commiſit ergo Petro agnos ſuos paſcendos Ioan. „ vltimo, & ſecundum Petri diſpenſationem alijs diſcipulis. Et ſi iura „ quandoque dicere videntur, quaſi priùs dederit poteſtatem: Matt. „ 16. & 18. hoc intelligitur promiſſiuè: quia promiſit ſe daturum. Nec „ videtur probabile multis; quod Petrus Chriſti vicarius in terris vl- „ lam habuerit iuriſdictionem, Chriſto adhuc viuente, in peccatores ab- „ ſoluendos: ſecus de baptizando quoſcumque. Sic itaque à Petro, qui „ omnem poteſtatem recepit ſuper omnes gentes immediatè à Chriſto „ veluti Eccleſiæ capite, omnis iuriſdictio defluxit in quoſcunque cæ- „ teros: & ſolus Petrus omnis poteſtatis plenitudinem continet emi- „ nenter.

SECTIO V.

CATALOGVS

Illuſtrium Doctorum Pariſienſium, qui poſt Concilium Conſtantienſe propugnarunt infallibilitatem Romani Pontificis, eiuſque ſupra omnia Concilia excellentiam. Vbi de Zelo Vniuerſitatis Pariſienſis in defendenda authoritate Romani Poniificis.

§. I.

Elogium Academiæ Pariſienſis, & quanto ſtudio defenderit vſque ad hac tempora authoritatem Romani Pontificis.

1. VIdimus ſupra, Vniuerſitatem Pariſienſem ante Concilium Conſtantienſe vniformiter docuiſſe Romanum Pontificem habere authoritatem infallibilem ad decidendas Fidei & morum controuerſias. Et hanc doctrinam tradidiſſe antiquos omnes eius alumnos, præſertim Alexandrum Alenſem, B. Albertum Magnum, S. Thomam, S. Bonauenturam, & alios, quos enumerauimus. Sed adhuc poſt Concilium Conſtantienſe in defendenda authoritate Romani Pontificis egregiè laborauit; vt oſtendit P. Gabriel Vaſquez tom. 1. in 1. par. diſp. 3. cap. 2. num. 3. Poſt quam enim multa dixerat in commendationem Theologiæ „ Scholaſticæ contra hæreticos ſubdit: Poſtremò denique, quantum „ ipſa ſcholaſtica diſciplina, & Doctores illius ad tuendam fidem Ca„ tholicam in Eccleſia profuerint, vel vna Pariſienſis ſchola cæterarum „ mater, hiſce temporibus nobis argumento eſſe poterit; quæ inter „ tot hæreſum procellas, ciuitatem illam, & maximam Galliarum par„ tem ſeruauit incolumem.

2. Ipſaque Vniuerſitas Pariſienſis, zelo Religionis Catholicæ conſeruandæ congregata, contra errores Lutheri certos quoſdam articulos ſanæ doctrinæ compoſuit, & profeſſa eſt, iuſſu Franciſci Galliarum Regis, quorum vigeſimus tertius hiç eſt: *Certum eſt, vnum eſſe iure Diuino ſum-*

ſummum in Eccleſia Chriſti militante Pontificem, cui omnes Chriſtiani parere tenentur. Ita teſtatur author Vindiciarum doctrinæ Maiorum ſcholæ Pariſienſis, quæ impreſſæ ſunt anno 1683. ad tuendam declarationem Cleri Gallicani contra cenſuram Hungaricam, qui author etiam teſtatur, neminem in illa Academia ad gradum promoueri, quin prius illum articulum cum alijs profiteatur. Imò vt affirmat author libri recentiſſimi impreſſi Venetijs anno 1684. cui titulus: *Arbor ſcientiæ boni, & mali*, eadem Vniuerſitas Pariſienſis congregata anno 1683: menſe Maio, eandem denuo profeſſa eſt veritatem.

3. Zelumque iſtum in defendenda authoritate Romani Pontificis oſtendit eadem Illuſtriſſima Academia, cùm poſt obitum Henrici Magni in lucem emiſit peſtilentem librum contra Monarchiam ſpiritualem Romani Pontificis Edmūdus Richerius Doctor Sorbonicus: nam ſtatim contra hunc authorem, & eius defenſorem Simonem Vigorium Iuriſconſultum, multi egregijq; Doctores illius Vniuerſitatis alumni calamum ſtrinxerunt; ipſaque Vniuerſitas abominata eſt eiuſmodi doctrinam, vt ex Duuallio retuli Diſputatione 1. ſect. 8. §. 2.

4. Ipſeque Duuallius in Diſp. quadripartita par. 2. pag. mihi 215. ſic teſtatur. „Laudabilis in Academia Pariſienſi viget conſuetudo, „qua Baccalaurei de quæſtionibus Theologicis ſolemniter reſponſuri, „proteſtationes præmittunt, ſe nolle quidquam contra decreta „ſanctæ Matris Eccleſiæ, necnon Sanctæ Sedis Apoſtolicæ, & Romanę „aſſerere, aut defendere; & ſi quid in æſtu diſputationis aduerſus „eiuſmodi decreta illis exciderit, vel ignorantiæ, vel immemoriæ, vel „linguæ præcipitio attribuendum velle.

5. Ipſaque Facultas Pariſienſis annò 1659. ſolemne edidit decretum vnanimi confeſſione, quo Romani Pontificis authoritatem in vniuerſam Eccleſiam declarat; ſic enim mentem ſuam aperuit; *Omnes & ſinguli Magiſtri noſtri, palàm apertoque ore profeſſi ſunt, nihil ſe in ſummorum Pontificum authoritatem decernere, aut moliri, aut etiam cogitare velle. Imò verò omnes & ſinguli, vt obedientiæ filij ipſum Romanum Pontificem, vt ſummum Ieſu Chriſti Vicarium, & vniuerſalem Eccleſiæ Paſtorem, cui plenitudo poteſtatis à Chriſto data ſit, cui omnes vtriuſque ſexus obedire, cuius decreta venerari, & pro ſe quiſque tueri, & obſeruare teneatur, vt ſemper agnouerunt, & confeſſi ſunt, ita nunc quoque ſincerè, fideliter, & libenter agnoſcunt, & confitentur.*

6. Neque autem habetur, quòd hæc Illuſtriſſima Vniuerſitas ab antiqua doctrina receſſiſſet, ex eo, quòd Menſe Maij 1663. in publicum produxerit Decretum cum hoc titulo: Declarationes ſacræ Facultatis factæ apud Regem Chriſtianiſſimum ſuper quibuſdam propoſitionibus, „quas nonnulli ipſi voluerunt adſcribere. Quintus articulus erat iſte; „doctrinam Facultatis non eſſe, quòd Summus Pontifex ſit ſupra Con„cilium. Sextus; Non eſſe doctrinam, vel dogma Facultatis, quòd

„ Summus Pontifex nullo accedente Eccleſiæ conſenſu ſit infallibilis.
„ Hic Facultas modo negatiuo reſpondet *non eſſe doctrinam &c.* Hi autem termini ſolùm ſignificant Vniuerſitatem non docere hoc dogma de infallibilitate Pontificis, nec adhuc aperuiſſe ſuum ſenſum circa hanc controuerſiam. Præterea notanda ſunt illa verba, *Nullo accedente Eccleſiæ conſenſu*; quæ ſolùm videntur ſignificare, non eſſe Pontificis definitionem infallibilem, ſi ſolùm proprio Marte, & tanquã Doctor particularis rem definiat, & reſoluat; ſed requiri ad infallibilitatem, quòd definiat ex conſilio, & conſenſu ſaltem Eccleſiæ particularis Romanæ, quæ eſt Mater, & Magiſtra reliquarum Eccleſiarum. Et hinc ſaltem habetur non requiri ad infallibilitatem Pontificiæ definitionis quòd fiat in Concilio generali; non enim verificatur *definire, nullo accedente Eccleſiæ conſenſu*, quando definit ex conſilio Collegij Cardinalium, ipſiuſque Eccleſiæ Romanæ; vel cum Synodo Prouinciali, & à fortiori ſi definiat cum Synodo nationali, complectente multitudinem aliquam Epiſcoporum.

§. II.

Doctores Sorbonici, qui poſt Concilium Conſtantienſe defendunt infallibilitatem Romani Pontificis; eiuſque ſupra omnia Concilia excellentiam.

1. IOANNES DE CELAYA. Hunc authorem Doctorem fuiſſe Pariſienſem affirmat author tractatûs de libertatibus Eccleſię Gallicanæ lib. 7. pag. 424. conſtatque fuiſſe Regentem artium in Vniuerſitate Pariſienſi in Collegio Sanctæ Barbaræ. Vbi ſcripſit commentarios in ſummulas Petri Hiſpani, qui impreſſi ſunt Pariſijs ann. 1515. ſcripſit etiam expoſitionem in librum prædicabilium Porphyrij, quam edidit anno 1506. vt conſtat ex licentia eo anno obtenta ad illam imprimendam, præfixa operi; in cuius fine hæc verba habentur. *Explicit in librum prædicabilium expoſitio à Magiſtro Ioanne de Celaya Hiſpano de Regno Valentia, edita dum regeret Pariſiis in famatiſſimo Collegio D. Barbaræ pro curſu ſecundo.*

Scripſit etiam commentarios in libros ſententiarum, quos ego videre non potui, in eis autem in 3. diſt. 25. quæſtione 4. quintam hanc ponit concluſionem. *Quinta concluſio eſt iſta. Romanæ Sedis iudicium in his, quæ Fidei ſunt, & ad humanam ſalutem neceſſaria, errare nequit; quod probatur ex promiſſione Saluatoris noſtri Luc. 22. quæ verba*

allegat

allegat Bernardus ſcribens Innocentio Papa. . . Idem aſſerunt D. Cyrillus, & D. Chryſoſtomus, & D. Gregorius. Deinde illorum reijcit ſententiam, qui infallibilitatem penes Eccleſiam vniuerſalem tantùm, non autem penes Romanum Pontificem ſolitariè ſumptum reponunt. Contra iſtam concluſionem arguitur. Doctores Catholici gloſſant illam authoritatem Saluatoris de vniuerſali Eccleſia, & non de Sede Romana, ergo malè aſſumitur talis authoritas pro fundamento iſtarum concluſionum. Ad hanc replicam reſpondetur negando antecedens, imò neceſſarium eſt dicere, quòd non intelligitur de vniuerſali Eccleſia. Nam ſubiungitur; Et tu aliquando conuerſus, &c. Idcirco D. Cyrillus, & D. Chryſoſtomus, & D. Leo, & B. Agatho, & D. Bernardus, & Anſelmus, & Albertus Magnus, & D. Thomas gloſſant præfatam authoritatem de Eccleſia Romana, vt diſtinguitur ab alijs Eccleſijs.

2. ANDREAS DVVALLIVS parte 1. illius tractatus, quæ eſt *de infallibilitate Romani Pontificis* quæſtione 1. pag. 210. hanc ponit concluſionem, Etiamſi de fide non ſit Summum Pontificem ſeorſim à Concilio, priuilegio infallibilitatis, licèt agat vt Pontifex, gaudere, id tamen abſolutè certum eſt, & indubitatum; ſiquidem Spiritus Sanctus, ne vel minimus error in definiendo obrepat ipſi perpetuò adeſt. Prior pars concluſionis probatur. Probat primò primam partem, & quamuis à nota cenſuræ Theologicæ conetur liberare ſententiam aſſerentem Pontificem, vt Pontificem poſſe errare, nihilominus pag. 214. ad finem addit. Nemo negare poteſt, quin hęc propoſitio, quòd Pontifex vt Pontifex, contra fidem poſſit decernere, viam faciat ad inobedientiam, occaſionemque præbeat dubitandi de multis, quæ iam toto Orbe recepta ſunt, & à Pontifice iudicata; quod non vacat ſpecie aliqua temeritatis. Poſterior pars concluſionis: abſolutè certum eſt, Summum Pontificem, neque in fide, neque in moribus ex cathedra decernendis errare poſſe, ſtatimque à ſua canonica electione infallibilitatis priuilegio à Chriſto donari. Et poſtmodum ſubiungit: vt autem apertiùs hæc veritas demonſtretur, placet in primis demonſtrare hanc infallibilitatem D. Petro conceſſam fuiſſe: deinde verò Petri Succeſſoribus meritò conuenire. Quorum primum probat in illa prima quæſtione; ſecundum verò in ſecunda quæſtione, cuius titulus eſt: Quòd infallibilitatis priuilegium ad Petri Succeſſores tranſierit, nec in ſolo Petro ſteterit: à pag. 226. vſque ad 236. tandemque concludit. Certum itaque eſt, in Pontifice infallibilem decernendi authoritatem relucere, eiuſque definitiones tanquam Spiritus Sancti Oracula ab omnibus Catholicis eſſe recipiendas. Et quæſtione tertia diſſoluit argumenta Edmundi Richerij contra Summi Pontificis authoritatem.

Præterea parte 4. cap. 7. pag. mihi 550. loquens de ſententia aſſe-

,, ſente Papam eſſe ſupra Concilium, inquit; Totus Orbis, exceptis
,, pauculis Doctoribus illam amplectitur; & præterea rationibus vali-
,, diſſimis ex Scripturis, Concilijs, & Patribus, tum ex principijs
,, Theologiæ petitis confirmatur.

Inſuper idem Duuallius in eodem tractatu par. 2. q. 1. initio, *proteruos appellat authores*, qui negant Monarchicam poteſtatem Romani Pontificis erga Eccleſiam.

3. LEONARDVS COQVÆVS Ordinis S. Auguſtini, in Vniuerſitate Pariſienſi Doctor Theologus, in ſuo Antimornæo, id eſt in confutatione myſterij iniquitatis, ſiue Hiſtoriæ Papatus Philippi Mornæi, quod opus dicauit Ludouico XIII. Galliarum Regi anno 1616. Romani Pontificis infallibilitatem, eiuſque ſupra omnia Concilia excellentiam
,, defendit. Nam in primis tom. 2. pag. 2. initio affirmat, Sacra Con-
,, cilia, & omnes Patres Pontifici Romano ſemper plurimum detuliſſe,
,, & in controuerſijs fidei ſupremum illum iudicem agnouiſſe. Quomodo autem poteſt eſſe ſupremus iudex, in controuerſijs fidei, quin cius iudicium ſit vltimum, & irreformabile. Deinde pag. 83. loquens de Philippo Mornæo Heretico Caluiniſta, & Eccleſię reformatę auda-
,, ciſſimo Defenſore, ſic loquitur. Neſcio verò, quo zelo iſte impul-
,, ſus, ita certat pro Concilijs Oecumenicis intra 1300. annos habitis,
,, cùm tantùm quatuor illa prima admittat, quæ verò poſt 600. annos
,, ſunt celebrata, quibus non aliter quàm ſuperioribus præfuit Roma-
,, nus Pontifex, reijcienda putet: pręſertim cùm neque Romano Ponti-
,, fici, nec Concilijs Oecumenicis iſti vllam authoritatem deferunt.
,, Quomodò igitur ægrè ferunt nos Romanum Pontificem Concilijs ſu-
,, periorem aſſerere? & Romano Pontifici, & Concilijs Oecumenicis
,, in Spiritu ſancto legitimè congregatis, tantum deferimus, vt nec il-
,, lum, nec iſta in definiendis, quæ ad fidem, & mores, ac regimen Ec-
,, cleſiæ ſpectant, errare poſſe aſſeramus: nec quidquam toti Eccleſiæ
,, proponere credendum, quod ſit erroneum, vt hæreticus, aut temera-
,, rius ille ſit nobis, qui vel Romani Pontificis, vel Oecumenicorum
,, Conciliorum ſtatutis, ac definitionibus refragari audeat. An verò
,, Papa ſit ſupra Concilium vel contra; nec aliquid eſt ab Eccleſia de-
,, finitum: nec deſunt Catholici Doctores, nunquam ideò damnati, qui
,, Concilium ſuperius aſſerant Pontifice. Ita tamen ſtatuendum, ſupre-
,, mam auctoritatem ſpiritualem, non Collegio Apoſtolorum, aut V-
,, niuerſitati Epiſcoporum, ſeu Concilio generali; ſed Petro, & ſuis
,, ſucceſſoribus à Chriſto eſſe collatam: vnde meritò damnatus eſt
,, libellus quidam, qui nuper prodijt ſine nomine authoris, quo
,, ille contendebat docere contrarium; & inter articulos Ioannis
,, Vvicleffi damnatos in Concilio Conſtantienſi ſeſſione octaua hic
,, trigeſimus ſeptimus eſt, quòd Papa non ſit proximus Vicarius Chriſti.
,, Nec verò Eccleſiâ vniuerſâ ſuperiorem facimus Pontificem, cum illa

,, intelligatur, quæ ſuis omnibus membris conſtat, & ipſum etiam ca-
,, put Pontificem complectitur; vt in corpore naturali reliquis quidem
,, membris caput ſuperius, non tamen toto corpore ipſo, quod & ca-
,, pite tanquam parte ſingulari conſtat, aſſerimus; nec Eccleſiam ipſam
,, eſſe propter Pontificem: imò Pontificem propter Eccleſiam à Deo
,, ordinatum eſſe, & poteſtatem illi non propter ſe, ſed propter ſalutem
,, fidelium traditam dicimus. Hic author in diſputatione Appendice ad Antidotum, quæ habetur in fine tomi ſecundi, & quam compoſuit eo fine, vt ſi recuderetur hoc opus, inſereretur ſecundo tomo pag. 296. clarè tradit ſuperioritatem Papæ in Concilium, & appellationem à Papa ad Concilium cum Pio Secundo appellat ridiculam, & ait, quod non niſi fomentum ſit iniquitatis, & malitię. Inter alia hæc habet: ,, Verùm ex-
,, cipiebat Heimburgius, referente Mornæo, Cætus erat ſupra Petrum:
,, Et ſicut ad Sedem Apoſtolicam vacantem appellari poteſt ſic ad Con-
,, cilium, quod nondum eſt congregatum, rite appellatur. Sed re-
,, ſpondemus, Petrum fuiſſe Ducem, & Principem ipſius cætus, in eo
,, fuiſſe ſupremam authoritatem Eccleſiaſticam, non in ipſo cætu, &
,, Chriſtum inſtituiſſe regimen Eccleſiæ Monarchicum, non Ariſtocra-
,, ticum: & licèt cæteri Apoſtoli paſtores eſſent vniuerſales, & iuriſdi-
,, ctionem haberent in omnes Chriſtianos ratione Apoſtolatûs; tamen
,, & ipſe Petrus etiam in ipſos Apoſtolos habebat primatum: item cæte-
,, ros Apoſtolos habuiſſe iuriſdictionem extraordinariam, quæ non erat
,, communicanda poſteris; at verò Petrum ordinariam, quæ in ſucceſ-
,, ſores ipſos propagaretur.

4. MICHAEL NAVCLERVS Pariſinus Doctor Sorbonicus infallibile iudicium Papæ in decidendis fidei controuerſijs probat in libris de Monarchia Diuina Eccleſiaſtica & ſeculari Chriſtiana Pariſijs anno 1622. editis, & Gregorio XV. ac Ludouico XIII. Regi Franciæ dicatis 2. part. lib. 4. cap. 4. 5. 6. & 7. ſic enim ait cap. 4. ,, Romano Pon-
,, tifici ſupremum iudicium determinandi ea, quæ ſunt Fidei, debe-
,, tur .... Hæretici Schiſmatici, & impij, quicumque in illum Decre-
,, ti Pontificij murum inexpugnabilem rebelles, ac increduli arietare
,, contendunt, iure meritiſſimo cenſebuntur, eamque communem eſſe in Scholis Theologorum ſententiam aſſerit dicto cap. 4. his verbis ,, Hęc
,, illa communis ſacræ ſapientiæ Profeſſorum, quæ docetur ijs Scholis,
,, aſſertio, diſceptationem cauſarumque de fide curſum, motumque
,, Romani Pontificis in Cathedra Petri ſedentis conſopitum iudicio
,, finiri.

5. M. BAIL. Nouiſſimè anno 1675. in lucem emiſit in duobus magnis tomis ſummam illuſtrem Conciliorum M. Bail, Doctor Theologus, ac Pœnitentiarius Pariſienſis; in quibus circa authoritatem Romani Pontificis per omnia ſequitur doctrinam D. Thomæ. Et ſic tom. 1. pag. 94. columna 2. cum S. Doctore in tract. contra errores Græcorum cap. 7.

affir-

„ affirmat, quod ad ſummum Pontificem pertineat determinare ea, quę
„ ſunt fidei.

Item cum eodem S. Doctore 2.2. quæſt. 1. art. vltimo, affirmat quod ad Summum Pontificem pertineat Symbolum ordinare; redditque rationem cum S. Doctore „ quia vna fides debet eſſe totius Eccle-
„ ſiæ; quod ſeruari non poteſt, niſi quęſtio de fide exorta, determine-
„ tur per eum, qui toti Eccleſiæ præeſt, vt ſic eius ſententia à tota Ec-
„ ſia teneatur firmiter. Et pag. 95. colum. 1. cum eodem S. Thoma 2.2.
„ quæſt. 11. art. 3. ad 3. ſtatuit *quod authoritas vniuerſalis Eccleſiæ in determinatione fidei, principaliter reſideat in Papa.* Et ibidem col. 2. proponit has tres quæſtiones; 1. vtrum ſolius Papæ authoritate habet vni-
„ uerſalis Synodus congregari. 2. vtrum ad Papam pertineat confir-
„ mare ſententias ſynodorum 3. vtrum ad Papam à Synodo appella-
„ tur, & ad omnes reſpondet affirmatiuè cum S. Tho.

Et pag. 91. col. 1. inquirit An Papa in Eccleſia habeat plenitudinem poteſtatis? Et reſpondet cum S. Thoma affirmatiuè.

Et pag. 503. & pag. 600. & 601. late probat excellentiam Papę ſupra omnia Concilia, & pag. 722. ex perpetua praxi Eccleſiæ ad Papam primario pertinere hæreſes damnare. Et in tractatu de triplici Verbo Dei his verbis diſcipulum Ianſenij perſtringit; „ Vis, vt admittamus
„ Eccleſiam infallibilem eſſe, nec ſuſcipere poſſe vllum dogma erro-
„ neum; quod libenter fatemur; & nihilominus à Chriſto illi aſſigna-
„ tum Doctorem, qui peſſima illam doceat. Vis oues non poſſe pabu-
„ lis refici venenoſis, cum teneantur ſequi Paſtorem, qui inter pabu-
„ la, & mortalia non diſcernat?

6. Item IACOBVS VERNANTIVS lib. cui Gallici idiomatis titu-
„ lus: Defenſio authoritatis S.D.N. Papæ, DD. Cardinalium, Archie-
„ piſcoporum, Epiſcoporum, & miniſterij Religioſorum Mendicantium
„ contra errores huius temporis. In cuius Epiſtola dedicatoria ait;
„ Vnius eſt Summi Pontificis, emergentia circa fidem dubia infallibi-
„ lis veritatis oraculo tollere, & explanare, nec continuò indictis ad
„ hoc ipſum Concilijs. Quorum definitiones probat, leges explicat,
„ temperat, & quando ita expoſcit ratio temporis, & Eccleſiæ bonum,
„ per contrarias penitus abrogat. Et pag. 144. Omnia diſſidia, quæ in
„ Eccleſia oriuntur, terminat, & decidit infallibiliter Romana Eccle-
„ ſia; eo quòd in ſuis iudicijs nequeat errare Papa, quando vt Vicarius
„ Chriſti aliquem fidei articulum proponit vniuerſaliter à tota Eccle-
„ ſia recipiendum &c. Prodijt quidem in illum prætenſa quædam cenſura ſub nomine Facultatis Theologicæ Pariſienſis, ſed eam Alexander VII. anno 1665. ſept. Kalend. Iulij motu proprio, ex certa ſcientia, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, ſeueriſſimè damnauit, caſſauit, & irritauit. Inſuper eam ſequi, defendere, docere, allegare, omnibus Chriſti fidelibus, etiam Epiſcopali, Archiepiſcopali, Patriar-

chali,

chali, aut aliâ maiori dignitate ſuffultis prohibuit ſub pœna Excommunicationis latæ ſententiæ ipſo facto incurrendæ, & Apoſtolicæ Sedi reſeruatæ. Prærerquam quod ſatis conſtet, plures Doctorum animaduertentes nimiam animoſitatem, & paſſionem eorum, qui in dicti libri condemnationem conſpirauerant, intereſſe congregationi, & determinationi recuſaſſe: aliquos etiam in fauorem libri proloquentes taliter exceptos fuiſſe, vt à poſterioribus congreſſibus ſeſe abſentauerint.

7. AVTHOR ANONYMVS. Citatis authoribus adiungo ſcriptorem Gallum, virum apprime orthodoxum, Theologum acutum, qui nomen ſuum occultans, in libro, cui titulus, *Ianſenius ſuſpectus*, §. 6. acriter inuehitur in quendam Ianſenij diſcipulum, & defenſorem, qui auſus fuerat ſequentibus verbis, animum ſuum expromere contra Bullam Pontificis Summi damnantis quinque propoſitiones Ianſenij in ſenſu intento ab authore, id eſt in ſenſu genuino, & litterali, quem verba Ianſenij ſignificant. „ Si ea Bullæ (aiebat) eſſet ſententia, quam aſ-
„ ſerunt aduerſarij, omnium maximè verendum exiſtimarem, ne tan-
„ dem reuocetur, & pari, atque olim, animorum motu agitetur anti-
„ qua illa controuerſia, an in cauſis fidei à Pontifice ad futurum Con-
„ cilium prouocare non liceat.

Ad hæc ille Author Anonymus, ſuccenſus indignatione, quantā ani-
„ mo maximam capere poterat, O ſcelus, inquit! ò furia quem enim te
„ potius appellem, qui facem diſcordiarum in Chriſtianum Orbem im-
„ mittas, & ardentiſſimam nunc, & nullo forſan tempore, quod Deus
„ omen auertat, extinguendam. Hic tu mihi bellicum ad omnem Fi-
„ dei Catholicę, diuinique officij proditionem canas? tu vim, & mi-
„ nas intentes Sedi Romanæ? Tu Schiſma Patri Sanctiſſimo denunties?
„ Tu cæleſte in terris oraculum, niſi quod ipſe vis, reſponderit, ita, vt
„ interpretaris, ſenſerit, tuum denique furorem furere iam cœperit,
„ obmuteſcere iubeas? &c.

8. DIONYSIVS AMELOTVS. Doctor iſte Gallus Congregationis Oratorij D. N. Ieſu Chriſti in Proœmio libri Gallicè conſcripti in defenſionem Conſtitutionum Innocentij X. & Alexandri VII. inuehitur verbis grauiſſimis in eos, qui contra definitiones Pontificum obloquuntur, quaſi ortas ab authoritate fallibili; & hunc ſcopum orationi ſta-
„ tuit, Grande malum eſſe in Eccleſia, obloquendo dehonorare iudicia
„ Summi Pontificis. Carpamus pauciila. Grauior (inquit) auſus at-
„ tentari nequit.... eſt iſtud ſubſidia ferre portis inferi... eſt iſtud
„ bellum gerere contra filium Dei.... eſt iſtud malorum omnium ſcan-
„ daloſiſſimum.

9. D. LVDOVICVS ABELLY. Inter Doctores Sorbonicos, qui infallibilitatē Romani Pontificis, eiuſq; ſuper omnia Concilia excellentiā defenderunt, non poſtremum locū meretur D. Ludouicus Abelly poſtea Epiſcopus Ruthenenſis; cuius verba dabimus ſect. ſeq. dū enumerabimus

Epiſcopos Gallos, qui poſt Concilium Conſtantienſe pro authoritate Romani Pontificis ſcripſere.

SECTIO VI.

Catalogus aliorum authorum Gallorum, qui poſt Concilium Conſtantienſe infallibilitatem Romani Pontificis, & eius ſupra omnia Concilia excellentiam propugnarunt.

1. S. FRANCISCVS SALESIVS. Eius teſtimonium ex lib. 2. amoris diuini cap. 14. dedimus diſput. 1. ſect. 4. §. 3. num. 4. & aliud habes diſp. 2. ſect. 2. §. 5. n. 4.

2. CARDINALIS RICHELIVS. Celeberrimus iſte vir libro 2. pro conuerſione hæreticorum cap. 2. pag. 197. infallibilitatem Romani Pontificis in determinandis fidei, & morum controuerſijs, & cenſurandis falſis doctrinis clarè tradit ijs verbis: Quando dicimus, quod Ro-
„ mana Eccleſia eſt vna, & indiuiſa, ſiue in ſua communione, ſiue in
„ ſua doctrina, ſenſus eſt: Illas Eccleſias non haberi pro Romanæ Ec-
„ cleſiæ membris, quæ contrarias in materia fidei profitentur opinio-
„ nes, vel quæ eas iudicio ac cenſuræ eiuſdem Eccleſiæ, aut ſui capi-
„ tis, ipſam repræſentantis non ſubmittunt.

3. Reuerendiſſimus, & Illuſtriſſimus LVDOVICVS ABELLY Epiſcopus Ruthenenſis inter Doctores Gallos celebris eſt, qui mira breuitate, & claritate compendiariam notitiam Theologiæ orbi litterario exhibuit duobus exiguis tomis in octauo, quos iure merito nuncupauit Medullam Theologiæ. Hic author validè defendit infallibilem authoritatem Romani Pontificis; nam prima parte Medullæ in ſeptima editione cap. 4. ſect. 1. §. 4. poſtquam aſſeruit, hanc infallibilem Romani Pontificis authoritatem in ijs quæ ad fidem ſpectant, eſſe medium neceſſarium ad doctrinam orthodoxam dignoſcendam, eamque ab heterodoxa & hæretica ſecernendam, hanc authoritatem probat ex Concilio Florentino ſeſſ. 25. in Decreto fidei, quod exhibuimus diſput. 3.
„ Et poſtmodum ſubiungit: Ex quo ſequitur, ad illum pertinere de re-
„ bus ad fidem, & religionem ſpectantibus iuridicè cognoſcere, maio-
„ reſque cauſas, quales ſunt fidei ac religionis, dijudicare, hæreſes
„ emergentes damnare, veritates fide diuinâ credendas definire, ipſi-
„ que omnes vbique terrarum fideles, in his quæ fidem, & religionem
„ ſpectant, ſubeſſe debere, ac vocem illius tanquam ſupremi Paſtoris
„ auſcultare.

Poſtea

Poſtea id probat authoritate S. Bernardi epiſt. 190. quam exhibuimus diſput. 7. & ſtatim ſubiungit: Ex qua S. Bernardi doctrina, quæ totius Eccleſiæ communis eſt: ſequitur primò: Quòd quoties aliqua controuerſia in materia fidei exoritur, quoties aliquod nouum dogma exurgit, de quo dubitatur, an fidei aduerſetur, certiſſimum medium ad veritatem dignoſcendam, eamque à quouis errore ſecernendam; eſſe, ad Sedem Apoſtolicam recurrere, & inde reſponſa petere, vbi fides non poſſit ſentire defectum.

Sequitur ſecundò ex eadem doctrina ſupra allata: quod quoties aliquid in materia fidei definitum eſt à Romano Pontifice ex Cathedra loquente, hoc eſt, quando loquitur non vt Doctor particularis, ſed vt Chriſti Vicarius, totiuſque Eccleſiæ caput, & ſeruatâ legitimi iudicij formâ, quoties, inquam, ab illo vt ſic, doctrina aliqua, ſeu propoſitio declarata eſt hæretica, & vt talis damnata; vel è contra, quoties veritas aliqua, tanquam fide credenda, definita eſt, teneri Chriſtianos omnes, illius iudicio aſſentiri, ac decretis obtemperare: proindeque damnare, quod ſedes illa Apoſtolica damnat, approbare, quod approbat: & vt loquitur Sanctus Hieronymus citatâ Epiſtolâ ad Damaſum, Cathedræ Petri fidei communione conſociari. Ita ſemper in Eccleſia conſeruatum eſt, quod innumeris propè exemplis probari poſſet, quæ paſſim in annalibus Eccleſiaſticis occurrunt. Inſtar omnium erit illud, quod in Gallijs contigit tempore Sancti Leonis Papæ. Qui cùm Epiſtolæ decretalis, quâ Eutichetis hæreſim damnauerat, ſimulque veritatem illi oppoſitam, fide credendam definierat, exemplar ad Arelatenſem Epiſcopum, & per illius manus ad alios omnes Galliæ Epiſcopos, tranſmiſiſſet, hoc iudicium Apoſtolicum ab Epiſcopis illis tantâ reuerentiâ, & animi ſubmiſſione receptum eſt, vt ad præfatum Sanctum Leonem gratulatoriam Epiſtolam miſerint, in qua profitentur, ſe Apoſtolica illa ſcripta, tanquã Symbolum fidei ſuſcepiſſe, tabuliſque cordis adſcripſiſſe, ac tenaci memorię commendaſſe, quo paratiores eſſent ad confundendos Hæreticorum errores &c. Addunt præterea. Illi doctrinæ Apoſtolicæ debere vnumquemq; fidelem, quod conſtanter teneat, quod credebat: dedere etiam infidelẽ, quod à perfidia ſua, agnitâ veritate diſcedere, & Apoſtolicæ inſtitutionis luce perfuſus, erroris ſui tenebras derelinquere valeat.

Huic Epiſtolæ, quæ recipitur inter Epiſtolas S. Leonis poſt quinquageſimam primam, Epiſcopi Galli numero quadragintaquatuor ſubſcripſerunt.

Sequitur Tertiò ex eadem doctrina, eos, qui Apoſtolicæ Sedis iudicio in materia fidei damnati ſunt, pro hæreticis habendos eſſe. Sic S. Epiphanius Quartadecimanos à Victore Papa damnatos, Catalogo hæreticorum adſcripſit.

Sic Vincentius Lirinenſis rebaptizantes, ſeu Agrippinianos, quo-

„ rum doctrina à S. Stephano Papa damnata fuerat, hæreticis annume-
„ rauit.
„ Sic S. Hieronymus, in Iouinianum, Vigilantium, alioſque à ſolo
„ Pontifice Romano damnatos, vt hæreticos inuehitur.
„ Sic S. Auguſtinus poſt damnatam ab Innocentio Primo Pelagij do-
„ ctrinam, ipſum Pelagium, eiuſque aſſeclas, eiuſmodi doctrinam per-
„ tinaciter propugnantes, hæreticos paſſim in libris aduersùs eos edi-
„ tis appellat. Ex quibus patet, quàm verè Iuo Carnotenſis Epiſcopus
„ Epiſtolâ ad Richerium Senonenſem Archiepiſc. dixerit, quòd Sedis
„ Apoſtolicæ Iudicijs, & conſtitutionibus (in materia fidei) contrai-
„ re, planè ſit hæreticæ prauitatis notam incurrere. Et par. 2. tract. 2.
„ cap. 3. ſect. 5. §. 1. & 2. multis probat, in materia fidei, alijſque re-
„ bus, quæ ad mores, & diſciplinam Eccleſiaſticam pertinent, Roma-
„ num Pontificem, eſſe ſummum Legislatorem, & iudicem: illaque
„ Concilia generalia ſolummodo pro legitimis habenda eſſe, quæ Ro-
„ mani Pontificis authoritate congregantur, & in quibus per ſe, vel
„ per Legatos præſidet, conſequenter & ab ipſo ſunt confimata.

Idem Doctor Ludouicus Abelly in Dedicatione illius libri, quem ſcri-
pſit de *obedientia, & ſubmiſſione Romano Pontifici debita* non dubitauit
affirmare, *Spiritui Sancto reſiſtere*, qui Pontificio Decreto in cauſa Fidei
ſunt refractarij. Et in præfatione ad Lectorem monet, argumentum
principale ſcriptionis ſuæ eſſe „ Authoritatem Romani Pontificis falli
„ neſciam, cui omnes Catholicos ſeſe dedere oporteat, eſſe veritatem
„ religionis noſtræ fundamentalem: articulum fidei noſtræ ex præci-
„ puis vnum, cui innitantur cæteri omnes; cum nos coniungat,
„ annectatque illi Petræ myſticæ, quam ponere voluit Ieſus Chriſtus
„ pro fundamēto Eccleſię ſuę. Affirmat denique, probatque operosè cap.
6. & 9. hæreſim eſſe, & quidem capitalem hæreſim eorum, qui Pontifi-
cijs in cauſa Fidei Decretis ſubmitti recuſant. Hæc Sorbonæ Doctor
Ruthenenſium poſtea Epiſcopus, Theologicâ ſapientiâ, & virtutum
ſplendore clariſſimus.

4. ROBERTVS CENALIS Abrincenſium in Normannia Epiſco-
pus. Hic author lib. 2. de oblatâ ab hæreticis conditione pag. 42. ean-
dem ſententiam firmat his verbis: „ Pontificis Monarchia, ad hoc vt
„ doctrinæ conſenſus retineatur, non ſolùm vtilis, ſed & neceſſaria,
„ imò à Chriſto inſtituta, & ab omnibus omnium ætatum doctoribus
„ aſſerta.

5. FRANCISCVS DE RACONIS Vabrenſis Epiſcopus. Hic
author dilucidè tradit eandem ſententiam lib. de Primatu, & ſuprema
poteſtate S. Petri ſect. 1. cap. 5. §. 6. „ Omne illud, quod reperire eſt
„ in Doctoribus luminoſum, in petris Domus Dei, quę eſt eius Eccle-
„ ſia, firmum, ac immobile, quidquid authoritatis in Pręlatis, & Pa-
„ tribus, totum id innititur, & pendet à Romano Pontifice; quem

Ieſus

„ Ieſus Chriſtus in ſua Eccleſia ſtabiliuit, tanquam caput, ſolem, fontem, caudicem, fundamentum, & Monarcham ſuorum omnium populorum, ad hoc, vt ſuo motu ac influxu agat, regat, ac dirigat omnes huius corporis myſtici, quod eſt Eccleſia, partes, vt fidei ſuæ radijs vniuerſos fideles illuminet, doctrinæ ſuæ puritate, ac integritate emundet, infallibilitatis ſuæ robore, ac ſoliditate confirmet &c. quæ ibidem à pag. 250. vſque 259. latè proſequitur, & explanat.

6. NICOLAVS COEFFETEAV Maſſilienſis Epiſcopus. Hic author in præclaris ſuis pro ſacra Monarchia Eccleſiæ Catholicæ, & Apoſtolicæ, & Romanæ Apologeticis „ totus in eo eſt, vt ſummum S. Petri, & ſucceſſorum eius ſuper Chriſtianum Orbem, & quamcumque generalem Synodum in ſpiritualibus imperium, & infallibilitatis prærogatiuam, aduersùs conflatam ab Apoſtata, Marco Antonio de Dominis Rempublicam, per duo vaſta volumina gnauiter vindicet. Vnde ipſo ſtatim operis initio dedicatoriam ita auſpicatur. Cùm multa à Deo Opt. Max. Eccleſiæ Catholicæ ſapientiſſimè ſint prouiſa, quibus eius ſalus contineretur: tum nihil præclarius, aut prȩſtantius, quàm quod Pontificem Maximum, cuius prudentiſſimis conſilijs regeretur, & authoritate confirmaretur, Cuſtodem, & Gubernatorem illi impoſuerit, ac eo fine præfecerit, vt conſtituto capite, omnis ſchiſmatum amputaretur, & tolleretur occaſio. Hac namque ratione eſt ab eo effectum, vt cùm ſpectabilis huius capitis poteſtas quaquauerſum ſeſe fundat, & qui toto terrarum Orbe ſint Orthodoxi, & pacatis rebus habeant, in quo acquieſcant: & turbatis in quem intueantur, quemque inſtar Cynoſuræ aut potiùs Elicis magni obſeruent: cuius ſydere recreati, & fulgore colluſtrati fluctibus ſe eripiant, ſyrtes, & ſcopulos ſuperent, ac tandem omni periculo defuncti, in portum integra naue perueniant, & appellant. Neque verò minoris ſapientiæ fuit, ſacrum illud Imperium ijs prȩſidijs circumdediſſe, ac muniſſe, quibus potentiſſimâ Chriſti Domini Oratione firmatis, nullas, vel ferocior, vel callidior hoſtis perniciem accerſere, aut exitium inferre poſſet. Inquorum confirmationem multa, & illuſtria Patrum congerit teſtimonia.

7. BERNARDVS ROSSERGIVS Archiep. Toloſanus, & GVILLELMVS DE MONTOYE Epiſcopus Bitterēſis. Hi illuſtres Prælati reprobarunt doctrinam Concilij Baſilienſis, quatenus ſtatuebat Cōcilium eſſe ſupra Papam, etiam in materia fidei, & iſtum eſſe fallibilem, ſi extra Concilium generale dubia fidei reſoluat; Siquidem durante ad huc *Baſilienſi* tempeſtate *dogma illud impugnarunt*, de quibus ſic Spondanus „ ad ann. 1438. num. 23. Archiepiſcopus Toloſanus (Bernardus, vt puto, de Roſſergio, inclytus iuris Profeſſor) eodem tempore tractatum edidit pro authoritate Sedis Apoſtolicæ: tit. Accenſus veri luminis Francorum, Chriſtianiſſimi Regis, & regni, contra tenorem prag-

,, maticę ſanctionis. Putamuſque ad hæc tempora pertinere tractatum
,, alium ſatis prolixum, quem ęquè ac ſuperiorem reperimus in Biblio-
,, theca Collegij Nauarrici Pariſien. authore Guillelmo de Montoye
,, Epiſcopo Bitterenſi, quem Rex conſultauerat, diſtinctum in quatuor
,, aduiſamenta, vt vocant, hoc eſt monita, ſeu conſilia. 1. Vt ab vni-
,, tate Eccleſiæ nullatenus ſe abripi, Rex ſineret. 2. Vt proceſſus factos
,, per paucos ſegreges contra PP. Eugenium nullo modo admitteret: 3.
,, Vt diligenter curaret Schiſma hoc extingui: 4. Ne permitteret vlte-
,, rius in ſuo Regno audiri Concilium Baſileenſe, ſed in omnibus ad-
,, hæreretur S. Romanæ Eccleſię, & Apoſtolicæ Sedi. Hęcque omnia
,, firmauit, ſuaſitque multis rationibus, argumentis, authoritati-
,, bus.

8. HENRICVS SPONDANVS. Hic author in Epitome Baronij ad annum 33. num. 5. hanc infallibilitatem perſpicuè tradit his verbis.
,, Interrogauit Chriſtus diſcipulos ſuos, quem dicerent homines ipſum
,, eſſe; cùmque ij reſpondiſſent, alios dicere Ioannem Baptiſtam, alios
,, Heliam, alios Hieremiam, vel quemdam alium ex antiquis Prophe-
,, tis; interrogante iterum Domino, quem ipſi Diſcipuli eum eſſe di-
,, cerent; tunc reſpondens Petrus TV ES, inquit, CHRISTVS FI-
,, LIVS DEI VIVI; quem eâ de cauſa Dominus beatum prædicans
,, addidit, EGO DICO TIBI, QVIA TV ES PETRVS, ET SV-
,, PER HANC PETRAM ÆDIFICABO ECCLESIAM MEAM;
,, ET PORTÆ INFERI NON PRÆVALEBVNT ADVERSVS
,, EAM: &c. Porrò hæc tanti ponderis, & authoritatis actio Chriſti,
,, typum quemdam expreſſit celebrandi CONCILII: Cùm miſſis cæ-
,, teris, ſolus cum Diſcipulis, poſt preces Deo oblatas, de ſumma re-
,, rum quæſtionem proponit; & admirabili quodam ordine, vt priùs
,, deſtruantur errores, ac ſubinde ſolidâ firmitate veritas ſtabilita lo-
,, cetur, in primis interrogat, quæ ſit illorum, qui foris ſunt opinio de
,, filio hominis; ſed cùm deliramenta ab illis dicta ferrentur, quid de-
,, mum ipſi de ea re ſentirent rogat ſententias omnium. PETRVS di-
,, gnitate primus (vt iam ſuperiùs vidimus) talem fert ſententiam, vt
,, cauſam ipſe definiat, & quid ab omnibus ſentiendum eſſet, decernat,
,, ac fidei Canonem perpetuò permanſurum conſtituat. Idcirco etiam
,, ſatis fuit Chriſto Petrum eſſe locutum, nec aliorum Apoſtolorum
,, opus fuit rogare ſententias: Quin & laudauit ſententiam eius, eam-
,, que non habendam vt vulgarem, aut ex ſenſibus humanis deprom-
,, ptam, ſed diuinitus à Deo Patre illi per ſpiritum ſanctum infuſam,
,, cæteris audientibus, patefecit. Sed & quoniam diuina illa ſapientia,
,, præuidebat fore, vt in Eccleſia ſæpius eiuſmodi de fide orirentur
,, controuerſiæ; iure conſuluit, vt à quo quid quolibet tempore decer-
,, nendum foret, in comperto eſſet. Et quod lege diuinâ apud Hebreos,
,, & iure naturali apud gentes fermè omnes, ſanctè pièque mutuâ velut

,, qua-

„ quadam conſenſione obſeruari reperiſſet; IESVS, qui non legem
„ ſcriptam veniſſet abrogare, inſue naturale à Deo menti cuiuſque
„ inſitum labefactare, ſed numeris omnibus omnia abſolutiſſima redde-
„ re; inſtituto iam in Eccleſia Collegio Apoſtolorum, ex illis vnum
„ omnium maximum, ac principem, qui cæteris præeſſet, elegit.

9. PETRVS MATHÆVS *Hiſtoricus Galliæ*; hunc etiam apponere viſum eſt. Hic author explicans Bullam retractationis Pij II. antea Æneæ Syluij fol. 118. opinionem Gallorum de excellentia Concilij ſupra Papam reijcit vt periculoſam, & radicem ſchiſmatum: & folio 120.
„ Ridiculam vocat appellationem à Papa ad Concilium, quia hac via,
„ inquit, eſſemus ſemper dubij, & langueremus ſine vlla ſpe medicinę,
„ cum tanto rerum impendio, tantis diſcriminibus, renitentibus tot
„ Principum ſimultatibus, Concilia vix congregentur. Hinc emana-
„ rent petulantiores homines, qui altiùs criſtas tollerent, hæreſeſque
„ diuerſas ſomniarent, vt damnati à Papa ad Concilium appellarent.

SECTIO VII.

Inſigniores Doctores aliqui, qui extra Galliam, poſt Concilium Conſtantienſe vſque ad initium decimi ſexti ſaculi authoritatem infallibilem Romani Pontificis propugnarunt.

DIxi aliquos, atque vſque ad initia decimi ſexti ſæculi; nam percurrere omnes, qui hoc noſtro ſæculo, ſeu poſt annum 1600. ſcripſerunt, eſſet labor immenſus.

1. BARLAAMVS Epiſcopus Hieracenſis. Hic author, inquit Bellarminus, vixit circa annum 1303. & ſcripſit epiſtolas multas ad Græcos de vnione cum Eccleſia Romana, quas edidit Henricus Caniſius to. 6. Antiquæ Lectionis. Hic author in ſua prima epiſtola ad ſuos in Græcia
„ amicos ſcribens, inquit: Huius gentis, latinæ ſcilicet, vniuerſa mul-
„ titudo, ſub vno eſt ordinata principio; Eccleſia videlicet Romana, &
„ eius Præſule, quem omnes honorant, & metuunt, non tanquam ar-
„ mis, & vi dominantem, nec tanquam humana lege, vel generis ſuc-
„ ceſſione, vel multitudinis rumore dominium ſumentem, ſed tanquam
„ ab ipſo Domino Chriſto ordinatum, & in terris vices gerere ab eo
„ conſtitutum. Itaque illius mandata, cum omni reuerentia, omnes
„ non tanquam Apoſtolica tantùm, verùm etiam Dominica ſcripta re-
„ cipiunt, & adorant; & nihil ita durum ab eo iubetur, vt non quietè
„ parati ſint ad implendum, & omnes ab illo corrigi ſua, & retractari

„ ſuſci-

„ ſuſcipiunt, omniumque Sacerdotium ab eo dependet. Et ipſe cum
„ circa ſe Synodo, cum grandi authoritate, & poteſtate, nullo prohi-
„ bituro exiſtente; corrigit omnia, tractat, confirmat, irritat, ſtatuit,
„ inhibet; mittit ad vniuerſas partes Doctores viſitaturos ſingulas Pro-
„ uincias, & eos, qui in eis animabus præſunt; & examinaturos, quis
„ modus illorum, quomodo ſacra tractant myſteria, quomodo ſe ge-
„ runt cum grege Domini, quomodo ſecundùm ſe viuunt, vt horum
„ relatione facta, & quod deficit, ab illa Sede ſuppleatur, & quod pec-
„ catur, corrigatur. Et horum quodlibet facillimè fit. Nemo enim eſt
„ qui non putet, Eccleſiæ illi aduerſari periculum inferre animæ ſa-
„ lutis.

2. B. IOANNES CAPISTRANVS. Inter primos Doctores, qui paulò poſt Concilium Conſtantienſe ſcripſerunt pro excellentia Romani Pontificis ſuper omnia Concilia,& ex conſequenter pro ipſius infallibilitate, fuit B.Ioannes Capiſtranus Ordinis Sancti Franciſci, ſanctitate, & ſapientia celebris, de quo etiam ſuperiùs facta mentio fuit, egregium edidit tractatum de Papæ, & Concilij authoritate; gubernante Eccleſiam Eugenio IV. qui ſucceſſit immediatè Martino V. electo in Concilio Conſtantienſi, & videtur ſcripſiſſe tempore Concilij Baſileenſis. Nam in prologo ſubijcit illum ſuum tractatum, omniaque ſua opera, iu-
„ dicio ac correctioni ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, cuius caput, inquit,
„ Summum Pontificem eſſe confiteor in præſenti Eugenium Papam
„ Quartum. Quapropter ipſi principaliter, & ſacroſanctæ Synodo, vbi
„ libet in Spiritu ſancto legitimæ congregatæ &c. humiliter recom-
„ mitto, vt approbanda approbent, & reprobanda reprobent; &
hunc tractatum in duas partes principales diuiſit, & vnamquamque ex illis in alias partes minùs principales. In prima parte ſecundæ partis principalis, expendit, à quo Papa habeat authoritatem. In ſecunda, ſuper quos Papæ poteſtas extendatur. Et in tertia, ad quid prætendatur authoritas Papæ.

In hac tertia parte ſecundæ partis principalis à folio 104. ad 126. viginti quatuor argumentis neruosè probat, Papam eſſe ſupra Concilium, ac proinde eſſe infallibilem in determinandis fidei, & morum controuerſijs. Nam vt ſæpe aduertimus ex eo,quòd Papa ſit ſupra Concilium, euidenter infertur, eius authoritatem in definiendo eſſe ſupremam, ac proinde eius iudicium eſſe irreformabile.

3. S. BERNARDINVS Senenſis, & S. ANTONINVS Archiepiſcopus Florentinus. Eandem doctrinam tradidere S. Bernardinus, qui duodecim ante Capiſtranum annis obijt, nempe anno 1444. & Sanctus Antoninus, qui obijt tribus annis poſt Beatum Capiſtranum, ſcilicet anno 1459. quorum verba dedi Diſput.8.

4. DIONYSIVS CARTHVSIANVS inter huius veritatis Doctores adduci debet. Verba huius egregij, & ſapientiſſimi Viri adduce-

mus

mus infra Diſp. 13. dum probabimus fruſtra illum allegari à D. Dupin in fauorem Declarationis Cleri Gallicani. Et clariſſimè infallibilitatem Romani Pontificis in definiendo tradit exponens illud Chriſti
„ Luc. 22. Rogaui pro te Petre &c. Quoniam Petro (inquit) ſpeciali-
„ ter fuit Eccleſia committenda: quod dicitur, vt non deficiat fides
„ tua, exponitur, vt non deficiat Fides Eccleſiæ tibi committendæ.
„ Sicque ex verbis iſtis ſumitur argumentum, quòd Fides Eccleſiæ Ro-
„ manæ, quam Petrus in ea plantauit, ſit vſque in finem ſeculi duratu-
„ ra. Quod non eſſet verum, ſi in dubijs fidei emergentibus, inter Catholicos poſſet Papa partem falſam definire, obligando totam Eccleſiam ad credendam rem definitam. Nam tunc omnes tenentur obedire Papæ ſic præcipienti; cum de fide ſit, illum habere primatum in Eccleſia Dei. Vt autem explicat optimè P. Valentia, nil aliud nomine Primatus, intelligimus, quam talem authoritatem, cui omnes fideles in vtroque foro interno, & externo parere debent in ijs, quæ pertinent ad mores, vel cultum, vel ad fidem, ideſt in ſalutis negotio.

5. RVARDVS TAPPER Decanus Louanienſis in orat. 3. contra
„ Phil. Melanchtonem; A tempore Concilij Conſtantienſis, & Baſi-
„ leenſis Doctores quidam apud ſolum Concilium Oecumenicum do-
„ cent eſſe infallibilis ſententiæ priuilegium. Veteres verò Scriptores
„ Petro totius Familiæ Chriſti præpoſito, & Romano Pontifici, ſupre-
„ mo poſt Petrum Chriſti Vicario, vt qui ſolus claues domus accepe-
„ rit, quodlibet ligandi, ac ſoluendi, eiuſque Cathedræ proprium
„ eſſe hoc priuilegium infallibilis ſententiæ, concorditer ex ſcripturis
„ tradunt.

6. IOANNES FISCHERVS, natione Anglus, Epiſcopus Roffenſis, & poſtea S. R. E. Cardinalis, & quod longè amplius eſt, fidei Pugil fortiſſimus; occiſus eſt Henrici Octaui Regis Anglorum iuſſu anno 1535. iam ſenex, & multis perfunctus laboribus: validiſſimè propugnauit Romani Pontificis Poteſtatem ſupremam, ſupra quam non ſit alia in Eccleſia, ac proinde poteſtatem, atque authoritatem infallibilem ad decidendas fidei, & morum controuerſias. Nam art. 25. contra Lutherum, poſtquam decem prærogatiuas Petri ex Euangelijs, aliaſque decem ex Actis Apoſtolorum collegiſſet, eamque ſententiam Patrum antiquorum teſtimonijs corroboraſſet, vnitatemque militantis Eccleſiæ ab
„ vnitate Epiſcopatus Petri pendere docuiſſet: tandem ait. In Syna-
„ goga, quæ fuit vmbra Eccleſiæ, præfuit vnus Princeps Sacerdotum,
„ ſub quo multi gradus, & ordines fuerunt. Eccleſia etiam triumphans,
„ cui velut exemplari noſtra militans reſpondet, vnum habet Præſidem
„ Deum: ſub quo nouem Angelorum Ordines eſſe, cunctis eſt credi-
„ tum. Quomodo igitur Eccleſia, quæ media inter vmbram, & exem-
„ plar eſt, ex vna quidem parte reſpiciens vmbram, ex altera verò ſpe-
„ ctans exemplar, carere poteſt vnitate Prҿſidis? Sed etſi naturҿ mo-

„ dum

„ dum intueamur, proſpiciemus, omnem multitudinem, quę quouis
„ modo dicitur vna, numquam non ad vnum, ceu caput,& principium
„ referri. Vnde nunquam poteſt Eccleſia rectè gubernari, niſi tanta va-
„ rietas Ordinum ad vnum referatur. Primùm, vt lites de rebus fidei per
„ aliquem ſupremum Iudicē decidantur: deinde, vt generalia Concilia
„ per quendam ceu Principem (cuius mandato cęteri parituri ſunt) con-
„ uocentur: denique propter contumaces reprimendos, maximè cum
„ inter ſe diſſentiunt Epiſcopi. (Et poſt.) Nos itaque cum Gręcis, &
„ Latinis Patribus, & ij nobiſcum ſentiunt, Petrum exordium Eccleſię
„ Chriſti fuiſſe,& ab eodem Chriſti Eccleſiam profluxiſſe velut à ſum-
„ mo Capite, & ſupremo poſt Chriſtum, cuius & ſucceſſio perpetuabi-
„ tur, finem nullum habitura, quàm diu ſęculum hoc durauerit. Non-
„ ne cernimus, Chriſtianos è Sacerdotibus naſci, Sacerdotes autem
„ ex Epiſcopis, Epiſcopos quoque ab ipſo Pontifice ſummo (quoties
„ neceſſe fuerit) propagari? Sed & ipſum denique, qui iam ſummus
„ eſt, ab ipſo Petro per ſucceſſionem, quę nullis dęmonum inſidijs ha-
„ ctenus interrumpi potuit, rectiſſima quadam linea deſcendiſſe?

Idem Roffenſis in eodem articulo declarat, Eccleſiam à Chriſto ędificandam promitti non iam ſupra ſe ipſum, quod antea factum erat, ſed in poſterum ſupra poteſtatem Pontificiam Petri, & ſucceſſorum eius, qui fideles, (quoad ea, quę poteſtatem ſpectant) in ęternum permanent. Supra fidem verò (quę Pontificia poteſtate, ac ſucceſſione in Sede Petri careat) Eccleſiam non potuiſſe ędificari, grauiſſimis rationibus demonſtrat.

7. THOMAS MORVS, ęqualis Ioannis Fiſcheri, eique amiciſſimus, & nobilis Collega in defenſione Pontificij primatus, vir eruditionis pariter, ac ſummæ virtutis nomine clariſſimus, & Henrico Octauo Anglorum Regi, cuius ſummum Cancellarium per plures annos egit, chariſſimus: qui cum impijs eiuſdem Regis aduerſus Romanum Pontificem edictis parere nollet, ac ſubſcribere, in carcerem coniectus, ac deinde ſecuri percuſſus eſt, anno 1535. In opuſculo pro Regis Henrici Catholico libello, quem is contra Lutherum ſcripſerat, eandem authoritatem, atque excellentiam Romani Pontificis defendit. Sunt relatu di-
„ gniſſima, quæ ſequuntur. Vt Romanæ, inquit, Sedi obedienter ob-
„ temperem, cùm illa mouent omnia, quæ docti, ſanctique in eam rem
„ collegerunt: tùm illud profectò non mouet minimè, quod toties ſu-
„ mus experti, non modò neminem inimicum fuiſſe Chriſtianæ fidei,
„ qui non illi Sedi bellum ſimul indixerit, ſed etiam neminem vn-
„ quam extitiſſe, qui ſe profeſſus ſit eius Sedis inimicum, quin idem
„ paulò poſt ſe declararit inſigniter Chriſtique, & Religionis noſtræ
„ capitaliter hoſtem, & proditorem eſſe.

8. REGINALDVS Cardinalis POLVS natione Anglus, ſapientia non minus, & religione, quam coniunctione Regij ſanguinis nobiliſſi-

liſſimus, Archiepiſcopus Cantuarienſis, atque in ſancta Tridentina Synodo Pontificius Legatus in libro de Conc. ad Legat. ſuæ ſoc. qu. 60.
„ reſp. apud Labb. tom. 14. ſic habet: Si quis comparet perturbatio-
„ nes Eccleſiarum, quibus multorum ſæculorum continuatis ætatibus
„ omnes ab hæreticis Sathana cribrante vexatæ ſunt; & ſimul conſide-
„ ret, quo pacto à Petri Succeſſoribus fides ſemper ſit confirmata: cla-
„ riſſimè videbit, non minùs verba promiſſionis de firmitate fidei *ad*
„ *Petri Succeſſores, quàm ad ipſum Petrum* pertinuiſſe, eiuſdem certè
„ vim in illis illuſtrius eſſe patefactam, & Romanæ Vrbis Epiſcopos
„ præcipuè illo promiſſo fuiſſe comprehenſos.

9. STANISLAVS Card. OSIVS gente Polonus, doctrinâ, & pietate clarus Epiſcopus, Varmienſis, qui & ipſe Tridentino Concilio vnus ex Pontificijs Legatis interfuit, in confeſſione fidei c. 28. „ Ex his omnibus,
„ inquit, perſpicuum cuivis eſſe poteſt, ex eo tempore, quo Chriſtus in
„ Cœlũ aſcendit, quantum fuerit Apoſtolicæ, hoc eſt Romanę Eccleſiæ
„ tributum; ad quam de fidei cauſis referebatur, quòd ibi potiſſimum
„ ſarcitũ iri damna fidei ſpes eſſet, vbi non poſſit fides ſentire defectum:
„ quam ſolius ſedis huius pręrogatiuam dicit Bernardus. Idem in
„ opuſc. de autorit. Pont. tanta, inquit, fuit Romanæ Sedis authoritas:
„ vt ſolus ille Catholicus haberetur, qui Romano Petro Chriſti Vica-
„ rio hęreret, atque cum eo colligeret.

10. IOANNES HIERONYMVS Cardinalis ALBANVS Italus, doctrina pariter, at fidei zelo illuſtris, nam iſtorum merito inter Purpuratos cooptatus fuit à B. Pio V. de poteſtate Papę parte 2. n. 72. ſic habet:
„ Si Papa in ijs, quæ ad fidem pertinent, iudicandi poteſtate perfrui-
„ tur, vt latè iam antea fuit oſtenſum, conſequens eſt, vt errare non
„ poſſit. Alioquin nihil ſtabile, & firmum in Eccleſia haberemus,
„ quo nihil deterius poſſet contingere.

11. F. ALPHONSVS A CASTRO. Grauiſſimus hic author è Sacra Franciſcana Familia, qui florebat ante an. 1540. & citari ſolet pro ſententiâ Gerſonis & Almaini, aſſerentium Papam definientem extra Concilium Generale poſſe errare, eò quòd lib. 1. aduerſus hæreſes, di-
„ xit c. 2. „ Papam ſolum abſque Congregatione Concilij poſſe in his,
„ quæ ad fidem ſpectant, errare, multi non contemnendæ authoritatis
„ Theologi aſſeruerunt; imò aliquos Pontifices in fide erraſſe compert-
„ tum eſt; Hic, inquam, gravis Author hoc dictum poſtea explicans manifeſtiſſimè docet oppoſitum: nam lib. 1. de iuſta hæreticorum punitione cap. 6. expreſsè aſſerit, Papam vt perſonam publicam, & quate-
„ nus, vt Summus Paſtor docet totam Eccleſiam cum intentione illam obligandi, non poſſe errare; licèt poſſit errare, vt perſona particularis, & vt Doctor privatus, ſic enim ait: „ Hoc eſt Priuilegium Sedi Apo-
„ ſtolicæ propter vniuerſalem Eccleſiam, quam regendam ſuſcepit,
„ conceſſum, vt quando ipſam Eccleſiam docet fidem, errare non poſ-

„ ſit. Nolo quidem negare, Papam errare poſſe in fide, & poſſe eſſe „ hæreticum: nam de aliquibus fertur ipſos in fide erraſſe; hoc tamen „ contigit illis, quando loquebantur, aut ſcribebant, aut fortè doce- „ bant, vt ſingulares perſonæ, & priuatæ; ſi tamen loquerentur, aut „ docerent, aut ſcriberent tanquam perſonæ publicæ, & officio prę- „ lationis fungentes, tunc credo, quòd Deus illos errare non permit- „ teret, ne Eccleſiam ſponſam ſuam, quam ſibi ſpecioſam acquiſiuit „ illi ſuo errore inficerent. Hęc ille: ex quibus euidenterconſtat immeritò citari pro ſententia illa: quam Bellarminus planè erroneam, & proximam hæreſi appellat.

12. F. MICHAEL DE MEDINA Hiſpanus Ordinis Minorum Sancti Franciſci Theologię Doctor, qui interfuit Tridentino, miſſus à Rege Catholico. Lib. 7. de Recta in Deum fide cap. 26. infallibilitatem Romani Pontificis clarè docet his verbis: „ Communem itaque Euan- „ gelicæ legis cathedram, quæ ſemper annexa eſt ſacerdotio, & ſacer- „ dotij legitimæ ſucceſſioni, quaſi verum magiſterium audire præci- „ pimur, ad eamque Chriſtus, quaſi ad veræ doctrinæ fontem, Chri- „ ſtianos hortatur. Nam quòd ea, quę cum legitima Sacerdotum, & „ Paſtorum, præſertim verò Romanorum Pontificum, ſucceſſione an- „ nexa eſt doctrina, fideque, ſemper veteres Eccleſię de religione „ controverſiæ quaſi verâ, ac Eccleſiaſticâ ſententiâ, & decreto termi- „ nata fuerint ab eiuſdem Eccleſiæ primordijs, Eccleſiaſticorum Patrum „ Scripta tam apertè teſtantur, vt neque hoc noſtri temporis hæretici „ negare potuerint.

13. F. ANTONIVS DE CORDVBA Ordinis Minorum Regularis Obſeruantiæ, Prouinciæ Caſtellæ Theologus eminentiſſimus in ſuo quæſtionario Theologico, quod in lucem emiſit anno 1571. lib. 4. q. 3. inquirit „ Vtrum Papa in fide & moribus definiendo errare poſſit? Et „ ſtatim ſubiungit: Reſpondeo quòd non: ſi vt Papa cum conſilio „ Cardinalium, vel Patrum Eccleſiæ Romanæ faciat, quod in ſe eſt ad „ cognoſcendam veritatem, vti regulariter facere credendum eſt, niſi „ oppoſitum conſtet manifeſtè: etiam ad modicum tempus errare non „ poteſt: & eius tali diffinitioni, tanquam diffinitioni Eccleſiæ Roma- „ næ atque Catholicæ, ſub crimine, & pœna hæreſis, vel perfidiæ ab „ omnibus ſtandum eſt. Vt hoc Antonij Cordubenſis dictum probè intelligatur, legendus eſt Bellarminus lib4. de Romano Pontifice cap. 2. in fine, vbi notat Doctores Catholicos communiter aſſerentes, non poſſe Pontificem vllo modo definire aliquid hæreticum, à tota Eccleſia credendum, videri aliquo modo inter ſe diſſentire, dum alij dicunt, Pontificem non poſſe errare, ſi maturè procedat, & conſilium audiat aliorum; alij verò dicunt, Pontificem etiam ſolum nullo modo errare poſſe; ſed reuera inter ſe non diſſidere. „ Nam poſteriores (inquit „ Bellar.) non volunt negare quin teneatur Pontifex maturè procedere,

&

„ & conſulere viros doctos, ſed ſolum dicere volunt, ipſam infallibi-
„ litatem non eſſe in cœtu Conſiliariorum, vel in Concilio Epiſcopo-
„ rum, ſed in ſolo Pontifice. Sicut è contrario Priores non volunt po-
„ nere infallibilitatem in Conſiliarijs, ſed in ſolo Pontifice: verùm
„ explicare volunt, Pontificem debere facere quod in ſe eſt, conſu-
„ lendo viros doctos, & peritos de re, de qua agitur. Hactenus Bel-
larminus, & iuxta hunc ſenſum loquitur Corduba.

Idem Corduba eodem lib.4.q.1.pag.250. „ §.Ex omnibus,inquit,
„ Quoad poteſtatem autem iuriſdictionis Papa eſt ſupra Concilium, &
„ ſupra totam Eccleſiam: quia ipſe ſolus à Chriſto recepit claues Re-
„ gni Cœlorum, & vt Vicarius eius,& Paſtor Eccleſiæ inſtitutus ſupre-
„ mam iuriſdictionem habet. Hinc denique liquet abſolutè Papam
„ eſſe ſupra Concilium,ſicut & ſupra totam Eccleſiam: nimirum quia
„ eſſe ſupra, ſuperioritatem dicit iuriſdictionis, in qua ipſe Papa om-
„ nes excedit, vt dictum eſt.

Et eodem lib.4.qu.4. pag.274. §. *in ſecundo ſenſu*, & pag. 275. §.3. *Opinio* & pag.285. & 287. docet, Eccleſiam *ſimul* cum Papa non habere maiorem poteſtatem iuriſdictionis, quam ſolum Papam, *licet* habeat maiorem certitudinem illuſtrationis, infallibilitatis, & plura *dona*, & illa
„ pag.285.col.2. ita loquitur. Itaque Eccleſia Catholica eſt quoddam
„ totum corpus, mater, & regina omnium,& ſponſa Chriſti, & poteſt
„ quidem illuminare,docere, regere,& gubernare,& imperare, ſed non
„ niſi per ſua membra tanquàm per diſtinctas potentias & partes ſuas
„ non enim poteſt prophetare,niſi per ſuos Prophetas: nec docere, niſi
„ per ſuos Doctores:nec miracula facere,niſi per habentes gratiam mi-
„ raculorum: nec regere,niſi per ſuos prælatos:neq; ſupremam iuriſdi-
„ ctionem,niſi in Papa habet, & non niſi per ipſum illam exercere po-
„ teſt. Et ſicut totus homo non poteſt per ſe magis videre,quàm per
„ oculos ſuos, nec magis ambulare,quam per pedes &c. Ita vniuerſa-
„ lis Eccleſia nihil magis per ſe totam poteſt, quàm per ſua membra
„ prædicta: neque maiorem poteſtatem iuriſdictionis ipſa tota, quàm
„ Papa ſupremus in ea prælatus habet.

„ Et pag. 286. in fine. Ideo Prælati omnes dicuntur miniſtri Eccle-
„ ſiæ,quia ſunt ad eius vtilitatem: non quia ab ea ſecluſo Papa ſuam
„ habent authoritatem: nam eam à Chriſto immediatè Papa habet,
„ & eo mediante, & per eum cæteri ſuam habent poteſtatem: quo fit,vt
„ Papa non vt miniſter Eccleſiæ, ſed Chriſti, cuius Vicarius eſt; caput
„ autem Eccleſiæ miniſteriale propriè appellatur, & omnes agere dici-
„ tur ſecundum intentionem Eccleſiæ,id eſt,ſecundum intentionem de-
„ bitam officio Eccleſiaſtico in miniſtratione ſacramentorum: & quia
„ vt miniſtri Eccleſiaſtici officia Eccleſiaſtica habentes operantur.

„ Et ibidem col.2. Quòd ſi aliquam poteſtatem Concilium habet,&
„ exercet excommunicando,& indulgentias concedendo: id virtute

„ capitis, id eſt Papę, aut authoritate quadam communi ex poteſtati-
„ bus Prælatorum ibi exiſtentium conſtituta facit.
„ Et pag. 286. inquit: Conceditur, quòd tota poteſtas Eccleſię diui-
„ ditur, conſtat, & integratur extenſiuè tantùm non intenſiuè ex illis
„ poteſtatibus, quæ ſunt partes tantum extenſiuè illius, id eſt, ſunt plu-
„ res poteſtates, non tamen facientes maiorem poteſtatem, quàm ſit in
„ Papa, vel quàm ſit vnica Papæ poteſtas, quæ eſt omnium ſuprema,
„ omnem poteſtatem virtualiter continens, & poteſt, quidquid omnes
„ aliæ poſſunt poteſtates, & aliquid amplius, & ſupra omnes alias vim
„ coactiuam habet, vt ſuperiùs probatum eſt.

SECTIO VIII.

Quàm propria ſit Societati doctrina de infallibilitate Romani Pontificis.

1 AVTHOR Regalis Sacerdotij Romano Pontifici aſſerti lib. 3.
pag. 506. poſtquam teſtimonia Patrum pro hac ſententia enu-
„ merauit, ſic concludit: Denique Theologi omnes, ſi pauciſſimos
„ excipias, hanc ipſam de Pontificis infallibilitate ſententiam do-
„ cuerunt; præſertim verò Patres Societatis: *& ſubiungit*: Eoque
„ ardor Religionis, & obſeruantiæ Patres Societatis provexit, vt Pari-
„ ſijs in Collegio Claremontano anno 1661. die 12. Decembris, con-
„ tra hæreſes & ſchiſma ſeculi decimi hanc Theſim publico Soli expo-
„ ſuerint, imò & defenderint; Datur in Eccleſia Romana controuer-
„ ſiarum fidei Iudex infallibilis etiam extra Concilium generale, tum
„ in quæſtionibus iuris, tum facti; vnde poſt Innocentij X. & Alexan-
„ dri VII. conſtitutiones, fide diuinâ credi poteſt librum, cui titulus
„ Auguſtinus Ianſenij, eſſe hæreticum, & quinque propoſitiones ex
„ eo decerptas eſſe Ianſenij, & in ſenſu Ianſenij damnatas.
2. Idem teſtatur Author tractatûs de libertatibus Eccleſiæ Gallica-
„ næ pag. 437. his verbis: Tot tantique Doctores ex omni natione,
„ ex omni facultate, ex omni ordine eam defenderunt, vt neſciam
„ quid, ad eam toti Eccleſiæ adſcribendam, deſideretur. Eorum Ca-
„ talogum texuerunt multi, præſertim Theophilus Raynaudus in opu-
„ ſcul. inſcripto αὐτὸς ἔφα. vbi, puncto ſcilicet vndecimo, hanc eſſe
„ totius Societatis Ieſu ſententiam affirmat, enumeratis quamplurimis
„ eius Doctoribus, quorum multi tempora controuerſiarum occaſione
„ libri Cornelij Ianſenij motarum anteceſſerunt, ne putes eam à So-
„ cietate ad faciliorem Ianſenij oppugnationem aduocatam, ſed veri-
„ tatis, & religionis ſtudio iam olim delectam. Sed ante eos id teſtatus
fue-

Digitized by Google

„ fuerat Eminentiſſimus Cardinalis de Aguirre in Defenſione Cathe-
„ dræ S. Petri diſp.7. n.17. his verbis. Similiter Patres Societatis tam
„ qui ſeculo præcedenti floruerunt, quam qui noſtro, ſententiam eandem tuentur, veluti omninò certam; & catalogum magnum eorum contexit.

3. Eſtque adeò conſtans hæc veritas, vt Theologi, qui anno 1683. in lucem emiſerunt *Vindicias doctrinæ Maiorum Scholæ Pariſienſis, contra Defenſores Monarchiæ vniuerſalis, & abſolutæ Curiæ Romanæ*, in notis in cenſuram Hungaricam quatuor propoſitionum Cleri Gallicani pag.14. hæc verba proferant: *Hoc infallibile Apoſtolicæ Sedis oraculum noua eſt hæreſis Ieſuitarum*, eodem modo poſtea loquuntur de poteſtate Papæ ſupra Concilia generalia, &c.

4. Verùm: quamuis ipſi Societati tribuendo hanc doctrinam, inuidiam Societati conflare intenderint, nobis magnum detulere honorem, quem tamen nobis arrogare non poſſumus. Quamuis enim in hoc conueniant omnes Societatis Doctores, quotquot has controuerſias attigerunt, tamen hic honor ſingularis non eſt Societatis: nam illum priùs meritò adepti ſunt Sacræ Prædicatorum Familiæ Scriptores inſignes, qui cum D. Thoma hanc doctrinam pro viribus propugnarunt, videlicet Cardinalis Turrecremata, M. Cano, M. Petrus Soto, M. Grauina, & alij multi, & ex omni religioſa familia illuſtriſſimi Scriptores, & etiam Doctores ſeculares. Vnde veriſſimè tractatus de liberatibus Eccleſiæ Gallicanæ pag. 437. *Hanc doctrinam cum D. Thoma tuetur Ordo Dominicanorum, & alij quaſi certatim*. Quare neſcio an magis mirer illius Authoris audaciam, an imperitiam: quia nouam Ieſuitarum appellat ſententiam Diui Thomæ, & totius ſuæ ſcholæ, & omnium ferè Theologorum, & Patrum. *Audaciam*, quia auſus eſt appellare hęreſim doctrinam à Sanctiſſimis Pontificibus aſſertam, & à Synodis & Concilijs etiam generalibus agnitam, & ex Euangelio validiſſimis & inluctabilibus teſtimonijs firmatam, ac fortiſſima ratione Theologica demonſtratam.

5. Vnde etiam infertur, quàm immeritò appellet *doctrinam Maiorum Scholæ Pariſienſis* eam, quæ Romanum Pontificem in definitionibus fidei fallibilem adſtruit, & illius authoritatem authoritate Concilij inferiorem prædicat: cùm conſtet prima & maxima Scholæ Pariſienſis lumina, S. Thomam, S. Bonauenturam, B. Albertum Magnum, & Alexandrum Alenſem, quos iuſtiori titulo Maiores Scholæ Pariſienſis appellaret, oppoſitam doctrinam conſtanter docuiſſe.

6. Eſt hæc doctrina adeò conformis Spiritui Societatis, vt in hac religione permanere non potuerint, qui oppoſitam doctrinam tradidere, ſed ab illa diſcedere debuerint. De his hominibus verificantur illa verba S.Ioannis epiſt.1. cap.2. verſ.19. *Ex nobis prodierunt, ſed non erant ex nobis: nam ſi fuiſſent ex nobis, permanſiſſent vtique nobiſcum:*

ſed

ſed vt manifeſti ſint, quoniam non ſunt omnes ex nobis. Aptarique poſſunt ijs, qui dum erant in Societate, ſenſa aliqua forſan contra authoritatem Romani Pontificis habebant, quæ patefacere non audebant; poſtea autem è Societate dimiſſi illa euulgare cœperunt; aptari, inquam, poſſunt verba Auguſtini in expoſitione huius loci: *Sic ſunt in corpore Chriſti* (in Societate Ieſu) *quomodo humores mali: quando euomantur, tunc releuatur corpus: ſic & mali quando exeunt, tunc Eccleſia releuatur; & dicit, quando eos euomit, atque proijcit corpus: ex me exierunt humores iſti, ſed non erant ex me. Quid eſt, non erant ex me? Non de carne mea præciſi ſunt, ſed pectus mihi premebant, cùm ineſſent. Ex nobis exierunt, ſed nolite triſtes eſſe, non erant ex nobis*: Deinde ſubdit: *Aut in membris ſumus, aut in humoribus malis. Qui ſe in melius commutat, in corpore membrum eſt; qui autem in malitia permanet, humor malus eſt, & quando exierit, releuabuntur, qui premebantur.*

7. Poſſumus etiam accommodare illis, id quod habet Sanctus Cyprianus epiſt. de vnitate Eccleſiæ, ſiue de ſimplicitate Prælatorum:

Triticum non rapit ventus, nec arborem ſolida radice fundatam procella ſubuertit; inanes paleæ tempeſtate iactantur, inualidæ arbores turbinis incurſione auelluntur.

SE-

SECTIO IX.

Spiritum defendendi Sedis Apoſtolicæ authoritatem accepit Societas Ieſu à S. Ignatio Fundatore; & à primis eius Socijs, qui in Concilio Tridentino pro hac cauſa ſtrenuè laborauerunt; præſertim P. Didacus Laynez, vt conſtat ex Hiſtoria Concilij.

§. I.

S. Ignatius Societatem fundauit ad defendendam authoritatem Romani Pontificis, ab hæreticis nouiſſimis impudenter impetitam.

QVòd Sanctus Ignatius Religionem ſuam inter alios fines deſtinauerit ad defendendam authoritatem Romani Pontificis, teſtatur Vrbanus Octauus in Bulla Canonizationis Sancti Patriarchæ, his verbis: *Vir verè, quem praelegerat Dominus, vt eorum dux foret, qui portarent eius ſanctiſſimum nomen coram gentibus, & populis; & infideles ad veræ fidei cognitionem inducerent, ac rebelles hæreticos ad illius vnitatem reuocarent, ſuique in terris Vicarij authoritatem defenderent*. Et vt dicitur in eius lectionibus, Ordinem ſuum Romæ inſtituens, *ad tria conſueta, addito de Miſſionibus voto, Sedi Apoſtolicæ arctiùs adſtrinxit*. Et quia authoritas Sedis Apoſtolicæ vnà cum fide Catholica impetebatur ab hæreticis huius temporis Luthero, & Caluino, eorumque diſcipulis, Sanctus Ignatius Societatem Ieſu inſtituit ad confuſionem Hæreticorum, & ſanctæ Sedis defenſionem, ita vt conſtans fuerit omnium ſententia, etiam Pontificio confirmata oraculo, *Deum ſicut alios alijs temporibus Sanctos Viros, ita Luthero, eiuſdemque temporis hæreticis, Ignatium, & inſtitutam ab eo Societatem obieciſſe*, vt Eccleſia dicit:

§. II.

Digitized by Google

§. II.

Quantopere S. Ignatius filijs ſuis commendauerit obedientiam Sedis Apoſtolicæ, & defenſionem authoritatis eius.

ID patebit primò legenti Regulam, quæ Summa eſt noſtrarum Conſtitutionum, quam Sanctus Fundator obtulit Paulo Tertio Pontifici Maximo, & ab eodem fuit approbata, & habetur in litteris Apoſtolicis noſtri inſtituti pag. 10. *Sciant*, inquit, *omnes Socij, & non ſolùm in primis profeſſionis ſuæ foribus, ſed, quoad vixerint, quotidie animo voluant, Societatem hanc vniuerſam, & ſingulos, ſub Sanctiſſimi Domini Noſtri Papæ, & aliorum Romanorum Pontificum Succeſſorum eius, fideli obedientia Deo militare. Et quamuis Euangelio doceamur, & fide orthodoxa cognoſcamus, ac firmiter profiteamur, omnes Chriſtifideles Romano Pontifici, tanquam Capiti, ac Ieſu Chriſti Vicario ſubeſſe, ad maiorem tamen noſtræ Societatis humilitatem, ac perfectam vniuſcuiuſque mortificationem, & voluntatum noſtrarum abnegationem, ſummopere conducere iudicauimus, ſingulos nos, vltra id commune vinculum, ſpeciali voto adſtringi, ita vt quidquid moderni, vel alij Romani Pontifices pro tempore exiſtentes iuſſerint, ad perfectam animarum & fidei propagationem pertinens, & ad quaſcunque Prouincias nos mittere voluerint, ſine vlla tergiuerſatione, aut excuſatione, illico, quantum in nobis fuerit, exequi teneamur.* &c. Similia ferè habentur in regula oblata Iulio Tertio, & ab eodem confirmata, vt videre eſt pag. 62.

2. Conſtabit ſecundò legenti Part. 6. Conſt. cap. 1. §. 1. Vbi hæc habet; *Exactiſſimè omnes neruos virium noſtrarum ad hanc virtutem Obedientiæ in primis Summo Pontifici, deinde Superioribus Societatis exhibendam intendamus.* Et Par. 7. cap. 3. §. 1. vbi ita ſcribit: *Primæ, & ſummæ obedientiæ Summi Pontificis non repugnando.* Et Par. 10. vbi agitur de modo augendi, & conſeruandi Societatem, §. 11. ita loquitur; *Ad eumdem finem faciet generatim curare, vt Amor, & charitas omnium, etiam externorum erga Societatem conſeruetur: ſed eorum præſertim, quorum voluntas bene aut malè in nos affecta multum habet momenti, vt aditus ad diuinum obſequium, & animarum auxilium aperiatur, vel præcludatur.* Subditur ibidem in Declarationibus litt. B. *Inprimis conſeruetur beneuolentia Sedis Apoſtolicæ, cui peculiariter inſeruire debet Societas.*

§. III.

§. III.

Ipſe S. Ignatius in epiſtola ad Claudium Imperatorem Abiſſinorum, Primatum Romanæ Sedis contra omnes Schiſmaticos & hæreticos, eiuſque excellentiam & infallibilitatem validiſſimè comprobauit.

SAnctus Patriarcha in epiſtola ad Claudium Abiſſinorum Imperatorem ita neruosè authoritatem Romani Pontificis propugnat, vt Reuerendiſſimus, & Illuſtriſſimus Magiſter Sequiros, olim in Complutenſi Academia Primarius Anteceſſor, nunc Epiſcopus Caſſanenſis in tractatu de infallibilitate, & ſuperioritate Romani Pontificis illam
„ pro coronide operi ſuo imponat, Quia in ea, inquit, paucis com-
„ prehenſa inueniuntur, quæ in Doctoribus diſperſa ſunt pro ſum-
„ ma authoritate, pleniſſimaque poteſtate Romani Pontificis. Eam epiſtolam tranſcripſit P. Orlandinus lib. 15. partis primæ hiſtoriæ Societatis ann. 1555. P. Maffeius in hiſtoria Indiarum lib. 16. & Franciſcus Macedo Ordinis S. Franciſci in tom. de clauibus Petri lib. 1. diſſert.
„ 4. cap. 3. de qua epiſtola ſic ſcribit pag. 39. Quoniam, inquit, ijs iam
„ dictatis, cùm alijs ſtudijs operam darem, incidi in litteras Sanctiſſimi
„ Patris Ignatij de Loyola, ab eodem ad Æthiopiæ Regem Claudium,
„ quem Abiſſinorum Imperatorem, & Preteiannem vulgò dicimus,
„ captata occaſione miſſi ad eum cum duodecim Socijs Primi So-
„ cietatis Patriarchæ Ioannis Nunnez Baretti Luſitani, ſcriptas, qua-
„ rum argumentum eſt Dignitas, & Authoritas, & Poteſtas ſu-
„ prema Romani Pontificis; cùm illas attentiſſimè legiſſem, comperi
„ diuinæ plenas eſſe doctrinæ, ac miratus ſum tam paucis lineis omnia,
„ quæ à me hìc fusè, alijſque ſunt dicta, ita comprehenſa ac expoſita,
„ vt nihil quod ad cauſam faceret prætermiſſum, imò cuncta quæ dici
„ poterant occupata ſint: atque adeò ingentem in ijs ac pretioſum the-
„ ſaurum contineri, quem Lectoribus monſtrari volo, vt eo fruantur, &
„ lecto eo, compendium cum magno ſacræ eruditionis quæſtu faciant.
„ 1. Epiſtola S. IGNATII DE LOYOLA. Domine mi in Domi-
„ no noſtro Ieſu Chriſto. Gratia tuæ Celſitudini, & ſalus, & affluen-
„ tia donorum ſpiritualium à Domino noſtro Ieſu Chriſto. Sereniſſi-
„ mus Portugalliæ Rex pro ea ſolicitudine ac zelo, quem illi Creator
„ noſter, ac Dominus dedit, gloriæ ſancti ſui nominis, & ſalutis ani-
„ marum, quæ Vnigeniti eius Filij pretioſo ſanguine & vita redemptæ

Digitized by Google

„ ſunt, non ſemel oſtendit mihi per litteras pergratum ſibi fore, ſi è
„ Religioſis noſtræ minimæ Societatis, quam vocant Ieſu, duodecim
„ viros deſignarem, è quibus ille Patriarcham vnum, duos Coadiuto-
„ res pariter & ſucceſſores eligeret, iiſdemque à Summo Chriſti Do-
„ mini noſtri Vicario ſuppliciter peteret authoritatem & ius, quo iure
„ ad ſuas quiſque partes ritè obeundas, ipſi cum Sacerdotibus alijs in
„ tuæ Celſitudinis Regna tranſmitti poſſent: Ego pro eximijs inter cæ-
„ teros Chriſtianos Principes eiuſdem Sereniſſimi Regis Portugalliæ
„ meritis erga Societatem noſtram vniuerſam, noſtraque viciſſim om-
„ nium in illum obſeruantia, & pietate feci quod iuſſerat; conſultoque
„ ſequutus numerum, qui Chriſti Domini noſtri, Apoſtolorumque
„ eius Collegium referret, præter ipſum Patriarcham, Sacerdotes duo-
„ decim, ſupplementi, ac velut Seminarij cauſa è corpore noſtro cün-
„ ctos excerpſi, qui ad ſubleuandas iuuandaſque animas, tuæ celſitudi-
„ nis Imperio ac ditioni ſubiectas ſeſe, vitamque ſuam in omnem la-
„ borem, atque diſcrimen offerrent. Atque hoc libentius parui, quod
„ præcipua quadam alacritate ſentio me, ſocioſque meos omnes ferri
„ ad obſequium, & cultum celſitudinis tuæ, haud immeritò: quippe
„ quæ inter tot circumfuſas vndique nationes infidelium, & hoſtium
„ nominis Chriſtiani, veſtigijs maiorum ſuorum inſiſtens, ad conſer-
„ uandam, ac promouendam Chriſti Domini, ac Dei noſtri Religio-
„ nem, & gloriam diligenter incumbit. Quam ipſam ob cauſam optan-
„ dum fuerat, vti ad hæc tam recta tuæ Celſitudinis ſtudia, conatuſque
„ ſubſidium accederet ſpiritualium Patrum, quibus & legitima pote-
„ ſtas ab hoc Sanctæ Sedis Apoſtolicæ faſtigio deriuata, & fidei Chri-
„ ſtianæ pura, & ſincera doctrina ſuppeteret, quæ nimirum duæ ſunt
„ claues illæ Regni cælorum, quas Chriſtus Dominus noſter Sancto
„ Petro, & omnibus, qui deinceps in eius erant ſolio ſeſſuri promiſit
„ prius, deinde ipſa re tradidit. Promiſit tantummodò, cùm ad eum
„ dixit, (vt legimus apud Diuum Matthæum Euangeliſtam) *Ego dico*
„ *tibi, quia tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam,*
„ *& tibi dabo claues Regni cælorum, & quidquid ſolueris ſuper terram, erit*
„ *ſolutum & in cælis*. Tradidit, ac promiſſa patrauit, cùm poſt re-
„ ſurrectionem, antequam in cælum aſcenderet, ſciſcitatus ex eo ter
„ (quemadmodum affirmat Diuus Ioannes Euangeliſta) *Simon Ba-*
„ *rionas diligis me plus his*? ſubiunxit in ſingula reſponſa, *Paſce oues*
„ *meas*: committens illi non partem aliquam ouium ſuarum, ſed to-
„ tum prorſus gregem vniuerſa cum plenitudine poteſtatis ad alendos
„ vitali Chriſtianæ religionis pabulo cunctos vbique fideles, eoſdem-
„ que ad cæleſtia ſempiternæ beatitudinis paſcua perducendi. Ac cæ-
„ teris quidem Apoſtolis authoritatem Chriſtus Dominus noſter im-
„ pertijt delegatam, ac veluti extra ordinem: at Sancto Petro, eiuſque
„ Succeſſoribus ordinariam dedit, ac plenam, vti ab hoc Summo Pa-
ſtore,

,, ſtore, tanquam à fonte reliqui animarum Paſtores peterent, eidem-
,, que acceptum ferrent, quidquid omninò iuris ad ſuum quiſque mu-
,, nus, ac regimen obtinerent: quod olim adumbraſſe per Iſaiam vide-
,, tur Dominus, cùm de Eliachim loquens Pontifice Maximo, *Dabo*,
,, inquit, *clauem domus Dauid ſuper humerum eius, & aperiet, & non erit*
,, *qui claudat, & claudet, & non erit qui aperiat*: quo videlicet typo fi-
,, guratus eſt Petrus, eiuſque ſucceſſores, quibus datam integram po-
,, teſtatem declarant claues, conſuetum vtique ſymbolum & inſigne
,, pleni atque abſoluti dominij. Quæ cùm ita ſint, Celſitudo tua gra-
,, tias debet ingentes Domino Deo noſtro, quod ipſa regnante, potiſ-
,, ſimum dignatus fuerit iſtis nationibus mittere veros animarum Pa-
,, ſtores, qui à ſummo pendeant Paſtore, ac Vicario, quem reliquit in
,, terris Ieſus Chriſtus Dominus noſter, & quantamcunque habent po-
,, teſtatem, quæ ſanè perampla eſt, hanc ab eodem illo Vicario totam
,, acceperint. Nec ſine cauſa Patri, Auoque Celſitudinis tuæ di-
,, ſplicebat ſumi ab Vrbe Alexandria Patriarcham: quippe ſicuti diuul-
,, ſum à corpore membrum, neque motum, neque ſenſum, neque om-
,, nino vitam accipit à corpore ſuo: ita Ægyptius Patriarcha ſiue ille
,, Alexandriæ, ſiue Memphi degat, cùm Schiſmaticus ſit, ac diſiun-
,, ctus ab hac Sacroſancta Sede Apoſtolica, & ab Eccleſiæ totius capi-
,, te, Pontifice ſummo videlicet, vitam gratiæ, & Paſtoralem authori-
,, tatem nec ſibi recipit ipſi, nec alteri cuipiam valet legitimam imper-
,, tiri. Eccleſia namque Catholica vna tantum eſt in Orbe terrarum,
,, neque fieri poteſt, vt alia Romano Pontifici, alia pareat Alexandri-
,, no. Vti ſponſus eius Chriſtus vnus eſt, ſic ſponſa illius vnica, de
,, qua Salomon ait in Canticis ex perſona Chriſti Domini noſtri, *Vna*
,, *eſt Columba mea*. Et Oſeas Propheta, *Congregabuntur Filij Iſrael, &*
,, *filij Iuda pariter, & ponent ſibi caput vnum*: Et in eandem ſententiam
,, multò deinde poſt S. Ioannes, *Fiet*, inquit, *vnum ouile, & vnus Pa-*
,, *ſtor*. Vna erat, quemadmodum in Geneſi legimus, Arca Noe, extra
,, quam nulla omnino ſalus. Vnum tabernaculum, quod fabricatus
,, eſt Moyſes. Vnum Hieroſolymæ templum à Salomone conditum,
,, quo in templo ſacrificare, & adorare oportebat. Vna, cuius ſtaretur
,, iudicio, Synagoga. Hæc nimirum omnia Eccleſiam denotabant, quæ
,, vna eſt item, extra quam nihil boni. Etenim qui cum eius corpore
,, coniunctus non fuerit, nempe nullum à Chriſto capite recipiet influ-
,, xum gratiæ viuificantis anima ſe præparans ad felicitatem æternam.
,, Huiuſce vnitatis declarandæ cauſa, contra quoſdam hæreticos in
,, Symbolo canitur, Credo Vnam Sanctam Catholicam, & Apoſtoli-
,, cam Eccleſiam: damnatuſque à Sacris Concilijs error eſt priuatas
,, Eccleſias, ceu Alexandrinam, Conſtantinopolitanam, aut ſimiles
,, dari, quæ communi omnium Capiti ſubiectæ non ſint Pontifici Ro-
,, mano, ex quo perpetua ſerie ab Sancto vſque Petro (qui Chriſti

„ Domini iuſſu, vti à D. Marcello Martyre traditum eſt, Romanam „ elegit Sedem, eamque ſuo cruore ſanciuit) perducti Romani Pon- „ tifices Vicarij Chriſti, citra controuerſiam à tot ac tanta Sanctitate „ Doctoribus Latinis, Græcis, omniumque Nationum habiti, à Sanctis „ Anachoretis, Epiſcopis & alijs Confeſſoribus adorati, tot ſignis at- „ que miraculis, tot denique Martyrum, qui in hac fide, & vnione „ Sanctæ Romanæ Eccleſiæ vitam profudere, teſtimonio comprobati „ ſunt. Meritò igitur conſentienti Epiſcoporum omnium voce, qui „ ad Chalcedonenſem conuenerant Synodum, Papæ Leoni pariter ac- „ clamatum, Sanctiſſimus, Apoſtolicus, Vniuerſalis. Et in Conſtan- „ tienſi damnata eſt hæreſis negantium ſuper omnes, & ſingulas om- „ nium terrarum Eccleſias Primatum Romani Pontificis eminere. Ad „ quas tam diſertas, firmaſque Patrum ſanctiones atque decreta, Con- „ cilij quoque Florentini, quod ſub Eugenio IV. præter alias natio- „ nes à Græcis, etiam Armenis, & Iacobitis tanto ſtudio celebratum „ eſt, in hæc verba acceſſit authoritas. *Definimus Sedem Sanctam Apo- „ ſtolicam, & Pontificē Romanum in vniuerſum Orbem tenere Primatum, ac „ ſucceſſorē eſſe Petri, & verum Chriſti Vicarium, totiuſque Eccleſiæ caput „ & omnium Chriſtianorum Patrem, & Doctorem exiſtere, & ipſi in Beato „ Petro paſcendi, regendi, gubernandi vniuerſalem Eccleſiā à Domino Ieſu „ Chriſto poteſtatem plenam eſſe traditam.* Iure igitur Sereniſſimus Rex „ Dauid tuæ celſitudinis genitor, miſſo ad obſequium Romano Pon- „ tifici deferendum Legato, ſanctam hanc Sedem omnium Matrem, ac „ Principem agnouit. Cumque alia multa, & præclara ipſius pariter „ & tuæ celſitudinis acta numerentur, tum duo hæc eiuſmodi ſunt, vt „ eorum præſtantiam nulla vnquam obſcuratura videatur obliuio, ac „ proinde ab omnibus, qui ſub iſto viuunt imperio, immortales au- „ thori bonorum omnium Deo debentur gratiæ pro tam ſingulari in „ eos beneficio, veſtra duorum opera, induſtria & virtute collato: cùm „ alter omnium primus ſe in illius poteſtate, qui Chriſti vices in ter- „ ris gerit, perpetuò fore profeſſus ſit, alter item primus datum ab eo- „ dem Chriſti Vicario Patriarcham verum, ac legitimum Sacroſanctæ „ Sedis huiuſce filium in ſua Regna perduxerit. Etenim ſi in magni „ cuiuſdam beneficij loco habendum eſt, inſitos eſſe corpori myſtico „ Eccleſiç Catholicç, quod à Spiritu Sancto viuificatur ac regitur, „ quam, teſte Euangeliſta, idem Spiritus docet omnem veritatem: Si „ eximium eſt munus, lucem ſanæ doctrinæ intueri, & Eccleſiæ funda- „ mentis inſiſtere, quam Apoſtolus Paulus ad Timotheum ſcribens do- „ mum Dei, columnam, & firmamentum veritatis appellat, cui ſe pro- „ miſit in æternum affore Chriſtus Dominus, inquiens, *Ecce ego vobi- „ ſcum ſum vſque ad conſummationem ſeculi*, vt legimus apud Mathæum „ Euangeliſtam: eſt ſanè cur ſine fine gratulentur iſtæ nationes Deo „ Domino, & Conditori noſtro, cuius prouidentiam per tuam, Paren-

„ tiſque

„ tiſque tui celſitudinem, tanto illos bono dignata eſt: præſertim cùm
„ iure ſperandum ſit, ex hac ipſa conciliatione, conſenſuque fore,
„ Chriſto Domino moderante, vt cum ſpiritualibus temporalia quo-
„ que incrementa non ſine amplificatione Imperij tui,& hoſtium abie-
„ ctione proueniant. Sacerdotes, qui mittuntur iſtuc omnes quidem,
„ ſed præcipuè Patriarcha, Coadiutoreſque & Succeſſores eius duo,
„ ſpectata admodum virtute ſunt, & noſtra in ſocietate probati per
„ omnia, ac propter illuſtrem charitatem, & exquiſitam, rectamque
„ doctrinam ad hoc tanti momenti opus aſciti. Neque verò illis ani-
„ mus in id ipſum, aut alacritas deeſt, haud leui concepta fiducia, la-
„ bores ſuos ad Chriſti Domini gloriam, tuæ Celſitudinis rem, anima-
„ rumque auxilium pari cum operę pretio collocandi. Humanæ quip-
„ pe ſalutis amor illos, & Chriſti Domini aliqua ſaltem ex parte imi-
„ tandi ſtimulat ſtudium, qui cruciatus, ac necem ſubijt volens ac
„ libens, vti mortales ab æterna calamitate redimeret; aitque per
„ Euangeliſtam; *Ego ſum Paſtor bonus, bonus Paſtor animam ſuam dat*
„ *pro ouibus ſuis*. Hoc exemplo incitati Patriarcha, & cæteri parati
„ veniunt, non verbo duntaxat, conſilioque ſpiritualibus adiumentis,
„ ſed ipſa morte, ſi res ferat, periclitantibus animis opitulari. Tua
„ celſitudo, quo interiorem illos ad conſuetudinem, & familiaritatem
„ admiſerit, eò maiorem, vt ſpero, capiet in Domino voluptatem.
„ Iam verò, quod pertinet ad finem, ac pondus eorum, quæ ab ipſis
„ vel publicè, vel priuatim exponentur, non ignorat celſitudo tua,
„ omnium, quatenus ritè legati ſunt, ſed Patriarchæ præcipuè dictis,
„ Apoſtolicæ fidei pondus, & authoritatem ineſſe, ac perinde illis, &
„ Eccleſiæ credi oportere, cuius ab ipſis interpretanda ſunt verba, &
„ ſententiæ. Et quoniam Chriſti fideles cunctos Eccleſiæ firmiter aſ-
„ ſentiri, eiuſque decretis obtemperare, & ſi quid exiſtat ambiguum,
„ aut obſcurum, eandem conſulere neceſſe eſt, non dubito quin tua
„ excellens pietas, probitaſque publico edicto curatura ſit in ſuis Re-
„ gnis, vt omnes omnium ordinum homines, tum Patriarchæ ipſius,
„ tum eorum, quos ille ſibi ſubſtituet, dicta, præcepta, reſponſa citra
„ vllam dubitationem ſequantur. Conſtat ex Deuteronomio de con-
„ trouerſijs omnibus, ac nodis ad Synagogam Eccleſiæ prænuntiam
„ referri ſolitum. Hinc illa quoque Chriſti Domini verba; *Super ca-*
„ *thedram Moyſi ſederunt ſcribæ, & Phariſæi*. Id ipſum in prouerbijs
„ docet ſapientia Salomonis cùm ait: *ne dimittas præcepta Matris tuæ*.
„ (ea eſt Eccleſia) Et alibi *Ne traſgrediaris terminos, quos poſuerunt Pa-*
„ *tres tui*, ij ſunt eiuſdem Autiſtites. Denique tantum Eccleſiæ ſuæ
„ tribui, ac deferri vult Chriſtus Dominus, vt per Sanctum Euangeli-
„ ſtam Lucam apertè denunciet; *Qui vos audit, me audit; qui vos ſper-*
„ *nit, me ſpernit*: Et per Sanctum Mathæum. *Si Eccleſiam non audierit,*
„ *ſit tibi ſicut Ethnicus & Publicanus*. Ex quo apparet, ne aures qui-

„ dem

„ dem præbendas iis, qui alienum quidpiam à ſenſu, & interpretatio-
„ ne Catholicæ Eccleſiæ attulerint; Sancto quoque Paulo in epiſtola
„ ad Galatas id ipſum præmonente, cùm ait: *Sed licèt nos, aut Angelus de*
„ *cælo euangelizet vobis præterquam quod euangelizauimus vobis anathe-*
„ *ma ſit*. Ad ſummam hoc idem Sancti Doctores, Conciliorum Ca-
„ nones, fidelium omnium conſenſus, & conſuetudo planè demon-
„ ſtrant. Ac viciſſim Patriarchæ, ac ſocijs pariter omnibus certum
„ eſt, fixumque tuam celſitudinem aſſiduo cultu, ſubmiſſione, atque
„ etiam quod ad fas piumque ferat, indulgentia proſequi. Nos verò,
„ quotquot in hiſce terris è minima noſtra Societate retinemur, tua
„ celſitudo ad omne obſequium in Domino paratiſſimos habeat. No-
„ ſtris quidem certè precibus, & ſacrificijs, vt iam inſtituimus, Deo
„ ſupplicare pergimus, vt Regiam celſitudinem tuam, regnumque iſtud
„ ampliſſimum in ſancto Chriſti famulatu conſeruet, detque illi ita
„ tranſire per bona temporalia, vt non amittat æterna. Idem ipſe Deus,
„ ac Dominus noſter omnibus nobis ad ſanctiſſimam ipſius volunta-
„ tem, & clarè cernendam, & ritè exequendam perpetuum lumen, ac
„ vires pro ſua infinita bonitate ſuppeditet. Romæ ſeptimo Kalendas
„ Martias milleſimo quingenteſimo quinquageſimo quinto.

§. IV.

Quàm validè propugnauerit in concilio Tridentino P. Didacus Laynez, ſecundus Generalis Societatis Ieſu authoritatem Romani Pontificis.

1. ID conſtabit legentibus Hiſtoriam Concilij Tridentini ſcriptam à Cardinali Sfortia Pallauicino; imò & legenti Hiſtoriam Tridentini ſcriptam à Petro Soaue, quem iure merito impugnat, & expugnat idem Cardinalis, detegens hominis fraudes, malignitatem, mendacia, & animum Eccleſiæ Romanæ infenſiſſimum, & hæreticis fauentem, ac proinde de hæreſi ſuſpectum; vt ſatis probant ea quæ adducit ipſe Cardinalis in introductione ad hiſtoriam cap. 2. & 3. Tantam autem aſſecutus eſt P. Laynez apud Patres Concilij æſtimationem, vt Petrus Soaue, quamuis Societati noſtræ valde aduerſus, in Hiſtoria
„ Tridentini lib. 8. p. 558. affirmet, quòd cùm moris eſſet vt cæteri Ge-
„ nerales in dicenda ſententia pedibus conſiſterent, & loco ſuo, Layne-
„ zius in medium euocatus, ſedere iubebatur. Præterea, quod ſæpe in
„ eius ſolius gratiam Congregatio habita ſit, vt videlicet ei quantum
„ vellet

„ vellet dicendi daretur opportunitas: Et licèt omnes in dicendis ſen-
„ tentijs eſſent dimidio quàm ille breuiores, ille tamen laudabatur, ij
„ vero contra quos locutus, non ita ſuccinctè dixerunt, vt nimietatis
„ reprehenſionem effugerint. Quas laudes Patris Laynez Petrus Soaue tam diligenter recenſet, non vt hominem laudet, ſed vt ſatyram conficiat in legatos Pontificis, quaſi Laynez hunc honorem detulerint, quia erat authoritatis Pontificiæ acerrimus Defenſor, cuius ipſe erat malignus impugnator: cùm tamen veritas fuerit, ideo hanc ſingularitatem cum P. Laynez factam eſſe, quia cum ſumma eſſet viri ſaprentia & eruditio, omnes illum audire deſiderabant; vnde vt omnes eius ſapientia & eruditione fruerentur, iudebatur ſedere in medio, & diſtinctè loqui. Vt enim expendit optimè Cardinalis Pallauicinus lib. 21. cap. 6. num. 15. quilibet ſanus intellectus diſcernet, hunc honorem ſingularem exhibitum P. Laynez futurum fuiſſe in tanto conſeſſu omnino incomportabilem, niſi viri modeſtia, & eximia ſapientia ab omnibus impetraſſet, vt illum ei libenter deferrent. Addit Cardinalis inter Generales religioſorum Ordinum adfuiſſe tunc aliquos, qui ob præclaras dotes, & magna in Eccleſiam merita, ad ſacram purpuram paulò poſt euecti ſunt.

2. Hoc ſuppoſito, in primis P. Laynez authoritatem Romani Pontificis tunc maximè defendit, quando in Concilio maiore cum feruore agebatur de reformatione Curiæ Romanæ, Epiſcoporum, & totius Eccleſiæ. Nam vt narrat Cardinalis Pallauicinus lib. 21. cap. 6. num. 9. Cùm aliqui Patrum latè diſſeruiſſent, vitandas eſſe diſpenſationes legum Eccleſiaſticarum, & maximè Eccleſiæ expedire, vt leges impoſterum eſſent fixæ, & quaſi adamantinæ; ac proinde cùm latè propoſuiſſent, expedire, vt tolleretur Papæ in perpetuum poteſtas diſpenſandi in legibus Eccleſiaſticis, P. Laynez, qui in vltimo loco ſententiam dixit, latè, & validiſſimè probauit, hanc indiſpenſabilitatem legum Eccleſiaſticarum Eccleſiæ Chriſti non vtilem, ſed pernicioſam fore; & poſt longum diſcurſum, vt doctrinam in eo à ſe ſtabilitam confirmaret, obſeruauit, (vt narrat Hiſtoricus eo cap. 6. num. 14.) legem quidem diuinam eſſe de rebus vniuerſalibus, & immutabilibus, Eccleſiaſticam verò eſſe de particularibus, quæ mutationi ſunt obnoxiæ: & inde concluſit, idcirco requiri in Eccleſia Chriſti vnum ſupremum Caput, nulli alteri poteſtati ſubiectum, ad quod attineat in legibus Eccleſiaſticis diſpenſare, quando id neceſſitas poſtulet: additque hanc ſupremam poteſtatem à Chriſto conceſſam eſſe Papæ, nec poſſe à Concilio hac poteſtate expoliari, quia id foret contra Chriſti inſtitutionem, & contra bonum commune. Nec obſtare, quod Pontifices Summi poſſint quandoque hac poteſtate abuti; ſiquidem omnis ſupremus Princeps, omnis ſupremus Magiſtratus his defectibus ſubiacet, nec propter periculum alicuius abuſus poſſunt ſuprema poteſtate ſpoliari: acuteque adiecit, ipſam le-

gem,

gem, quæ ſtatueret ne Papa poſſet diſpenſare, debere eſſe legem humanam, ac proinde diſpenſabilem; & quantumcumque Papa ipſe votum emitteret de nunquam diſpenſando in lege Eccleſiaſtica, votum illud non obligaturum, quando ſecundùm leges charitatis opportunum fuiſſet diſpenſare.

3. Acriterque & neruosè probauit, reformationem Curiæ Romanę relinquendam eſſe zelo & authoritati Romani Pontificis; quia quantumcumque Concilium ederet decreta de reformatione; hæc non poſſent habere valorem, niſi à Summo Pontifice confirmarentur; nec poſſe aliquid à Concilio ſtatui, quod firmum in poſterum ſit, niſi decretum fiat, annuente Pontifice: nam quidquid Concilium ſtatuat, ſi id faciat contra beneplacitum Papæ, poſſe ab ipſo Pontifice reuocari, cui Chriſtus ſupremam authoritatem conceſſit ſupra totam Eccleſiam, etiam in Concilio generali congregatam.

4. Additque Cardinalis Hiſtoricus lib. 21. cap. 5. num. 15. Patrem Laynez, inter explicandam quamdam rationem, ita ſucceuſum eſſe ad authoritatem Romani Pontificis ſupra cuncta Concilia probandam, vt nec ſibi temperauerit, quin eos perſtringeret, qui eam negabant. Quod profectò (addit Cardinalis) Gallos ad ſuſurrandum plurimum vellicauit, ſuſpicatos Laynium, aut volentibus, aut conſcijs Legatis in eam ſententiam diſſeruiſſe: & quemadmodum ſuſpicionis ingenium eſt, intueri cunctis in rebus colorem, quo ipſius oculi ſuffunduntur, addebant pro argumento prærogatiuas Laynio à Legatis in Concilio tributas: cùm enim illic reliqui Regularium Ordinum Summi Præſides in ſuo loco dicerent, & ſtantes, ille in medium procedere, ac ſedere iubebatur. Et quamuis interdum eius oratio prolixiſſimè protraheretur, prolixitas in alijs reprehenſa, in eo argumentum laudis euaſerat, vſque adeò vt nonnunquam ad eum ſolum audiendum generales cœtus habiti fuerint. Sed quoniam tela quò ſunt acutiora, eò altius feriunt, ij qui ab argumentis Laynij petiti fuerant, quò validum in illum excitarent vltorem, ſtuduerunt perſuadere Lotharingo, in ipſum à Lainio ſuos ictus fuiſſe intentatos. Quod vbi reſciuit Lainius, ſe apud Lotharingum purgauit, oſtenditque ſibi in animo non fuiſſe illum arguere, nec pariter Pręſulęs Gallos, ſed tantùm quoſdam Sorbonæ Theologos omninò Baſilienſi Concilio addictos.

§. V.

§. V.

Quàm neruosè P. Laynez in Tridentino defenderit authoritatem Romani Pontificis, dum in eo actum eſt de Epiſcoporum iuriſdictione, validè probans poteſtatem iuriſdictionis externæ non accipere Epiſcopos immediatè à Chriſto, ſed mediante Romano Pontifice.

1. PRæterea acriter authoritatem Romani Pontificis defendit P. Laynez, quando in Concilio diſputatum fuit de poteſtate Epiſcoporum, & de ipſorum inſtitutione. Nam quamis Epiſcopi Hiſpani prompti eſſent cum communi Patrum ſenſu (nam vt narrat Pallauicin. lib. 24. cap. 2. num. 12. ex decem partibus Patrum nouem, & amplius in hoc conueniebant) ad ferendum ſuffragium pro definitione, quod Papa ſit ſupra omnia Concilia: tamen ſimul volebant à Concilio definiri, poteſtatem iuriſdictionis, quam habent Epiſcopi, eſſe immediatè à Chriſto, & non deriuari in ipſos mediante Romano Pontifice, quemadmodum ſecundùm communem ſententiam Theologorum Apoſtoli reliqui non mediante Petro, ſed immediatè à Chriſto acceperunt totam ſuam authoritatem, & non ſolùm poteſtatem Ordinis, ſed etiam poteſtatem Iuriſdictionis: & diſputatio præcipua erat de poteſtate Iuriſdictionis externæ, quæ ex ſe Sacerdotium neceſſariò non ſupponit, idque præcipuè promouebat D. Petrus Guerrerius Epiſcopus Granatenſis. Nam vt narrat Cardinalis Pallauicinus lib. 18. cap. 14. numer. 5. contendebat Epiſcopos iure Diuino inſtitutos fuiſſe, & ex eodem, Presbyteris eſſe maiores. Suam ſententiam ex eo confirmauit, quod Epiſcopatus vnicus eſſet, cuius partem cuncti Epiſcopi obtinebant: Pontificem Romanum, & Epiſcopos eſſe fratres, filios vnius Patris, qui eſt Chriſtus, & vnius Matris, quæ eſt Eccleſia: æquè inſtitutos à Chriſto fuiſſe ſecundos, ac primum: Romanum quidem Pontificem tanquam caput inſtitutum, ſed ſolùm tanquam cauſam benefacientem, non generantem, quemadmodum caput noſtrum adiuuat quidem membra reliqua, ſed ea non generauit. Petrum Apoſtolum inſtitutorem non fuiſſe, ſed Chriſtum; adeoque Epiſcopis, vtpote ſucceſſoribus Apoſtolorum, impertitam eſſe poteſtatem, non à Petri Succeſſoribus, ſed à Chriſto.

2. Addebat Ayala Epiſcopus Segouienſis, quemadmodum Pontifex

Digitized by Google

ſex Romanus ſuccedebat Petro, ſic Epiſcopos Apoſtolis ſuccedere, ac perinde vbi iuriſdictio Epiſcoporum debilitaretur, Pontificiam pariter debilitari. Poteſtatem iuriſdictionis Epiſcopis à Deo conferri, cùm Epiſcopatus abſque iuriſdictione conſiſtere nequeat; ſed exercitium iuriſdictionis ipſis conferri à Romano Pontifice, ad quem ſpectat perſonas deſignare, & Eccleſias partiri. Accipi ab Epiſcopis in ipſa conſecratione iuriſdictionem, nec eam per degradationem deperdi.

3. Poſtquam in præcedentibus Seſſionibus multa dixerant Epiſcopi Hiſpani circa poteſtatem Epiſcoporum; poſtea 20. Octobris anni 1562. (vt narrat Petrus Soaue in Hiſtoria Tridentini lib.7.pag.497.) mane facto, ſupra duas horas verba fecit Laynez perquàm appoſitè, magna cum vehementia,& authoritate,cuius oratio duabus conſtabat partibus: prima conſumpta vt probaret poteſtatem totam iuriſdictionis Pontifici Romano datam, nec vllam eius ſcintillam quemquam alium in Eccleſia habere, niſi ab ipſo: in ſecunda argumenta omnia in præcedentibus Cõgregationibus adducta in contrarium, diluere aggreſſus. Et ſubiungit „ Soaue de Laynеſio loquens: In ſoluendis rationibus contrariis diſ„ ſeruit, ſecundùm ordinem à Chriſto inſtitutum, Apoſtolos debuiſſe „ ordinari Epiſcopos non à Chriſto, ſed à Petro, iuriſdictionem ab ipſo „ ſolo accipientes; idque ita factum multos etiam Doctores Catholicos „ tenere; eamque opinionem valde probabilem eſſe: alios tamen dice„ re Apoſtolos fuiſſe ordinatos Epiſcopos à Chriſto, verùm adiungere, „ Dominum hoc facto præueniſſe officium Petri, & pro ea vice feciſſe, „ quod ad ipſum pertinebat, eam poteſtatem Apoſtolis conferendo, „ quam à Petro accipere debebant in eundem prorſus modum, ſicuti „ Deus de Spiritu Moyſis accepit, & ſeptuaginta iudicibus impertitus „ eſt. Itaque perinde fuiſſe, ac ſi à Petro eſſent ordinati, & ab ipſo to„ tam authoritatem accepiſſe, adeòque Petro ſubditos fuiſſe, quoad „ locum, modumque eius exercendæ. Quod ſi non legatur, Petrum „ eos correxiſſe, id non accidiſſe defectu poteſtatis, ſed quoniam re„ ctè munere ſuo perfuncti. Quique legerit celebratum illum, nobi„ lemque Canonem *Ita Dominus* non dubitaturum, quin id tenere „ debeat quiſque Catholicus, atque ita Epiſcopos, qui ſunt Apoſtolo„ rum Succeſſores, eam omnem accipere à Succeſſore Petri: idque mo„ nitos volebat Epiſcopos, non dici Apoſtolorum Succeſſores, niſi quia „ illorum loco ſunt, quemadmodum Epiſcopus ſuis Anteceſſoribus „ ſuccedit, non quod ab eis fuerint ordinati.

4. Hanc diſſertationem Patris Laynez de Epiſcoporum inſtitutione, tanquam rem inſignem, & in Concilio celebratiſſimam adducit Cardinalis Pallauicinus lib.18. cap.15. narratque, integrum tempus Congregationis habitæ eo die expleuiſſe Patrem Laynez, neruoſiſſimè probando, Epiſcopos recipere poteſtatem iuriſdictionis immediatè à Pontifice, aitque voto iſto nullum vnquam in Tridentino maiorem plauſum ha-

habuiſſe, quod nec Soaue diffitetur, ſed addit hunc plauſum habuiſſe apud Epiſcopos illos, quos ipſe *Pontificios* appellat. Verùm cùm Theologi eſſent tot, tamque ſapientes & recti, non tantopere extuliſſent hanc diſſertationem, niſi illa hanc laudem promeruiſſet. Refert autem Pallauicinus, Patrem Laynez initio ſuæ orationis præfatum fuiſſe, multos ipſi diſſuaſiſſe hanc orationem, ne videretur velle Pontifici adulari, cuiuſque cauſam ardenter agere: cæterùm ſe non potuiſſe in hanc ſententiam adduci, quia ſe in conſcientia obligatum ſentiebat ad defendendam veritatem, & Deum Iudicem viuorum, & mortuorum in teſtem inuocans, proteſtatus eſt, ſe ex conſcientia loqui; ter ſe iam interfuiſſe Concilio Tridentino, nimirum ſub Paulo, Iulio, & Pio, & nunquam ex intentione adulandi locutum fuiſſe, ſe nihil ab hominibus quærere, nihil optare nihil timere, at proinde pro ſola veritate pugnaturum.

5. Poſtea quæſtionem ingreſſus, inquit Hiſtoricus, dixit ad eam exponendam, illud eſſe ex iure Diuino, quod Deus per ſe ipſe proximè efficit, è conuerſo non dici ex iure Diuino, quod idem per interpoſitas perſonas peragit. Ita omnem legem à Deo procedere ex Sapientiæ effato: *Per me Reges regnant, & potentes iuſta decernunt*: non tamē omnem legem iuris Diuini appellari. Quin etiam non modò legem omnem, ſed omnem veritatem, vt Ambroſius ſcribit, à Spiritu Sancto prouenire, nec tamen omnem veritatem eſſe Iuris Diuini. Obſeruauit præterea, nec requiri, nec ſatis eſſe, vt mandatum quodpiam ſit ex Iure Diuino, quòd in ſacris litteris illud contineatur. Id non requiri, ſatis liquere in materijs, formiſque Sacramentorum, non cunctis in Sacra Scriptura expreſſis, & tamen cunctis de Iure Diuino. Item non ſatis eſſe, deprehendi in decreto, ne ſanguis, aut animal ſuffocatum comedatur, quæ prohibitio extat in Actis Apoſtolorum, cap. 15. nec tamen ea eſt de Iure Diuino; aliter etiam in præſentia vim haberet. Et quamuis ibi narretur dictum ab Apoſtolis, *Viſum eſt Spiritui Sancto & nobis*, non tamen ſignificari, eam S. Spiritus legem fuiſſe, ſed Sancti Spiritus afflatu conſtitutam. Similiter non quia Paulus iubeat Epiſcopum vnius vxoris virum fuiſſe, & mulieres velare capita, huiuſmodi mandata eſſe diuina. Ad hæc aduertit, quemadmodum multa opera Deo tribuuntur à Sacris Litteris, & à Patribus, quia ipſe in ea influit, tametſi per cauſas ſecundas id agat, exempli gratia à Pſalte, quod iumentis det eſcam, & ab Apoſtolo, quod in corpore ponat membra, pariter Deo tribui iuſſiones aliquas: quæ proximè ab ipſo non ſunt, adeoque nec de Iure Diuino. Hoc pacto ieiunium à Baſilio nominari præceptum Diuinum, quia Deus corporis afflictationem generatim præcipit, & hominibus impertit iuriſdictionem ad illius rationem decernendam, præſcripto ieiunio. Ita dici ab Apoſtolo: *Nemo aſſumat ſibi honorem, ſed qui vocatus eſt à Deo tanquam Aaron*: quamquam Deus non per ſe, ſed per homines

eligat. Ex oppoſito quædam appellari res vnius aut alterius hominis, tametſi à Deo inſtitutæ, quia tales homines ipſarum miniſtri fuerunt, ſicuti dicitur Baptiſmus Ioannis, & etiam lex Moyſis, ſi ceremonialis intelligatur per Moyſem data, cùm moralis dicatur lex Dei, quia non per alium, ſed per ipſum proceſſit, quamquam vtriuſque auctor Deus eſſet.

6. Porro hanc regulam poſſe conſtitui, nixam obſeruatione, congruentia, & etiam ſimilitudine operum naturalium, eas iuſſiones quas Deus voluit immutabiles, à ſe habitas fuiſſe, mutabiles verò per alium, atque idcirco contineri in Euangelio leges immutabiles, quia ab ipſo Chriſto ſunt promulgatæ.

7. Hoc poſito, duas eſſe inter homines poteſtates: alteram ciuilem, quæ bonum ſtatum moralem intendit, ac de ea hic diſſerere, ad rem non eſſe: alteram Eccleſiaſticam, cuius eſt animorum ſanctitatem curare: hanc rurſus duplicem eſſe; vnam quæ id perficit virtute Sacramentorum abſque alio adiumento; & alteram, quæ per anathemata, aliaſque conſtitutiones id præſtat. Priorem eſſe ordinis poteſtatem, quæ per conſecrationem imprimitur, atque inſtituta per ſe eſt ad ſanctitudinem alijs rebus impertiendam, quantum id animarum ſanctitati opus eſt: poſteriorem eſſe iuriſdictionis poteſtatem, atque hanc non infundi per conſecrationem, ſed per ſimplicem collationem, adeoque communicari poſſe cuiuis Clerico minori, & etiam homini laico. Vtramque poteſtatem, quippe ad cælum tendentem à cælo prouenire, ſicuti neceſſe eſt, vt aqua ex tam alto deſcendat, quàm altum aſcendit: ſed inter ſe diſcrepare varijs proprietatibus. Poteſtatem ordinis infundi non hominis arbitratu, ſed definitis pactiſque à Deo modis, quo ita pateſieret eam eſſe Diuinam; & idcirco à malo dæmone diuinitatis æmulo magicas cantiones fuiſſe inſtitutas, cupiente ſe coli tanquam Deum, quem videt ſua, vt ita loquar, habentem incantamenta in efficacia verborum ac rituum, quibus Sacramenta peraguntur. In poteſtate iuriſdictionis nullum eſſe ritum à Deo decretum, eaque propter illam communicari pro arbitratu humani ſuperioris. Præterea homini per priorem non niſi nudum miniſterium concedi, nec ab ipſo effectum attingi, qui producitur à Deo: in altera exerceri ab homine authoritatem & imperium, & effici proximè poteſtatem denuò productam: prioris, quippe immobilis effecta à nulla humana potentia obturbari poſſe, tametſi vſus licitus vetari queat: alterius, quæ mutabilis eſt, effecta poſſe ab alio homine pro ſuo arbitratu impediri.

8. Explicatis vocabulis, normaque vniuerſali ſtatuta, acceſſit ad alteram partem, hoc eſt ad ſuam ferendam ſententiam. Affirmauit ordinis Epiſcoporum poteſtatem eſſe à Deo proximè in ſingulis hominibus, iuriſdictionis poteſtatem eſſe à Deo proximè in genere, nimirum

in quibuſdam;vt in Petro ac ſucceſſoribus:atque ſicut ipſe arbitrabatur, in cunctis Apoſtolis ex peculiari priuilegio ; in reliquis , veluti in Epiſcopis peculiaribus,eam manare per interpoſitam à Deo perſonam, proximè à Romano Pontifice. Hanc rationem conformari normæ & congruentiæ à ſe expoſitæ in primo articulo. Etenim in Romano Pontifice dum in Pontificatu perſeuerat, iuriſdictionem eſſe inuariabilem, quemadmodum etiam in Apoſtolis; in Epiſcopis variari poſſe & mutari à Pontifice, quamuis non ex mera voluntate, ſed ex cauſa.

9. Ad tertium rei propoſitæ caput progreſſus , argumenta contraria confutauit, ad quod ſibi gnauiter viam ſtrauerat in primo capite. Obiectare nonnullos Chriſti verba, *Paſce oues meas*, à SS.Baſilio, & Ambroſio intelligi non ad ſolum Petrum dicta, ſed ad omnes Apoſtolos , & in ipſis ad omnes Epiſcopos , eaque propter ipſis fuiſſe proximè impertitam à Chriſto iuriſdictionem ſignificatam in poteſtate paſcendi. Ad hæc reſponderi , ea verba dicta quidem fuiſſe cunctis Apoſtolis; non tamen in omnibus, ſed in ſolo Petro, à quo , cùm gregem integrum paſcere per ſeipſum non poſſet , admouendi erant illi operi reliqui Apoſtoli: ſi ſecus exponerentur , hæreſim ex illis deduci. Cum enim ex vi huiuſmodi verborum , tradita fuerit iuriſdictio in eos qui paſcendi erant ; cumque ea verba eſſent vniuerſalia , adeoque complecterentur ſingulas Chriſti oues,quarum vna erat Petrus,ſi intelligerentur proximè dicta ac directa cunctis Apoſtolis, confectum iri , iiſdem fuiſſe commiſſum , vt Petrum etiam paſcerent , eumdemque proinde ipſorum ſubditum extitiſſe.

10. Simile quiddam opponi ab alijs ex alijs verbis ; *Quodcumque ligaueritis* &c. *cuiuſcumque remiſeritis peccata* &c. quæ ſanè ad cunctos Apoſtolos ac ſucceſſores directa ſunt. Sed hoc nihil officere, quoniam per ipſa tradita fuit ordinis poteſtas ad abſoluendum in Sacramento, non facultas iuriſdictionis exterioris; ac propterea dici à S. Thoma, Claues, earumque poteſtatem , quæ iuriſdictionis poteſtas eſt , traditas fuiſſe Petro , ita vt ab eo in reliquos deuenirent. Hanc interpretationem firmauit : animaduertens , cùm Chriſtus protulit recitata verba, *Quodcumque ligaueritis, quodcumque remiſeritis*, nondum Petrum Eccleſiæ caput conſtitutum , cùm adhuc dictum ipſi non fuiſſet , *Paſce oues meas*. Non eſſe igitur veriſimile , voluiſſe Chriſtum formare Eccleſiam quamdam & hierarchiam cum iuriſdictione compluribus præcipuis ipſius membris tributa, antequam ipſi Caput deſtinaret. Præterquam quod etiamſi admittatur , memoratis verbis iuriſdictionem importari , alterum non deeſſe reſponſum , videlicet ab illis non in præſentia eam tradi, ſed promitti tanquam futuram, & à futuro capite membris communicandam ; perinde ac ſi diceret alicui Deus , *Tu eris Rex* : hinc non conſiceretur , illum à Deo proximè Regem conſtitui , ſed prænuntiari, regnum ex hominum electione illi conferendum.

11. Ter-

11. Tertio loco ſic argumentari aduerſarios: Apoſtoli acceperunt iuriſdictionem à Chriſto, non per alium quempiam communicatam; igitur eam quoque acceperunt Epiſcopi illorum ſucceſſores. Conſecutionem eſſe nullam; ſicuti neque vim habet hæc alia ſimilis: Adamus accepit à Deo corpus; & non per alium quempiam; igitur & homines pariter Adami ſucceſſores: & eſſe Iuriſprudentium regulam; *Non requiri in ſubrogato naturam illius cui ſubrogatur, niſi ſecundùm id quod ſatis eſt.* Epiſcopos non eſſe in omnibus Apoſtolorum ſucceſſores. Huiuſce rei exemplum haberi in eodem argumento, quando, tametſi Epiſcopi Antiocheni Petro ſucceſſerint, & Epheſi Ioanni; nemo tamen agnoſcebat in ipſis eam iuriſdictionis amplitudinem, quæ fuerat in Petro & in Ioanne. Solum igitur Epiſcopos ſucceſſiſſe Apoſtolis in poteſtate conſecrandi: at verò Romanum Pontificem ſucceſſiſſe Sancto Petro in integra poteſtate, quam ille diſtribuit minoribus Præſulibus; ſolus enim Pontifex eſt Generalis Dei Vicarius, adeoque ſolus ipſe à Deo proximè iuriſdictionem accipit, reliqui ab ipſo. Eo pacto in amplis regnis, cùm Prorex integram ſupremamque poteſtatem à Rege obtinet, ab eodem poſtea peculiares magiſtratus conſtitui.

12. Quarto loco adduci multa Sacræ Scripturæ teſtimonia, vbi Deo tribuitur Epiſcoporum inſtitutio, cuiuſmodi eſt Apoſtoli dictum ad Epheſios: *Poſuit Deus in Eccleſia Paſtores*: & quod dicitur in Actis Apoſtolorum: *Spiritus Sanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei*: Parabola ſerui fidelis, ac prudentis, *quem conſtituit Deus ſuper familiam ſuam*; quod iuriſdictionem ſignificat: hanc verò parabolam intelligi de Epiſcopis, quando in ipſorum conſecratione vſurpantur hæc verba: *Sit ille ſeruus prudens & fidelis, quem tu Domine conſtitues ſuper familiam tuam.* Dixit, nullo ex his teſtimonijs, quod intendebatur, probari, idque ex ijs quæ ipſe initio obſeruarat. Idcirco ad primum ſoluendum diſſeruit: Paſtores, perinde ac cuncta reliqua bona fuiſſe à Deo conſtitutos, nimirum aut per ipſum, aut per alios, ea ratione qua ſimiliter affirmatur, Principes ac Magiſtratus Laicos ab eodem eſſe conſtitutos, tametſi non omnes ab ipſo proximè. Ad alterum teſtimonium progreſſus, petijt quonam pacto Spiritus Sanctus Epiſcopos poſuerat, num fortè eos ipſe tulerat, & ſua quaſi manu collocarat in Epiſcopatus Sede? Minimè verò; ſed per electionem habitam à populo, & per conſecrationem ab Epiſcopis peractam. Igitur ibi ſermonem non eſſe de collocatione quadam proximè à Deo poſita. Ad poſtremum: Aut efficaciam argumenti trahi à nuda parabola, aut ab eius ſignificatione; non certè à nuda parabola, quippe quæ non de Deo loquitur, ſed de quodam Patrefamilias; non ab eius ſignificatione, quippe cui ſatis eſt fuiſſe conſtitutum à Deo Epiſcopum ſupra familiam ſuam quocumque modo, ſeu proximè per ſe, ſeu remotè per alios.

13. Solutionem parum diſſimilem adhibuit alijs Scripturæ effatis,

Vnum

Vnum ex his fuit, vbi Chriſtus Epiſcopos nominat *Paſtores*, dum ipſos ſignificans dicit: *Bonus Paſtor vitam dat pro ouibus ſuis, & eas vocat nominatim, & eas educit ex ouili*. Igitur (opponebant) voluit ipſos eſſe Paſtores, adeòque voluit in ipſis iuriſdictionem ineſſe, cùm in paſcendo iuriſdictio exerceatur. Reſponſionem attulit; certum eſſe, voluiſſe Deum vt in Epiſcopis ineſſet iuriſdictio, ſed non illis tradita proximè à Deo ipſo, quemadmodum etiam voluit alia, quorum cauſas proximas idem conſtituit. Alterum fuit, vbi Apoſtolus inter conditiones Epiſcopi ponit, vt ipſe domum ſuam benè regat, oſtendere huiuſce rei neceſſitatem ea ratione: *Qui domui ſuæ præeſſe neſcit, quomodo Eccleſiæ Dei diligentiam habebit*? Vnde colligebant, regendi munus ex Apoſtoli ſententia ab Epiſcopis ſeiungi non poſſe. Iam verò regere, & iuriſdictionem exercere, idem eſſe. Igitur iuriſdictionem, vtpote commiſſam Epiſcopis in Sacris litteris eſſe de Iure Diuino. Poſtremam conſecutionem negauit, ſi ea intelligatur eſſe de Iure Diuino ſecundum explicationem anteà poſitam, ſecundùm quam eſt de Iure Diuino illud dumtaxat, quod prouenit à Deo abſque vlla inferiori cauſa intermedia. Voluiſse Deum, vt Epiſcopi iuriſdictionem haberent; exegiſſe in Epiſcopis, vt ad eam rectè exercendam eſsent idonei; ſed noluiſse illis per ſeipſum hoc impertiri, nec eos per ſeipſum ad regimen deſtinare: quemadmodū in Scriptura numerantur dotes ſerui boni, nec inde conficitur, ſeruum ab hero conſtituendum non eſse, nec miniſterio deſtinandum. Et quò multa in pauca redigam, per eiuſmodi ſolutionem à plurimis ſimilibus ſacrorum voluminum teſtimonijs ſe facili negotio expediuit.

14. Nec minus facilè explicauit hac ratione adducta ex aduerſo dicta SS. Patrum, Ambroſij, Emiſseni, Baſilij, Leonis Magni, affirmantium Epiſcopos, eorumque poteſtatem à Deo eſse. Animaduertit, eos nunquam vſos fuiſse hac voce *proximè*, aliàue idem ſonante: ſed è contrario multos Patrum apertè docere, Epiſcoporum iuriſdictionem eſse à Romano Pontifice. Quod cùm ita eſset, velle ſe ratiocinari, perindè ac ratiocinatus eſt Beſsarion Cardinalis aduerſus Græcos in Synodo Florentina, dicens: Sanctiſſimi, ſapientiſſimique Patres Latini ſcribunt, Spiritum Sanctum à Patre Filioque procedere, num ipſis affigemus anathema? minimè quidem. Neque pariter affigendum illud eſt Græcis Patribus, qui ſcribunt Spiritum Sanctum eſse à Patre, non facta Filij mentione. Quare, ſi neutrum volumus, adhæreamus illi interpretationi, quæ ſola cunctos in concordiam reuocans, eos tueri pôteſt, atque affirmemus, mentem Græcorum non fuiſſe Filium excludere, ſed ſignificare, Spiritum Sanctum à Patre procedere etiam per Filium. Similiter hic res ſe habet, (dicebat Laynius) Patres aliqui pronuntiant iuriſdictionem Eiſcoporum à Deo eſse, alij eſse à Romano Pontifice. Aut neceſse eſt fateri, eos inter ſe repugnare, & ex ipſis plures decipi in articulo tanti ponderis in Eccleſiaſtica Hierarchia, qui ſenſus nec

proba-

probabilis, nec pius eſt: aut oportet ad eos conciliandos, agnoſcendámque veritatem in eo quod vtrique docent, cunctos in hanc ſententiam interpretari, Epiſcopos per Romanum Pontificem à Deo eſse.

15. Negari non poſse, affirmari à multis Sacris Doctoribus, Epiſcoporum poteſtatem à Summo Pontifice deriuari, idque in primis à compluribus præclaris Scholaſticis, quibus tametſi reſponderetur eos in multis rebus erraſse, tamen id cuicumque hominum eſse commune, adeòque per eam reſponſionem ſublatum iri argumentum à quauis humana authoritate deductum. Eos in paucis erraſse, in multis verum aſsecutos, præſertim vbi eorum plurimi concordant. Ipſorum doctrinam, tanquam authorum, doctrina ac pietate præſtantium, ab Academijs magni fieri, & admitti: neque quod dictionis elegantia ipſis deſit, ſententiarum æſtimationem minui. Porrò ex ijs tres in Schola Principes adduxit, & ſingulorum verba ſubinde recitauit; S. Bonauenturam in libro, cui titulus eſt, *Breuilogus*, vbi oſtendit, Romanum Pontificem poteſtatum omnium fontem, originem, ac normam eſse; Durandum ſuper quarto ſententiarem diſt. 24. & S. Thomam ibidem, ac præterea in ſecunda ſecundæ art. 3. quæſt. 39. His addidit nonnullos veterum Patrum, Leonem Magnum adductũ diſt. 19. vbi cùm agatur de commiſſo Apoſtolis munere à Ieſu Chriſto, ſic loquitur: *Sed huius muneris Sacramentum ita Dominus ad omnium Apoſtolorum officium pertinere voluit, vt in Beatiſſimo Petro Apoſtolorum omnium ſummo principaliter collocaret; vt ab ipſo quaſi quodam capite dona ſua velut in corpus omne diffunderet*. Eundem rurſus ſermone tertio de ſua ad Pontificatum aſsumptione, vbi de S. Petro ita dicit: *Si quid cum eo commune voluit eſſe Principibus, numquam niſi per ſeipſum dedit, quidquid alijs non negauit*. Et Magnum Gregorium in capite *Quanto*, diſt. 63. quod ſic incipit: *Quantò Apoſtolica Sedes Deo authore cunctis prælata conſtat Eccleſiis, tantò inter multiplices curas, & illa nos valdè ſollicitat, vbi ad conſecrandum Antiſtitem noſtrum expectat arbitrium*. Quod ſi quid obſtabat huic Gregorij teſtimonio, quoniam ipſe recuſauerit *Epiſcopum vniuerſalem* appellari, reſpondit, obiectum dilui ab Innocentio Tertio, vbi oſtendit, qua ſignificatione Romanns Pontifex dici poſset Epiſcopus vniuerſalis, & quâ non poſset; quemadmodum quidam ex illis Patribus monuerat, eſse illum Romæ Epiſcopum, eique, vtpote tali, poteſtatem ineſse in ſuos Suffraganeos: ineſse quoque Primatum; atque hoc nomine antiquitus exercitam ab eo iuriſdictionem in multis prouincijs, ad eumque delatas complures cauſas Italiæ, Africæ, & aliarum regionum: eſse denique Summum Pontificem, & vt Summum Pontificem eſse vniuerſalem, omnium ſuperiorem. Quare dici ab Innocentio, Summum Pontificem eſse in ſua Romana Eccleſia Epiſcopum, adeòque ſinendum ab ipſo, vt reliqui ſint Epiſcopi in ſuis Eccleſijs: præterea eſse vniuerſalem, cùm ipſi fas ſit audire, & cognoſcere cauſas omnes; ſed fas non eſſe auferre

ſine

ſine cauſa authoritatem Epiſcopis iure cóncellam.

16. Peccare conſecutionem, quam aliqui deducebant. Niſi Epiſcopi à Deo poteſtatem accipiant, non poſſe in Concilio definire; & quod definiunt, fidei dogma non eſſe: nam ſufficere, eam à Pontifice ipſis conferri; atque hinc fieri, legitimam non eſſe Synodum, niſi Summus Pontifex illi conſentiat; & Synodi definitiones eſſe definitiones Dei, quatenus à Romano Pontifice ſunt, cui Spiritus Sanctus aſſiſtit.

17. Adhuc contra afferri: Epiſcopatum eſſe Sacramentum; igitur de Iure Diuino: Sed iuriſdictio ſpectat ad Epiſcopatum; igitur eam pariter eſſe de Iure Diuino. Primam enunciationem complures inficiari, opinatos, Epiſcopatum non eſſe Ordinem Sacramentalem à Sacerdotio diſtinctum; ſed à ſe veram putari: falſam tamen conſecutionem inde confici, propterea quod omne Sacramentum poteſt in eo, qui ipſum ſuſcipit, ſine iuriſdictione perſiſtere. Opponi priſci temporis exemplum, cùm Epiſcopi à Clero populoque eligebantur, & à Primatibus confirmabantur. Sed hinc potius oppoſitum probari; cùm certum ſit Primates non conſtitui proximè à Deo, adeòque huiuſmodi poteſtatem à Summo Pontifice ipſis communicari.

18. Multis efficaciæ non modicæ hanc rationem videri: A veteribus fuit tanquam hæreſis reiecta Aërij Ariani opinio, Epiſcopos Iure Diuino Presbyteris ſuperiores non eſſe. Et Martinus V. in quadam Conſtitutione in Oecumenico Concilio à ſe edita, damnat tanquam hæreſim ſententiam negantem, Epiſcoporum iuriſdictionem iuriſdictioni Presbyterorum ſuperiorem eſſe; & tamen hæreſis aliud non eſt, niſi opinio, quæ Iuri Diuino aduerſetur. Ad hoc ſoluendum dixit, Hæreſim Ariani in eo ſitam quòd omnes Presbyteros ęquales ex Iure Diuino affirmabat; adeòque Summum Pontificem complectebatur, qui Iure Diuino cunctis ſuperior eſt. Quod ſpectabat ad Conſtitutionem Martini, obſeruauit, ab Eccleſia vt hæreticos damnari quoque eos, qui aliquid loquuntur aut faciunt contra Ius Eccleſiaſticum, vbi per id oſtenditur ſententia contraria alicui veritati, quæ ſit Iuris Diuini, & includatur in eo, quod eſt Iuris Eccleſiaſtici. Hac ratione tamquam hæreticos damnari Sacrarum Imaginum contemptores, quia in eo contemptu, Dei ac Sanctorum deſpectus continetur. Igitur tamquam hæreſim refelli ſententiam, negantem iuriſdictionem in Epiſcopis ſuperiorem comparatè ad Presbyteros; per id enim negatur authoritas, quam Iure Diuino ſupremus Pontifex obtinet, qui Epiſcopis maiorem quàm Presbyteris iuriſdictionem impertit.

19. Quæſtionis explicatione, obiectorumque ſolutione ſibi viſus eſt magna ex parte corroboraſſe, ſimulque perſuaſiſſe ſententiam, ſicuti ſæpe contigit: declaratio ſiquidem vim habet ad tribuendam ſpeciem veritatis; ſolutio, ab indicijs falſitatis illam purgandam. Quare breuiter

ter poſtremam partem, hoc eſt, eiuſdem probationes eſt proſecutus, SS. Patres à ſe productos affirmare, iuriſdictionem omnem amitti poſſe ab Epiſcopis, & ipſis auferri poſſe; igitur eam non eſſe ex iure Diuino: etenim quod eſt huiuſmodi, ab humana voluntate ac poteſtate variari non poteſt.

20. Nec valere quorumdam diſtinctionem: Eſse quidem de Iure Diuino Iuriſdictionem Epiſcoporum, ſed à Summo Pontifice ipſis materiam deſtinari, & loca diſtribui, ſicuti Ioſue terras à Deo promiſsas ac donatas, Hebræorum populo diſtribuit. Hinc deduci à Romano Pontifice nihil amplius fieri, quàm fiebat ab Ethnicis magiſtratibus, qui in vno loco Flamines, in alio Archiflamines, alibi Protoflamines collocabant, nullam poſtea in ipſorum munera curam ingerentes. Quin arguit: Si ea iuriſdictio eſset ex Iure Diuino, potius materiam ac Diœceſim Iuris quoque Diuini futuras: quandoquidem iuriſdictio quædam ſpecies eſt reſpectus; omnis autem reſpectus ab ea cauſa, à qua ipſe fit, accipit pariter vt ſuos terminos ſignatè reſpiciat; terminos verò huiuſce reſpectus eſse Superiorem, & ſubditos. Igitur ſi Epiſcopi hanc definitam iuriſdictionem habent à Deo, neceſse foret hos peculiares ſubditos habeant à Deo, & vt falsò dicantur Diœceſes habere à Romano Pontifice, adeòque neque idem poſſit eas illis auferre, aut commutare. Argumentatus inſuper eſt: Si iurisdictionem accipiunt à Deo, aut eam loco terminatam, aut non terminatam accipi: ex altero abſurdum nuper expenſum collectum iri, videlicet non licere Pontifici eam coarctare, ſicuti nec dilatare: ex altero ſecuturum, ipſam ad omnem regionem extendi, ideòque vnicum totius Eccleſiæ Principem non eſſe, ſed tot Principes vniuerſales quot Epiſcopos.

21. Impugnauit poſtea allatam à quibuſdam ſententiam, conceſſum non fuiſſe Romano Pontifici, vt ab Epiſcopis iuriſdictionem auferret, quippe ipſis à Chriſto traditam, ſed iuriſdictionis exercitium, quod à Chriſto non eſt. Quorſum (ait ille) genus quoddam iuriſdictionis prorſus impotentis, & quæ exerceri non poſſet? Chriſto dignum non eſse eiuſmodi donum, quod ex ſe nihil valeat. Et pluribus in pauca redactis verba illa *Paſce oues meas*, aut ſoli Petro, eiuſque Succeſsoribus dicta fuiſse. & hinc palam fieri, plenam ipſi traditam iuriſdictionem in vniuerſam Eccleſiam, ideòque hunc eſse fontem vnicum, ex quo cuncti haurirent; aut dicta fuiſse à Redemptore ſingulis Epiſcopis; & per id ſubtrahi quoque fundamentum affirmandi id quod etiam aduerſarij tamquam neceſsarium fatebantur, vniuerſam huiuſce iuriſdictionis materiam à Chriſto ſubiectam fuiſse Romano Pontifici, & ab eo diſtribuendam peculiaribus Epiſcopis: quamobrem hoc admiſso nihil ſupereſse, in quo firmiter innitatur Eccleſiæ vnitas, & monarchia. Concluſit hanc loquendi ſentiendique rationem; Quod Summus Pontifex ſolam materiam præbeat, eſſe nouam, nec Doctorum probationibus vſur-

E. patam,

patam, ac proinde vti periculoſam eſſe vitandam.

22. Hoc eſt exemplar, quod Lainius in eo conuentu adumbrauit calamo, & quod viuidius colorauit linguâ. Doctrinam autem hic ab eo ſtabilitam, illuſtrauit poſtea copioſius P. Salmeron, eius in Concilio ſocius tom. 12. in Euangelia, per multos tractatus latiſſimè probans, totam poteſtatem iuriſdictionis, quę in Epiſcopis reſidet, à Chriſto deriuari in ipſos mediante Romano Pontifice, poſſeque ab ipſo tolli, & limitari, ſiquidem à pag. 441. vſque ad 532. de hac poteſtate iuriſdictionis diſſerit. Et hanc doctrinam poſtea validè firmauit Bellarmin. lib. 4. de Romano Pontifice cap. 24. & 25. quæ eſt communis inter Theologos Scholaſticos, & Canoniſtas.

§. VI.

Ex doctrina ſtabilita à P. Laynez circa iuriſdictionem Epiſcoporum manifeſtè ſequitur, Papam eſſe ſupra omnia Concilia, ac proinde eius ſententiam, & definitionem in rebus fidei eſſe irreformabilem.

1. Patet illatio: quia ſi Epiſcopi ne ſcintillam iuriſdictionis habent quin eam recipiant à Romano Pontifice; ſequitur manifeſtè dignitatem Summi Pontificis, & Vicarij Chriſti eſſe originem, & fontem totius iuriſdictionis Eccleſiaſticæ: ergo nulla eſt iuriſdictio in Eccleſia diſtincta à iuriſdictione Papali, quę non dimanet immediatè à Sede Petri: veriſſimumque eſt illud effatum S. Leonis in ſerm. 2. ſuæ aſſumptionis ad Pontificatum: *Cum Petrus multa ſolus acceperit, nihil in quemquam ſine illius participatione tranſiit*. Ergo cùm iuriſdictio Concilij non ſit diſtincta à iuriſdictione Epiſcoporum, qui Concilium componunt; ſequitur totam iuriſdictionem Concilij dimanare immediatè à Sede Romana. Atqui implicat vt iuriſdictio dimanans à Sede Romana ſit ſupra Sedem Romanam: ergo iuriſdictio Concilij non eſt ſupra Sedem Romanam, ſed infra. Ergo quando Romanus Pontifex determinat fidei, & morum controuerſias, eius iudicium non poteſt reformari à Concilio, ſed eſt prorſus vltimum, & irreformabile.

2. Quare, quamuis ad defendendam authoritatem infallibilem Romani Pontificis, eiuſque excellentiam ſupra omnia Concilia non ſit neceſſarium aſſerere, poteſtatem iuriſdictionis Epiſcoporum non eſſe immediatè à Chriſto, ſiquidem potuit Chriſtus conferre immediatè per

ſeipſum Epiſcopis iuriſdictionem ſubordinatam ſupremæ iuriſdictioni Romani Pontificis: tamen ex eo quod iuriſdictio Epiſcoporum dimanet immediatè à Romano Pontifice, neceſſariò infertur, iuriſdictionem Concilij eſſe inferiorem iuriſdictione Romani Pontificis, ac proinde Concilium non eſſe ſupra, ſed infra Papam: Vnde Henricus de Gandauo quodlib. 9. quæſt. 22. licet doceat Epiſcopos accipere immediatè iuriſdictionem à Chriſto, nihilominus expreſsè affirmat, quod, ſi conſideremus iuriſdictionis executionem, Papa habet iuriſdictionem limitandi alijs ſuam, & ſibi reſeruandi, ſecundum quod opus ſibi viſum fuerit. Vnde licèt non ſit neceſſaria hæc conſequentia: Papa eſt ſupra omnia Concilia: ergo Epiſcopi non accipiunt immediatè iuriſdictionem à Chriſto: Hæc tamen omninò eſt neceſſaria: Epiſcopi non accipiunt immediatè iuriſdictionem à Chriſto, ſed mediante Romano Pontifice: ergo Papa eſt ſupra omnia Concilia.

§. VII.

P. Alphonſus Salmeron.

1. ALter è primis S. Ignatij Socijs, qui authoritatem Romani Pontificis in Tridentino primùm, & poſtea in ſuis in Euangelia commentarij valide defendit, fuit P. Alphonſus Salmeron, qui tanquam Theologus Pontificius Sanctæ Synodo interfuit; & ideo in catalogo Patrum, qui ad finem Tridentini Concilij habetur, inter Theologos à Pontifice ad Concilium miſſos numerantur P. Salmeron, & Franciſcus Turrianus Doctor Theologus, qui paulò poſt finitum Concilium, Societatem ingreſſus eſt. Vt autem narrat P. Orlandinus prima parte Hiſtoriarum Societatis lib. 6. num. 25. quamuis Patri Laynez pro ea quam gerebat in eo Senatu perſona, princeps deberetur in dicenda ſententia locus, maluit primis Salmeroni delatis, poſtremas ſuſtinere; idque à Legatis vel inuitis extorſit. Glorioſa humilitas, & vt intellectum eſt poſtea, non importuna Concilio: quæ & pectus illud Lainij ſcientia exuberans honeſtiſſimo illi theatro monſtrauit, cùm de ijſdem rebus tot iam Doctorum diſceptatione diſcuſſis, nouo quodam dicendi genere, noua doctrinæ varietate diſſereret; & occultum quaſi iudicem dedit earum rerum, quæ à prioribus diſputatæ, & agitatæ iam eſſent. Multa quippe refellenda ac confutanda, quæ non tam verè quam acutè dicta, multa etiam aperienda ac diſtinguenda fuerunt, quæ minus eſſent exploratè prolata. Itaque quod Lainij ſuaſit humilitas, Legatorum id amplexa prudentia, eam ſibi veluti legem ac canonem in poſterum ſtatuit ad moderandas temperandaſq; ſententias, vt inter Theologos primo loco Salmeron, poſtremo Lainius de re propoſita diſputarent.

Refert

2. Refert Cardinalis Pallauicinus lib. 17. Hiſtoriç Tridentinę cap. 6. num. 1. Legatos Pontificis bis per dies Theologorum cœtum congregaſſe, qui numerum ſexaginta trium complebat: inter eos autem primum locum in dicendo datum fuiſſe Salmeroni. Primo loco, inquit „ num. 2.) locutus eſt Alphonſus Salmeron è Societate Ieſu, eo miſſus, „ vt Pontificis Theologus cum litteris Borromæi, quibus præcelſa tum „ ipſius Borromæi, tum Pontificis de eo exiſtimatio proferebatur. Sen- „ tentia, quam ille dixit, communiter fuit ſeruata, aucto illi pretio ab „ eo condimento quod accedit egregio ferculo, quod menſæ primum „ omnium apponatur. Audiuit P. Salmeron P. Lainium de authoritate Romani Pontificis diſputantem, & ſe accingentem ad loquendum de excellentia Romanæ Sedis ſupra omnia Concilia, quando inter Patres Concilij de hac veritate expreſsè definienda agebatur, in cuius definitionem omnes Patres Concilij exceptis Gallis propenſi admodum erant, vt diximus Diſput. 3. ſect. 16. & ab eo multum ſe profeciſſe Salmeron profitebatur, vt narrat P. Franciſcus Sacchinus in ſecunda parte Hiſtoriæ Societatis in fine. Nec dubium quin ab hoc fonte non pauca hauſerit ex ijs, quæ copioſiſſimè ſcripſit in defenſionem Pontificiæ authoritatis pluribus in locis; in primis tom. 4. parte 3. tract. 2. in illa verba: *Et ego dico tibi, quia tu es Petrus*; & tract. 3. ad illa verba, *Et portæ inferi non præualebunt aduerſus eam*: item tract. 4. ſuper illa verba: *Et tibi dabo claues Regni cælorum* &c. & potiſſimum ibidem tract. 5. in quo demonſtratio fit, Chriſtum Dominum reliquiſſe Eccleſiæ ſuæ vnum Paſtorem vniuerſalem, perpetuum & ſummum, qui eſſet eius Vicarius, eumque certo loco affixiſſe, nempe Romæ, ſeu Romanæ Eccleſiæ. Præterea tom. 9. tract. 46. ad illa verba: *Ait autem Dominus Simoni: Simon, ecce Sathanas expetiuit vos, vt cribraret ſicut triticum: Ego autem rogaui pro te, vt non deficiat fides tua*.

3. Denique copioſiſſimè de hac authoritate tractat tom. 12. per multos tractatus: nam tract. 80. diſſerit de poteſtate Conciliorum relata ad authoritatem Romani Pontificis, neruoſè probans Concilia eſſe infra Papam. Tract. 81. diſſoluit, & refellit argumenta ex ſacris litteris deſumpta eorum, qui Concilij authoritatem ſuper illam Papæ conſtituunt Tract. 82. refellit argumenta, quæ ex traditione Patrum, ac rationum momentis proferri ſolent contra authoritatem Romani Pontificis ſupra omnia Concilia. Tract. 83. diſſerit, quam poteſtatem habeat Eccleſia in eligendo Pontifice, quam rurſus in deponendo, ſi hæreticus exiſtat. Tract. 84. oſtendit Summi Pontificis munus eſſe Concilia generalia ſua authoritate confirmare, Conciliorum verò reuerenter ab eo confirmationem poſtulare.

4. Præterea in eodem tomo 12. latiſſimè tractat de poteſtate iuriſdictionis, validè propugnans doctrinam illam, quam P. Lainius in Concilio Tridentino ſtabiliuit, vt ſupra vidimus; ſiquidem tract. 61. diſſerit,

rit, num poteſtas ſpiritualis, quæ reſidet in Epiſcopis, à Chriſto immediatè deriuetur, ac proinde iuris ſit Diuini, an mediante Romano Pontifice, & conſequenter iuris ſit Eccleſiaſtici. Tract. 62. ſoluit, ac refellit argumenta, quæ contra doctrinam ab ipſo in præſenti tractatu ſtabilitam afferri poſſent. Tract. 63. diſſerit de gemina authoritate Eccleſiæ, Ordinis, & Iuriſdictionis; vbi latè probat, quod Apoſtoli iuriſdictionem ſuam immediatè non à Chriſto, ſed à Petro ſuſceperint. Tract. 64. latè demonſtrat ex Scripturis & Patribus, iuriſdictionis poteſtatem, quę reſidet in Epiſcopis, & alijs Paſtoribus, totam à Chriſto per Summum Romanum Pontificem deriuari. Tract. 65. id ipſum multis rationibus oſtenſiuè explicatius tradit. Tract. 66. multis rationibus ad impoſſibile, hoc eſt ad abſurdum, & inconueniens deducentibus, id ipſum confirmat. Tract. 67. argumenta contraria ab authoritate Scripturæ & Patrum petita refellit. Tract. 68. & 69. argumenta contraria à ratione petita, validè retundit: & per alios quinque tractatus latè diſcutit alias difficultates circa modum, quo hæc poteſtas iuriſdictionis à Chriſto per Papam deriuetur in Epiſcopos.

§. VIII.

Petrus Caniſius.

VOcatus eſt Vir iſte Apoſtolicus in Tridentinum ob inſignem ſapientiam, & res geſtas in Germania. Vt enim referunt Annales Societatis par. 2. lib. 6. num. 74. Tridentum, iam diu expectatus, & obuio etiam miſſo Nuntio feſtinare iuſſus, inſigni omnium gratulatione Idibus ſextilibus anni 1562. ingreditur. Quippe cùm haud facilè alius crederetur de Germaniæ rebus Concilij Patres quàm Caniſius propter diutinum earum vſum poſſe melius edocere: fuit ibi per duos circiter menſes, ſuamque ſententiam inter Theologos magna cum approbatione dixit. Laborauit autem multum in defendenda authoritate Romani Pontificis. Vt enim referunt noſtri Annales par. 2. lib. 7. ann. 44. cùm quidam rerum nouarum ſtudioſi Cæſarem Ferdinandum incitarent, vt aliqua peteret à Concilio circa reformationem Eccleſiæ tractari, quæ non videbantur cum maieſtate, & authoritate Pontificis componi, Caniſius ita pium Imperatoris animum flexit, vt perſuaſerit nefas eſſe tentari aliquid, in quo Pontificis in Concilium minueretur poteſtas; cùm à Chriſto Petrus, & Succeſſores eius, ſumma cum poteſtate eſſent capita conſtituti: & ſequentia inter alia dixit Ferdinando verba: Vides „ in quæ inciderimus tempora? quò redacta ſit apud complures gentes „ Sacroſanctæ Apoſtolicæ Sedis Maieſtas? quàm vbique ad ſeceſſionem „ ruatur, ad contumaciam, ad defectionem ab obedientia Summo Pa-

„ ſtori,

„ ſtori, Vicarioque Chriſti debita. Contra funeſtum hunc tartarei
„ quaſi torrentis impetum, niſi eant boni, ſuaſque opes opponant ij,
„ quorum poteſtas, & authoritas ſumma eſt, ſed potius incumbere eo-
„ dem ſi videantur, actum nimirum de religione, de humana etiam
„ fide, de pace, de ipſa Republica eſt.

2. Rem pro Pontifice apud Cæſarem adeò feliciter geſſit Caniſius, vt Roma cuncta, maximèque Sanctus Carolus Borromæus, eius zelum pro Apoſtolicæ Sedis defenſione celebrauerit: atque ipſe Pontifex cùm ex Cardinali Morono cognouiſset, tanti fecit, vt adeuntem ad ſe Sanctum Franciſcum Borgiam perbenigno amplexu exceperit, perhonorificis verbis commendans res à Caniſio geſtas apud Imperatorem. Hanc autem Romani Pontificis authoritatem poſtea copiosè ſtabiliuit Pater Caniſius in notis ad Euangelium Feſti Sanctorum Apoſtolorum Petri, & Pauli.

§. IX.

Venerabilis P. Ludouicus à Ponte.

1. QVia inter Societatis Scriptores non parùm eminet inſignis Doctor myſticus, & vitæ ſpiritualis Magiſter admirabilis, pietate, & ſapientia valdè illuſtris Venerabilis Pater Ludouicus à Ponte, ſeorſim eius teſtimonium eſt proferendum. Magnus hic Vir & illuminatus Doctor, ſæpe in ſuis operibus authoritatem infallibilem Pontificis, vt rem indubitatam ſupponit, videlicet to. 1. meditationum part. 3. meditat. 20. puncto 5. ad verba illa, *Et ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam*: item tom. 2. part. 5. meditat. 13. puncto 1. dum expendit illa verba, *Paſce oues meas*. Et part. 6. meditat. 36. de prouidentia Dei in Eccleſia fundanda. Eandem infallibilitctem ſupponit tom. 1. de Chriſtiani hominis perfectione in quolibet eius vitę genere, tract. 1. cap. 7. in quo agit de vocatione ad ingrediendam Eccleſiam, fidemque Catholicam profitendam; præſertim §. 1. in quo agit de ſtabilitate, & ſanctitate Eccleſiæ in varijs ſtatibus. Et tom. 2. tract. 4. cap. 5. §. 1. num. 2. in quo agit de ſuperioritate Papæ ſupra omnes Reges. Item tom. 3. tract. 7. cap. 11. §. 1. vbi agit de ſchiſmate: & tom. 4. in quo tractat de Chriſtiana perfectione in omnibus officijs & miniſterijs Hierarchiæ & Reipublicæ Eccleſiaſticæ, cap. 1. cuius titulus eſt:
„ Eccleſiaſticam Hierarchiam inniti Sancto Ordinis Sacramento, &
„ gradus aliquos habere: ibi, num. 3. Quamuis inquit, in ipſo Epiſco-
„ porum ordine ſint etiam aliqui gradus Archiepiſcoporum & Patriar-
„ charum, quos Eccleſia ſancta à Spiritu Sancto edocta inſtituit: ipſe
„ tamen Chriſtus Dominus noſter vnum inſtituit vniuerſalem Pa-

„ trem, ſuum in terris Vicarium, Epiſcopum ſcilicet Romanum, ſancti
„ Petri ſucceſſorem, & caput omnium Epiſcoporum, omnium fidelium
„ Sęcularium, Religioſorum & Eccleſiaſticorum omnium. Quare cùm
„ ipſe Chriſtus hanc dignitatem S. Petro communicaret, prius dixit ei
„ bis: Paſce agnos meos: tertiò vero dixit: Paſce oues meas: intelligens
„ (vt S. Bernardus explicat) per agnos vulgares, Eccleſiaſtici ac Sęcu-
„ laris ſtatus fideles; per oues autem quæ agnorum ſunt matres, intel-
„ ligens Sacerdotes & Epiſcopos, qui filios generant ſpirituales. Et
infra addit, Eccleſiam appellari *terribilem vt caſtrorum aciem ordinatam*, propter vnionem omnium Eccleſiaſticorum cum Ducibus ſuis Epiſcopis, & ſummo Pontifice, qui eſt caput omnium.

2. Eandem authoritatem infallibilem Romani Pontificis agnoſcit in illa illuſtriſſima ſumma Theologiæ myſticæ, cui titulus *Dux ſpiritualis* tract. 2. cap. 9. Sed fuſius hoc priuilegium Romanæ Sedis ſtatuit in duobus tomis expoſitionis moralis & myſticæ in Cantica Canticorum, in quibus ſæpe incidit ſermo de Eccleſia Catholica Sponſa Chriſti, & de eius prærogatiuis & excellentijs: inter quas vna ex præcipuis eſt, quod habeat càput viſibile authoritatis infallibilis, quod ipſam gubernet, vt Monarcha ſpiritualis cum ſuprema authoritate nulli humanæ poteſtati ſubiecta. Imprimis lib. 3. exhortat. ad illa verba, *Si ignoras te ò pulcherrima*, agit de cognitione Eccleſiæ Catholicæ, quæ ſola eſt pulcherrima inter omnes congregationes hominum, & de triplici pœna, quam Deus minatur ijs, qui ignorant ſe, ac bona quæ inter Eccleſiam habent. Vbi probat Eccleſiam Catholicam eſſe tanquam Virginem integram, incorruptam, vni viro deſponſatam Chriſto, eſſe pulcherrimam inter omnes mulieres, quia ipſa ſola ſeruat fidem, nullo errore corruptam, & continet ſanctiſſimam legem, nullo vel minimo peccato vitiatam; & mirabilia dicit de pulcritudine Eccleſiæ Catholicæ, & ad ſo-
„ latium filiorum eius concludit §. 1. Cùm autem conſtans eſſe debeat,
„ Deum tabernaculum habere in terra, vbi habitet inter homines, lo-
„ cumque ſibi delegiſſe vbi eos paſcat, & cum eis cubet in meridie ve-
„ ræ cognitionis, & amoris: etiam conſtans erit & certum, hoc taber-
„ naculum, & hunc locum eſſe tantùm Eccleſiam Catholicam ab ipſo
„ fundatam ſuper Petrum, qui Petrus eſt Chriſti Vicarius, eiuſque ſuc-
„ ceſſores Romani Pontifices, contra quam præualere non poterunt
„ portæ inferi; id eſt, omnes aliæ Synagogæ, ſectæ, dogmata, & hære-
„ ſes, quæ portæ inferi dicuntur, quia per ipſas in infernum intratur,
„ vbi earum ſequaces igne æterno comburentur.

3. Item in eodem tom. 1. lib. 5. exhortat. 38. in qua ad illa verba, *Dilectus meus mihi, & ego illi*, agit de perpetua duratione vnionis Eccleſiæ cum Chriſto vſque ad finem mundi, & in æternum in cælis; Et
„ inter alia §. 1. hæc habet: Eccleſia ergo Catholica certa fide, & intre-
„ pida ſpe dicit: *Dilectus meus mihi, & ego illi, donec aſpiret dies, & incli-*

„ *nen-*

„ *nentur vmbra*, id eſt, vſque ad finem mundi, & quamdiu durauerit
„ lux dierum, & ſucceſſio noctium, & vmbræ ex toto ceſſent; Chriſtus
„ erit vnitus Eccleſiæ, & Eccleſia Chriſto, qui dixit: Ecce ego vobi-
„ ſcum ſum omnibus diebus vſque ad conſummationem ſeculi. Nec
„ ille deſeret Eccleſiam, nec deſeretur ab illa, ille intendet Eccleſiæ,
„ & Eccleſia illi; mutuaque erit vtriuſque ſolicitudo erga alterum, &
„ ſpirituale connubium iudiſſolubile, quod nec diabolus, nec mundus
„ poterit diſſoluere. Scriptum eſt enim: *Super hanc petram ædificabo Ec-*
„ *cleſiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduerſus eam.* Quoniam
„ nec deficiet petra, id eſt Petri ſedes, & ſucceſſores Romani Pontifi-
„ ces, nec congregatio fidelium, quæ illis ſit vnita, nec fides, nec cha-
„ ritas erga Chriſtum, quam poteſtates inferni euertere non poterunt,
„ nec à mundo tollere, quamdiu ipſe fuerit.

4. Præterea tom. 2. lib. 8. exhortat. 18. ad illa verba, *Qualis eſt di-lectus meus ex dilecto*, agit de vera Chriſti cognitione, & à quibus ſit petenda, & probat petendam eſſe ab Eccleſia, & à Petro eiuſque ſucceſſoribus. Et lib. 9. exhortat. 15. ad illa verba, *Naſus tuus ſicut turris Libani, quæ reſpicit contra* &c. agit de virtute prudentiæ & diſcretionis, ad odorandum, & præcauendum mala; & §. 3. probat Romano Pontifici Chriſti Vicario hanc conuenire, ipſumque habere authoritatem infallibilem circa res fidei & morum, ad diſcernendum inter verum & falſum, inter bonum & malum: ſubiungit autem rationem his verbis. Nam
„ cum particulares Doctores deficere aliquando in ijs poſſint, voluit
„ Chriſtus aliquem perpetuò ſuæ Eccleſiæ præeſſe, qui in definiendis
„ quæ circa hæc tenenda ſunt, deficere nequiret, nempe ſucceſſorem
„ Petri, cui dictum eſt: *Ego rogaui pro te ne deficiat fides tua.* Ad
„ quem ſpectat confirmare fratres ſuos, reliquos ſcilicet Epiſcopos &
„ Doctores, Eccleſiæque fideles, & ideo eſt *ſicut turris libani*, id eſt,
„ ſicut firmiſſima turris Chriſti, vel Eccleſiæ, quæ fundata eſt ab ipſo
„ *ſupra firmam petram* in ſupremo doctrinæ & virtutis candore, quæ-
„ que perpetuo reſpicit *contra Damaſcum*, quia nunquam obdormit,
„ ſed oculos habet apertos contra hæreticos fidem euertere nitentes,
„ qui tamen, ſicut nec portæ inferi, præualere poterunt contra hanc
„ turrim.

5. Et libro 9. exhortat. 16. ad illa verba, *Caput tuum vt Carmelus.* Agit de dignitate capitis Eccleſiæ collata Petro, & Romanis Pontificibus ſucceſſoribus eius; & inter alia, ſequentia profert verba §. 3. Præ-
„ ter primum & ſupremum caput Eccleſiæ quod Chriſtus eſt, aliud
„ ipſe vice ſui conſtituit, quod eſt Petrus, cui dixit: *Tu es Petrus, &*
„ *ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam*: Et poſt reſurrectionem:
„ *Petre amas me? paſce agnos meos, & oues meas.* Vnde & mutauit illi
„ nomen cum dixit: *Tu es Simon filius Iona, tu vocaberis Cephas, quod*
„ *interpretatur Petrus.* Cepha autem, qui Syriacè petram ſignificat,

„ vt teſtatur D. Hieronymus, Græce ſignificat caput, vt annotauit
„ Optatus: Mirabili enim prouidentia voluit Chriſtus, eodem nomine,
„ diuerſis idiomatibus, & firmitatem fundamenti Eccleſiæ deſignare,
„ & eius ſupremam capitis authoritatem, in qua ei ſuccedit Romanus
„ Pontifex, vt ſemper Eccleſia, viſibile caput habeat in terris. De hoc
„ igitur dicitur, *Caput tuum vt Carmelus*, ob eius eminentiam ſuper
„ alios: ſiue vt LXX. dicunt, *Caput tuum ſuper te ſicut Carmelus*, id
„ eſt, ego, inquit Chriſtus, conſtitui ſuper te caput, quod erit veluti
„ Carmelus, ſublime & frugiferum membris ſuis: Erit autem caput
„ thiara & diademate coronatum ob Pontificiam dignitatem. Quod
„ ſi vox Carmeli, vt quibuſdam placet, non ſignificat hic montem, ſed
„ coccinum, quomodo ſumitur in 2. Paralipomenon, ſenſus eſt, caput
„ tuum eſt ſicut coccinum ardenti flagrans charitate; nam & Petro ter
„ dictum eſt, amas me? ad denotandum ardentem amorem, quo pol-
„ lere debet qui caput eſt, & alios regit ac paſcit: ſed proprior eſt vſur-
„ patio pro monte Carmeli, quod interpretatur, vt diximus, *ſcientia*
„ *circumciſionis*. Nam caput Eccleſiæ, perfectam debet habere ſcien-
„ tiam & vim ad circumcidendum non ſolum propria peccata, ſed
„ etiam peccata aliorum; cuncta item ſcandala, errores & hæreſes, vt
„ inſtar Eliæ in monte Carmelo circumcidat idololatriam, occidat fal-
„ ſos Prophetas, & populum ad veram fidem reducat.

§. X.

Franciſcus Turrianus.

1. P. Franciſcus Turrianus, omni diſciplinarum genere excellens, Theologus & Philoſophus inſignis, Græcæ linguæ peritia, atque exquiſitarum & reconditarum litterarum cognitione cum paucis comparandus, curioſus antiquitatis indagator, qui celeberrimas totius Italiæ Bibliothecas penè omnes peruolutauit, & quaſi helluo librorum deuorauit, propterea appellatus *Bibliotheca animata*. Qui cùm non vulgaris doctrinæ opinione floreret, & pluribus editis libris ſui admirationem mouiſſet, miſſus eſt à Summo Pontifice ad Concilium Tridentinum tanquam ſuus Theologus, & poſt finitum Concilium Societatem Ieſu ingreſſus eſt anno 1566. & obijt anno 1584. Hic eruditiſſimus Vir infallibilitatem Romani Pontificis latè tuetur in tribus libris de Summi Pontificis ſupra Concilium authoritate; & in opuſculo, cui titulus, *Defenſio locorum Scripturæ* de Eccleſia Catholica, & de eius Paſtore Epiſcopo Romano; & in opuſculo de canonibus 80. Concilij Nicæni, & in alijs opuſculis frequenter.

2. Præſertim libro 3. de dogmaticis characteribus verbi Dei hac habet:

Digitized by Google

„ habet: Chriſtus pro Petro orauit, propter Eccleſiam; quæ ſe ad
„ illum debet tanquam ad caput conuertere, vt vxor ad virum ſuum.
„ Itaque vt illud, quod Dominus à principio dixit: *Propter hoc relin-*
„ *quet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori ſuæ, & erunt duo*
„ *in carne vna*; non de Adam & Eua tantum dixit, ſed idem in futuro
„ de cæteris omnibus legitimis coniugibus dictum eſſe voluit: ſic
„ quod de Petri fide non defectura, & de Eccleſia ſorore & ſponſa ca-
„ ſta firmanda dixit, idem in futuro de vnoquoque ſucceſſore Petri, &
„ de Eccleſia fratrum Catholica ſuſtentanda, & perpetuò ſtabilienda
„ intelligi voluit, ſecundum promiſſionem ſuam de ædificanda Eccleſia
„ ſuper Petrum, quem propter firmitatem fidei nunquam defecturæ
„ Petrum appellauit, vt magni Doctores Gregorius, cognomento
„ Theologus, Baſilius, Cyrillus & alij, quos prætereo, interpretati
„ ſunt. (Et poſt.) Cur Petro ſucceſſerit, & vſque ad conſummationem ſæ-
„ culi perpetuò ſuccedat Epiſcopus Apoſtolicus, reliquis vero Apo-
„ ſtolis non ita (neque enim Alexandriæ Epiſcopus Apoſtolicus Bea-
„ to Marco ſemper ſucceſſit, aut Hieroſolymis B. Iacobo, aut Ioanni,
„ Epheſi) in cauſa eſt, quia Diuina prouidentia ac ſapientiſſimo con-
„ ſilio vnum eſſe voluit Chriſtus totius Eccleſiæ caput, quod ita ſa-
„ num eſſet, vt reliqua corporis ex eo connexi membra, ſanitate firma-
„ re poſſet, ſi ſanis Domini noſtri Ieſu Chriſti ſermonibus, vt Apoſto-
„ lus ait, acquieſcere vellent. Quod quidem effecit, orando pro eo,
„ & pro fide Eccleſiæ Catholicæ, cui præerat. Quam quidem præro-
„ gatiuam vnius capitis ſupra reliqua omnia, quia non conueniebat
„ cum alijs communem eſſe: non ſic pro aliorum fide, neque pro fide
„ Eccleſiarum, quæ eis commiſſæ ſunt, rogauit, ita vt eas ſuper fidem
„ huius, aut illius Apoſtoli ædificaret. Vbi enim, aut quando dixit de
„ Ioanne, aut fide eius: *ſuper hanc Eccleſiam ædificabo Eccleſiam meam*,
„ id eſt Epheſinam? Aut de Marco: *ſuper hanc Eccleſiam ædificabo Ec-*
„ *cleſiam meam*, id eſt, Alexandrinam? in qua Gregorius, Sergius
„ Cappadox, Lucius, Dioſcorus, Timotheus Ælurus, Moggus, & alij
„ hæretici ſederunt. Quare falſum eſt, quod ſcribit Calu. in inſtitut.
„ de fide, cap. 8. art. 23. nunquam apud Græcos interruptam fuiſſe Epi-
„ ſcoporum ſucceſſionem, apud quos tamen (inquit) Eccleſiam eſſe ne-
„ gemus. Falſum, inquam, eſt. Loquimur autem de legitima ſuc-
„ ceſſione Epiſcoporum. Quis enim ignorat, quàm multi præterea
„ hæretici Patriarchæ fuerint Conſtantinopoli (quæ noua Roma ap-
„ pellata eſt, & facta ſimul totius Græciæ Princeps Eccleſiæ) Macedo-
„ nius, Acatius, Sergius, Pyrrhus, Paulus, Petrus, Anaſtaſius, & alij?
„ Hieroſolymis vero Ioannes Origeniſta, Saluſtius, Arſenius, Hera-
„ clius, Hilarius; Antiochię Paulus Samoſatenus, Eulalius, Euzoius,
„ Ioannes, Domnus, Petrus Gnapheus, Macarius. Poſt autem co-
„ pioſè exponit, Papam Romanum per vniuerſas Eccleſias Catholico-

ſum in cuncto orbe, velut nouum Aaronem eſſe: cęteros autem Epiſcopos, velut filios Aaronis exiſtere. Et quę pręterea ſequuntur.

§. XI.

Cardinalis Toletus.

1. FRanciſcus Toletus S. Romanæ Eccleſiæ Cardinalis, quem Sixtus V. & Gregorius XIII. Romani Pontifices in litteris Apoſtolicis ad ipſum datis magnis laudibus extollunt, & quem Doctor Nauarrus *excellentem Sacræ paginæ Doctorem, & acerrimum Gymnaſtam, Eccleſiaſtem cum primis Vrbis & Orbis ſuſpiciendum* appellat: authoritatem Romani Pontificis infallibilem, eiuſque ſupra omnia Concilia excellentiam defendit, in Commentarijs in caput 21. S. Ioannis ad illa verba, *Paſce oues meas*, & in ſumma lib. 1. cap. 7. num. 2. & in Commentarijs in ſummam D. Thomæ, quæ in Romani Collegij Bibliotheca aſſeruantur.

2. Enumerat huiuſmodi Commentaria vltimo loco, dum numerat ſcripta Toleti P. Philippus Alegambe in Bibliotheca ſcriptorum Societatis. Sunt autem commentaria iſta manu ipſius Cardinalis deſcripta & repoſita in Bibliotheca ſecreta inter alia eximia manuſcripta. Hæc commentaria ipſe intitulauit, *Enarrationes ſummæ Theologiæ D. Thomæ:* Et commentarijs in ſecundam ſecundæ hunc præfixit titulum. *Secundæ ſecundæ partis S. Thomæ enarratio.* In hoc tomo, quem ego vidi, circa articulum decimum quæſtionis primæ, in quo S. Thomas, inquirit: *An ad Romanum Pontificem pertineat editio Symboli?* Octo excitat controuerſias, de Eccleſia, de Concilio, & de Papa. De Eccleſia excitat quatuor: tres de Concilio, & vnam de Papa; & in vna quaque varias ſtatuit concluſiones. Prima controuerſia de Eccleſia, *An mali homines & peccatores ſint de corpore Eccleſiæ?* Secunda. *An Eccleſia ſit vna.* Tertia. *An ſit viſibilis?* Quarta. *An poſſit errare in ijs quæ ad Religionem Chriſtianam ſpectant?* Præmiſſis autem Concluſionibus; quibus tres priores controuerſias de Eccleſia reſoluit, quia ad noſtrum ſcopum non faciunt; duntaxat proponam eas, quas excitat circa reliquas controuerſias. Illas autem hic breuiter appendam; quia cum Cardinalis Toletus ſit vir tantæ authoritatis, & iſta eius commentaria in ſummam S. Thomæ typis vulgata non ſint: gratum lectoribus erit ſcire, quid Magnus hic Theologus in hac materia docuerit.

3. Circa quartam controuerſiam de ECCLESIA, ſequentes ſtatuit Concluſiones; quas cum reliquis ex illius manuſcriptis excerpſi.
„ Prima Concluſio. *Fides non poteſt* deeſſe vllo tempore ab Eccleſia;
„ ideſt, non poteſt deleri à cordibus fidelium ita vniuerſaliter fides
„ viua & vera per aliquod tempus, quin in eo maneat fides hæc ſal-

tem

tem in aliquibus, & hoc à principio Mundi, vſque ad finem. Hæc Concluſio eſt de fide &c.

Secunda Concluſio. *Vniuerſalis* Eccleſia in fidei dogmate errare non poteſt. Huius Concluſionis duplex eſt ſenſus; alter eſt; Quod vniuerſalis Eccleſia tenet tanquam dogma de fide, eſt de fide: alter eſt, quidquid tenet Eccleſia, non eſt contra fidem: vterque ſenſus eſt verus, & vterque in concluſione affirmatur. Quæ quidem concluſio eſt Catholica.

Tertia Concluſio. *Quod vniuerſi* Epiſcopi, & Prælati tenent, vt de fide, eſt etiam de fide, nec poſſunt errare.

Quarta Concluſio. *Non ſolum Eccleſia*, quæ fuit temporibus Apoſtolorum, ſed quæ modo eſt, aut erit vſque in Mundi finem, habet hanc infallibilitatem, & authoritatem circa fidei dogmata.

Quinta Concluſio. *Sicut Eccleſia* non poteſt errare in dogmate fidei; ſic nec in his, quæ ad mores vniuerſorum fidelium ſpectant. Explico, duo ſunt neceſſaria, quæ ad Religionem Chriſtianam pertinent, Fides & recta opera, ſicut ergo Eccleſia non poteſt decipi in ijs, quæ ad fidem ſpectant, ſic nec in his, quæ ad mores, vt recipiat malum pro bono, & vitium pro virtute, aut è contra: iſta concluſio eſt etiam de fide; quam omnes Doctores ſequuntur.

Sexta Concluſio: *Eccleſia non poteſt* errare in Canonizatione Sanctorum.

4. Quinta Controuerſia De AVTHORITATE CONCILIORVM continet præliminaria ad controuerſiam de Concilijs, vbi explicat, quid ſit Concilium, & quotuplex, quibus de cauſis congregetur, & quæ perſonæ ad ipſum conuocandæ ſunt.

Sexta Controuerſia, eſt de Conciliorum authoritate, an poſſint errare, in fidei dogmatibus determinandis? in qua ſequentes ſtatuit, & probat concluſiones.

Prima Concluſio. *Concilium* legitimè congregatum, & generale totam Eccleſiam, repræſentat: Voco legitimè congregatum, quoniam authoritas Summi Pontificis ipſum congregãtis intercedit. Iſta Concluſio eſt de fide, quam hæretici nolunt recipere.

Secunda Concluſio: *Concilium* generale Summi Pontificis authoritate conuocatum & confirmatum, non poteſt errare in his, quæ fidei, & morum ſunt. Iſta Concluſio eſt Catholica, & contraria eſt hæretica.

Tertia Concluſio *Concilium* generale confirmatum à Romano Pontifice, quamuis ab initio non fuerit eius authoritate congregatum, non poteſt etiam errare in fide. Hæc Concluſio eſt etiam Catholica.

Quarta Concluſio *Concilium* generale authoritate Romani Pontificis non congregatum, nec confirmatum, poteſt in fide errare; non enim tunc eſt legitimum, ſed acephalum, & ſine capite.

Quin-

„ Quinta Concluſio. *Concilium* conuocatum quidem à Summo Ponti-
„ fice, non tamen eius authoritate confirmatum, poteſt errare in fide, &
„ de facto errauit.

„ Sexta Concluſio *Concilium* particulare, ſiue Prouinciale, ſiue Sy-
„ nodale, ſeu Diœceſanum non confirmatum à Papa, poteſt errare in
„ fide.

„ Septima Concluſio *Concilium* particulare authoritate Papæ confir-
„ matum, errare non poteſt in fide, ſed firmam, & infallibilem habet
„ authoritatem.

In Septima Controuerſiâ inquirit, An Concilium, quod non eſt immediatè à Pontifice confirmatum, poſſit errare in fide v. g. Concilium generale, in quo legati adſunt Pontificis, & vnanimes determinant dogmata, an tale Concilium poſſit errare, niſi ſit à Papa immediatè confirmatum?

Circa hanc ſequentes ſtatuit, & probat Concluſiones.

„ Prima Concluſio. *Concilium* generale, in quo Legati Pontificis re-
„ clamant, & non ſunt concordes cum alijs Patribus, poteſt errare ante
„ confirmationem Pontificis: in hac concluſione omnes conueniunt.

„ Secunda Concluſio. *Concilium* generale, in quo *Legati dicunt contra*
„ *informationem* (ſeu inſtructinem) *acceptam à Pontifice, poteſt errare.*

„ Tertia Concluſio. *Concilium generale, in quo Legati Pontificis adſunt,*
„ *& dicunt,* quod à Pontifice accipiunt, non poteſt errare in fide.

„ Quarta Concluſio *Concilium*, in quo Legati non dicunt iuxta infor-
„ mationem Pontificis, quia eam non acceperint, ſi non omnes Patres
„ conueniant in vnam, & eandem ſententiam, poteſt errare.

„ Quinta *Concilium* generale, in quo omnes Patres conſentiunt cum
„ Legatis huiuſmodi, etiam ſine immediata Pontificis confirmatione
„ non poteſt errare.

5. In octaua tandem controuerſia, de AVTHORITATE ROM. PONTIF. inquirit, *An Romanus Pontifex ſolus extra Concilium poſſit errare in definiendis rebus fidei, & morum?* & ad reſolutionem controuerſiæ ponit, tuetur, & probat ſequentes Concluſiones.

„ Prima, *Petrus Apoſtolus fuit à Chriſto Domino conſtitutus vniuerſalis*
„ *Paſtor Eccleſiæ totius ſupra omnes alios etiam Apoſtolos. Iſta Concluſio eſt*
„ *de fide, & oppoſitum eſt hæreticum.*

„ Secunda Concluſio. *Petrus tradens ouibus ſuis fidem, & ea quæ cre-*
„ *denda & facienda ſunt per mores determinans, non poterat er-*
„ *rare.*

„ Tertia Concluſio. *Iure Diuino ſemper eſt in Eccleſia vnus, qui ſuc-*
„ *cedat Petro in eadem poteſtate, & authoritate. Iſta eſt Concluſio Catho-*
„ *lica.*

„ Quarta, *Romanus Epiſcopus, qui dicitur Papa, eſt proprius, &*
„ *legitimus Diuino iure Petri Succeſſor, & Chriſti Vicarius.*

Quin-

Digitized by Google

„ Quinta Concluſio. *Romanus Pontifex in iudicio Fidei, & morum, ideſt*
„ *dum determinat iudicialiter credenda, aut per mores facienda, non poteſt*
„ *errare. Non eſt iſta Concluſio opinatiuè tenenda, ſed oppoſita eſt apertus er-*
„ *ror in fide; & dicit Cano bene, ſe non dubitare, ſi in Concilio proponere-*
„ *tur, quod damnaretur vt hæreſis.*
„ Sexta. *Papa vt perſona quædam eſt particularis poteſt errare; & eſſe*
„ *hæreticus*, & ſtatim addit: *Aduerte, quod Papa dum iudicat de re fidei,*
„ *& fert ſententiam proponendo alijs vt credant, non poteſt errare, vti dixi-*
„ *mus, tamen vt homo particularis eſt, & ſuas habet opiniones, poteſt erra-*
„ *re, imò & in hæreſim labi. Iſta eſt communiſſima ſententia Theologorum, &*
„ *Iuriſtarum.* Omnes prædictas concluſiones habet Toletus iiſdem ipſiſſimis verbis loco citato.

§. XII.

Alij Cardinales Societatis.

1. CArdinalis Robertus Bellarminus, non minus vitæ probitate, quam purpura & ſapientia illuſtris, quem nominaſſe abunde laudaſſe eſt, lib. 4. de Romano Pontifice, & toto lib. 1. & 2. & lib. 2. de Concilijs à cap. 18. infallibilitatem Romani Poutificis in rebus fidei & morum, atque eiuſdem ſupra omnia Concilia poteſtatem egregie propugnat.

2. Cardinalis de Lugo diſp. 20. de fide, ſect. 3. num. 109. vbi docet Romanum Pontificem non poſſe errare in decretis morum, quia ſi Pontifex loco virtutis præciperet vitium, fideles qui obedire tenentur Pontifici, deberent credere vitium eſſe bonum, vt illud honeſtè amplecterentur, & errarent omnes; quod eſt impoſſibile. Item diſp. 1. ſect. 13. num. 277. vbi ait: Petrum & ſucceſſores eius confirmatos eſſe in fide ſaltem docenda & tradenda: & num. 327. vbi ait, viſibile caput Eccleſiæ, nempe Papam eſſe regulam fidei & veritatis, quam Eccleſia in fide ſequitur, & ſequi omnino debet, eius doctrinam & definitiones amplectendo.

3. Cardinalis Sfortia Pallauicinus in tractatu de fide, & in Hiſtoria Tridentini pluribus in locis.

4. Cardinalis Eucrardus Nitardus in examine Theologico pro immaculata Virginis Conceptione par. 2. vbi viginti quatuor argumentis probat ſententiam piam poſt Bullam Alexandri VII. habere infra fidem gradum certitudinis Theologico-Metaphyſicum; ſiquidem omnia iſta fundat in hoc principio firmiſſimo, quod Romanus Pontifex non poſſit errare in decretis fidei & morum.

§. XIII.

§. XIII.

Quatuor prima lumina Societatis in Theologia Scholaſtica, Suarez, Vaſquez, Molina, Valentia.

QVatuor iſti Doctores ſunt primarij Societatis Magiſtri, qui in facultate Theologica illam ſtatim in ſui principio maximè illuſtrarunt. Ex ijs vero duo, P. Franciſcus Suarez, quem Paulus V. Pontifex Maximus, datis ad eum quaternis litteris Apoſtolicis, *Doctorem eximium* appellauit. & P. Gregorius de Valentia, qui in Germania 24. annorum ſpatio Hæreticos voce & ſtylo acerrimè eſt inſectatus, nec vllo loco paſſus conſiſtere, quem Clemens Octauus Pontifex Maximus, qui illum olim audierat, cum Romæ aſſiſteret controuerſijs de auxilijs, *Doctorum Doctorem* nuncupauit, vt refert Adamus Contzen lib. 5. Politicorum cap. 1. copioſius de authoritate Romani Pontificis ſcripſerunt.

§. XIV.

P. Gregorius de Valentia.

P. Valentia volumine ingenti controuerſiarum, in Analyſi Fidei Catholicæ octo libris comprehenſa, in qua de Eccleſia, de Romano Pontifice, de Traditionibus, & de Concilijs diſputat, fusè infallibilitatem Romani Pontificis, eiuſque ſupra omnia Concilia excellentiam defendit: & tom. 3. Curſus Theologici in prima diſputatione generali de Fide, vſque ad pag. 475. iterum copiosè eandem doctrinam tractat; adeoque certum putat Romanum Pontificem habere authoritatem infallibilem ad decidendas fidei & morum controuerſias, vt diſput. illa de fide quæſt. 1. punct. 7. §. 41. colum. 246. dicat authores contra ſentientes errare grauiſſimè: & adeo certum putat Papam eſſe ſupra Concilia omnia, vt eo punct. 7. §. 45. diſertè pronuntiet, *eos, qui Concilium Pontifice ſuperius faciunt, pugnare reuera, licet inaduertentes, cum certiſſimâ fide de D. Petri, ac Romani Pontificis primatu.*

§. XV.

P. Vazquez.

P. Gabriel Vazquez, vir acutiſſimi ingenij, atque exquiſitæ lectionis, & in perueſtigandis, atque eruendis Sanctorum Patrum reconditis ſententijs ſummæ diligentiæ, quem Baſilius Ponce de Leon Ordinis Sancti Auguſtini lib. 5. de matrim. cap. 7. numer. 6. *Theologorum huius ætatis facilè principem* appellat. Is inquam tom. 2. in 1. 2. diſput. 178. num. 3. promiſit ſe latè probaturum 2. 2. qu. 1. art. 1. excellentiam Romani Pontificis ſupra omnia Concilia, eiuſque infallibilitatem: ſed morte præuentus commentaria in ſecundam ſecundæ non ſcripſit, nec pro dignitate tractauit has controuerſias: nihilominus ea diſput. 178. num. 3. docet, Papam eſſe ſupra Concilium, ac proinde poſſe reuocare legem latam ab ipſo Papa cum Concilio generali: & diſput. 152. cap. 3. ſupponit tanquam indubitatum, Romanum Pontificem ſuccedere Petro in plenitudine poteſtatis ferendi leges pro tota Eccleſia, cui omnes obedire teneantur; ac proinde leges obligantes Concilia, vt contradiſtincta ab ipſo Papa; quæ ipſi ſubijci debent, ſicut totum corpus ſubijcitur capiti: item Papam eſſe ſupra Concilium docet tom. 4. in 3. parte, quæſt. 90. art. 1. dub. 5. num. 14. & quæſt. 93. art. 1. dub. 2. numer. 42. Ex quo manifeſtè ſequitur, eſſe authoritatis infallibilis ad determinandas fidei, & morum controuerſias, vt ſæpe aduerti. Item in expoſitione Bullæ Pij V. contra errores Michaelis Baij.

§. XVI.

Ludouicus de Molina.

1. P. Ludouicus de Molina in ſex tomis de iuſtitia & iure, quoties ſe obtulit occaſio, authoritatem Romani Pontificis egregiè propugnauit: „Qui tomi tantæ ſunt authoritatis, tantęque æſtimationis in tribunalibus, & apud iuriſtas, vt ſine adminiculo aut copia aliorum doctorum afferant lumen veritati, deciſionem cauſis, terminum litigijs, inquit Silueſter Maurolicus lib. 5. oceani Religionis.

2. Defendit itaque hanc authoritatem infallibilem Romani Pontificis P. Ludouicus de Molina tom. 1. de iuſtitia & iure tract. 2. diſp. 21. vbi agit de ciuili & Eccleſiaſtica poteſtate. Poſtquam enim præmiſit Eccleſiaſticam poteſtatem fuiſſe, & eſſe in Chriſto ſecundùm excellentiam, Sacramentiſque minimè alligatam, quia data eſt illi omnis poteſtas

Digitized by Google

„ in cælo & in terra &c. ſubiungit. Hanc autem poteſtatem reliquit
„ Chriſtus in Eccleſia, Sacramentis tamen, certiſque quibuſdam legi-
„ bus alligatam. Reliquit verò illam non omnibus de Eccleſia, ſed
„ Petro ipſius Vicario, reliquiſque Petri ſucceſſoribus, tanquam capiti
„ loco ſui, à quo tota dependeat. Matthæi namque 16. Petro pecu-
„ liariter promiſit claues regni cælorum, quæ hanc important poteſta-
„ tem. In Petro item tanquam in capite, & Vicario loco ſui, promiſit
„ ibidem ſe fundaturum ſuam Eccleſiam, aduerſus quam portæ inferi
„ non præualerent: id quod poſt reſurrectionem Ioan. 21. opere ad-
„ impleuit.

3. Poſtea verò columna 109. aſſignat varias differentias inter pote-
ſtatem Eccleſiæ Chriſtianæ reſidentem in Pontifice Romano, & pote-
„ ſtatem Regum: & poſt alias differentias ſubiungit. Tertiò differt,
„ quòd poteſtas Summi Pontificis non ab Eccleſia, ſed à Chriſto in
„ Eccleſia eſt inſtituta, tametſi illius applicatio ad hanc vel illam per-
„ ſonam ex electione Eccleſiæ pendeat: quare de iure diuino eſt poſi-
„ tiuo. Poteſtas vero laica Principum ſecularium de iure eſt humano,
„ à Republica ipſa inſtituta, & collata Principi, vt diſputatione ſe-
„ quenti erit manifeſtum. Quartò differt, quòd poteſtas Summi Pon-
„ tificis eſt vna in vniuerſo orbe: poteſtas verò Principum ſecularium,
„ niſi iure belli, aut legitima ſucceſſione, vel conſenſu ipſarummet
„ Rerumpublicarum, quę vnum communem Principem habeant, multi-
„ plicatur pro diuerſitate Rerumpublicarum ſibi Principem eligen-
„ tium. Vt enim Chriſtus vnicum eſt caput totius vniuerſalis Eccle-
„ ſiæ; ſic decens, expediensſque fuit, Summum Pontificem, quem caput
„ & Vicarium ſuum Chriſtus in terris relinquebat, vnicum conſtitui.
„ Adde cùm fides ſit vna, nullam varietatem admittens, expedientiſſi-
„ mum fuiſſe multiplicatis rebus credendis, vnicum caput conſtitui,
„ quod ex cathedra, quæ Spiritus Sancti aſſiſtentiam ad id haberet in-
„ fallibilem, controuerſias circa fidem exortas dirimeret, quatenus fi-
„ dei & Eccleſiæ vnitas, paxque inter fideles meliùs conſeruarentur.
„ Atque hæc eſt ratio, ob quam in ſtatu legis naturæ, quando admo-
„ dum pauca hominibus erant propoſita ad credendum explicitè, con-
„ ſtitutus non fuerit vnus ſummus Sacerdos, qui toti præeſſet Eccleſię;
„ In Synagoga tamen, & multò magis in Eccleſia Chriſti, multiplica-
„ tis rebus explicitè credendis, conſtitutus fuerit vnus ſummus Sacer-
„ dos, cui cæteri ſubeſſent, tenerenturque obedire.

4. Præterea idem P. Molina tom. 6. de iuſt. tract. 5. diſp. 4. probat iuriſdictionem totam Eccleſiæ in Summo Pontifice reſidere, ab eoque in cæteras poſtea Eccleſias deriuari Eccleſiaſticam iuriſdictionem. Hinc autem manifeſtè infertur iuriſdictionem Concilij generalis deriuari à Romano Pontifice, ac proinde Concilium eſſe infra Papam, & penes hunc eſſe iuriſdictionem ſupremam ac inappellabilem, ac proin-

de

de infallibilem in controuerſijs fidei determinandis. Verba huius Doctoris ſunt quæ ſequuntur: Dicendum eſt (vt ex parte in materia de fide quæſt. 1. art. 10. fuit à nobis dictum) in ſequenti ſenſu iuriſdictionem totam Eccleſiæ reſidere in Summo Pontifice, & ab eo in reliquas Eccleſiaſticas poteſtates deriuari. In primis, quòd in totum Eccleſiæ corpus, & in ſingula Eccleſiæ membra iure diuino plenam habet poteſtatem, quam Chriſtus Petro, & in illo ſummis omnibus Pontificibus illius ſucceſſoribus Matt. 16. promiſit, ac Ioann. 22. tradidit, dum illi dixit: Paſce agnos & oues meas, nullam excipiendo, ſed totius ſui ouilis curam plenam abſque vlla limitatione ac coarctatione illi tribuendo. Quo fit, vt nullus de Eccleſia exemptus eſſe poſſit à iuriſdictione, legibus, regimine, ac poteſtate Summi Pontificis.

5. Deinde, quoniam à Summo Pontifice iuriſdictio tota deriuatur, tam in conſcientiæ, quam in exteriori foro, in reliquas Eccleſiæ poteſtates ipſi ſubordinatas, vt in Patriarchas, Archiepiſcopos, Epiſcopos, Parochos, Prælatos omnes religionum, & in quoſcumque alios iudices, ac ſuperiores Eccleſiaſticos. Atque hoc non ſolum, quòd poſt Apoſtolos ad ipſum ſolum pertineat diuidere totum Eccleſiæ corpus in Patriarchatus, metropoles, diœceſes, & Parochias, præſcribereque Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, ac Parochis, quantum iuriſdictio vniuſcuiuſque eorum quoad ſubditos ſe extendere debeat, & quod ad ipſum ſpectet, poſtquam eo modo totum Eccleſiæ corpus diuiſerit, iterum diœceſes vnire aut parochias, vel iam diuiſas partiri adhuc in plures, vt expedire iudicauerit: Sed etiam quòd ad ipſum attineat creare ac conſtituere Patriarchas, Archiepiſcopos, Epiſcopos, parochoſque omnes; atque adeò ipſe eſt, qui illis tribuit, & à quo accipiunt iuriſdictionem: per conſequens autem, qui ab his ita creatis iuriſdictionem quamuis accipiunt, pro poteſtate ad illam concedendam, quæ eorum cuique conuenit, mediatè illam à Summo Pontifice accipiunt. Cùm verò ad Summum Pontificem quoque pertineat Religiones approbare, earumque Superioribus iuriſdictionem in ipſis ſubditos conferre; & denique quoſcumque alios Iudices Eccleſiaſticos in Eccleſia mediatè, vel immediatè conſtituere, eiſque omnibus iuriſdictionem conferre; conſequens profectò eſt, vt ab ipſo, tanquam à fonte iuriſdictio tota Eccleſiæ, quæ in alijs omnibus Eccleſiaſticis poteſtatibus eſt, emanet ac deriuetur, ab ipſoque tota dependeat.

6. Et poſtea num. 5. ſubiungit: Præterea in hoc ſenſu tota Eccleſiæ iuriſdictio reſidet in ſummo Pontifice, ab eoque in alios deriuatur, pendetque ab eo, quod ſummus Pontifex ex cauſa reſtringere iuriſdictionem poteſt reliquis, quin & illos iuriſdictione tota interdum priuare, vt expedire iudicauerit. Et quòd à quocumque Iudi-

„ ce ac ſuperiore fas eſt in quacumque cauſa ac grauamine appellare
„ ad ſummum Pontificem, tanquam ad ſupremam poteſtatem, à qua
„ omnes aliæ pendent; & cui ſubijciuntur.

§. XVII.

P. Franciſcus Suarez.

1. EXimius Doctor P. Franciſcus Suarez in illuſtriſſimo illo opere Defenſionis fidei aduerſus Regem Angliæ multis in locis, præſertim lib. 1. cap. 5. latè probat priuilegium infallibilitatis conceſſum à Chriſto Petro, & ſucceſſoribus eius. Et lib. 3. cap. 18. num. 7. tanquam omnino verum ſtatuit, in Concilio generali nullam eſſe iuriſdictionem immediatè à Chriſto collatam; ac proinde dum legitimus & indubitatus Pontifex viuit, ab illo pendere Concilij generalis iuriſdictionem, ac per conſequens Concilium eſſe infra Papam. Et num. 9. aſſerit, planè erraſſe Concilium Baſilienſe, dum definiuit Concilium eſſe ſupra Papam. Et lib. 4. cap. 9. in fine docet Epiſcopos non recipere immediatè à Chriſto iuriſdictionem, ſed mediante Romano Pontifice.

2. Eandem infallibilitatem latè defendit tom. de Fide, diſp. 5. ſect.
„ 8. num. 4. vbi ponit hanc aſſertionem: Veritas Catholica eſt, Ponti-
„ ficem definientem ex cathedra eſſe regulam fidei, quæ errare non
„ poteſt, quando aliquid authenticè proponit vniuerſæ Eccleſiæ tan-
„ quam de Fide diuina credendum. Ita docent hoc tempore omnes
„ Doctores Catholici, & cenſeo eſſe rem de fide certam.

3. Præterea diſp. 10. ſect. 2. latè probat, poteſtatem & dignitatem ſummi Eccleſiæ Paſtoris, quæ in Petro fuit, in Epiſcopo Romano permanere per continuam ſucceſſionem. Et ſect. 3. latè oſtendit, Romanum Epiſcopum iure Diuino ex Chriſti Domini ſcilicet inſtitutione, eſſe vniuerſalem Pontificem Eccleſiæ; ac proinde Summi Pontificis authoritatem non eſſe ab hominibus introductam, nec illam accipere Romanum Epiſcopum ab Eccleſia.

4. Idem docet diſp. 11. & tom de legibus lib. 4. cap. 4. num. 11. probat, poteſtatem legislatiuam in vniuerſam Eccleſiam à Chriſto immediate Summo Pontifici dari ex vi inſtitutionis eius. Et cap. 6. vbi probat Concilium generale etiam legitimè congregatum ſub obedientia Papæ non habere poteſtatem obligandi per ſuas leges, priuſquam à Papa confirmetur. Et reddit rationem, quia Concilium congregatum ſub obedientia Pontificis, non habet immediatè ex iure diuino iuriſdictionem ſuper vniuerſam Eccleſiam; nullibi enim illi conceſſa legitur, ſed Petro tantùm: ergo tantum iuriſdictionis habet, quantum illi à Papa conceditur; ſed Papa non dat authoritatem Concilio ad ferendas

leges

leges obligantes, priuſquam ab ipſo confirmetur, vt ex vſu conſtat: ergo &c.

5. Idem docet eodem cap. 4. num. 2. & 5. dum ſtatuit Epiſcopos habere poteſtatem legislatiuam in ſuis Diœceſibus iure ordinario humano, fundato aliquando in diuino, ac proinde hanc poteſtatem legislatiuam dari non immediatè à Chriſto, ſed per ſummum Pontificem.

6. Docet etiam tom. 4. in 3. parte, ſeu tomo de Pœnitentia diſp. 25. iuriſdictionem quidem Epiſcopalem vt ordinariam, & ex officio ſaltem in communi eſſe à Chriſto Domino inſtitutam, & præceptam, quia Chriſtus Dominus inſtituit, vt Petrus & ſucceſſores eius Eccleſiam per Epiſcopos gubernarent, eoſque in partem ſolicitudinis aſſumerent; nihilominus iuriſdictionem non dari Epiſcopis immediatè à Chriſto, & ex vi conſecrationis, ſed per Romanum Pontificem, & in hoc ſenſu non habere illam diuino: ſed humano iure. Vbi aſſignat manifeſtam diſparitatem inter iuriſdictionem Summi Pontificis, & aliorum Epiſcoporum. Nam licèt Papa habeat iuriſdictionem Papalem, non ratione „ conſecrationis, ſed ratione muneris: tamen electores Pontificis (in„ quit Eximius Suarez ea diſp. 25. n. 11.) non præbent munus, ſed de„ ſignant perſonam, cui Chriſtus ipſe immediatè ſuas vices committit: „ ſummus autem Pontifex verè confert inferioribus Epiſcopatus tan„ quam ſupremus diſpenſator, ſicut confert alia Eccleſiaſtica beneficia. „ Et hinc eſt, vt Pontifex ſemel electus non poſſit per hominem ſua po„ teſtate priuari, neque integrè, neque ex parte, quia non habet illam „ ab hominibus, ſed à Chriſto: Epiſcopi autem poſſunt per Pontificem „ priuari, aut transferri, & iuriſdictio eorum poteſt limitari, prout Ec„ cleſiæ fuerit expediens. Vnde etiam eſt alia manifeſta differentia: „ nam iuriſdictio Pontificia ex diuina inſtitutione certa, & immutabi„ lis eſt: iuriſdictio autem Epiſcopalis ex vi ſolius iuris diuini non ha„ bet certum modum aut terminum, ſed per Pontificem tacitè, vel „ expreſsè modum, & determinationem recipit. Hoc ergo eſt ſignum „ manifeſtum, iuriſdictionem hanc eſſe immediatè ab homine: ſicut de „ alijs ritibus Eccleſiaſticis ſuperiori tomo diximus.

7. Docet vlteriùs tom. 5. in 3. partem, qui eſt de cenſuris diſp. 2. ſect. 2. num. 2. vbi ait, neceſſariò dicendum, poteſtatem inſtituendi „ cenſuras propriè apud ſolum ſummum Pontificem reſidere. Ratio eſt, „ inquit, quia cenſuræ ſunt veluti quidam ritus generales vniuerſæ „ Eccleſiæ, quibus vti debent particulares eius Paſtores ad coërcendos „ ſubditos inobedientes. Nam licèt vſus, ſeu applicatio cenſurarum „ diuerſus eſſe poſſit in diuerſis Epiſcopatibus quoad particulares eo„ rum leges, vel mandata, iuxta varia hominum iudicia, & arbitria; „ tamen forma (vt ita dicam) cenſuræ, quæ imponitur, in vniuerſa Ec„ cleſia eadem eſt. Neque enim alijs cenſuris vtitur, aut vti debet,

„ vel

„ vel poteſt Eccleſia Hiſpanica, alijs Gallica, & ſic de alijs: ſed omni-
„ bus eadem regula, & forma eſſentialis in cenſuris ferendis ſeruanda
„ eſt, alioqui & magna eſſet confuſio in Eccleſia, & nihil firmum &
„ certum poſſent Iura Canonica de cenſuris ſtatuere.

„ 8. Et poſtmodum ſubiungit: Sub Pontifice autem generale Con-
„ cilium comprehendimus; quia vt illius leges vniuerſalem Eccleſiam
„ obligent, authoritatem Pontificis illud congregantis, & confirman-
„ tis requirunt. Et ita ſimpliciter loquendo, in ſolo Pontifice ſummo
„ eſt poteſtas inſtituendi ritus vniuerſales toti Eccleſiæ, præter Sacra-
„ menta, vt in ſuperiori tomo attigi, diſputando de Sacramentalibus
„ in genere. Ratio verò primaria non eſt alia, niſi quia hæc poteſtas,
„ vt perpetuò in Eccleſia duratura, ſoli Petro, & ſucceſſoribus eius
„ immediatè eſt à Chriſto conceſſa: ipſi autem illam alijs non commu-
„ nicarunt; quia ad conueniens Eccleſiæ regimen nec neceſſarium
„ erat, neque expediebat. Denique hoc ſatis confirmat vſus Eccle-
„ ſiæ: nullibi enim ſunt aliæ cenſuræ præter illas tres, quas Pontifices
„ in Eccleſia eſſe decreuerunt. Ergo ſignum eſt in nullo alio eſſe po-
„ teſtatem inſtituendi illas; nam ſi fuiſſet poteſtas, non defuiſſet ſaltem
„ aliquis actus, vel vſus eius.

9. Denique, vt alia loca omittam, id docet ſæpe in quatuor tomis de religione, præſertim tom. 4. tract. 9. de varietate religionum lib. 3. agens enim de votis ſimplicibus, quæ Scholares Societatis poſt biennium Nouitiatus emittunt, latè probat, illa vota quamuis ſimplicia, verum Religioſum conſtituere, prout declarauit Gregorius XIII. in Bulla *Aſcendente Domino*: poſtea cap.4. num.5. par. 459. ex dictis antea infert, quam ſit certa hæc veritas à Pontifice declarata; & reſpondet verbis quibuſdam, quæ totam rem hanc ob oculos ponunt: ſic enim ait:
„ Exiſtimo eſſe omnino infallibilem, ita vt ſine errore in fide negari
„ non poſſit. Ratio eſt, quia ſententia Pontificis in his quæ ad doctri-
„ nam pertinent, infallibilem continet certitudinem, ex Chriſti inſti-
„ tutione & promiſſione; *Ego rogaui pro te, vt non deficiat fides tua, &*
„ *tu aliquando conuerſus confirma fratres tuos*, Luc. 22. *& Matth.* 16.
„ *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ*
„ *inferi non præualebunt aduerſus eam*. Et conceſſio facta eſt *Ioan.* 21.
„ *Paſce oues meas*. Quæ teſtimonia ita ſunt ab Eccleſia intellecta, &
„ perpetua traditione, ac Patrum, Conciliorum, & ipſorum Pontifi-
„ cum definitione firmata, ac declarata, vt ſuppono ex propria materia,
„ & videri poſſunt, quæ Gratianus congerit d.12. ſui decreti, & 24.q.1.
„ per plura capita; & latè Bellarmin.lib.4. de ſummo Pontifice, à prin-
„ cipio per aliquot capita, & Turrecrem. in ſumma lib.2.cap.10. Et ob
„ hanc rem obſeruatum ſemper in Eccleſia fuit, vt grauiores fidei
„ quæſtiones, & cauſæ ad Romanam Sedem, tanquam ad fidei cathe-
„ dram & magiſtram referrentur, vt dicitur in c. *maiores*, de Baptiſmo,

„ &

„ & ſumitur ex cap. *Damnamus*, de Summa Trinitate, & fide cathol. &
„ cap. *Fideli*, eodem tit. in 6. cap. *Ad abolendam*, de Hæreticis, cap.
„ *Præceptis*, & cap. *Non decet* d. 12. & cap. *Nulli fas*, d. 19. Ac tandem
„ ex Concil. Florentino in decreto vnionis, & ex Trident. ſeſs. 7. can. 5.
„ de Baptiſmo, & ſeſs. 25. circa finem decreto de delectu ciborum; &
„ plura referunt citati authores Simanc. de Cathol inſtitutionib. c. 45.
„ Valde autem diminuta fuiſſet Chriſti Domini prouidentia circa
„ ſuam Eccleſiam, ſi in decidendis talibus quæſtionibus ex cathedra,
„ Vicarium ſuum labi permitteret. Neque ipſe iuſtè poſſet ſub ana-
„ thematis vinculo ſubditos compellere ad ſtandum his declarationi-
„ bus, ſeu definitionibus, ſi in doctrina tradenda errare poſſet. Cùm
„ ergo oſtenſum ſit, prędictam conſtitutionem continere declaratio-
„ nem cuiuſdam veritatis valde neceſſariæ ad mores Eccleſiæ, & ad
„ quietem, & pacem animarum, planè talis declaratio infallibilem con-
„ tinet certitudinem. Et hoc confirmari poteſt ex doctrina Theolo-
„ gorum, & Catholicorum omnium, qui pro certo habent, Summum
„ Pontificem non poſſe errare in doctrina morum Eccleſiæ tradenda.

§. XVIII.

Scriptores alij Societatis ſupra quinquaginta ſtantes pro infallibilitate Romani Pontificis.

LOngè plures referre poſſem; hos tantùm afferro, quia habeo in promptu.

Primò, Ex THEOLOGIS SCHOLASTICIS Eximios Doctores Cardinalem Toletum, & Bellarminum, Vaſquez, Suarez, & P. Valentiam ſecuti ſunt reliqui Theologi Scholaſtici Societatis, nimirum Luiſius Turrianus 22. quæſt. 1. art. 10. diſput. 16. dub. 1. Tannerus in eundem locum D. Thomæ. P. Puente Hurtado de Mendoza tom. de fide diſp. 163. §. 139. Ioannes Martinez de Ripalda tom. de fide, & tom. 3. de ente ſupernaturali, id eſt, tomo contra Michaelem Baium, eiuſque ſequaces; P. Amicus tom. 4. diſput. 7. P. Arriaga tom. 5. diſp. 9. ſect. 7. Ouiedo controuerſ. 4. de fide, punct. 9. Gilius lib. 1. tract. 7. c. 9. P. Bernardus de Aldrete 12. in controuerſia de immunitate Deiparæ à peccato originali, P. Richardus Linceus in tract. de locis Theologicis, P. Coninch de fide diſput. 12. dub. 5. conc. 5. P. Ioannes Martinon in Curſu Theologico diſp. 9. de fide. P. Ludouicus Meratius tom. 2. tract. de Baptiſ. 3. ſect. 2. num. 8. P. Martinus de Eſparza in ſuo Curſu Theologico lib. 6. quæſt. 29. Comptonus in 2. 2. diſput. 22. ſect. 4. num. 4. P. Georgius de Rodes in 1. tom. 2. Theol. Scholaſticæ diſp. 2. de fide quæſt. 2. ſect. 5. §. 4. Haunoldus

lib. 3.

lib.3.Theol.ſpeculatiuæ c.1. controu.7.§.4. P.Honoratus Fabri in ſummula Theologica tract.5. cap.4. num.8. P. Leonardus à Peñafiel tom.3. tract.de fide ſect.11. num.330. P. Siluester Maurus in opere Theologico tom.2.quæſt.110. num.17.

Secundò, Ex MORALIBVS. P. Azor,tom.2.lib.9.cap.4. quæſt.3. Pater Henriquez lib.1.cap.16. num.5. littera I. in notis. P.Layman libr.2. tract.1. cap.7.num.2. Salas de Legibus diſp.10.numer. 32. & diſput. 8. num.55. P. Ioannes Bagotius lib.4. inſtitutionum Theologicar. diſp.3. cap.2. P. Ioan. de Cardenas in criſi Theolog. diſp.9. cap. 6. & 20. & in explicatione propoſitionum damnatarum à S. D. N. INNOCENTIO XI. diſput. 1. proœmiali, & apud ipſum ibi num. 15. P. Gratianus, P. Caſtro Palao tom.1. tract.4. diſput.1. punct.5.num.4. P.Moya tom.1.ſelectarum Moralium tract.3. diſput.8. par. 7. numer. 22. & 23. P. Gibalinus lib.5. de iure Canonico cap.3. Item P. Nicolaus Baldellus tom.1. diſput.37. num.5. P. Antonius Santarellus in tractatu de hæreſi cap.3.num.3. Salelles lib.3.cap.3. Reg.208. num. 32. Facundez de Præceptis Eccleſiæ lib.1.cap.4.num.31.

Tertiò, Ex POLEMICIS. Poſt Bellarminum, F. Turrianum, & Valentiam, Martinus Becanus hanc doctrinam egregiè promouet in Manuali lib.1.cap.4.de primatu Pontificis, & cap.5. de iudice controuerſ. P.Iacobus Gaulterius in Chronico, veritate vndecima. P.Gretſerus in Defenſione Bellarmini, P. Dionyſius Petauius in Diſſertationibus Eccleſiaſticis, P. Adam Burghaber in Theologia Polemica contr.28. parte 1.num.7. P.Annatus, & P. Stephanus Deſcamps ſcribentes contra Ianſeniſtas, & P. Ripalda contra Baianos, atque Antonius Moraynes, ideſt P.Martinon in Anti Ianſenio, P. Theophilus Raynaudus tom. 10. in Corona aurea, & in toto opuſculo, cui titulus αὐτὸς ἔφα, P. Ioan. BaptiſtaRicciolus in tractatu de Immunitate Deciſionum Sedis Apoſtolicæ ab errore tam ſpeculatiuo, quàm practico, P. Dorotheus Lonffij in Defenſione Conſtitutionis Innocentij X. contra Ianſenium. P. Nicolaus Maria Pallauicinus in Defenſione Pontificatus Romani, & Eccleſiæ Catholicæ, quod opus in tres magnos tomos diuiditur, & linguâ Italicâ concinnatum eſt, & Romæ impreſſum Anno 1687.

Quartò, Ex SCRIPTVRALIBVS, Maldonatus, & Cornelius à Lapide in cap.16. Matth.& 22.Lucæ,& 21. Ioan.Velaſq.tract.de Concept. lib.9. diſſert. vltima.Lorinus in Actor.15.ad verſ.7. Pererius in cap. 13. Ioan. diſp.57. Barradas in concordia tom.2. libr. 3. cap. 3. Benedictus Iuſtin. diſput.de Apoſt. præmiſsâ coment. in Paul.cap.9. & 10. P. Thomas Le Blanc tom.1. in Pſalmum 11.verſ.8. num. 19. Quotquot de Societate de hoc argumento tractarunt in ſuis libris, ſtare pro infallibilitate Romani Pontificis affirmat Raynaudus ſupra citatus. Ego certè (vt dicebam ſ. 8. num.7.) Scriptorem Societatis, qui dum degeret inter nos, contrariam ſententiam prælo defenderit, fuiſſe non ſcio.

DI-

DISPVTATIO X.

In qua probatur infallibilitas Romani Pontificis, eiuſque ſupra omnia Concilia excellentia, ab authoritate celebriorum orbis Chriſtiani Vniuerſitatum, quæ hanc infallibilitatem profitentur:

SECTIO I.

Academia Pariſienſis.

1. ILluſtriſſimus Petrus de Marca Archiepiſcopus Pariſienſis anno 1662. edidit in lucem obſeruationes quaſdam doctiſſimas ſuper theſes Claramontanas, id eſt ſupra theſes, in quibus Patres ſocietatis Collegij Claramontani Pariſienſis anno 1660. de- ,, fenderunt, Chriſtum ita caput Eccleſiæ eſſe, ,, vt illius regimen, dum in cælos abijt, pri- ,, mum Petro, tum deinde ſucceſſoribus commiſerit, & eandem, quam ,, habebat ipſe infallibilitatem, primum Petro, deinde ſucceſſoribus ,, commiſerit, quoties ex cathedra loquerentur, ac proinde aſſerue- ,, runt dari in Eccleſia Romana iudicem infallibilem controuerſiarum ,, etiam extra Concilium generale. In his autem obſeruationibus (quas vltimum eius opus fuiſſe teſtatur doctiſſimus Baluzius) num. 22. 31. & 34. teſtatur, omnes Vniuerſitates orbis Chriſtiani conuenire in aſſerenda infallibili authoritate Romani Pontificis, excepta antiqua Sorbona, id eſt, excepta Vniuerſitate Pariſienſi tempore Concilij Conſtantienſis & Baſileenſis, in quo Ioannes Gerſon, eiuſque diſcipuli defendere cœperunt excellentiam Concilij ſupra Papam; ſic enim ait: Autho- ,, ritas infallibilem ſententiam in cauſis fidei pronuntiandi eſt Roma- ,, nis Pontificibus omnium Vniuerſitatum conſenſu acquiſita, excepta ,, tamen antiqua Sorbona. Vbi multa alia addit, quæ aſſeremus diſp. ,, 13. ſect. 8.

2. Iam diſput. 9. ſect. 1. oſtendimus ante Concilium Conſtantienſe

fuiſſe inauditam in Vniuerſitate Pariſienſi doctrinam illam de infallibilitate Pontificis, eiuſque ſubiectione & inferioritate ad Concilia; idque comprobauimus teſtimonio Ruardi Tapperi Doctoris & Decani Louanienſis. Idque ipſum teſtatur P. Theophilus Raynaudus in opuſculo, cui titulus αὐτὸς ἔφα, id eſt ipſe dixit. Siquidem allegatis quampluri-mis ex ſchola Pariſienſi Doctoribus pro infallibilitate Pontificis, ſubiungit; „ Quotquot ante Concilium Conſtantienſe floruerunt, poſſunt omnes Theologi, produci: nam non niſi à tempore Concilij Conſtantienſis & Baſileenſis reuocata eſt in controuerſiam hæc veritas apud Catholicos; ſed omnes anteriores vnanimiter docuerunt, definitiones Pontificias etiam abſque Concilio Generali editas facere rem de fide. Ioſephus quoque Gibalinus lib. 5. de Iure Canonico cap. 3. §. 15. ex profeſſo tuetur, lateque demonſtrat, hanc eſſe & fuiſſe ſemper doctrinam ſcholæ Theologicæ Pariſienſis, tam in definitionibus & cenſuris editis ab ipſa in vnum congregata, quam in ſcriptis ſingulorum ipſius vniuerſitatis Doctorum.

3. Et quidem, quòd Vniuerſitas Pariſienſis ante tempora Concilij Conſtantienſis, quod inchoatum eſt ann. 1414. & finitum anno 1418. defenderit infallibilitatem Romani Pontificis, patet ex teſtimonio Petri Alliacenſis Doctoris & Cancellarij Vniuerſitatis Pariſienſis, & poſtea Cardinalis, & Epiſcopi Cameracenſis. Nam hic author ann. 1387. ſuo, & Vniuerſitatis Pariſienſis nomine ſic allocutus eſt Clementem VI. Papam: „ Emendari à te cupimus, qui Petri ſedem, & fidem tenes, non ignoramus enim, ſed firmiſſimè tenemus, & nullatenus dubitamus, quòd ſancta Sedes Apoſtolica eſt illa Cathedra Petri, ſuper quam, Hieronymo teſte, Eccleſia eſt fundata, de qua ſede in perſona Petri Apoſtoli in ea ſedentis dictum eſt. Petre rogaui pro te, vt non deficiat fides tua: hæc eſt igitur, ad quam determinatio fidei & approbatio veritatis Catholicæ, ac hæreticæ impietatis deteſtatio maximè pertinet.

4. Quamuis autem tempore Concilij Conſtantienſis & Baſileenſis cœperit in Sorbona authoritate Ioannis Gerſonis, & diſcipulorum eius ſerpere doctrina de excellentia Concilij ſupra Papam, & de huius iudicio fallibili etiam in cauſis fidei, eamque ſectati ſint Iacobus Almaynus, & Ioannes Maior: tamen illa doctrina pauciſſimos numerauit ſectatores; vt enim inquit doctiſſimus Andreas Duuallius Doctor & Profeſſor Pariſienſis tom. 2. ſuorum operum pag. 846. & pag. 754. de noſtra ſententia loquens, eam *totus orbis exceptis pauculis authoribus amplectitur*. Et Illuſtriſſimus Petrus de Marca Archiepiſcopus Pariſienſis in obſeruationibus, ſupra theſes Claramontanas editis anno 1662. num. 34. loquens de Doctoribus Galliæ inquit: *Pars maior non ſolùm Theologiæ, ſed etiam iuris doctorum communi opinioni adhæret, vtpote fundamentis nixæ ſolutu difficillimis, ridetque antiquæ Sorbonæ opiniones*. Et ibi numer.

mer. 22. & 31. loquens de ſententia communi aſſerente Romano Ponti-
» fici infallibilitatem, inquit: Hæc opinio eſt illa, quam vnicè Hiſpa-
» nia, Italia, omneſque aliæ Chriſtianitatis Prouinciæ docent; ita vt
» illa, quam ſententiam Pariſienſium Doctorum vocant, ad claſſem ea-
» rum opinionum reuocanda ſit, quæ ſolum tolerantur.

SECTIO II.

Academia Salmanticenſis.

1. INter celeberrimas totius Orbis Chriſtiani Vniuerſitates meritò Salmanticenſis computatur, de qua Clemens VII. Pontifex maxi-
» mus in ſua Bulla, *Cum inter alia* anno 1535. ſic aiebat: Inter alia vni-
» uerſalia ſcientiarum Gymnaſia, Salmantinum ſtudium, non ſecus ac
» munitiſſima illa turris Dauid, inexpugnabilis cum propugnaculis,
» ex qua mille clypei doctorum Virorum pendent, qui Eccleſiam Dei
» Sanctam contra virulentos hæreticorum impulſus ſtrenuè tuentur &
» protegunt, plurimùm vigere conſpicitur. &c. Dignum, quin potiùs
» debitum reputamus, vt TAM CELEBRE ET INSIGNE LITTE-
» RARVM EMPORIVM, quibus amplius floreat & augeatur, dignis
» Apoſtolicæ Sedis muneribus proſequamur.

2. Hæc Vniuerſitas infallibilitatem hanc Romani Pontificis tam altè in corde infixam habet, vt nunquam de illa permiſerit dubitari; & ideo tota exhorruit, quando ad eius notitiam peruenit Declaratio Cleri Gallicani facta Pariſijs anno 1682. in qua Romano Pontifici negatur infallibilitas abſoluta ad decidendas fidei & morum controuerſias, & ſuperioritas in omnia Concilia: cuius rei ego teſtis ſum, qui tunc ibi cathedram primariam legebam; inde enim excitatus ſum ad dictandum in ſchola anno 1683. tractatum Theologicum de infallibilitate Romani Pontificis, eiuſque ſupra omnia Concilia authoritate. Hoc etiam permouit ſapientiſſimum, & eruditiſſimum P. IOSEPHVM SANZI de AGVIRRE, qui tunc in ea Vniuerſitate cathedram Scripturæ obtinebat, vt poſt nouem magna volumina in lucem edita, vno anno in ſuo ſeceſſu mira celeritate concinnaret egregium illum tomum Defenſionis cathedræ S. Petri contra declarationem Cleri Gallicani; qui occaſio fuit, vt præclara merita tanti viri innotuerint Sanctiſſimo Domino noſtro Innocentio XI. & vt ob illa ipſum ad purpuram Cardinalitiam iure merito exaltauerit. Hoc etiam permouit Primarium Iuris Pontificij anteceſſorem Dominum Doctorem Andream Garciam de Samaniego, Virum primariæ æſtimationis ob inſignem Iuris Canonici peritiam, vt in ſcholis per duos annos contra illam declarationem ſcripſerit. Ferre enim non poſſunt Hiſpani Magiſtri atque Doctores, vt authoritas Pontifi-

cia vllo pacto labefactetur; tamque conſtans, & vniformis eſt omnium ſenſus circa authoritatem infallibilem Romani Pontificis in determinandis fidei & morum controuerſijs, vt nulla aſſertio in contrarium permittatur.

3. Adeo vſque ab antiquo zelauit Salmanticenſis Academia doctrinam de infallibilitate Romani Pontificis, vt comburi iuſſerit cathedram, in qua Petrus de Oſma dictauerat doctrinam huic infallibilitati contrariam. Hiſtoriam dicti Petri de Oſma adduximns diſp. 8. ſect. 3. §.4. ex qua Hiſtoria & ex his, quæ narrant M. Bañez, & D. Andreas Duuallius ibi citati, conſtat, Petrum de Oſma, Clericum ſæcularem, Doctorem Salmanticenſem non fuiſſe, ſed extra Hiſpaniam gradum Doctoratus accepiſſe, & inde veniſſe Salmanticam: & ibi obtinuiſſe Cathedram primariam Theologiæ. In congregatioue autem habita Compluti per Alphonſum Carillo Archiepiſcopum Toletanum, examinatas fuiſſe quaſdam eius propoſitiones, & damnatas eſſe, eiuſque libros ſimul cum Cathedra, in qua ſedebat, in media ſchola maiori Salmanticenſi igni traditos, & combuſtos fuiſſe. Huius autem Doctoris inter alias ſeptima propoſitio erat, *Eccleſiam Romanam poſſe errare in fide*, quæ condemnata eſt tanquam hæretica. Nomine autem Eccleſiæ Romanæ ſignificabat Oſma, non Eccleſiam Vniuerſalem, ſed particularem Romanam. Et ideo M. Cano lib. 6. de locis pag. 7. teſtatur, *condemnatum eſſe Petrum de Oſma, nomine etiam hæreſis in eo, quod aſſeruit Eccleſiam Vrbis Romæ errare poſſe*.

Et ipſe Sixtus IV. in Extrauagante contra eundem Petrum confirmauit illius Congregationis acta, & eandem propoſitionem damnauit tanquam hæreſim anno 1479. Quapropter ipſe Petrus coactus eſt ſententiam retractare ſub ea verborum forma, quam ibi retulimus.

4. Vbi obſeruatione dignum eſt, quòd hanc prauam doctrinam non tradiderit Doctor Salmanticenſis, ſed extraneus, qui cathedram Salmanticæ obtinuit. Neque inuenietur aliquis huius Vniuerſitatis filius, qui doctrinam hæreticam tradiderit. Vnus Petrus de Oſma, qui tradidit, huius Vniuerſitatis filius non fuit. Omnes eius alumni acerrimè ſemper pugnarunt pro infallibilitate Romani Pontificis, vt patebit legenti M. Franciſcum Victoriam relect. 4. eiuſque diſcipulum M. Melchiorem Canum in illuſtriſsimo opere de locis Theologicis; M. Petrum de Soto in Apologia ſua par. 1. à cap. 83. M. Dominicum de Soto in 4. Diſt. 22. quæſt. 2. art. 2. Et Magiſtrum Bañez, qui quatuor prioribus ſucceſsit in Cathedra Primaria Salmanticenſi. Patebit legenti M. Antonium Perez Ordinis S. Benedicti in Pentateucho Fideî, & nouiſſimè Eminentiſsimum Cardinalem Aguirre in locupletiſsima Defenſione Cathedræ S. Petri. Qui diſput. 15. num. 45. addit. Neque quiſquam „ Theologiæ Profeſſor, quem ſciam, præter illum, notatus inuenitur „ alicuius hęreſeos traditæ in hac florentiſsima Academia, ex quo in- „ ſtituta

„ ſtituta fuit quatuor integris ſæculis, & quinto iam diu fluente. Quod
„ in tanta Doctorum, & Profeſſorum multitudine, videtur adſcriben-
„ dum miraculo Prouidentiæ peculiaris Dei erga Hiſpaniam, Regnum
„ antonomaſticè CATHOLICVM, eiuſque prȩſtantiſsimam Acade-
„ miam, & orbis litterarij oculum.

5. Nec opus eſt alias Vniuerſitates Hiſpaniæ citare. Vt enim affir-
„ mat idem Eminentiſsimus Aguirre, Academiæ omnes Hiſpaniȩ auer-
„ ſantur Doctrinam recentis Declarationis Cleri Gallicani, & acce-
„ dente mandato Romani Pontificis ad ferendum de ea iudicium, gra-
„ ui cenſura eam notabunt.

SECTIO III.

Academia Louanienſis.

1. INſignis hæc Academia, vt peruerſis ac impijs Martini Lutheri dogmatibus ſe opponeret, iuſſu Cæſareo Caroli Quinti Imperatoris die 6. Decembris anni 1544. (quatuordecim nempe, & paulò plus menſibus ante mortem Lutheri) edidit triginta duos articulos, veluti totidem amuleta ad imbuendos, præmuniendoſque populorum animos, contra ingruentem tunc hæreſeos peſtem, quæ Apoſtolicæ Sedis Primatum vel maximè, ac ſupremam eius ſuper omnem vniuerſim Chriſti Eccleſiam certatim impetebat. Illos omnes recenſet Ruardus Tapperus ad calcem Tomi ſui primi ſub hoc titulo: *Confeſſio Catholica Academiæ Louanienſis.*

2. Eadem Academia confeſsionem Catholicam renouauit, & iuramento firmauit anno 1644. 6. Decembris: eius autem Confeſsionis vigeſimus quintus articulus eſt iſte: „ Certâ fide tenenda ſunt, non ſo-
„ lùm quæ Scripturis expreſsè ſunt prodita, ſed etiam quæ per Tradi-
„ tionem Eccleſiæ Catholicæ credenda accepimus, & quȩ definita ſunt
„ ſuper fidei, & morum negotijs per Cathedram Petri, vel per Conci-
„ lia generalia legitimè congregata.

3. Item Facultas Theologica Louanienſis anno 1660. 20. Martij literis ad Alexandrum VII. datis proteſtata eſt „ ſe neminem admittere
„ ad gradus Academicos velle, niſi priùs religioſam obſeruantiā Con-
„ ſtitutionum Innocentij X. & Alexandri VII. promittat, & iuret. In illis porrò Conſtitutionibus definitur, quinque propoſitiones ex Cornelij Ianſenij libro excerptas, & in ſenſu ab eodem Authore intento eſſe hæreticas.

4. Author anonymus, eiuſdem Vniuerſitatis, vt apparet, alumnus, vt oſtenderet quantum abhorreret à Doctrina Declarationis Cleri Gal-

licani

licani, communis ſenſus Doctorum antiquorum, & recentium Scholæ Louanienſis, typis curauit mandari eodem anno 1682. in quo prodijt illa Declaratio Opuſculum in quarto impreſſum Leodij, cuius Titulus
„ eſt, Doctrina quam de primatu, authoritate ac infallibilitate Ro-
„ mani Pontificis tradiderunt Louanienſes Sacræ Theologiæ Magiſtri
„ ac Profeſſores, tam veteres, quàm Recentiores, proprijs ipſorum
„ verbis ac probationibus expreſſa, Declarationi Cleri Gallicani de
„ Eccleſiaſtica poteſtate nuper editæ oppoſita. Poſtea autem in pro-
„ logo ad Lectorem ita ſcribit: Apoſtolicum Romanæ Cathedræ ſuper
„ vniuerſas Chriſtiani Orbis Eccleſias primatum &c.

6. Hunc tractatum in tres articulos diuidit. Titulus primi articuli, qui excurrit à pag. 1. vſque ad 60. incluſiuè eſt iſte: „ Specialis præro-
„ gatiua infallibilitatis, immediatè ac primariò promiſſa eſt à Chriſto
„ Domino, ac etiam data cathedræ S. Petri, adeòque & eius Succeſ-
„ ſori Romano Pontifici, ne erret in definiendis per ſe ſolum, ſine
„ Concilio, ac proponendis Vniuerſæ Eccleſiæ, Regulis Fidei, & mo-
„ rum. Atque ab ipſo, vt Capite, ac Supremo Controuerſiarum in
„ iſta materia Iudice, ſpeciali Fidei Cuſtode, ac veritatis Magiſtro,
„ eiuſque directione ac confirmatione accipiunt Patres in Oecumeni-
„ cis Concilijs congregati, quod ſine errore recta decidant, ac deter-
„ minent: eorum Sententiæ alioquin, & Decreta erroribus dignoſcun-
„ tur obnoxia.

6. Titulus autem ſecundi, qui à pag. 60. ad 81. extenditur, eſt hic:
„ Romani Pontificis authoritas nulli Concilio generali ſubiecta eſt;
„ quod nullam omnino in legitimum, ac indubitatum Pontificem ha-
„ bet poteſtatem iudicandi, vel deponendi. Sed è contra ipſe Summus
„ Pontifex omni Concilio Generali ſuperior eſt, & authoritate, & iu-
„ riſdictione: ita vt nullo prorſus modo ei ſubſit, nec obedire teneatur.
„ Et ijs conſentanea tradit in tertio articulo.

7. In hoc opuſculo catalogum contexit multorum illuſtrium Doctorum illius Vniuerſitatis, qui authoritatem Romanæ Sedis propugnarunt, in medium adducendo eorum rationes. Citat autem Iacobum Latomum, Ruardum Tapperum, Ioannem Driedonem, Iudocum Raueſtein Tiletanum, Ioannem Halleſium, Guillelmum Lindanum, Cornelium Ianſenium Gandauenſem Epiſcopum, Ioannem Lanſæum, Guillelmum Eſtium, Ioannem Malderum, Ioannem Wigers, Henricum Lancelotum, Ioannem Sinnichium, & Chriſtianum Lupum; & Louanienſibus Doctoribus adiungit pag. 28. Thomam Stapletonium inſignem Controuerſiarum Scriptorem; quia, licèt Duaci fuerit Doctoralibus inſulis inſignitus, tamen Louanij ſtudio Theologiæ operam nauauit, quamque in illa Academia ſtudioſus habuerat doctrinam, ad eamdem iam Doctor euocatus, ac Scripturæ Profeſſor poſteritati communicauit. Poterat citare quoque D. Nicolaum du Bois, Primarium nunc in

Acade-

Academia Louanienſi Sacrarum litterarum interpretem, ac primarium Profeſſorem Regium, qui hoc tempore de authoritate Romani Pontificis eruditè, & doctè ſcripſit, & præcipuas nonnullas, & huic tempori opportunas quæſtiones de Summi Pontificis in definiendis controuerſijs authoritate, ex ſuis in Actus Apoſtolorum lectionibus extractas ſeparatim edidit: vt etiam ijs Theologiæ ſtudioſis, (qui per occupationes, vel alijs ex cauſis audire ipſum integrè non poterant) materias præſentes, quas magnopere deſiderabant, ſubminiſtraret; vt ipſe loquitur in præfatione illarum quæſtionum: & qui iterum eodem anno *1666.* egregium edidit opuſculum ad 45. propoſitiones paulò ante damnatas ab Alexandro VII. in duos tractatus diuiſum, in quorum primo per vndecim capita validè, & eruditè refutauit cenſuram quorumdam Doctorum Gallorum, qui auſi fuerant temeritatis notâ inurere doctrinam Amedæi Guimenij, qui cum P. Caſtro Palao docuerat, ad fidem pertinere, quòd Summus Pontifex non poſſit errare in decidendis fidei, & morum controuerſijs. Et in eo tractatu eruditiſſimus iſte Theologus & Iuriſconſultus Louanienſis, ſtabiliuit hanc Romani Pontificis infallibilem authoritatem validis argumentis. Tantuſque fuit huius eruditiſſimi viri zelus, & obſeruantia in Sedem Apoſtolicam, vt cùm primùm prodijt Declaratio Cleri Gallicani, quatuor continens propoſitiones authoritati Romani Pontificis aduerſas, ſtatim calamum ſtrinxerit, & eam declarationem ſolidè, & eruditè impugnauerit, edita in lucem *Diſquiſitione Theologica Iuridica* ſuper declaratione Cleri Gallicani: quam ita celeriter elaborauit, vt cùm declaratio illa facta ſit Pariſijs 19. Martij anno 1682. iam 12. Septembris eiſdem anni prelo paratam haberet illã diſquiſitionem, vt conſtat ex eius approbatione. Et quamquam nomen Authoris illi operi non præfigatur, certiſſimum eſt hunc eruditum Theologum, & Iuriſperitum eſſe eius authorem.

8. Vix prodierat in lucem Tractatus ille de doctrina Louanienſium circa primatum, authoritatem, & infallibilitatem Romani Pontificis, cùm alius illius Vniuerſitatis alumnus, animaduertens in eo tractatu omiſſos fuiſſe non paucos authores, alium adornauit Tractatum, typiſque mandauit Leodij anno 1683. cui titulus: *Mantiſſa celebrium in Belgio, & Gallia Scriptorum, qui tardiùs, poſt editum nuper, ſuccurrerunt Doctrinæ &c.* in quo citat vlteriùs ex Louanenſibus Doctoribus Reuerendiſsimum Cunerum Petri Leouardienſium Epiſcopum, Ioannem Molanum Apoſtolicum, & Regium librorum cenſorem, Regij Seminarij Præſidem, Henricum Cuickium, Illuſtriſsimi Archiepiſcopi Mechlinienſis Vicarium generalem, Iacobum du Bay, Profeſſorem Regium, Collegiatæ Eccleſiæ D. Petri Decanum; Henricum Rampen, Sacrarum litterarum Profeſſorem, & Doctorem, & inſuper alios quatuor, qui in Theſibus publicis Louanij infallibilitatem Romani Pontificis propugnarunt.

9. Huius

9. Huius autem tractatus Author in prologo ait, ſe tam accuratè
„ enumeraſſe Doctores Louanienſes, & Gallos, qui hanc authoritatem
„ propugnarunt, vt ſtudioſa poſteritas perſpectam habeat, vnum illum
„ omnium, in hanc vſque ætatem, ſeculorum ſenſum, qui omnes orbis
„ partes perpetua ſucceſſione peruaſit, receptamque huiuſce veritatis re-
„ gulam, quam pari, ac veluti præſago conſenſu, Galliæ æquè ac Belgij
„ Doctores reliquerunt (quod & nuperus Duacenſiũ libellus Regi Chri-
„ ſtianiſſimo exhibitus profitetur) non niſi totis duobus, vt ſummum, tri-
„ bus in illa, à ducentis ſeptuaginta circiter annis, diffidere nouo conſi-
„ lio incipientibus. Conſulendum venturis ſeculis duxi, ne à Maiorum
„ veſtigijs abeant, vtque ex compilatis Proauorũ documentis ſciant Ec-
„ cleſiæ filij, quantum ſupremo illius Capiti, ſuoque Patri, ac Paſtori;
„ vnico Chriſti Vicario, Beati Petri Succeſſori debeant: penes quem re-
„ rum omnium ſumma, paſcendique Gregis vnuiuerſi cura omnis excu-
„ bat: cuius vnius eſt, intimam Sacrarum litterarum medullam expro-
„ mere, emergentia circa fidem dubia & lites, decretoriâ infallibilis
„ Iudicij deciſione dirimere & terminare, nec continuò coactis ad hoc
„ ipſum Concilijs, quibus ipſe pręeſt, ac definiendi authoritatem impar-
„ titur: quorum decreta, vt valeant, probat; acta confirmat, Leges ſta-
„ bilit, moderatur, corrigit, &, vbi viſum, abrogat: nec vllius Synodi
„ perfecta eſt, & plena poteſtas, niſi & Romani Pontificis accedat volun-
„ tas: cuius dextera Paſtores cæteros creat, inſtituit, præficit, atque in
„ partẽ ſolicitudinis admiſſos, neceſſariæ iuriſdictionis participio ſingu-
„ los dotat. Nunquã fas eſſe credam, de tanto Apoſtolicæ Sedis Iure, ac
„ authoritate ambigere, & aduerſus eam pauculorũ iam memoratorum
„ (quos primipilos pernicioſa tunc in maximis Eccleſiæ turbis tempe-
„ ſtas in contrarias partes traxerat) opinione niti &c.

SECTIO IV.

Vniuerſitas Duacena, & Colonienſis.

1. INſignis Academia Duacena filia eſt Academiæ Louanienſis, eiuſ-
que doctrinam communiter ſectatur. Quid autem illa ſentiat de
authoritate Romani Pontificis, ſatis manifeſtant duo eius inſignes alum-
ni, & Doctores, Thomas Stapletonius, & Franciſcus Siluius, quorum
verba habes diſput. ſequenti Sat eſt nunc inſinuare verba Siluij; nam lib.
4. de præcipuis fidei noſtræ controuerſijs qu. 2. art. 8. aſſerere non dubi-
„ tauit: Reſponſio fidei certa eſt, Romani Pontificis iudicium in rebus
„ fidei determinandis eſſe infallibile, ſiue cum Concilio generali defi-
„ niat, ſiue ſine illo.

2. Nec vnum ipſum, ſed & reliquos eius Collegas Duaceni Lycæi
Magi-

Magiſtros pariter ſentire, & docere, palàm fecit libellus ſupplex Gallico idiomate per Rectorem, & Concilium iſtius Academiæ exaratus, ac Regi Chriſtianiſſimo oblatus, quando Edicto ſuo intimauit illi Vniuerſitati, vt legeret Doctrinam de poteſtate Ecclaſiaſtica paulò anteà aſſertam à Clero Gallicano in ſua declaratione; cuius libelli tenorem exhibuimus diſp. 1. ſect. 8. §. 11. adeò enim conſtantes ſe oſtenderunt in defendenda infallibilitate Romani Pontificis, vt palàm proteſtati ſint
„ Chriſtianiſsimo Regi, Maiorem partem Vniuerſitatis malle ſcholas
„ deſerere, quin imò, & omni promotioni renunciare ac dignitati, quàm
„ illis ſeſe ſubmittere opinionibus Cleri Gallicani, quæ cum ſuis
„ conſcientijs pugnant.

3. COLONIENSIS Academiæ, vidi ego teſtimonium authenticum, in quo poſt editam Declarationem Cleri Gallicani, & Cenſuram Hungaricam contra illam, Magnificus Rector inſignis Academiæ Colonienſis Sacræ Theologiæ Doctor, & Facultatis Theologicæ Decanus ſimul cum Eximijs Theologię Doctoribus Conſilium Vniuerſitatis con-
„ ſtituentibus, vnanimiter declararunt, non tantùm in præſentiarum
„ Sacram illam Facultatem ſentire ac docere, quòd Summus Pontifex
„ in ijs, quæ ad fidem, & mores ſpectant ex Cathedra definiendis ſit
„ infallibilis, habeatque ſupra Concilia poteſtatem, ſed etiam idem
„ antehac, & conſtanter hactenus ſenſiſſe ac docuiſſe; nec conſtare,
„ quòd vllus vnquam in illa Vniuerſitate contrarium docuerit, ac mul-
„ tò minus publicis theſibus propugnauerit. Quæ ſunt verba formalia illius authentici teſtimonij, quod ſigillo Vniuerſitatis, & ſubſcriptione Illuſtriſſimi & Magnifici Rectoris, erat munitum, & fide publica Bedelli, atque ſcribæ iuramento firmatum.

DISPVTATIO XI.

In qua probatur infallibilitas Romani Pontificis in definiendo, & cenſuris Theologicis, quibus doctrinam oppoſitam notarunt grauiſſimi authores.

SECTIO I.

Cenſura Carnotenſis, Cani & Bañez.

1. IN primis Iuo Carnotenſis Epiſcopus Epiſtola ad Richerium Archiepiſcopum Senonenſem disertè pronuntiauit, *Quòd Sedis Apoſtolicæ iudicijs & conſtitutionibus* (in materia fidei) *contraire, planè ſit hæreticæ prauitatis notam incurrere.*

2. Deinde M. MELCHIOR CANVS Ordinis Prædicatorum Epiſcopus Canarienſis, qui Concilio Tridentino interfuit, lib. 6. de locis Theologicis cap. 6. ita loquitur:
„ illud aſſero, ac fidenter quidem aſſero, peſtem eos Eccleſiæ ac perni-
„ ciem afferre, qui aut negant Romanum Pontificem Petro in fidei
„ doctrinæque authoritate ſuccedere, aut certè aſtruunt ſummum Ec-
„ cleſiæ Paſtorē, quicumque tandem ille ſit, errare in fidei iudicio poſ-
„ ſe. Vtrumque ſcilicet hæretici faciunt; qui vero illis in vtroque re-
„ pugnant, hi in Eccleſia Catholici habentur. Quamobrem non equi-
„ dem intelligo, quonam conſilio fideles quidam, hæreticorum, quam
„ Catholicorum opinionibus fauere malint: nam hæretici, video quid
„ ſequantur: nempe viuendi docendique licentiam, & in his omnibus
„ impunitatem. Et volunt ſine capite corpus, vt neque pes, neque
„ mens ſuum officium faciant. Volunt ſine Paſtore vno oues, vt cum
„ lupi ipſi ſint, Paſtores tamen eſſe videantur. Volunt ſine iudice li-
„ tes, vt diſſidiorum nullus finis ſit. Atque ita cùm amoto arbitro
„ aduerſus Doctos dimicent, victores à turba iudicentur. Turbari
„ demum omnia volunt, quoniam, vt in Hiſpanorum prouerbio eſt,
„ turbatum flumen piſcatorum eſt lucrum: nos autem communem
„ Catholicorum ſententiam ſequamur; tutò enim ſequimur, quoniam

„ com-

„ communis Catholicorum eſt. Præterquam quod ea ſentiunt, quæ
„ ſacrarum etiam litterarum teſtimonia confirmant, Pontificum decre-
„ ta finiunt, veterum ſanctorum chorus concinit, Conciliorum Patres
„ affirmant, Apoſtolorum traditio probat, perpetuus Eccleſiæ vſus
„ obſeruat. Hucuſque Canus.

„ 3. Deinde eodem lib. 6. cap. 7. ſic concludit: qui ergo firmitatem
„ Petri ad fratres in fide confirmandos ijs, qui Petro ſuccedunt, dene-
„ gauerit, hic hæreticus iudicandus erit.

4. M. DOMINICVS BAÑEZ Primarius Salmanticenſis, & celebris Theologus eiuſdem ſacræ familiæ, in commentarijs ad 2.2. quæſt. 1. art. 10. dubio 2. hanc ſtatuit concluſionem, ordine quartam: In publi-
„ co fidei iudicio non poteſt ſummus Pontifex errare... Quo circa ar-
„ bitror hanc concluſionem tanquam Apoſtolicam traditionem eſſe
„ tenendam, & quidem vt talis haberetur ab omnibus fidelibus, niſi à
„ tempore Concilij Conſtancienſis in agro Domini inimicus homo, id
„ eſt diabolus, zizaniam ſuperſeminaſſet. Etenim vſque ad illa tem-
„ pora ſoli Græci errabant in hac parte. Atque ita D. Thomas in
„ opuſculo citato hunc errorem tanquam Græcorum ſingularem nar-
„ rat. Et proculdubio, ſi quæſtio hæc ad Concilium legitimum de-
„ ferretur, non dubito, quin prædicta concluſio definiretur tanquam
„ vera Fides, & contraria anathematizaretur.

SECTIO II.

Thomæ Stapletonij, Cuneri Petri, Siluij, Duuallij, & Macedo.

1. THOMAS STAPLETONIVS, inſignis Doctor Duacenus, & controuerſiarum contra hereticos ſcriptor celeberrimus, tom. 2. controu. 6. art. 5. pag. 824. num. 8. erroneum appellat aſſerere, quod *Concilium* ſit ſupra *Papam*. Et controuerſia 3. queſt. 4. concluſ. 3. pag. 706. loquens de ſententia aſſerente, Romanum Pontificem, vt publica perſona eſt, id eſt, quando de fide conſultus, ex officio reſpondet, & decernit *hæreticum* dogma neque vnquam hactenus *tradidiſſe*, neque tra-
„ dere *poſſe*; de hac inquam, ſententia, loquens inquit; Eſt nunc apud
„ Catholicos certa, & recepta: & contrarium ſuſtinere, eſſet aſſertio er-
„ ronea, ſcandaloſa, & offenſiua, etſi fortaſſe non heretica.

2. Illuſtriſſimus ac Reuerendiſſimus Doctor Louanienſis CVNERVS PETRI Leouardienſium Epiſcopus, qui paulò poſt annum 1560. cum eſſet Louanij ad Diuum Petrum Plebanus, & Profeſſor Ordinarius, hereſes verbo, ac ſtylo acriter inſectari cœpit, & poſtea factus Epiſcopus

Digitized by Google

pro Domo Dei ſe murum oppoſuit, & vſque ad mortem decertauit: tractatum edidit egregium de firmitate Cathedræ Petri, in quo infallibilitatem Romani Pontificis doctiſſime tuetur; & initio illius tractatus hęc
„ habet: Si hic (in Cathedra Petri) non certa, & in dubitata habeatur
„ ſententia, vera quoque fidei vnitas retineri non poterit, neque Ec-
„ cleſiæ proſpectum erit, quo minùs eius filij omni vento doctrinæ mo-
„ ueantur. Quare ſepoſitis incertis, & dubijs opinionibus, id quod
„ veriſſima habet Eccleſiæ traditio, & ſcripturæ manifeſtæ conuincunt,
„ liberè profitendum eſt.

3. FRANCISCVS SILVIVS Doctor Duacenſis, inſignis D. Thomæ interpres, cui Vniuerſitas Duacenſis hoc chronographicum ſcripſit anno 1630. *Silua innixa Thomæ fundat ouile Petri*: libr. 4. de præcipuis
„ fidei controuerſijs quæſt. 2. art. 8. aſſerere non dubitauit. Reſponſio
„ fide certa eſt, infallibile Romani Pontificis iudiciũ in rebus fidei de-
„ terminandis eſſe. Ita vt quando è Cathedra definit, ſiue quando vt
„ Pontifex proponit Eccleſiæ quidpiam fide eredendum, nullo caſu
„ poſſit errare, ſiue cum Generali Concilio definiat, ſiue ſine illo.
Ipſaque Academia Duacenſis in libello ſupplici oblato Regi Chriſtianiſſimo, in quo eius alumni enixè Regem deprecabantur, ne illos ſuo edicto obligaret, propoſitiones contentas in Declaratione Cleri Gallicani diſcipulis tradere, quia ſaluâ conſcientiâ id facere non poterant,
„ apertè teſtantur, in illa Vniuerſitate non ſecus, ac errores ſemper
„ fuiſſe perſtrictas propoſitiones illas, quæ abſolutum Summi Pontifi-
„ cis Primatum, ac infallibilitatem conuellunt.

SECTIO III.

Cenſura Cardinalis Bellarmini, & Toleti.

1. MAgnus hic Vir tom. 1. lib. 4. de Romano Pontifice cap. 2. proponit quæſtionem, ſitne certum Papæ iudicium? & cum cir-
„ ca hanc quæſtionem varias retuliſſet ſententias, ſubiungit: Quarta
„ ſententia eſt quodammodo in medio, Pontificem, ſiue hæreticus eſſe
„ poſſit, ſiue non poſſit, non poſſe vllo modo definire aliquid hęreticum
„ à tota Eccleſia credendum: hæc eſt communiſſima opinio ferè om-
„ nium Catholicorum. Et in fine capitis iudicium ferens de illis ſen-
„ tentijs, inquit: Quarta certiſſima eſt, & aſſerenda.

„ 2. Et loquens de ſecunda ſenrentia affirmante, Pontificem etiam
„ vt Pontificem poſſe eſſe hæreticum, & docere hæreſim, ſi abſque
„ Concilio generali definiat; pro qua citauerat Nilum in ſuo libro
aduerſus Primatum Papæ; & Ioannem Gerſonem, & Almainum; quorum ſententiam hac ætate acriter propugnarunt Edmundus Richerius,
Simon

Simon Vigorius, Ioannes Launoius, & Illuſtriſſimus Clerus Gallicanus in conuentu Pariſijs habito anno 1682. & nouiſſimè Ludouicus Maimburgus, & Ludouicus Ellies Dupin: de hac, inquam ſenten-
,, tia loquens inquit: Secunda ſententia non eſt propriè hæretica;
,, quia adhuc videmus ab Eccleſia tolerari, qui illam ſequuntur: ta-
,, men videtur omnino erronea, & hæreſi proxima.

3. Circa iudicium hoc Eminentiſſimi Bellarmini addendum eſt aliquid magni momenti, vt conſtet, quam conſtans fuerit in hoc iudicio; & quid ad extremum vitæ, quando ſapientia erat conſumatior, ſenſerit. Habemus in noſtro Collegio Romano tomos controuerſiarum Cardinalis Bellarmini editos Venetijs anno 1599. apud Societatē Minimam, cum notis marginalibus manu propria authoris exaratis, qui in fronte
,, primi tomi manu propria verba ſequentia ſcripſit: Dono authoris,
,, qui correxit totum opus ſua manu, & ideo cupit, vt non amoueatur
,, à Bibliotheca Collegij Romani. Et in fine manu propria addit. Ego
,, Robertus Cardinalis Bellarminus emendaui manu propria totum
,, hunc tomum.

4. In hoc igitur tomo manu propria correcto, loco illorum verborum *Hæc eſt communiſſima opinio omnium ferè Catholicorum*, poſuit hæc: *Hæc eſt communiſſima ſententia*; quâ verborum mutatione ſignificauit, hanc doctrinam iam non eſſe intra genus opinionis, ſed perueniſſe ad gradum certitudinis Theologicæ; & ideo illam *certiſſimam appellauit*; quia bene animaduertit non propriè poſſe appellari opinionem illam doctrinam, quæ meritò dici poteſt *certiſſima*.

5. Deinde loco illorum verborum, *ſecunda ſententia non eſt propriè hæretica*, in margine poſuit, *Non audemus dicere, eſſe propriè hæreticam*; quaſi ipſum pęnituiſſet affirmaſſe abſolutè, quod *non eſt propriè hæretica*: nam hęc verba *non audemus affirmare, eſſe propriè hæreticam* minus tribuunt illi ſententię, quam illa alia, *non eſt propria hæretica*.

6. Et poſt illa verba: *ſed tamen videtur omnino erronea, & hæreſi proxima*, in margine addit, *vt meritò poſſit iudicio Eccleſiæ hæretica declarari*. Ex quibus verbis conſtat ſententiam noſtram de infallibilitate Romani Pontificis ex iudicio Cardin. Bellarmini ita eſſe certam, ſeu ita clare ex Euangelio, ex Concilijs generalibus deduci, vel in illis contineri, vt poſſit ab Eccleſia expreſsè definiri, & credenda proponi, oppoſita hæretica declarari; ſicut hæreticæ declaratæ ſunt quinque propoſitiones Ianſenij; quæ ante definitionem Innocentij propugnabantur à Doctore Catholico; ſicut modò à viris Catholicis defenditur doctrina de Infallibilitate Papæ, & de eius inferioritate ad Concilia.

7. Cardinalis TOLETVS, vt vidimus Diſput. 8. ſect. 9. §. 11. in commentarijs in ſecundam 2. Sancti Thomæ quæſt. 1. art. 10. contro-
,, uerſiâ 8. concluſione 5. hæc habet formalia verba. Romanus Ponti-
,, fex in iudicio fidei, & morum, id eſt, dum determinat iudicialiter
cre-

„ credenda, aut per mores facienda, non poteſt errare. Non eſt iſta
„ concluſio opinatiuè tenenda, ſed oppoſita eſt error manifeſtus in fide:
„ & dicit Cano bene, ſe non dubitare, ſi Concilio proponeretur, quòd
„ damnaretur vt hæreſis. Deinde de pauculis illis, quos pro contraria ſententia allegauerat, ſubiungit, ipſos rem iſtam *non bene conſideraſſe.* Quibus verbis clarè indicat, adeò efficaces, & vrgentes videri ſibi, rationes pro Papæ Infallibilitate, vt iudicet, ab illis, qui benè illas conſiderant, negari non poſſe.

8. ANDREAS DVVALLIVS ob honorem Vniuerſitatis Pariſienſis, cuius Doctor & Profeſſor erat, & in qua ſcribebat in omne latus ſe vertit, vt à cenſura Theologica liberet ſententiam Gallorum de excellentia Concilij ſupra Papam, & de eius fallibilitate: nihilominus
„ euidentia rei conuictus parte 4. cap. 7. inquit. Etſi opinio, quæ
„ ſtat à partibus Conciliorum in ratione opinionis à temeritate vacet;
„ à temeritate tamen inobedientiæ vix poteſt excuſari: fouet enim
„ vt plurimum inobedientiam & diffidia multa; magnos tumultus in
„ Eccleſia ſemper excitauit.

„ 9. Et parte 2. quæſt. 1. pag. 214. Nemo negare poteſt, quin hæc
„ propoſitio, quòd Pontifex vt Pontifex contra fidem poſſit decernere;
„ viam faciat ad inobedientiam, occaſionemque præbeat dubitandi
„ de multis, quæ iam toto orbe recepta ſunt, & à Pontifice iudicata;
„ quod non vacat ſpecie aliqua temeritatis. Et ſtatim ſubiungit: Ab-
„ ſolute certum eſt, ſummum Pontificem neque in fide, neque in mo-
„ ribus decernendis errare poſſe, ſtatimque à ſua Canonica electione
„ priuilegio infallibilitatis à Chriſto donari.

10. FRANCISCVS MACEDO Chriſtianiſſimorũ Regum concionator, & conſiliarius, in teſſera Romana, quæſt. 5. art. 1. Cenſeo, inquit,
„ qui abſolutè infallibilem eſſe Papæ ex Cathedra definientis autho-
„ ritatem, ac definitis non credat, eum haud dubiè errare in fide,
„ & ſi in errore obſtinatus perſeueret, hæreticum fore; Et fidenter
„ aſſero, peſtem eos Eccleſiæ, ac perniciem adferre, qui aut negant
„ Romanum Pontificem Petro in fidei, doctrinęque authoritate ſucce-
„ dere, aut certè adſtruunt, ſummum Eccleſiæ Paſtorem errare in fidei
„ iudicio poſſe.

SECTIO IV.

Cenſura Gregorij de Valentia, & Franciſci Suarez.

1. GREGORIVS de VALENTIA tom. 3. diſp. 1. punct. 7. §. 1. in-
„ quit, Quibus omnibus explicatis apparebit omnino verè & or-
„ thodoxè docuiſſe Diuum Thomam hic art. 1. ad ſummum Pontificem

„ per-

„ pertinere explicationem & editionem ſymboli fidei, id eſt, eorum, „ quæ à fidelibus credi debent. Quæ veritas vſque adeo continet „ ſummam,& caput totius Chriſtianæ Religionis, vt nemo Catholicus „ eſſe poſſit, qui illam non amplectatur, neque vllus ſit hæreticus, qui „ illam non neget.

„ 2. Poſtea vero ibidem addit: Sin autem authores illi volunt, „ Pontificem in rebus alioquin omnino controuerſis, hoc eſt,non ſatis „ expreſsè in Eccleſia compertis ac determinatis definire poſſe, vt „ perſonam publicam, errorem re ipſa contra fidem, errant ipſi in fide „ grauiſſimè. Poſſet enim, imo teneretur tunc Eccleſia vniuerſa Pon„ tificem de re controuerſa docentem, ac nondum hæreſi manifeſta no„ tatum, pro paſtore ſuo cognoſcere, atque ideo ipſum omnino audi„ re. Ita fieret, vt ſi tunc ille errare poſſet, Eccleſia etiam vniuerſa „ poſset, imo teneretur errare, quæ eſt hæreſis intolerabilis. Item eodem punct. 7. §. 45. colum. 298. poſtquam probauit ad Romanum Pontificem pertinere controuerſias fidei cum authoritate infallibili determinare; *quia eius tantum eſt controuerſias fidei cum infallibili authoritate determinare, cuius eſt in Eccleſia ſuprema poſt Chriſtum poteſtas ſpiritualis. Sed ſuprema hac poteſtas duntaxat Romani Pontificis eſt; non autem vllius Concilij, ſecluſo Pontifice: ergo* &c. Poſtquam hoc probauit, probando vtramque præmiſsam illius ſyllogiſmi; ſubiungit: *Atque hinc profectò illorum authorum ſententia manifeſtè reuincitur, qui Concilium vniuerſale Pontifice ſuperius faciunt. Pugnant enim illi reuera (licet non aduertentes) cum certiſſima fide de Diui Petri ac Romani Pontificis in Eccleſia Primatu*. Hactenus P. Valentia.

3. Eximius Doctor P. FRANCISCVS SVAREZ diſput. 5. de Fide ſect.8. num.4. infallibilitatem Romani Pontificis in definiendo arbitra„ tur eſſe certam de fide Catholica: ſic enim ait: Nihilhominus veritas „ Catholica eſt, Pontificem definientem ex Cathedra, eſſe regulam fi„ dei, quæ errare non poteſt, quando aliquid authenticè proponit „ vniuerſæ Eccleſiæ, tanquam de fide diuina credendum: ita docent „ hoc tempore omnes Catholici doctores, & cenſeo, eſſe rem de fide „ certam.

„ 4. Idem Suarez in tr. de fide diſp. 20. ſect. 3. num. 22. At vero „ tam de hac definitione (Bonifacij VIII. in extrauag. vnam ſanctam „ de maior. &c.) quam de alijs decretis Pontificum auſus eſt dictus „ Rogerus reſpondere, non eſſe de fide certum, Pontificem definien„ tem ſine Concilio generali, non poſſe errare. Sed eſt reſponſio, non „ ſolum nimis temeraria, ſed etiam erronea: nam licet olim fortaſſe „ aliqui Doctores Catholici ſine pertinacia in hoc dubitauerint, vel „ errauerint; iam verò tam eſt conſtans Eccleſiæ conſenſus, & Catho„ licorum ſcriptorum concors de hac veritate ſententia, vt eam in du„ bium reuocare, nullo modo liceat.

§. I.

SECTIO V.

Quomodo cohæreant, quòd ſecundum ſententiam ſatis communem ſit de fide Romanum Pontificem non poſſe errare in definiendis fidei, & morum controuerſijs; & tamen ſecundum eoſdem ipſos D.D. oppoſita doctrina non ſit appellanda hæretica.

1. QVamuis autem Eximius Suarez aſſerat, eſſe de fide; quod Romanus Pontifex non poſſit errare in controuerſijs fidei, & morum determinandis, & toti Eccleſiæ proponendis, non propterea dixit, oppoſitam doctrinam eſſe *hæreſim*; ſed duntaxat dixit eſſe *erroneam*, idque conſultò, & ſapientiſſimè. Nam vt ipſe eximius Doctor ſapienter notat diſput. 9. de fide ſect. 2. num. 13. cùm *nota* hæreſis inter cenſuras Theologicas ſit omnium maxima; vt aliqua propoſitio inuratur nota hæreſis, & eius aſſertores dicantur hæretici; *duo requiruntur*; *vnum eſt*, vt propoſitio *contraria* ſit certiſſimè, & indubitanter de fide: aliud eſt, vt altera propoſitio certiſſimè, & indubitanter illi repugnet. Vnde fit, vt deficiente certitudine in altero ex his duobus, propoſitio hæretica non ſit: quia propoſitio hæretica habet ſupremum gradum propoſitionis falſæ contra fidem: qui gradus non conſurgit, niſi ex omnibus conditionibus ſimul ſumptis.

2. Vnde ſi propoſitio, cui propoſitio A. opponitur, non ſit omnino indubitanter de fide, quamuis magna authoritate, & quaſi communi conſenſu de fide reputetur; propoſitio A. erit quidem erronea, non tamen hæretica. Apponit exemplum ſecundum opinionem aliquorum in illo dogmate; *quòd dentur habitus per ſe infuſi* quamuis enim probabilius ſit, illud eſſe de fide, fortaſſe hoc non ita eſt certum, vt contrarium ſit hæreſis; erit tamen error.

3. Idipſum docet P. Valentia tom. 3. diſput. 1. qu. 1. puncto 7. §. 41. „ columnâ 255. Non enim eſt, inquit, hæreticus, quicumque negat ali- „ quid, quod reuera pugnat cum ſententia fidei; ſed is, qui negat, quod „ ſcit, vel debet ſcire, eſſe contra ſententiam ab Eccleſia traditam „ tanquam de fide ſine vlla apud orthodoxos controuerſia. Vnde quia ab Eccleſia tolerantur authores orthodoxi, qui negant Romano Pontifici infallibilitatem, nequit eorum doctrina hæretica appellari. Quare ſi arguas ſic; Illa doctrina eſt hæretica, quæ contradictoriè opponitur cum doctrina, quæ eſt de fide: At iuxta Patrem Suarez, & alios, doctrina aſſerens Romano Pontifici infallibilitatem eſt de fide: ergo

iuxta

Digitized by Google

iuxta Patrem Suarez, & alios doctrina oppoſita hanc infallibilitatem negans, eſt hæretica. Diſtinguenda eſt maior: quæ eſt de fide, certò & inconcuſsè, ſine vlla controuerſia inter Catholicos, ita vt ab Eccleſia non tolerentur oppoſitum aſſerentes; concedo: quæ eſt de fide ſolùm ſecundum ſententiam communem Theologorum, & ita vt ab Eccleſia tolerentur oppoſitum aſſerentes; nego maiorem: & ſimiliter diſtinctâ minore, nego conſequentiam.

SECTIO VI.

Cenſura Hungarica quatuor propoſitionum Cleri Gallicani.

1. PRo complemento huius diſputationis, in qua appendimus cenſuras, quibus Doctores Illuſtriſſimi notarunt doctrinam negantem Romano Pontifici infallibilem authoritatem ad determinandas fidei, & morum controuerſias, & ſuperioritatem in omnia Concilia, hic adiungam Cenſuram, qua Illuſtriſſimus Archiepiſcopus Strigonienſis Primas Regni Hungariæ in Synodo quadam perſtrinxit, atque confixit quatuor propoſitiones Cleri Gallicani de Poteſtate Eccleſiaſtica paulò poſt earum publicationem: ſiquidem Clerus Gallicanus eam declarationem fecit Pariſijs die 19. Martij anni 1682. Synodus autem Hungarica eam declarationem cenſurauit die 24. Octobris eiuſdem anni 1682.

2. Adducunt hanc cenſuram Hungaricam Theologi Anonymi Pariſienſes in libro, quem anno 1683. pulcherrimo typo emiſerunt in lucem, cui titulus, *Vindiciæ Doctrinæ maiorum Scholæ Pariſienſis &c. Authore Edmundo Richerio Doctore, ac Socio Sorbonico. Acceſſerunt Notæ in Cenſuram Hungaricã quatuor propoſitionum Cleri Gallicani.* Ex hac autem cenſura ea dumtaxat tranſcribam verba, quæ iudicium Illuſtriſſimi Primatis, & reliquorum Prælatorum Hungariæ manifeſtant, præciſis clauſulis quibuſdam quæ offenſionem parere poſſent.

„ 3. Sic igitur incipit. Georgius Szelepechemy Dei, & Apoſtolicæ
„ Sedis gratiâ Eccleſiæ Metropolitanæ Strigonienſis Archiepiſcopus,
„ locique, & Comitatus eiuſdem ſupremus, ac perpetuus Comes, Pri-
„ mas Regni Hungariæ, Legatus natus ſummus, & Secretarius, Can-
„ cellarius, Sacræ Cæſareæ, Regiæque Maieſtatis intimus Conſiliarius,
„ Vniuerſis, & ſingulis Chriſti fidelibus in Hungariæ Regno conſtitu-
„ tis, ſalutem.

4. Poſtmodum declarat deſiderium, quo ab initio ſuæ electionis in Primatem Hungariæ flagrauit celebrandi Synodum Nationalem, vi
„ cuius, adiutrice gratiâ, eliminarentur errores, euellerentur vitia,
„ corrigerentur exceſſus, reformarentur mores, plantarentur virtu-
„ tes, roboraretur Catholica fides, Sacræ Sedis Apoſtolicæ firmaretur
„ authoritas.

5. Poſt-

Digitized by Google

5. Poſtmodum exponit impedimenta, ob quæ non poterat hucuſque Synodum Nationalem congregare, ſcilicet propter grauiſsimas ſeditiones, & tumultus, quibus illud Regnum laborauit. Et deinde ſubiungit. Non prætermittimus interim quantum nobis ex alto conceditur, vigili cura commiſſum noſtro regimini gregem in viam mandatorum Dei dirigere, Diuini amoris cultum protendere, fidem catholicam ampliare, ea demum prompto corde, & efficaci deſiderio inquirere, quibus Orthodoxa Romana Eccleſia exaltetur, falſæ doctrinæ, & peruerſi errores extirpentur, ſupremi in terris Vicarij Poteſtas integra, inuiolataque perſiſtat.

„ 6. Inter cætera autem quæ ſe nobis corrigenda, & eliminanda obtulerunt, & moram pati non poſſunt ſine euidenti periculo animarum, non vltimum locum tenent quatuor illæ Propoſitiones, quæ Cleri Gallicani nomine nuper Pariſijs congregati prodierunt. Scilicet, Primum *Beato Petro &c.* Quæ quidem propoſitiones auribus Chriſtianis abſurdæ.., cùm per Hungarici quoque Regni Prouincias à Satanæ Miniſtris diſſeminatæ ſint, eo fortaſſe conſilio..... Nos omiſſa in præſens cura eas confutandi, cum præcipua Sanctorum Patrum traditione, Oecumenicorum Conciliorum Decretis, & apertis ipſius diuini verbis teſtimonijs ſatis exploſæ, confutatæque ſint, quamuis nonnulla Scripturæ loca Authores Propoſitionum in ſuam ſententiam callida, & falſa interpretatione detorqueant) neque deſint inſignes Theologi, qui has partes ſtrenuè exequantur, Prædeceſſorum noſtrorum veſtigijs inhærentes, qui in huiuſmodi caſibus vnanimi conſilio, & ſpiritu noxias doctrinas, & in fide periculoſas proſcripſerunt, ſicut & varijs Apoſtolici Regni Comitijs, & Concilijs, quæ varijs temporibus, & occaſionibus habita fuerunt, ſanè perſpicitur, Dei nomine inuocato, & præhabitâ eâ meliori formâ, quæ per temporis, & loci difficultatem licuit, diligenti examine, & maturâ deliberatione cum Venerabilibus Fratribus noſtris, & Coepiſcopis, Abbatibus, Præpoſitis, Capitulis, alijſque compluribus Theologiæ Profeſſoribus, & ſacrorum ſcientiâ præſtantibus Viris, præfatas quatuor Propoſitiones configimus, & proſcribimus, ne eas legere, nec tenere, multò minùs docere audeant; donec ſuper eas prodierit infallibile Apoſtolicæ Sedis oraculum, ad quam ſolam diuino, & immutabili Priuilegio ſpectat de controuerſijs fidei iudicare, cui propterea has noſtras litteras, declarationes, & Decreta humillimè ſubmittimus. Hactenus Illuſtriſs. Archiepiſc. Strigonienſis.

7. Cuius zelus in tuenda authoritate Papali, & Eccleſiæ vnitate, quantum diuinæ Maieſtati placuerit, colligi ex eo poteſt, quod vno poſt anno id eſt anno 1683. ipsâ eâdem die 24. Octobris in Sedem ſuam Metropolitanam Strigonienſem fuerit introductus, Deo nimirùm ita diſponente, vt Vrbs illa ab immani Turcarum tyrannide tandem extorqueretur, quæ tot iam annis eam occupauerat.

DI-

DISPVTATIO XII.

De numero & qualitate Doctorum, qui negant infallibilitatem Romani Pontificis, & de tempore turbulento in quo ſcripſerunt: vbi probatur D. Dupin falsò allegare pro ſua ſententia aliquos authores.

SECTIO I.

Recenſentur illi Doctores; & exponitur, quam exceptionem patiantur.

1. HAnc infallibilitatem clarè negauit Ioannes Gerſon in tractatu, cui titulus. *Vtrùm liceat in cauſis fidei à Pontifice prouocare*, propoſitione 4. & alibi ſæpe de quo inſignis Magiſter Victoria relect. 4. dixit; *Ille doctor per omnia fuit infenſus authoritati Summi Pontificis: & multos alios infecit ſuo veneno, parùm enim differt à ſchiſmate eius doctrina*. Quod prius notauerat Caietanus in opuſc. de authoritate Papæ cap. 10. De bono Gerſonis ſcopo, & zelo dicam infra num. 6.

2. Eandem negauit Petrus de Alliaco Cardinalis & Epiſcopus Cameracenſis tract. de authoritate Eccleſiæ part. 3. cap. 3. Qui authores, vt vidimus diſp. 9. ſect. 1. videntur fuiſſe omnium primi, qui inter Catholicos hanc doctrinam clarè tradidere, & illam primò docuerunt in ipſo Concilio Conſtantienſi anno 1417. & quidem Author libri de libertatibus Eccleſiæ Gallicanæ pag. 131. de Gerſone loquens, inquit:
„ Ipſe primus ex Theologis Catholicis Summum Pontificem Concilio
„ generali inferiorem, & errori, etiam cùm tanquam ſupremus Paſto-
„ aliquid toti Eccleſiæ credendum proponit, obnoxium eſſe docuit.
Anſam errandi forſan illi dedit Guillelmus Okam, qui florebat ann. 1320. & ex Scholaſticis videtur fuiſſe omnium primus, qui authoritatem

tem Romani Pontificis impetiuit. Gerſonem ſecuti ſunt poſtea Iacobus Almainus, & Ioannes Maior Doctores Pariſienſes, qui floruerunt ad finem decimiquinti ſeculi, & initium ſeculi decimi ſexti.

3. Hos poſtea ſecutus eſt Edmundus Richerius in libro de Eccleſiaſtica poteſtate, quem emiſit in lucem anno 1611. & Simon Vigorius, qui, vt vidimus diſp. 1. ſect. 7. Richerij defenſionem ſuſcepit; & poſtea Ioannes Launoius Doctor etiam Pariſienſis, & nouiſſimè Dominus Maimburg, & Doctor Ludouicus Ellies Dupin.

4. Audiamus quodnam iudicium ferat de illis primis Doctoribus Gallis grauiſſimus Author Andreas Duuallius, quamuis & ipſe Doctor Pariſienſis. In ſuo tractatu de ſuprema Romani Pontificis in Eccleſiam poteſtate par. 2. quæſt. 1. pag. 102. primæ impreſſionis in quarto ita ſcribit: Scio equidem in re Pontificia Alliacenſem, Gerſonem, & Almainum non eſſe tantæ authoritatis, quia tempore ſchiſmatum floruerunt, & ſcripſerunt: duo priores, quando tres ſe pro Pontificibus gerebant: poſtremus verò, nempe Almainus tempore Iulij II. & Conciliabuli Turonenſis, quando Gallia ſub Ludouico XII. à Sede Apoſtolica defecerat. Et per illa ferè tempora ſcripſit etiam Ioannes Maior, de quo proinde idem iudicium videtur ferendum ac de Almaino.

5. Et verò quæſtio hæc, an Concilium ſit ſupra Papam, ante ſchiſma illud erat inaudita. Vt enim inquit Bellarminus lib. 2. de Conciliorum authoritate cap. 13. Quæſtio hæc exorta eſt tempore Concilij Piſani; quia cum duo Pontifices, qui ſimul ſedebant in ſchiſmate, Gregorius XII. & Benedictus XIII. non videbantur ſeriò cogitare de tollendo ſchiſmate per ſpontaneam abdicationem, quemadmodum ante Pontificatum vterque vouerat, & iurauerat, Cardinales vtriuſque partis receſſerunt Piſam, & tractare cœperunt, an ſibi liceret inuitis Pontificibus illis Concilium generale conuocare, & eos Pontifices deponere. Meminit S. Antoninus huius diſputationis, quæ Florentiæ habita eſt 3. part. ſumm. hiſt. tit. 22. cap. 5. §. 2.

6. Ideo verò Gerſon, & Alliacenſis tempore ſchiſmatis ſcribentes, errandi, & alios in errorem inducendi occaſionem ſumpſerunt, quia cum non viderent alium ſupereſſe modum extinguendi ſchiſma tam longum & pernicioſum, quam deponendo Papas illos dubios de Pontificatu contendentes, & alium denuo eligendo: & bene ſcirent, hoc negotium non poſſe ad exitum perduci, niſi mediante authoritate Concilij, toti fuerunt in exaltanda authoritate Concilij: niſi enim ſtabiliendo Concilium eſſe ſupra Papas illos, & poſſe illos deponere, ſi voluntariè nollent cedere, non poterant intentum conſequi; & ſic ſancto zelo, & optimo fine authoritatem Concilij commendare cœperunt: & hæc opinio tunc inualuit. Sed incautè proceſſerunt, extendendo doctrinam illam de authoritate Concilij ſupra Papam, etiam ad Papam certum & indu-

indubitatum; quod eſt falſum, & minimè ad eorum ſcopum erat neceſſarium, cùm ad hunc ſatis ſit, quòd Concilium ſit ſupra Papas dubios, & quòd Eccleſia vexata ſchiſmate, habeat ius naturale ſibi prouidendi, & extinguendi ſchiſma, deponendo Papas dubios, qui pertinaciter perſiſtunt in retinenda tiara. Multa etiam falſa miſcuerunt, quale eſt illud, quòd Papa definiens controuerſias fidei poſsit errare, ſi id faciat extra Concilium generale. Id enim planè falſum eſt, vt in toto hoc opere demonſtramus; & minimè eſt neceſſarium ad intentum, nam ad hoc ſufficit aſſerere, quod Concilium ſit ſupra Papas dubios: ſtat autem optimè Concilium eſſe ſupra Papas dubios, & tamen Papam certum & indubitatum non poſſe errare in determinandis fidei & morum controuerſijs. Imò vt diximus diſp. 1. ſect. 5. §. 2. & dixi ſæpe alibi quamuis Papa certus & indubitatus ſubiaceret Concilio in aliquo caſu, nempe ſi ſeminaret hæreſes, & deuaſtaret Eccleſiam, non ſequitur, quòd Papa non ſit infallibilis ad determinandas fidei & morum controuerſias, quando neceſſitas poſtulat, & non poteſt congregari Concilium. Sed hæc omnia tunc erant valde obſcura, & Gerſon ſatis confusè locutus eſt, nec tam firmiter reſoluendo, quàm dubitando proceſſit; vt ipſemet fatetur in epilogo tractatus de poteſt. Eccleſiaſt. in quo magis ex profeſſo excellentiam Concilij ſupra Papam defendit; teſtatur enim ſe inquirendo potius, quam determinando ſcripſiſſe: ſic enim finem imponit illi opuſculo. „Finit tractatulus magis ad inquiſitionem veritatis, quam ad determinationem editus, & pronuntiatus Conſtantiæ tempore generalis Concilij pro parte Cancellarij Pariſienſis anno à natiuitate Domini 1416. die 6. Februarij.

7. Okam verò, vt ſcribit Bellarminus, fautor nimis ardens fuit Ludouici Bauari Imperatoris Schiſmatici, qui, vt teſtatur Genebrardus ad annum 1327. vt ſe tueretur aduerſus fulmina Apoſtolica Ioannis XXII. & Benedicti XII. Okam Scholaſticum ſtipendiarium fecerat. Ob hanc cauſam in aliquos errores lapſus, inquit Bellarm. meruit vt in Indice librorum prohibitorum eius nomen poneretur.

8. Quod attinet verò ad Edmundum Richerium, & Simonem Vigorium, quàm parui facienda ſit eorum doctrina, conſtat ex iudicio Illuſtriſſimorum Præſulum Galliæ, qui in duabus Synodis Prouincialibus, quarum vni præſedit Eminentiſſimus Cardinalis Perronius Archiepiſcopus Senonenſis, non minùs ſapientia, quàm purpura clarus, alteri Archiepiſcopus Aquenſis, illam doctrinam acri cenſura notarunt, damnantes librum Richerij tanquam continentem *propoſitiones erroneas, ſcandaloſas, ſchiſmaticas, & vt ſonant, hæreticas*, vt vidimus diſp. 1. ſect. 7. §. 2.

9. Quod ſpectat ad Doctorem Ioannem Launoium, ille in eadem naui eſt cum Richerio, cuius doctrinam ſectatur. *Vir quidem eruditus*, (inquit author libri de libertatibus Eccleſiæ Gallicanæ pag. 138)

„ſed

„ ſed Cenſeor nimis ſubtilis, ſecularis poteſtatis acrior vindex, Pon-
„ tificiæ ferè impatiens, præſertim ex quo eius quoddam opuſculum
„ Sacræ Congregationis Indicis cenſurâ notari meruit. Hanc ille gra-
„ uiter ſentiens (quæ enim in Gallorum animis ſuperſunt auitæ erga
„ Sanctam Sedem reuerentiæ ſemina, eiuſmodi cenſuras contemnere
„ non ſinunt, licet aliud aliquando verbis ſignificetur) alijſque cauſis
„ impulſus, ad imminuendam Summi Pontificis authoritatem ſe deni-
„ que ferè totum contulit, congeſtis in eius defenſores, quos in Sum-
„ mario Epiſtolæ 4. primæ partis Curiæ mancipia vocat, iniurijs. Sed
„ ea eſt illorum, præſertim Baronij, & Bellarmini, quos præcipuè inſe-
„ ctatur, doctrinæ ac pietatis celebritas, vt illius doctoris ſcriptis mi-
„ nimè obſcurandam putem, maximè cùm ſtyli acrimonia exulcera-
„ tum eius animum prodat, ac Romani Pontificis, eiuſque officialium
„ parùm æquum Iudicem demonſtret.

10. Quod attinet ad Ludouicum Maimburgum notum ſatis eſt, & ab Authore Galliæ vindicatæ Diſſertatione 4. pag. 184. abunde explicatum, quo motiuo inductus ſit ad defendendam Declarationem Cleri Gallicani, quam videbat Regio edicto commendari Vniuerſitatibus Galliæ. De hoc Authore appoſitè dixit Eugenius Lombardus in parę-
„ neſi ad Lectorem ſui Operis de regali Sacerdotio, potuiſſe inter præ-
„ claros Scriptores aliquando cenſeri, ſi amænitatem, floremq; Gallici
„ ſermonis, pari in Sedem Apoſtolicam reuerentia æquaſſet. Nec ſolùm Maimburgus contra Sedem Apoſtolicam ſcribens, à communi, & certa omnium ferè Catholicorum ſententia defecit; ſed etiã à ſua, quam & tradiderat publicè, & typis mandarat, quando animum habebat pacatum, & veritatem tranquilla mente quærebat: nam anno 1671. in lucem emiſit idiomate Gallico conciones ſuas, in quarum aliqua, nempe in ſecunda Quadrageſimæ hebdomada die Martis, infallibilita-
„ tem Romani Pontificis in definiendo diſertè ſtatuit his verbis. Obli-
„ gamur ſub pœna æternæ damnationis nos ſubmittere deciſionibus
„ Cathedræ Sancti Petri; tuncque naufragium fidei patimur, cum do-
„ ctrinas amplectimur ab hac Cathedra damnatas, reiectaſque. Fruſtra
„ verò, qui hanc ſubmiſſionem non habet, proteſtatur ſe Cathedram
„ Petri pro prima, præcipuaque habere, ac fidei ab Eccleſia, à Patribus,
„ Concilijſque traditæ adhærere. Hæc Maimburgus è ſuggeſtu publicè Pariſijs docuit, quando paſſionis æſtu non erat afflatus, ſed animo tranquillo non ſua, ſed quæ Dei erant, quærebat vnde, quando poſtea contrarium dixit, non cauſa, ſed ipſe mutatus eſt; & cum veſte religioſa ſincerum veritatis ſtudium (etiam in hac parte) depoſuit.

11. Quod pertinet ad Doctorem Ludouicum Elliem Dupin, iam diſp. 1. ſect. 2. à §. 2. conſtitit, quàm abſurda ſit eius doctrina, quàm debilibus, quàm falſis, & erroneis principijs nitatur; magiſque conſtabit, dum in ſpeciali diſputatione ad finem huius libri oſtendemus, doctri-

nam

nam eius de primatu Romani Pontificis pugnare cum Scriptura, cum Concilijs, & communi doctrina Patrum. Nec video quomodo à manifeſto errore excuſari poſſit, dum diſſert. 4. cap. 1. §. 1. docet, D. Petrum illis verbis *Paſce oues meas*, non eſſe conſtitutum à Chriſto Paſtorem & Doctorem totius Eccleſiæ, nec omnes oues illi à Chriſto fuiſſe commiſſas; ac proinde ſenſum illorum verborum *Paſce oues meas* non eſſe *Paſce omnes* ſed paſce *aliquas*, ac per conſequens ſolùm partem ouium Chriſti eſſe Romano Pontifici ſubiectam, ſicut alijs Epiſcopis. Pro nunc ſufficiat, Sanctiſſimum Dominum noſtrum INNOCENTIVM XI. die 28. Ianuarij huius anni 1688. ſpeciali Decreto damnaſſe, ac reprobaſſe librũ illum Doctoris Dupin.

SECTIO II.

Non bene Dupin pro ſe allegat Toſtatum.

1. D. Dupin ad probandum Romanum Pontificem eſſe fallibilem in determinandis fidei & morum controuerſijs, citat Toſtatum, eò quòd cap. 3. Defenſorij dixit: „ Apparet, quòd iura ſupponunt Papam fieri poſſe hæreticum, & confirmatur experimento; nam Papa Marcellinus fuit hæreticus. Et poſt alia: *Item de Ioanne XXII. qui tenuit hæreſim de viſione beata* &c. Et Præfat. in Euangel. Matthæi: „ Quilibet homo, quantumcumque ſanctus, & quantæcumque poteſtatis, poteſt errare in fide, & effici hæreticus, ſicut de multis Summis Pontificibus legimus, vt de Liberio, de Ioanne XXII. & alijs quibuſdam.

2. Sed in primis hæc allegatio non eſt ad propoſitum. Nam quamuis probabile eſſet Papam poſſe incidere in hæreſim, imò & illam velle obtrudere, nihilominus probabile non eſt, quòd Papa poſſit errare, dum quæſtionem inter Catholicos controuerſam determinat, & vnam partem Eccleſiæ credendam proponit, vt fecit Innocentius X. cum quinque propoſitionibus Ianſenij. Vnde P. Valentia tom. 3. quæſt. 1. punct. 7. §. 41. colum. 256. diſtinguens multiplicem ſenſum authorum aſſerentium, Papam poſſe errare, ſubiunxit. „ Si autem authores, illi volunt, Pontificem in rebus controuerſis, id eſt, non ſatis expreſsè in Eccleſia compertis ac determinatis, definire poſſe vt perſonam publicam, errorem reipſa contra fidem, errant ipſi in fide grauiſſimè. Et hoc eſt, quod nos tanquam certum intendimus. Præterea falſum eſt, quòd Marcellinus fuerit hæreticus; non enim contra fidem internam peccauit, ſed contra obligationem profitendi exteriùs fidem, prout affirmat Ægidius Romanus in libro de renunciatione Papæ cap. 39. quod à nobis etiam citatum eſt diſp. 9. ſect. 3. §. 5.

3. Præ-

Digitized by Google

3. Præterea quamuis Toſtatus dixiſſet, Papã poſſe errare in determinandis è cathedra fidei, & morũ controuerſijs, non magni faciendum eſſet eius iudicium aut teſtimonium; quia quamuis fuerit Vir ſapientiſſimus tamen Defenſorium illud ſcripſit tempore Concilij Baſileenſis, in quo doctrina de ſuperioritate Concilij in Papam agitabatur; præſertim cùm ſcripſerit tempore Eugenij Quarti, à quo non parùm mortificatus fuit. Nam ab eo vocatus in Italiã ob quaſdam exoticas opiniones, coram eo theſes 21. in publicis certaminibus cum omnium admiratione apud Senas adhuc iuuenis defendit. Sed quia aliqua notata ſunt ab Eugenio, edito de hac re diplomate, indignatus Toſtatus auxit defenſorium trium propoſitionum, ob quas præcipuè vocatus fuerat, & præ ſtudio tuendi placita ſua, in Pontificiam authoritatem inuectus eſt, vt inquit P. Mariana ad finem lib. 1. de rebus Hiſpaniæ, vnde Spondanus ad annum 1443. nu. 10. rem hanc referens, inquit: Senis dum eſſet Eu-
„ genius Pontifex, Alphonſus Toſtatus Hiſpanus Madrigale in Vac-
„ cæis ortus, poſteaque Epiſcopus Abulenſis, ſcriptorum mole, co-
„ gnitione antiquitatis, prodigioſa memoria, multiplici omnium ſcien-
„ tiarum, & artium eruditione ad miraculum clarus, ſermonis tantùm
„ elegantia minor, quàm vt cum quouis antiquorum conferri poſſit:
„ de quo meritò ſcriptum ſit, *Hic ſtupor eſt mundi, qui ſcibile diſcutit*
„ *omne*.

4. Et quod magis eſt mirandum, tanta ſcripſit breuiſſimo tempore, cùm non vixerit niſi annos quadraginta: quem & interfuiſſe tradunt Concilio Baſileenſi, ibique cum Ioanne Capreolo Toloſano Ordinis S. Dominici doctiſſimo Profeſsore, & doctrinæ S. Thomæ egregio defenſore, diſputaſse. Hic igitur tunc iunior, nec dum Epiſcopus, Senis exiſtens quando Eugenius aderat, theſes vnam, & viginti ex intima Theologia depromptas diſputandas cùm propoſuiſset, in ijs, locis aliquot offendiſse Eugenius edito di plomate notauit; impugnauitque dicato opere Ioanes de Turrecremata, doctiſſimus ille Cardinalis Hiſpanus ex Ordine Dominicanorum, de quo ſępe ſuperius facta eſt mentio. Contra quæ reſpondens Toſtatus commentario, cui Defenſorio, nomen fecit, in Pontificum etiam authoritatẽ inuectus, iniurioſuſque præ ſtudio tuendi ſua aparuit. Quæ verò accuſabantur hæ propoſitiones fuere. Primo quod aſsereret, etſi nullum peccatum cuiuſcumque conditionis, & pro quocumque ſtatu irremiſsibile ſit, à pæna tamen & à culpa Deum non abſoluere, nec aliquem Sacerdotem abſoluere poſse. Secundò, quod diceret, Chriſtum non eſse mortuum die 25. Martij, vt communis eſt ſententia, ſed die 3. Aprilis anno 33. ætatis ſuæ inchoato. De quibus obtulit ipſe ſchedulam, vt vocat, ipſi Summo Pontifici, quæ extat in fine primæ partis ſui Defenſorij: qua quidem ſubijcit ſe determinationi Eccleſiæ, & Pontificis; ſed cùm non obtinuiſſet quod petijt (ea eſt fragilitas præſtantiorum etiam ingeniorum, vt cùm eorum placitis reſiſtitur,

animi

animi offenſionem facilè concipiant) non potuit adeò genio imperare, vt non acerbius rem in contradictores egerit.

5. Alios etiam Doctores allegat D. Dupin pro ſua ſententia de Fallibilitate Papæ; qui tamen nihil aliud docent, quàm id, quod nos ad defendendam doctrinam communem & certam omnium ferè Theologorum. Licet enim fieri poſſet, quod Romanus Pontifex tanquam perſona particularis incideret in errorem contra fidem, vel etiam in hæreſim; hoc tamen conſtanter tanquam omninò certum defendimus, non poſse Papam in re dubia inter Catholicos, partem falſam & erroneam toti Eccleſiæ credendam proponere, licèt partem falſam poſſit, vt Doctor particularis ſequi, & etiam ſcripto tradere: & contra hoc noſtrum aſſertum nihil faciunt authoritates adductæ à D. Dupin pag. 365.

SECTIO III.

Falsò, & ſine veriſimilitudinis ſpecie citat pro ſe Claudium de Sainctes.

1. ADducit ibi pro ſe Claudium de Sainctes, qui Concilio Tridentino interfuit; quia in reſponſione ad Apologiam Theodori Bezæ dixit: ***Licuit non ſolùm Sorbonicis, ſed in omni orbe Chriſtiano Theologis diſſerere, an Papa, ſi à fide defecerit, priuari poſſit gradu ſuo.*** Sed hoc teſtimonium non facit ad probandum Papam eſſe fallibilem in determinandis fidei, & morum controuerſijs, ſeu ad probandum poſſe errare, etiam quando aliquid credendum toti Eccleſiæ proponit cum intentione omnes obligandi: ad ſummum enim probaret, poſſe deponi à Concilio caſu quo deprehenderetur eſſe hæreticus; id autem nullam habet connexionem cum eo, quod poſſit errare, quando extra Concilium determinat fidei, & morum controuerſias, ſeu cùm totam Eccleſiam docet in his quæ ad fidem pertinent; vt probaui diſput. 1. ſect. 5. & diſp. 2. ſect. 5. §. 9.

2. Dixi *ad ſummum*, quia nec hoc reuera probat. Nam etiam Doctores tanquam certum ſtatuentes, Papam certum, & indubitatum eſſe ſupra Concilium, diſputant, an & quomodo ſi Papa à Fide defecerit, poſſit priuari gradu ſuo, vt videre eſt in Bellarm. tom. 2. lib. 1. de Conciliorum authoritate cap. 14. & cap. 19. verſu ***reſpondeo non mirum***; in P. Suarez diſput. 10. de fide ſect. 6. P. Valentia tom. 3. diſput. 3. queſt. 15. & P. Salmeron tom. 12. tract. 83. Omnes enim diſputant, an & quomodo ob crimen hæreſis Papa deponi valeat. Et quidem Cardinalis Turrecremata lib. 2. cap. 102. & lib. 4. 2. parte à cap. 18. Auguſtinus de Ancona de poteſtate Papæ art. 5. Paludanus in opuſculo eiuſdem argu-

Digitized by Google

menti; Driedo lib. 1. de libertate Chriſtiana cap. 14. Caſtro lib. 2. de iuſta hæreticor. punit. cap. 22. & 23. Simancas Inſtitut. Catholic. cap. 21. Cardinalis Iacobatius de Concil. tract. 1. & P. Salmeron loco nuper citato docent, in caſu hæreſis ab ipſo Deo immediatè deponi Papam. Suarez verò vbi nuper affirmat, in nullo caſu etiam hæreſis priuari Pontificem ſua dignitate, & poteſtate immediatè ab ipſo Deo, abſque hominum præeunte iudicio. Et P. Valentia loco citato tres refert ſententias, duas extremas, & alteram mediam. Prima eſt, per hæreſim non amitti ipſo facto poteſtatem Papalem, ſiue hæreſis occulta ſit, ſiue manifeſta, ſed amitti per depoſitionem, & ſententiam Eccleſiæ. Secunda eſt ex diametro oppoſita, nimirum amitti ipſo facto per peccatum hæreſis, ſiue manifeſtum, ſiue occultum, ac proinde Eccleſiam ſua ſententia non deponere Papam hæreticum, ſed declarare à Deo eſſe depoſitum. Tertia, ſcilicet media eſt, hæreticum manifeſtum amittere ipſo facto poteſtatem Papalem, non vero hæreticum occultum. Omnes iſti Doctores conſtanter docent, Papam errare non poſſe in determinandis fidei, & morum controuerſijs, imò eſſe ſupra omnia Concilia; & tamen hanc quæſtionem mouent. Ergo ex eo quod Claudius Sainctes dixerit, *licuiſſe non ſolùm Sorbonicis, ſed in omni orbe Chriſtiano Theologii diſſerere, an ſi Papa ſit à fide deuius, priuari poſſit gradu ſuo*, ineptè intulit Dupin, hunc Authorem ſtare pro ſua ſententia adimente Romano Pontifici priuilegium infallibilitatis in docendo totam Eccleſiam in rebus fidei.

SECTIO IV.

Falsò quoque, & ſine fundamento Dupin allegat pro ſe Ioannem Arboreum, confundens errorem perſonalem Papæ cum errore iudiciali eiuſdem docentis totam Eccleſiam.

1. ALlegat quoque pro ſe Ioannem Arboreũ Pariſienſem Theologũ, eo quod lib. 4. Theoſoph. c. 32. habet hęc verba: Papa in fide
„ errare poteſt, vt dicit Innocentius huius nominis Quartus cap. 1. de
„ Summa Trinitate. Et tota mihi via aberrare videtur, qui aliter ſen-
„ tit, & plus veritati tribuendam eſt, quàm amico. Aſſentantur ſanè
„ Romano Pontifici, qui faciunt eum immunem à peccato, & à lapſu
„ hæreſeos, & Schiſmatis, cum non ſit diuino munere confirmatus in
„ gratia.

2. Cęterùm locus iſte Arborei non probat intentum Dupini. Aliud enim

enim eſt Pontificem poſſe errare errore perſonali, & incidere in hæreſim, aliud eſt, poſſe errare errore iudiciali, dum determinat quæſtionem, & controuerſiam fidei exortam inter Catholicos, & præmiſſo diligenti examine determinat extra Concilium generale, quid tenendum ſit, & toti Eccleſiæ credendum proponit. Vt enim ſapienter monet Cardinalis Bellarminus lib. 4. de Rom. Pontif. cap. 7. „ Si Pontifex poſſit „ eſse hæreticus, ſolùm erit negando aliquam veritatem antea defini- „ tam: non autem poteſt eſse hæreticus, dum ipſe aliquid noui defi- „ nit, tunc enim non ſentit contra aliquid definitum ab Eccleſia.

3. Et in hoc communiter peccant prędicti Doctores Galli, dum exiſtimant ſolam Eccleſiā vniuerſalē, vel realiter, vel repræſentatiuè ſumptam, non poſse errare in fide, non autem Romanum Pontificem. Si enim ſermo ſit de errore in credendo, ſic certiſſimum eſt totam Eccleſiam non poſse errare in credendo, ſiue ſumatur phyſicè pro cumulo, & vniuerſitate omnium fidelium, ſiue ſumatur repræſentatiuè pro cumulo omnium Epiſcoporum qui totam Eccleſiam repræſentant. Non eſt autem certum apud omnes, licet à pleriſque Theologis teneatur, non poſse Romanum Pontificem errare in credendo, id eſt credere vt veritatem fidei aliquod dogma falſum; & ſic in credendo maior eſt authoritas Eccleſiæ, quàm authoritas ſolius Papæ. Si autem ſermo ſit de errore iudiciali, & in docendo, & definiendo; ideo Eccleſia vniuerſalis, vel Concilium generale illam repręſentans, non poteſt errare in definiendo, quia Eccleſia in ratione potentis definire infallibiliter controuerſias fidei, includit Romanum Pontificem, qui tanquam caput totius Eccleſię, & Vicarius Chriſti eſt ſupremus controuerſiarum Iudex, ad quem attinet dubia Fidei reſoluere, vel per ſeipſum, vel mediante Concilio à ſe confirmando. Atque hoc pacto non eſt maior authoritas Eccleſiæ quàm Papæ, ſed eſt eadem: quia Eccleſia ſumpta pro communitate fidelium nequit eſſe iudex controuèrſiarum, niſi ratione Capitis, cùm ad illam ſic ſumptam non ſpectet docere, ſed doceri, non paſcere, ſed paſci: Eccleſia autem ſumpta repræſentatiuè pro Concilio generali nequit eſſe Iudex controuerſiarum independenter à Papa; nec enim Patres Concilij habent aſſiſtentiam infallibilem Spiritus Sancti ad definiendum, niſi adhęreant capiti Eccleſiæ, & cum eius authoritate procedant: ac proinde authoritas Concilij in definiendo non eſt maior quàm authoritas Papæ, ſed eadem: vel ſi Concilium ſumatur vt diſtinctum à Papa, ſic eius authoritas non eſt maior quàm authoritas Papæ, ſed minor, quia ſic eſt authoritas ſubordinata authoritati alterius, & ab illo dependens. Vnde hæc propoſitio: *Minus authoritatis habet Romanus Pontifex, quàm tota, & vniuerſalis Eccleſia, quam repræſentat Concilium generale ritè congregatum*, poteſt habere ſanum ſenſum: nam tota, & vniuerſalis Eccleſia, quam repræſentat Concilium, habet authoritatem infallibilem in credenda, & in retinenda vera fide, quia nec ſe-

cundum ſe totam poteſt errare, nec à vera fide deficere: & hoc eſt certum certitudine fidei Catholicæ. At non eſt certum certitudine fidei, Papam non poſſe errare in fide, & hæreticum fieri.

SECTIO V.

Immeritò allegat Dupin pro ſua ſententia Dionyſium Carthuſianum.

1. ADducit pro ſua ſententia D. Dupin Dionyſium Carthuſianum, qui vir fuit valde pius, & doctus, & obijt anno 1471. citat verò poſt verba Toſtati ſequentia Carthuſiani ex libro 1. de authoritate Papæ, & Concilij cap. 51. Cùm Papa poſſit errare in fide, & moribus, & cęteris, quæ ſunt de neceſſitate ſalutis, eius iudicio non videtur vltimatè, ac certitudinaliter ſtandum in iſtis, cùm non ſit infallibilis regula, neque indeuiabile fundamentum. Verè & fideliter refert D. Dupin verba Carthuſiaui, ſed error irrepſit in citando: nam verba non habentur cap. 51. ſed articulo 31. Carthuſianus enim tres libros de authoritate Papæ, & Concilij diſtinxit per articulos, & liber primus complectitur duntaxat articulos 41. Verùm Carthuſianus explicandus eſt, ne ſibi manifeſtè contradicat: nam in toto illo opere latiſſimè probat Papam eſſe ſupra totam Eccleſiam etiam collectiue ſumptam, & prout congregatam in Concilio, Ex quo neceſſariò infertur, Papam eſſe regulam viuam fidei infallibilẽ, quando aliquid credendum proponit toti Eccleſiæ, ac proinde eius iudicium eſſe irreformabile.

2. Quod res ita ſe habeat, patet ex articulo 41. quo abſoluitur liber primus; nam titulus illius articuli eſt iſte: Demonſtratio quod Papa eſt ſupra totam Eccleſiam ſimul ſeu collectiuè acceptam tanquam caput, Paſtor, & Pontifex eius; & ſub hoc titulo ſic incipit: Vt finis huius tractatuli connectatur principio ſuo, rurſus clariſſimè reor probandum, quod in principio eius conſtat probatum, vt puta quod Papa toti Eccleſiæ coniunctim acceptæ præſideat, eiuſque rector, princeps, & iudex, paſtor, caput, ſponſus, Pontifexque conſiſtat, quod amplius quàm probatum eſt, non arbitrabar probandum, eo quod præinducta hoc ipſum ſufficienter, & ſuperſufficienter demonſtrent: ſed quoniam interim quàm hæc ſcripſi, quoddam ad me deuenit opuſculum, cuius collector pro magno reputat inconuenienti ita aſſerere, dicens, quod Papa nequaquam præſit toti, & vniuerſali Eccleſię, niſi ad hunc ſenſum, quod præeſt cuicumque particulari Eccleſiæ, atque cuilibet particulari perſonę Eccleſiaſticæ. Contra cuius imaginationem &c.

Quam

Digitized by Google

3. Quam imaginationem, ſeu euaſionem poſtquam alijs argumentis
„ reiecit, poſtea addit pag. 347. Præterea cùm iuxta omnium Sancto-
„ rum Patrum atque Doctorum Catholicorum documenta, & teſtimo-
„ nia præinducta, beatiſſimus Petrus, & quilibet eius ſucceſſor ſit] ple-
„ nus Chriſti Vicarius, in hoc mundo, neceſſe eſt confiteri, quod to-
„ tius illius Eccleſiæ in terris ſit Prælatus & Paſtor, & Pontifex, cuius
„ Chriſtus eſt Princeps, Rex, Paſtor ſummus, ita quod præſit toti po-
„ pulo Chriſtiano ſimul accepto, ſuoque tempore exiſtenti: ſicque to-
„ tus hic populus ſit vnus grex Papæ ſubiectus, cuius ipſe eſt paſtor:
„ Denique plenus Vicarius, medius eſt inter præſidentem principalem,
„ & inter totum populum illi principali ſubiectum ſimul ſeu collectiuè
„ acceptum, aliter enim non plenariè gereret vices principalis illius.
„ Vnde ſi Rex terrenus committat alicui Principi regnum ſuum plena-
„ ria commiſſione, atque cum poteſtatis plenitudine, nullum eſt du-
„ bium, quin princeps ille præeſſe & prouidere habeat toti populo re-
„ gni ſibi commiſſi ſimul accepto, ſecundum quod Rex præfuit ei,
„ quamuis iſte ſit Princeps Vicarialis. Cum ergo Papa ſit plenus
„ Chriſti Vicarius, conſtat quod inter Chriſtum in Cælo regnantem,
„ & inter totum populum Chriſtianum in terra peregrinantem ſimul
„ acceptum, Papa ſit medius tanquam ſummus & plenus Chriſti Vica-
„ rius, atque totius Eccleſiæ rector, paſtor & Pontifex: idcirco à viris
„ Catholicis atque doctiſſimis Theologis ac Iuriſtis Papa dicitur eſſe
„ ſupra hominem, & infra Deum. Nec tamen ex his ſequitur, vt
„ quidam quaſi deuiſibiliter arguunt, quod Papa eſſet Prælatus, &
„ Pontifex ſui ipſius.

4. Et poſtquam hoc effugium quaſi puerile refutauit manifeſtis in-
„ ſtantijs petitis à Scriptura, pagina ſequenti ſubdit: Porrò hæc omnia,
„ ſcilicet quod toti populo Chriſtiano ſimul accepto, ſeu vniuerſali
„ Eccleſiæ collectiuè ſumptæ præſit Papa, S. Thomas non ſolum affir-
„ mat, ſed etiam ex intentione rationibus authoritatibuſque demon-
„ ſtrat, præſertim in Summa contra errores Græcorum, atque in Summa
„ contra gentiles, & ſuper ſecundum & quartum Sententiarum, vt ſu-
„ pra iam patuit. Quod etiam clariſſimè innoteſcit ex verbis Beati
„ Bernardi libro ſecundo de conſideratione ad Eugenium, vbi, vt alle-
„ gatum eſt, inter cætera ait: Chriſtus committens omnes oues Petro,
„ vnitatem omnibus commendauit in vno grege & vno Paſtore. In
„ quibus verbis clariſſimè inſinuatur, quod Petrus poſt Chriſtum fuit
„ vnus Paſtor omnium ouium Chriſti, omneſque oues fuerint vnus
„ grex Petro commiſſus ac ſubditus: particulares verò Eccleſiæ non
„ ſunt vnus grex Chriſti, nec eius Vicarij ſcilicet Papæ, ſecundum
„ quod partitiuè ſeu diuiſim, ſed vt collectiuè ſumuntur: Aliter nempe
„ ſunt plures greges, ſicut & plures Eccleſiæ, & plures Prælati. Rur-
„ ſuſque ait illuminatiſſimus ille Bernardus Eugenio Papæ: Cum quiſ-

„ que

„ que cæterorum ſuam ſcilicet nauim habeat ſiue Eccleſiam, tibi vni
„ commiſſa eſt grandiſſima nauis facta ex omnibus, ipſa vniuerſalis
„ Eccleſia toto orbe diffuſa. Neſcio, quid clarius dici poteſt.

5. Et iterum libro 2. articulo primo apponit hunc titulum: De-
„ monſtratio, quod Papa toti Eccleſiæ militanti ſimul ſeu collectiuè
„ acceptæ præſideat; idque probat eo articulo ex dictis Catholicorum
Doctorum; articulo 2. ex dictis Summorum Pontificum; & alijs ca-
pitibus probat hoc ipſum in ſequentibus articulis. Et art. 12. pag. 2.
fol. 353. vocat puerile argumentum cuiuſdam Doctoris, qui dicebat
Papam non eſſe maiorem, & ſuperiorem vniuerſali Eccleſia, cum ſit
„ pars eius: Cum enim Papa, inquit, dicitur maior & ſuperior tota
„ Eccleſia, intelligendum eſt hoc per excluſionem ſui ipſius, iuxta
„ quem modum ſecundum Damaſcenum, alioſque Doctores humani-
„ tas Chriſti dicitur omni creaturæ prælata, & cunctis creatis ſuperior,
„ cùm tamen ipſa ſit pars creaturæ. Vnde & pars non eſt maior ſuo
„ toto, ſumendo totum cum partis incluſione: ſed pars poteſt eſſe ſuper
„ totum reſiduum, vt præſul ſuper totam diœceſim, & Abbas ſeu Prior
„ ſuper totum Conuentum. Et initio illius articuli dixerat: Cum co-
„ pioſiſſimè ſit probatum, quod Papa præſit toti Eccleſiæ ſimul acce-
„ ptæ, & immediatiorem, magiſque propriam habeat operationem ad
„ totam vniuerſalem Eccleſiam, quam ad quamcumque Eccleſiam par-
„ ticularem, tanquam ſummus Hierarcha, & proprius vniuerſaliſque
„ Paſtor, Prælatus, caput, Sponſus, Pater ac Rector totius Eccleſiæ pa-
„ riter ſumptæ, dubium nullum relinquitur, quin iuriſdictionem ha-
„ beat, poteſtatem & authoritatem ſuper totam Eccleſiam collectiuè
„ ſumptam, ſecundum legem ſibi à Chriſto præfixam: hoc eſt, quan-
„ tum ad ea quæ concernunt cathedram ſeu Magiſterium & Pontifi-
„ cium eius: ſicque directè ad eius ſpectat officium totam Eccleſiam
„ purgare, illuminare, perficere, gubernare, & regere, legem, ſeu iuſ-
„ ſionem obligatoriam ei præfigere.

6. Manifeſtum ergo eſt, doctrinam Dionyſij Cartuſiani toto cælo
diſtare à doctrina D. Dupin. Nam hic Author differt.*6.* pag.384. aſſe-
rit, Romanum Pontificem habere poteſtatem in vniuerſa Eccleſia, non
„ tamen in vniuerſam Eccleſiam: ſic enim ex principijs à ſe ſtatutis in-
„ fert: Non ergo Summus Pontifex habet poteſtatem in vniuerſam Ec-
„ cleſiam, licet habeat in vniuerſa Eccleſia; ſed vice verſa Eccleſia ha-
„ bet poteſtatem in Pontificem. Quam doctrinam explodit Cartuſia-
„ nus lib.3. art.21.fol.371.pag.2. Quidam vim faciunt (inquit) in hoc,
„ quod Gregorius dicit Petrum fuiſſe ſummum intra Eccleſiam, non
„ ſupra illam: quod quam nullius ſit ponderis conſtat ex eo quod
„ Gregorius in Moralibus & alibi ſæpe vocat Petrum ſummum ac pri-
„ mum Paſtorem Eccleſiæ: talis autem Paſtor eſt ſuper gregem ſibi
„ commiſſum, ſicut in Euangelio loquitur Chriſtus: *Quis putas eſt fi-*

„ *delis*

Digitized by Google

" *delis ſeruus, & prudens, quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam?* " Atque in Pſalmo: *Conſtitues eos Principes ſuper omnem terram.* Papa " ergo & ſupra Eccleſiam eſt, quoniam toti Chriſtianitatis reſiduo, " quod citra ipſum eſt, præſidet, & intra Eccleſiam, cum ſit caput, " principaleque membrum Eccleſiæ: vnus itaque de Eccleſia, ſumen- " do Eccleſiam incontractè pro ouili & Paſtore.

7. Præterea mens huius Doctoris patet ex art. 35. tertij libri, ſeu " ex epilogo totius operis, vbi ſic concludit fol. 378. pag. 2. Ad hoc ita- " que trium opuſculorum iſtorum, quæ iam de authoritate Summi " Pontificis ac generalis Concilij compilaui, diſpntatio concluſiona- " liter eſt producta, quod Dominus Papa eſt ſummus, plenus ac ge- " neralis Vicarius Chriſti ſuper totam & vniuerſalem Eccleſiam, tam " coniunctim, quam diuiſim conſideratam aut ſumptam. Quod item " per prius comparetur ad totam vniuerſalem Eccleſiam militan- " tem ſuo tempore exiſtentem, quam ad quamcunque Eccleſiam " particularem. Rurſus, quod ipſum quoque Generale Conci- " lium ſecundum Petrum de Alliaco, & alios plures per comparatio- " nem ad Papam ſit quædam particularis Eccleſia, cuius Papa eſt ca- " put. Inſuper quod plenitudo, vertex ac ſupremitas Eccleſiaſticæ " poteſtatis in ſolo ſit ſummo Pontifice verè, propriè, exiſtentialiter, " hoc eſt ſubiectiuè atque formaliter: in vniuerſali verò Eccleſia, & in " generali Concilio ſit tropicè, & aliquo modo æquiuocè itaque in " Eccleſia vniuerſali dicitur eſſe finaliter, in Concilio autem repręſen- " tatiuè. Vnde ſicut magis verè propriè & realiter eſt in Summo Pon- " tifice, quam in Eccleſia vel Concilio, ſic magis denominat illum, " quam illam vel illud; ſicque nulla particularis Eccleſiaſtica poteſtas " æqualis eſt poteſtati Papæ; imo nec tota reſidua poteſtas Eccleſia- " ſtica ſimul accepta æqualis eſt poteſtati Papali abſolutè loquendo, " præſertim cum in Summo Pontifice ſit vtriuſque poteſtatis vertex & " plenitudo.

8. Et quantum diſtet ſententia Carthuſiani à ſententia Dupini, pa- " tet ex lib. 1. art. 27. vbi inquit. Cùm itaque quæritur, an Papa ſit ſupra " Concilium, an è contra, mentio ſit de Papa, atque Concilio ſeorſim " conſideratis ſeu ſumptis. Quidam itaque nunc abſolutè loquendo " audacter reſpondent, quod generale Concilium ſic acceptum, prout " vniuerſalem Eccleſiam repræſentat, ſit ſuper Papam, & maioris au- " thoritatis ac poteſtatis quam Papa, ita quod Papa tenetur obedire " Concilio, non è contrario. Verum quia hucuſque probatum & ten- " tum eſt, quod Papa ſit totius, ſeu vniuerſalis Eccleſiæ ſimul ſumptæ, " non ſolùm diuiſim acceptæ, Paſtor, ſummuſque Pontifex, Prælatus " & caput, poteſtatis plenitudinem habens; videtur periculoſum tam " abſolutè ſimpliciterque aſſerere, quod Concilium ſit ſuper Papam, " loquendo appropriatè de maioritate, dignitate & poteſtate perti-

" nen-

„ nente ad dona gratiæ gratis datæ, ad quam certum eſt pertinere iu-
„ diciariam poteſtatem, præſidentialem dignitatem, iuriſdictionalemq;
„ prælationem.

9. Nec ſolum Carthuſianus in alijs articulis ſibi contradiceret, ſi ſentiret Papam in definiendo & edendo ſymbolum fidei poſſe errare, ſed in vno eodemque articulo: nam in illo ipſo articulo 31. paulò poſt ver-
„ ba citata à Dupin ita ſcribit: Præterea cum Papa conſtitutus ſit to-
„ tius Eccleſiæ ſummus generaliſque cuſtos, Paſtor & Pontifex, fidei-
„ que defenſor, ac præcipuarum difficultatum Eccleſiæ determinator,
„ non ſic ad generale Concilium pertinet hæreſes & ſchiſmata extir-
„ pare, totius Eccleſiæ reformationi intendere, fidem declarare, ac fi-
„ dei ſymbolum edere, quin etiam hæc ipſa ad Papam ratione ſui officij
„ directè pertineant. Ideo neque ex his ſatis oſtenditur, quod pote-
„ ſtas Concilij ſit abſolutè loquendo maior poteſtate Papali, ſed quan-
„ tum ad aliquid; quoniam hęc *certius ſeu expeditius* fiunt per Conciliũ
„ generale, quam per Papam duntaxat, eo quod maioris gratiæ atque
„ ſubſidij promiſſio ſit facta Eccleſiæ, quam Papæ. Ideo Chartuſianus dicit declarationes Fidei, editionem Symboli fieri *certius* per Concilium quia infallibilitas definitionis factę a Concilio legitimè congregato, & confirmato à Papa à nullo Catholico negatur: immo quilibet Catholicus affirmat, id ſolùm hæreticè negari poſſe.

10. In verbis ergo citatis à Dupin Carthuſianus ſolum intendit, quod quando congregatum eſt Concilium generale legitimè, & manet ſub obedientia Papæ, & Patres conueniunt in definiendo aliquo articulo, Papa teneatur anteponere iudicium Concilij iudicio proprio, nec poſſit definire, & Eccleſiæ credendum proponere oppoſitum eius, quod Concilium vniformiter declarauit: non quia Concilium ſit ſupra Papam, ſed quia Concilium ſic congregatum, & ſic definiens habet aſſiſtentiam infallibilem Spiritus Sancti: Papa autem ipſe non habet aſſiſtentiam infallibilem Spiritus Sancti, ne erret in iudicio, quod de rebus fidei ferre poteſt, antequam conſtitutionem edat, vi cuius totam Eccleſiam intendit obligare ad credendam eam partem, quam ipſe determinat in quæſtione fidei controuerſa inter doctores Catholicos; ſicut non habet aſſiſtentiam Spiritus Sancti, ne erret in moribus perſonâlibus, & in ijs quæ ſunt de neceſſitate ſalutis. Nos enim non intendimus ſtatuere tanquam certum, quod Papa non poſſit errare in iudicio, quod format antequam procedat ad definiendum è cathedra, & obligandum totam Eccleſiam.

11. Id magis conſtabit, ſi in medium producamus integrum con-
„ textum Carthuſiani in illo articulo 31. ſic autem ſe habet. Conci-
„ lium generale non niſi propter cauſas ſingulariter magnas & arduas,
„ vt puta quæ aliter *congruè* expediri non queunt, congregandum ce-
„ lebrandumque eſſe omnes fatentur. Porro hæ cauſæ ſunt extirpatio
„ hære-

,, hæreticæ prauitatis ac ſchiſmatis, declaratio fidei, atque editio
,, ſymboli eius, vniuerſalis reformatio Eccleſiæ in capite & in mem-
,, bris ipſius. Itaque in expeditione iſtorum maior dicitur poteſtas
,, Concilij generalis, quam Papæ, quoniam Chriſtus promiſit Eccleſiæ
,, ſeu Concilio ipſam repræſentanti infallibilem directionem, & glo-
,, rioſam aſſiſtentiam inceſſantem, ita quod errare non poteſt in fide,
,, neque in his quæ ad bonos pertinent mores, eo quod in talium de-
,, terminatione regatur immediatè à Spiritu Sancto. Vnde & Papa in
,, talibus tenetur ſtare determinationi Eccleſiæ, ſeu ſtatutis Concilij,
,, tanquam ordinationi ac ſententiæ Spiritus Sancti. Cumque Papa
,, poſſit errare in fide & moribus, ac cæteris quæ ſunt de neceſſitate ſa-
,, lutis, eius iudicio (non dicit eius definitioni, eius declarationi ſed
,, eius iudicio quod ſcilicet de rebus Fidei ferre poteſt ante quam
,, Conſtitutioné edat) non videtur vltimatè ac certitudinaliter ſtandum
,, in iſtis, cum non ſit infallibilis regula, neque indeuiabile fundamen-
,, tum. Verumtamen ſicut præhabitum eſt, infallibilis iſta directio à
,, Spiritu Sancto, non videtur pertinere ad maioritatem poteſtatis ac
,, iuriſdictionis præſidentialis, ſed potius eſt ſupernaturale donum
,, Spiritus Sancti, actuale magis quàm habituale. Idcirco ex hoc non
,, ſatis probatur poteſtas Eccleſiæ eſſe ſuper poteſtatem Papæ, ſed
,, quod maior ſit gratia atque perfectio vniuerſalis Eccleſię. Vnde Bea-
,, to Petro defuncto, & Sancto Clemente ſeu Lino ſedem Papalem te-
,, nente, viuente adhuc beatiſſimo Ioanne Euangeliſta, qui confirmatus
,, fuit in gratia, certum eſt, Clementem ſeu Linum maiorem fuiſſe
,, Ioanne poteſtate ac iuriſdictione, prælationiſque dignitate. Sed
,, & Petrus maior fuit Ioanne, quamuis Ioannes fuerat maior Clemen-
,, te ac Lino infallibili directione Spiritus Sancti, ſeu indeuiabili con-
,, firmatione in charitate & gratia. Hucuſque Chartuſianus.

12. Exemplum iſtud Ioannis Euangeliſtæ adductum à Chartuſiano ad oſtendendum bene ſimul ſtare illa duo, nempe Concilium habere infallibilitatem, quam Papa non habet, & tamen maiorem eſſe iuriſdictionem, & poteſtatem Papæ, cui ipſum Concilium ſubeſt; hoc inquam exemplum clarè monſtrat, Chartuſianum, dum dicit Concilium habere infallibilitatem, Papam illam non habere, non loqui de infallibilitate, & fallibilitate in definiendo, & declarando, ſed de infallibilitate, & fallibilitate in iudicando, quam ſupra expoſui. Si enim de priori infallibilitate, & fallibilitate loqueretur, exemplum Ioannis Euãgeliſtæ, & Lini eſſet planè inefficax, & ineptum. Id enim, quod conueniebat Ioanni, & in quo erat vt ibi conſiderat Chartuſianus Lino potior, non erat infallibilitas in definiendo ex Cathedra, ſed confirmatio in charitate, & gratia. Eſt autem planè inepta hæc illatio: *Ioannes Euangeliſta quamuis non haberet ſupremam iuriſdictionem in Eccleſia; erat tamen confirmatus in gratia, quod non competebat Lino: ergo licet Concilium ſit infra Papam, nec habeat ſupremam*

iuriſdictionem in totam Eccleſiam, benè poterit habere infallibilitatem in definiendo, quam Papa non habeat. Nimis enim eſt manifeſta diſparitas inter infallibilitatem in definiendo ex vna parte, atque confirmationem in gratia ex altera. Nam prior cùm fiat præcipiendo, & inducendo ſuo præcepto immediatè obligationem in totam Eccleſiam, neceſſariò ſibi adnectit ſupremam iuriſdictionem, nec niſi habenti ſupremam iuriſdictionem conuenire poteſt.

13. Obſeruanda præterea ſunt in textu Chartuſiani illa verba, *quæ aliter congruè expediri non queunt.* Non dicit Chartuſianus abſolutè declarationem fidei, editionem ſymboli non fieri poſſe abſque Concilio: ſed non poſſe fieri congruè, id eſt vt ipſe poſtea explicat, *tam expeditè.* Hoc eſt illud, ad quod oſtendendum & probandum dicit Chartuſianus iudicium Papæ non eſſe infallibile, eſſe vero infallibile iudicium Concilij. Ad ſcopum autem oſtendendi hoc, ſatis eſt, quod licet Papa ſit infallibilis in definiendo, tamen non ſit infallibilis in iudicando; Concilium vero confirmatum à Papa habeat vtramque infallibilitatem: conſtat enim expeditius illa fieri, quando interuenit vtraque infallibilitas.

14. Imo ſi Chartuſianus in verbis allatis à Dupino abſolutè negaret & indiſtinctè infallibilitatem Summo Pontifici, in hoc ipſo teſtimonio contradiceret ſibi; hoc enim ipſo, quod dicat editionem ſymboli, & declarationem fidei fieri expeditius à Concilio, abſolutè concedit poſſe fieri à ſolo Pontifice; ergo concedit abſolutè ipſi infallibilitatem; Nam ille ſolum poteſt obligare totam Eccleſiam ad credendum, atque ipſi articulos vt fide credendos proponere, qui habeat infallibilitatem.

SECTIO VI.

Alia etiam teſtimonia ab ipſo adducta nihil probant.

1. NEc aliud probat teſtimonium illud quod adducit ex Gualtero ex ordine S. Benedicti Pariſienſi theologo: ſolum enim probat Pontificem poſſe incidere in errorem contra fidem. Cæterum, quod poſſit in dubio fidei, ſeu in quæſtione controuerſa inter Catholicos, partem falſam non ſolum aſſenſu interno amplecti, ſed etiam definire, & toti Eccleſiæ credendam proponere, hoc non perſuadet: & hoc duntaxat tanquam certum & indubitatum defendimus.

2. Cenſura verò illa facultatis Theologicę Pariſienſis allegata à Dupin, quam tulit contra Monteſonſi, eo quod appellaſſet à cenſura contra ipſum lata à Facultate Theologica, hoc fundamento quod ſolus Papa de fide & doctrina iudicare poſſet. Illa, inquam, cenſura vel non eſt ad propoſitum, vel intolerabilem continet errorem. Cenſura ita ſe habet,

„ bet, vt refert D. Dupin pag.362. Secunda pars illius *dicti*; quod ſci-
„ licet ad ſummum Pontificem attinet eorum quæ tangunt fidem exa-
„ minatio & determinatio, continet manifeſtam hæreſim, imo multas
„ hæreſes. Hæc autem cenſura, ſi appellet hæreſim aſſertionem communem omnium ferè Theologorum, quam omni argumentorum genere in hoc opere demonſtramus, quatenus præciſè affirmat, quod Romanus Pontifex titulo muneris ſui poſſit, imo debeat dubia fidei emergentia inter Catholicos examinare, & reſoluere, & determinare, & ouibus ſuis oſtendere, quid tenere debeant vt ſanum & verum, quid fugere vt malum & falſum; continet errorem intolerabilem, & hæc cenſura meretur cenſuram Theologicam acrem. Conſtat enim ex vniuerſa hiſtoria Eccleſiaſtica, Eccleſias omnes, omnique tempore ad Romanam Sedem recurriſſe in dubijs circa fidem, & eius reſponſa ſuſcepiſſe tanquam oracula; vt manifeſtè oſtendimus diſp. 4. & 5. Si autem propoſitio aſſerta à Monteſono ſumatur in ſenſu excluſiuo, ita vt ſenſus ſit, ad ſolum Romanum Pontificem, & non ad Concilium generale pertinere examinare, & determinare dubia fidei: ſic cenſura data à Facultate Theologica non eſt ad propoſitum. Et in hoc ſenſu videtur vſurpatam fuiſſe à Facultate Theologica, vt patet ex ratione, quam ſtatim reddit, cur dixerit, dictum illius Theologi continere manifeſtam hæreſim, *quia per illam excluſionem*, inquit Facultas Theologica, *excluditur vniuerſalis Eccleſia, & vniuerſale Concilium eam repræſentans, quod eſt hæreticum*.

3. Si autem Cenſura ſignificet, hæreſim eſſe aſſerere, quod ad Romanum Pontificem tanquam ad ſupremum controuerſiarum Iudicē ſpectet determinare vltimo dubia fidei, quando non poteſt Conciliū generale cōgregari, nec ab hac definitione fidei licitū eſſe appellare ad Concilium: ſic cenſura illa continet intolerabilem errorem: quia appellat hæreſim, ſententiam communem Patrum, & omnium Theologorum, deductam per neceſſariam conſequentiam ex Euangelio, ex Concilijs generalibus, ſtabilitam in Iure Canonico, & communi praxi Eccleſiæ confirmatam. Ferri quidem non poſſet, quod ſententiam iſtam communem omnium ferè Theologorum appellaret falſam; & appellare hæreticam multo minus ferri poteſt. Vnde merito huc afferre poſſumus dictum ſapientiſſimi Andreæ Duuallij par. 4. quæſt. 7. vbi explodit ſententiam Etmundi Richerij, & Simonis Vigorij, qui aſſeruerunt de fide eſſe, quod Concilium ſit ſupra Papam: quia nemo, inquit, Duuallius
„ nunc eſt in Eccleſia qui ita ſentiat præter egregios illos Dioſcoros
„ Vigorium, & Richerium, quorum ſi vera eſſet ſententia, totus orbis
„ Chriſtianus, qui contrarium ſentit, in fide turpiter erraret. Si nunc ſcriberet Duuallius, poſſet addere tertium authorem, nimirum D. Ludouicum Ellies Dupin, qui diſſert. 6. §.5. pag. 405. ſic concludit: Ex
„ his abundè euincitur, quæſtionem illam de authoritate Concilij ge-

„ neralis etiam ſupra Papam, in tribus Concilijs generalibus per tres „ Pontifices legitimos, & ab omnibus receptis, approbatos, diſertè & „ apertè definitam fuiſſe, ita vt de illa iam non ſine temeritate dubi- „ tari poſſe videatur: cum tamen manifeſtum ſit, omnes fere Doctores præter paucos Gallos & ſentire, & ſolidiſſimè probare, Concilium Conſtantienſe, quando declarauit Concilium eſſe ſupra Papam, non fuiſſe generale, & in hac parte non fuiſſe poſtea approbatum à Martino V. Et de Concilio Baſilienſi manifeſtum ſit, etiam ex confeſſione illuſtriorum Doctorum Galliæ, non Concilium, ſed ſcandaloſum Conciliabulum fuiſſe, quando declarauit illam doctrinam ad fidem Catholicam pertinere; vt nos clarè oſtendemus diſputatione 15. Concilium autem Piſanum non fuiſſe generale, probat rectè D. Duuallius parte 2. quæſt. 4. mag. mihi 257. & S. Antoninus 3. par. tit. 22. cap. 5. §. 2. & 3. ſummæ hiſtorialis, vbi aſſerit *Conciliabulum illegitimum, non verum Eccleſiæ Concilium fuiſſe*. Idque euentus ipſe oſtendiſſe videtur, coactum enim fuit ad ſchiſma tollendum; & tamen illud non ſuſtulit, ſed auxit. Certumque eſt non omnibus Prælatis liberum aditum ad Concilium iſtud patuiſſe: quia non patuit ijs, qui à partibus Gregorij XII. & Benedicti XIII. ſtabant, multique Prælati Italiæ & Hiſpaniæ, illud pro vero Concilio nunquam agnouerunt.

SECTIO VII.

Authores allegati à Dupin pro ſua & Cleri Gallicani ſententia nullam ei poſſunt conciliare probabilitatem.

1. Ratio eſt; quia licèt Gerſon fuerit vir valdè pius & doctus, & ſimiliter aliqui alij, qui ipſum ſecuti ſunt; tamen ſcripſit eo tempore turbulento, quando neceſſe erat exaltare Concilij authoritatem ad extinguendum ſchiſma, & inebriatus zelo reſtituendi pacem Eccleſiæ, totam mentem applicauit ad ſtabiliendam authoritatem Concilij, & non ſatis conſiderauit authoritatem Vicarij Chriſti in terris, quando ille eſt certus & indubitatus; vnde incautè locutus eſt, & ipſe errauit, & alios in errorem induxit. Authoritas autem eius ſi comparetur cum authoritate Doctorum, qui infallibilitatem Romani Pontificis in definiendo, & eius excellentiam ſupra omnia Concilia defendunt, eſt valdè exigua, & ferè nulla, præſertim in hac materia. Hoc enim defendunt primaria Theologiæ lumina, & Scholarum Principes Sanctus Thomas, S. Bonauentura, B. Albertus Magnus, Alexander Alenſis, Richardus, Durandus, Scotus, Ægidius Romanus, Baconus, & vno verbo omnes,

nes, quotquot ante Concilium Conſtantienſe hanc controuerſiam attigerunt. Et poſt Concilium Conſtantienſe has controuerſias exactius, profundius, & latius examinarunt viri præſtantiſſimi ingenio, pietate, & eruditione, de quibus præſumi non poteſt ſiniſtro aliquo affectu tactos ad ſcribendum acceſſiſſe. Tales fuere Cardinalis Turrecremata, Cardinalis Caietanus, Cardinalis Iacobatius, Cardinalis Bellarminus, Thomas Waldenſis, Melchior Canus, Eximius Doctor Franciſcus Suarez, Gregorius de Valentia, Alphonſus Salmeron, Thomas Stapletonius, Andreas Duuallius, & alij innumeri, quorum catalogum exhibuimus, quorum authoritas tanta eſt, vt eâ præcisè attentâ, & præſcindendo ab alijs fundamentis, rem hanc reddat moraliter certam, & omnem probabilitatem adimat ſententiæ contrariæ. Ex communi enim omnium, vel ferè omnium Scholaſticorum ſententia fit argumentum adeò efficax, vt illis refragari temerarium ſit, vt probat eleganter
„ M. Canus lib 8. de locis cap. 4. Nam in quacunque, inquit, arte, pe-
„ ritis credendum eſſe ratio monſtrat. Nec enim ſanus haberetur, qui
„ nautis in nauigandi ratione non crederet. Qui igitur in arte hac, de
„ Theologiæ dogmatibus diſſerendi, experientibus & exercitis nullam
„ fidem habet, aut parùm ſanus, aut certè temerarius eſt. Deinde in
„ Clement. Vni. de Summa Trinitate, Patres Concilij Viennen. opi-
„ nionem illam, inquiunt, quæ dicit, tam paruulis quàm adultis con-
„ ferri in Baptiſmo informantem gratiam, & virtutes, tanquam pro-
„ babiliorem, & Doctorum modernorum Theologiæ magis conſonam
„ & concordem, fore à Catholicis eligendam. Si ergo in re, quæ olim
„ inter ipſos etiam Scholaſticos Theologos controuerſa fuerat, opinio
„ concors iuniorum tanti apud Patres in Concilio fuit, quantò magis
„ nos res omni tempore ab Schola præſcriptas tenere, ac reuereri de-
„ bemus? Et ſi opinatio ipſa Theologorum recentiorum communis
„ fidem facit Concilio, illudque inclinat vt definiat huiuſmodi opi-
„ nationem eſſe tenendam, quid ſi non ex opinione, ſed ex certo, &
„ minimè circumductili animo quicquam Theologi omnes præfinie-
„ rint? An non exiſtimas Concilium Viennenſe pro eiuſmodi dogma-
„ tis firmiter in Schola receptis grauiore cenſura iudicaturum? Scho-
„ læ igitur communem conſenſum, non niſi impudenter, & temere
„ reijciemus. Præterea cum inter ipſos Theologos ſcholaſticos ma-
„ gna ferè vbique diſſenſione certetur, ita vt in hac parte iure forſitan
„ reprehendantur, certè non idem omnes aſſererent, niſi eodem diui-
„ no ſpiritu permouerentur. Nec minus mirandum eſt, varias ſcholæ
„ factiones doctoreſque, tam inter ſe diſcrepantes, in vnam eandemque
„ ſententiam concurriſſe, quam ſeptuaginta interpretes diuerſis, vt
„ ferunt, Cellulis incluſos, in vnam eandemque conueniſſe interpre-
„ tationem. Non igitur poterit eſſe verum illud, quod ſcholaſticorum
„ Theologorum choro idem concinenti fuerit contrarium.

2. Et

2. Et certè in defendenda authoritate infallibili Romani Pontificis conueniunt ingenia, quæ non facilè inter ſe alias concordant; vt Durandus & Scotus cum D. Thoma, Gabriel Vazquez cum Franciſco Suarez: tantuſque conſenſus in re adeo examinata non aliunde oriri potuit, quàm ex irrefragabilibus fundamentis petitis ab authoritate Scripturarum, & Conciliorum, & communi praxi Eccleſiæ.

3. Adde ad probabilitatem opinionis requiri, quod non ſit contra communem ſententiam Patrum, contra authoritatem Conciliorum, contra Decreta ſanctiſſimorum Pontificum, & contra manifeſtam rationem: Eſt autem ſententia illorum Gallorum, contra hæc omnia, vt oſtendimus abunde in hoc opere. Nam in adſtruenda infallibilitate Romanæ ſedis conſpirant Patres Eccleſiæ: Sanctiſſimi Pontifices, virtute, ſapientia, & gloria martyrij illuſtres; & praxis perpetua Eccleſiæ: Et quamuis expreſſe definita non ſit in Concilijs generalibus, ex eorum definitionibus manifeſtè deducitur; & rationibus conuincitur, quas exhibuimus. Ergo illa Dupini, & quorundam aliorum ſententia non eſt probabilis.

4. Nec aliquod fundamentum ſolidum pro ſe habet ſententia contraria. Conſiderant enim Romanum Pontificem quatenus homo eſt, ignorantiæ & paſſionibus expoſitus; & ideo negant illi infallibilitatem in definiendo. Quo fundamento poſſent ſimiliter negare infallibilitatem definitionibus Conciliorum generalium, quæ componuntur etiam ex hominibus, qui eiſdem miſerijs obnoxij ſunt. Vnde ſicut infallibilitas definitionum ſynodalium petenda eſt ex aſſiſtentia Spiritus Sancti, quæ promiſſa eſt à Chriſto Concilijs legitimè congregatis, & ſeruantibus vnionem in ſuo capite: ex eadem aſſiſtentia Spiritus Sancti petenda eſt infallibilitas definitionum Romanæ ſedis; quam aſſiſtentiam impetrauit Chriſtus oratione ſua Petro & ſucceſſoribus eius, vt poſſet nutantes fratres ſuos in fide confirmare: eamque aſſiſtentiam promiſit, dum Petrum & ſucceſſores eius fecit ſui Vicarios in terris, & illos conſtituit Paſtores ſummos totius ſui ouilis & gregis. Nec aliter Eccleſia potuiſſet eſſe infallibilis in credendo, niſi Chriſtus reliquiſſet in ea ſupremum Doctorem & magiſtrum, qui eſſet infallibilis in docendo: nec vnitas fidei poſſet conſeruari in Eccleſia, niſi Chriſtus reliquiſſet in ea ſupremum aliquem iudicem viſibilem, qui dubia emergentia circa fidem & mores poſſet cum infallibilitate dirimere; qui iudex alius eſſe congruè non potuit, niſi ille qui toti Eccleſiæ præeſt tanquam caput viſibile, & qui tanquam ſupremus Paſtor debet ſupra totum gregem Chriſti inuigilare, vt illam paſcat veritate & virtute: nec Chriſtus ſufficienter prouidiſſet Eccleſiæ, ſi aſſiſtentiam infallibilem ad non errandum in materia fidei ſolum communicaſſet Concilio generali, non autem Pontifici, quãdo definit extra Concilium generale, etiamſi id faciat cum Synodo Nationali, & præmiſſo diligentiſſimo examine. Nec fundamen-

mentum quod deſumit ex Concilio Conſtantienſi, vllius eſt ponderis, vt clarè demonſtrabimus diſputatione ſequenti.

SECTIO VIII.

Quamuis doctrina de fallibilitate Pontificis & de eius inferioritate ad Concilium generale eſſet immunis ab omni cenſura Theologica, & gauderet aliqua ſolida probatione; non poſſet Illuſtriſſimus Clerus Gallicanus hac doctrina vti, ſi procedere vellet conſequenter ad principia de vſu illicito opinionis minus tutæ in occurſu probabilioris & tutioris.

§. I.

Præmittuntur aliqua.

1. DIſputatione XII. in medium produximus cenſuras Theologicas, quibus Illuſtriſſimi Theologi notant doctrinam illam, quam Clerus Gallicanus in Conuentu Pariſienſi anno 1682. promouere, & ſtabilire conatus eſt. Vidimus, quantum ſapientiſſimus doctor Andreas Duuallius laborauerit in liberando illam à cenſura Theologi-
„ ca; Vidimus ipſum tandem fateri, &ſi opinio illa, quæ ſtat à partibus
„ Conciliorum in ratione opinionis à temeritate vacet, à temeritate
„ tamen in ratione obedientiæ vix poſſe excuſari; quia fouet vt pluri-
„ mum inobedientiam, & diffidia multa, magnoſque tumultus in Ec-
„ cleſia ſemper excitauit. Vidimus ipſum fateri, quod doctrina affirmans Pontificem vt Pontificem poſſe errare in definiendis fidei & mo-
„ rum controuerſijs, viam faciat ad inobedientiam, occaſionemque
„ præbeat dubitandi de multis, quæ toto orbe recepta ſunt, & à Pon-
„ tifice iam iudicata. Vidimus illuſtres illos Theologos fere omnes aſſerere noſtram ſententiam de infallibilitate Romani Pontificis in definiendo vel eſſe de fide vel ſaltem eſſe concluſionem Theologicam omnino certam, vt patebit legenti cenſuram Caldinalis Bellarmini, Magiſtri Cano, Magiſtri Bañez, P. Suarez, P. Valentia Thomæ Stapletonij, Franciſci Siluij, & aliorum.

2. Vi-

2. Vidimus etiam diſputatione 11. ſententiam oppoſitam infallibilitati Pontificis natam fuiſſe in Concilio Conſtantienſi, & ante fuiſſe inauditam in Vniuerſitate Pariſienſi, in quam illam inuexit Ioannes Gerſon, & ſecuti ſunt poſtea Iacobus Almainus, & Ioannes Maior, & hoc noſtro ſeculo renouarunt Etmundus Richerius, Simon Vigorius, Ioannes Launoius, & pauci alij, & cœtus Pariſienſis Cleri Gallicani anno 1682. ſtabilire conatus eſt. Vidimus etiam hanc ſententiam ex iudicio Illuſtriſſimi Petri de Marca Archiepiſcopi Pariſienſis, ad claſſem earum opinionem reuocandam eſſe, quæ ſolum tolerantur. Et argumenta à nobis in toto hoc operé facta, dum probant noſtram ſententiam eſſe certam, ſimiliter probant, ſententiam Cleri Gallicani non eſſe verè, & ſolidè probabilem. Non enim eſt vere probabilis doctina, quæ meretur cenſuram Theologicam, & quæ opponitur doctrinæ omnino certæ. Sed modo diſputandi gratia, & vt arguamus ad hominem contra Illuſtriſſimos Prælatos, qui cœtum Pariſienſem compoſuerunt, à quo anno 1682. facta eſt illa declaratio de poteſtate Eccleſiaſtica, ſupponamus, illam eorum doctrinam eſſe opinionem verè, & propriè probabilem; & videamus, quomodo hoc cohæreat cum eorum ſententia de vſu opinionum probabilium.

3. Quid autem ſentiant Epiſcopi Galliæ de vſu opinionum probabilium minus tutarum, ſeu fauentium libertati, quatenus affirmant aliquid eſſe licitum; legat Fr. Vincentium Contenſon Ordinis Prædicatorum, virum acris ingenij, & elegantis ſtyli, in ſua Theologia Mentis, & Cordis primò excuſa Lugduni anno 1675. tom. 3. diſſert. 6. de Probabiliſtis commento cap. 1. ſpeculat. 3. legat Magiſtrum Merbeſium Doctorem quoque Gallum, qui anno 1683. in lucem edidit *Summam Chriſtianam*, ſeu *Orthodoxam Morum Diſciplinam*. Siquidem in 1. parte huius operis quæſt. 36. longum Catalogum texit Illuſtriſſimorum Prælatorum Galliæ, qui vel ſeorſim, vel in Synodis Diœceſanis acri cenſura notarunt vſum opinionis probabilis minus tutæ in occurſu tutioris, aſſerentes licitum non eſſe ſequi ſententiam minus tutam in occurſu tutioris, ſi minus tuta ſimul ſit minus probabilis, quàm tutior; imò ſi ſolùm ſit æque probabilis ac ſententia tutior; imò quamuis ſit probabilior, imò & probabiliſſima, niſi aſſurgat ad certitudinem moralem, cenſentes, eum qui inter opiniones de licito, & illicito, eligit minus tutam, ſemper peccare, ſi reipſa operetur contra legem, quin poſſit excuſari per opinionem probabilem reipſa falſam; quamuis illa ſit longe probabilior oppoſita.

4. Et quamuis zelus tot illuſtriũ virorum non tantopere exarſiſſet contra vſum opinionum minus tutarum, damnando vſum cuiuſcumque opinionis minus tutæ in occurſu tutioris, niſi minus tuta ſit moraliter certa, ſed præciſe exarſiſſet contra illam opinionem, quam primus Scholaſticorum M. Bartholomæus de Medina anno 1577. in Scholas

inuexit,

inuexit, & quę ab illo tempore vſque ad annum 1665. in quo Alexander VII. tot propoſitiones laxas damnauit, communis fuit inter ſcriptores huius ſæculi, qui hanc controuerſiam de vſu opinionum probabilium attigerunt; (Ab illo enim tempore Iulius Mercorus, & alij cœperunt vſum opinionis minus probabilis, & minus tutæ vehementer impugnare) quamuis, inquam, ſolùm eorum zelus exarſiſset contra hanc nouam huius ſæculi doctrinam, ſtabiliendo doctrinam oppoſitam, quam ego veriſſimam exiſtimo, poſtquam à viginti fere annis pro mea tenuitate controuerſiam hanc de vſu oppinionum probabilium diligenter examinaui: Hoc nobis in præſenti ſufficeret ad arguendum ad hominem contra Illuſtriſſimos Præſules, qui Declarationem illam de poteſtate Eccleſiaſtica anno 1682. Pariſijs fecerunt; quamuis ipſi ſimul cum hac ſua doctrina defenderent vt veram aliam benignam, quam multi ſectantur (licet ego falſam quoque exiſtimem) nimirum licitum eſse ſequi ſententiam minus tutam, quando non eſt ſenſibiliter minus probabilis quam ſententia tutior; ſed eſt æqualis vel ferè æqualis probabilitatis cum ea. Nobis igitur in præſenti ſufficit ſupponere illud, quod ipſi tanquam certum ſtatuunt, nimirum licitum non eſse ſequi ſententiam minus tutam in occurſu tutioris, quando iſta eſt ſenſibiliter, & clarè probabilior, & minus tuta eſt manifeſtè minus probabilis. Quia numquàm perſuadere poterunt ſuam ſententiam de fallibilitate Pontificis eſse æque vel ferè ęque probabilem ac ſententiam oppoſitam, quam in toto hoc opere propugnamus.

§. II.

Oſtenditur doctrinam traditam in ſua Declaratione à Clero Gallicano non cohærere cum ea quam tradunt circa vſum probabilium.

1. HIs ſuppoſitis, iam veniamus ad ſcopum proprium huius Sectionis, quod eſt, probare doctrinam illam Illuſtrium Prælatorum Galliæ, qui modo defendunt, Papam è Cathedra poſſe proponere toti Eccleſiæ dogma falſum, obligando Eccleſiam ad illud ſuſcipiendum tanquam dogma à Deo reuelatum; non poſſe hanc doctrinam componere cum veris principijs de vſu illicito opinionis minus probabilis, & minus tutæ in occurſu probabilioris & tutioris, quæ in tot Synodis ſtabilierunt. Nam quamuis admitteremus illam eorum doctrinam de fallibilitate Romani Pontificis eſſe abſolute probabilem; manifeſtum eſt, eſſe minus probabilem, quam doctrinam à nobis in hoc opere propugnatam, quæ argumentis petitis ab omnibus locis Theologicis, ab ſcri-

ptura, à traditione, à Concilijs generalibus, à Concilijs Prouincialibus, à perpetua praxi Eccleſiæ, à iure Canonico, à teſtimonio Pontificum gloria ſanctitatis illuſtrium, à teſtimonio Sanctorum Patrum, à teſtimonio omnium fere Theologorum, & Vniuerſitatum, & à rationibus Theologicis, eſt ita munita & circumuallata; vt nihil poſſit deſiderari. Eſtque adeo manifeſta præeminentia & præſtantia noſtræ communiſque ſententiæ ſupra ſententiam Gerſonis, & ſequacium, quam ſectatus eſt Clerus Gallicanus in ſua declaratione; vt illuſtriſſimus Petrus de Marca Archiepiſcopus Pariſienſis in obſeruationibus ſupra theſes Claramontanas (quas vltimum opus eius fuiſſe, editum anno 1662. teſtatur Stephanus Baluzius) num. 22. & 23. dicat: Hæc opinio (quæ videlicet in-
„ fallibilitatem Pontifici Romano aſſerit) eſt illa, quam vnicè Hiſpa-
„ nia, Italia, omneſquæ aliæ Chriſtianitatis Prouinciæ docent, ita vt
„ illa, quam Doctorum Pariſienſium vocant, ad claſſem earum opinio-
„ num reuocanda ſit, quæ ſolum tolerantur..... Authoritas infallibi-
„ lem ſententiam in cauſis fidei pronuntiandi eſt Romanis Pontificibus
„ omnium Vniuerſitatum conſenſu acquiſita, excepta tamen antiqua
„ Sorbona. Nomine autem antiquæ Sorbonæ intelligit Vniuerſitatem Pariſienſem ſecundum eum ſtatum quem habuit tempore Concilij Conſtantienſis, & Baſilienſis, in quo Ioannes Gerſon, eiuſque diſcipuli cœperunt exaltare authoritatem Concilij, & deprimere authoritatem Romani Pontificis, eamque inuehere doctrinam, quæ ante Concilium Conſtantienſe fuerat prorſus inaudita; vt oſtendimus diſp. 9. & diſp. 11. Addit idem Marca ibi num. 34. loquens de Doctoribus Galliæ: Pars
„ maior non ſolum Theologiæ, ſed etiam iuris Doctorum communi
„ opinioni adhæret, vtpote fundamentis nixæ ſolutu difficillimis, ridet-
„ que antiquæ Sorbonæ opiniones.

2. Noſtram ſententiam defendit omnis Religioſa Familia Dominicana cum S. Thoma, Franciſcana cum S. Bonauentura: Auguſtiniana cum Egidio Romano poſt S. Auguſtinum: Carmelitana cum Bachonio: & Societas Ieſu cum Bellarmino, & Suarez, Benedictina cum S. Anſelmo; & Ciſtertienſes cum S. Brnardo, vt conſtat ex dictis diſput. 9.

3. Noſtram ſententiam in terminis expreſſis ſtatuunt tanquam certam Doctores theologi Sancti, ab Eccleſia canonizati, quos vt Eccleſiæ ſanctæ lumina veneramur, videlicet S. Thomas, S. Bonauentura, S. Antoninus, B. Ioannes Capiſtranus, & alij: At nullus eſt Sanctus Canonizatus, qui docuerit Papam poſſe errare in determinandis fidei & morum controuerſijs: id primus ex Theologis docuit Ioannes Gerſon; quem deinde ſecuti ſunt Iacobus Almainus, Ioannes Maior, Etmundus Richerius, Simon Vigorius, Ioannes Launoius, Ludouicus Maimburgus, & Ludouicus Ellies Dupin, & pauculi alij; qui comparati cum multitudine & qualitate Theologorum, qui noſtram ſententiam defendunt, ſunt veluti gutta in comparatione maris. Præterea à nobis eſt effica-

fica-

ficaciter probatum, illam ſententiam nullum præſidium habere in Concilio Conſtantienſi; quod dum declarauit Concilium eſſe ſupra Papam, nec erat generale, nec quoad hanc partem fuit approbatum ab vllo vero, & legitimo Pontifice, ſed potius fuit reprobatum à Martino V. ab Eugenio IV. & Leone X.

4. Nullum deinde ex toto Euangelio poteſt adduci efficax argumentùm, quo probetur Pontificem indigere Concilio generali ad hoc vt controuerſias fidei, cum infallibilitate dirimat. Nam ſi Spiritus Sanctus ei infallibiliter aſſiſtit, vt non definiat aliquid falſum, quando definit cum Concilio generali, præmiſſa diligenti diſcuſſione facta à Theologis; etiam ei aſſiſtet, quando in Concilio nationali, vel in Congregatione Cardinalium, præcedente conſultatione Theologorum, & præmiſſo toto illo examine, quod ſolet præmitti in Concilijs generalibus, procedit ad definitionem; vt fecit Innocentius I. contra Pelagium, & Innocentius X. contra Ianſenium; Benedictus XII. contra eos, qui dicebant, animas Sanctorum non viſuras clarè Deum vſque ad diem iudicij vniuerſalis, in quo reunientur corporibus.

5. Nam loca noui teſtamenti, ex quibus Doctores Catholici probant, Concilia generalia a Pontifice confirmata errare non poſſe, ſunt iſta: *Vbi ſunt duo, vel tres congregati in nomine meo, illic ſum in medio eorum* Matth. 18. *Spiritus veritatis docebit vos omnem veritatem.* Ioann. 16. *Super hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduerſus eam* Matth. 16. *Ego vobiſcum ſum, vſque ad conſummationem ſæculi.* Matth. vltimo *Eccleſia Dei viui eſt columna & firmamentum veritatis:* 1. Timot. 3. & ſimilia.

6. Hæc autem loca pariter probant Concilia Prouincialia vel nationalia approbata à Pontifice errare non poſſe, nec poſſe errare Papam, quando vrgente neceſſitate, & interueniente impoſſibilitate morali vel magna difficultate congregandi Concilium generale; in Synodo Prouinciali Epiſcoporum, vel in congregatione Theologorum, poſt maturam rei diſcuſſionem, & præcedente eo examine, quod ſolet præmitti in Concilijs generalibus procedit ad definitionem, & Decretalem edit, in qua toti Eccleſiæ proponit quid tenendum ſit, obligando ad ſuſcipiendam eam doctrinam vt veram, & oppoſitam reſpuendam, vt erroneam.

7. Nec Chriſtus ſufficienter prouidiſſet ſuæ Eccleſiæ, ſi aſſiſtentiam infallibilem Spiritus Sancti promiſſam ſuo Vicario ad conſeruandam puritatem fidei & morum, non promiſiſſet, niſi ſub conditione, quod definiret in Concilio generali controuerſias fidei & morum. Promiſit ergo pro omni caſu, in quo præmiſſo ſufficienti examine ad inueniendam veritatem, ipſe rem definit, & toti Eccleſiæ proponit. Ergo quamuis diſputandi gratia admitteremus illam doctrinam eſſe propriè & ſtrictè probabilem, & noſtram non eſſe Theologicè certam, vt reuera eſt,

Digitized by Google

ſed duntaxat eſſe opinionem communem omnium fere Theologorum & manere intra genus opinionis; nihilominus neceſſario fatendum eſt, noſtram eſſe euidenter probabiliorem cum incomparabili exceſſu. Aliunde vero illa Cleri Gallicani doctrina eſt minus tuta: ergo eſt ſaltem euidenter minus probabilis & minus tuta. Ergo non poſſunt illam in praxi ſequi Doctores aſſerentes non eſſe licitum ſequi ſententiam minus tutam in occurſu tutioris, & ſimul probabilioris.

8. Quod autem illa Doctrina Declarationis Cleri Gallicani ſit minus tuta; facile probatur. Nam in illa declaratione multi Prælati Galliæ ann. 1682. tanquam regulam ſtatuerunt, definitionem Romani Pontificis editam extra Concilium generale non eſſe infallibilem, niſi poſtquam acceſſerit Eccleſiæ conſenſus: ac proinde docuerunt, Papam docentem è Cathedra totam Eccleſiam poſſe errare, & per conſequens non eſſe in definiendo infallibilem: docuerunt, concilia generalia eſſe ſupra Papam etiam certum & indubitatum, & poſſe reformare Papæ iudicium, etiam doctrinale in materia fidei & morum.

9. Hæc autem doctrina minus tuta eſt, quia illam appellamus ſententiam minus tutam in qua deducenda ad praxim poteſt ſubeſſe periculum peccati, ſeu quam ſequi non poſſumus ſine periculo agendi reipſa contra legem Dei. Talis autem eſt ſententia negans infallibilitatem Romano Pontifici, ſiquidem, vt & ex ipſis Gallis teſtatur Andreas Duuallius citatus initio huius ſectionis, *illa fouet vt plurimum inobedientiam; & diſſidia, magnoſque tumultus in Eccleſia ſemper excitauit*. Quod fatetur etiam Petrus Mattheus grauis hiſtoricus Gallicus, qui explicans Bullam retractionum Pij ſecundi Papæ fol. 118. eam *doctrinam appellat periculoſam, & radicem ſchiſmatum*. Et vt ſcribit Cardinalis Pallauicinus in Hiſtoria Tridentini lib. 20. cap. 17. magnus ille vir & profundus Theologus M. Petrus de Soto Ordinis Prædicatorum, qui à Summo Pontifice miſſus eſt ad Concilium Tridentinum, in quo obijt; cùm eſſet iam morti propinquus, id eſt tribus tantùm diebus ante obitum, anno 1563. 17. Aprilis ſcripſit, ad Pontificem enixe obſecrando, vt apertè definiretur, Pontificem cunctis Concilijs ſuperiorem *eſſe, nec ab illis vlla ratione iudicari poſſe*; & reddebat rationem, *quia contrarium in ſeditiones, bella, & ſchiſmata tendit*.

10. Præterea illa doctrina anſam præbet appellandi in definitionibus fidei à ſententia Romani Pontificis ad Concilium generale: ſi enim in Eccleſia vigeat doctrina de fallibilitate Papæ, eiuſque inferioritate ad Concilia; vbi hæretici viderint ſuos errores damnari, prouocabunt ad Concilium, obtendentes, Papam eſſe fallibilem, & eius iudicium eſſe reformabile; nam appellatio ab inferiori ad ſuperiorem legitima eſt, & in materia fidei à tribunali fallibili debet eſſe recurſus ad tribunal infallibile.

11. Abſurdiſſimum autem eſt, hoc effugium hæreticis patere: *quia*

hac

hac via (inquit loco nuper citato pag. 120. Petrus Matheus) eſſemus
„ ſemper dubij, & langueremus ſine vlla ſpe medicinæ, cùm tanto re-
„ rum impendio, tantis diſcriminibus, renitentibus tot Principum ſi-
„ multatibus Concilia vix cogentur. Hinc emanarent petulantiores
„ homines, qui altiùs criſtas tollerent, hæreſeſque diuerſas ſomnia-
„ rent, vt damnati à Papa ad Concilium appellarent.

12. Eſt præterea illa doctrina negans Romano Pontifici authoritatem infallibilem ad damnandas hæreſes extra Concilium generale, perniciosa bono Politico Monarchiarum temporalium, & regnorum intra Eccleſiam Catholicam exiſtentium; quia non poſſunt conſeruari niſi vniformitas Religionis in illis floreat; ſed neceſſè eſt vt in bella ciuilia, tumultus, & ſeditiones ſcindantur, ſi in illis hæreſis radices agat: vt exemplo ſatis funeſto comprobatum eſt in florentiſſimo Galliarum Regno, quando in illud irrupit hæreſis Caluiniana; & in Regno Angliæ. Quare ad prompte extinguendum hoc malũ neceſſe eſt recurrere ad Sedem Apoſtolicam pro remedio: quod remedium ipſa adhibere non poterit, niſi habeat infallibilitatem ad condemnandas hæreſes extra Concilium generale; nam ſi expectandum ſit Concilium generale, interim ſerpet malum & Regnum inficiet. Quomodo potuiſſet Rex Chriſtianiſſimus & Regnum Galliæ errores Ianſenij à Gallia exterminare, niſi agnouiſſet in Romano Pontifice infallibilitatem hanc? agnouit; recurrit magno zelo ad Innocentium X. obtinuit Bullam damnantem illas propoſitiones vt hæreticas: illam vt oraculum infallibile ſtatim ſuſcepit, & hoc contagium cohibuit. Ergo vt Regnum Galliæ, & quodcumque aliud Regnum Catholicum conſeruetur in puritate fidei, magnopere ipſi expedit agnoſcere hanc infallibilitatem in Romano Pontifici. Ergo Delaratio Cleri Gallicani hanc infallibilitatem negans, eſt contraria conſeruationi illius Regni, vtpote quod ſine vnitate & vniformitate in Religione, conſeruari non poteſt.

13. Ex quibus omnibus conſtat, doctrinam illam Cleri Gallicani eſſe euidenter minus probabilem & minus tutam quam ſit ſententia communis, quam dafendimus. Atqui iuxta Illuſtriſſimos Prælatos, qui illam declarationem fecerunt, non licet ſequi ſententiam minus probabilem & minus tutam in occurſu probabilioris & tutioris. Exponant ergo nobis quomodo illa duo componere poſſint.

§. III.

§. III.

Oſtenditur non ſatis eſſe ad ſecurè ſectandam doctrinam Declarationis Cleri Gallicani, quod quis exiſtimet illam eſſe longe probabiliorem oppoſita, imo quod arbitretur eſſe certam.

1. RESpondebunt forſam, opinionem illam de fallibilitate Pontificis, & de eius inferioritate reſpectu Concilij generalis, apud ipſos non eſſe minus probabilem, ſed longe probabiliorem oppoſita, imo & moraliter ſibi certam; ſeque ideo illam defendere, quia illam ſine hæſitatione veriſſimam cenſent. Hanc tamen reſponſionem non ſatisfacere, facile iudicabit, qui legerit, quæ in ſimili diximus contra D. Ludouicum Elliem Dupin diſp. 1. ſect. 3. §. 9. num. 7. pag. 30. ſi enim attentè legerint ſolidiſſima & vrgentiſſima fundamenta, quibus in toto hoc opere probauimus, Papam eſſe in definiendo infallibilem, & habere authoritatem Concilijs generalibus ſuperiorem, & robur authoritatis & rationis, quo oſtendimus quam debilia ſint fundamenta, quibus moti ſunt poſt Gerſonem, & Almainum Etmundus Richerius, Simon Vigorius, Ioannes Launoius, Ludouicus Maimburgus, & Ludouicus Dupin ad ſtabiliendam doctrinam contentam in declaratione moderna Cleri Gallicani; iudicare poſſunt ac debent, ſuam ſententiam eſſe falſam; & non poſſe ſe iuxta vera principia ab ipſis ſtabilita circa vſum opinionum probabilium, illa ſententia in praxi ſecurè vti. Dignitas & ſpectata virtus tam illuſtrium virorum non ſinit me dubitare, eos iuxta mentem loqui, & externè affirmare quod internè iudicant; cæterum totum hoc non ſufficit, vt affirmemus licitum eſſe in praxi ſequi doctrinam illius declarationis; quia certum eſt, poſſe quem contra legem Dei peccare, faciendo id quod indubitanter exiſtimat eſſe licitum, ſi illa exiſtimatio ſit error culpabilis, ſicut peccabant ij, qui perſequebantur Apoſtolos, exiſtimantes ſe in hoc obſequium præſtare Deo: Conſtat enim ex ſcriptura, eſſe viam, quæ videtur homini recta, & extrema illius ducere *ad mortem*; vt conſtat ex dictis pag. 30. & ex regula illa vniuerſali, quam ſtatuit S. Thomas lect. 7. in caput 1. epiſtolæ ad Romanos: quod, *tunc ignorantia culpam excuſat, quando ſic præcedit culpam, quod non cauſatur à culpa, ſi vero ignorantia cauſetur ex culpa, non poteſt ſubſequentem culpam ignorantia excuſare*. Debet autem ignorantia illa non excuſans à culpa actionem illam, quæ in illa fit contra legem, eſſe voluntaria non ſolum in capite, ſeu in Adamo, ſed eſſe voluntaria volunta-

luntarietate perſonali, quia debet oriri ex culpa perſonali propria ipſius operantis.

2. Sic docent omnes Theologi cum eodem S. Thoma in 2. diſt. 30. quæſt. 1. art. 2. dicente *Ad culpam perſonæ requiritur voluntas perſonæ, vt patet in culpa actuali, quæ per actum perſonæ committitur*. Et cum S. Auguſtino lib. de duabus animabus cap. 11. aſſerente *nec peccatum, nec rectè factum imputari cuiquam rectè poteſt, qui nihil fecit propria voluntate*. Eſtque certum dogma Theologorum cum Magiſtro in 2. diſt. 22. & cum Angelico Doctore 1. 2. quæſt. 6. art. 6. & quæſt. 76. art. 3. ignorantiam inuincibilem excuſare à culpa actionem quæ ex illa ignorantia fit contra legem. Siquidem vt ait idem S. Auguſtinus retract. cap. 13. *vſque adeo peccatum malum voluntarium eſt, vt nullo modo ſit peccatum, ſi non ſit voluntarium*. Quo modo autem peccatum poteſt eſſe voluntarium ei, qui nec cognoſcit nec cognoſcere potuit, actionem illam, quam facit contra legem, eſſe prohibitam & malam; ſed potius per ignorantiam omnino inculpabilem & ſibi inuoluntariam, iudicat eſſe honeſtam, vel ſaltem eſſe indifferentem, & nemini prohibitam?

3. Hinc idem S. Auguſtinus lib. 3. de lib. arbitrio cap. 19. dicebat; *Non tibi deputatur ad culpam quod inuitus ignoras, ſed quod negligis quærere quod ignoras*, & epiſt. 105. *Ipſa ignorantia in his, qui intelligere noluerunt, peccatum eſt; in his autem, qui intelligere non potuerunt, pœna peccati*. Et propterea idem Auguſtinus lib. 3. de libero arbitrio cap. 18. aiebat: *Si laborioſum eſt omnia mandare memoriæ, hoc breuiſſimum tene. Quæcumque iſta eſt cauſa voluntatis, ſi non ei poteſt reſiſti, ſine peccato ei ceditur: Si autem poteſt, non ei cedatur, & non peccabitur. An forte fallit incautum, ergo caueat, ne fallatur. An tanta fallacia eſt, vt caueri omnia non poſſit? ſi iſta eſt, nulla peccata ſunt. Quis enim peccat in eo, quod nullo modo caueri poteſt. Peccatur autem, caueri igitur poteſt*.

4. Vt hoc clarius innoteſcat, in medium proferamus ea, quæ adducit Marbeſius in ſumma Chriſtiana tom. 1. parte 1. quæſt. 36. pag. 44. refert ibi Illuſtriſſimum Archiepiſcopum Senonenſem Primatem Galliarum, aduocatis ad Synodum ſexcentis, vel ſeptingentis Abbatibus, Prioribus, Decanis, Parochis, & alijs eruditiſſimis viris, cenſoria ſeueritate doctrinam Probabiliſtarum confixiſſe his verbis: „ Hæc opinio „ quæ opiniones omnes probabiles, quæ falſæ vtique eſſe poſſunt, & „ ſæpe ſunt, in conſcientia tamen tutas aſſerit, ac proinde cæcis, ideſt „ falſam & æternæ legi contrariam regulam ſequentibus, immunitatem „ à peccato, & ſecuritatem ſpondet, falſa, & erronea eſt, Scripturæ con„ traria, ſummam humanarum actionum regulam, legem ſcilicet æter„ nam deſtruit, diuinæ legis, & Euangelicæ veritatis amorem & ſtu„ dium extinguit; vtriuſque neceſſitatem euacuat, & perniciofam in „ hominum mentibus ſecuritatem ingenerat. Hucuſque Synodus illa contra doctrinas probabiles minus tutas reipſa falſas.

Digitized by Google

5. Ex hac declaratione conſtat, iuxta mentem Illuſtriſſimi Archiepiſcopi, & totius Synodi, quotieſcunque dantur opiniones probabiles inuicem oppoſitæ, non habere ignorantiam inuincibilem excuſantem à culpa illum, qui ſectatur opinionem minus tutam, ſi reipſa ſit falſa; quia qui ſequitur illam opinionem, reipſa agit contra legem Dei, & illa transgreſſio imputatur ei, hoc ipſo quod ſecutus ſit opinionem minus tutam, ſciens dari opinionem probabilem de oppoſito, quamuis ipſe exiſtimet opinionem, quam ſequitur eſſe veram, & oppoſitam eſſe falſam. Ergo ſi doctrina Cleri Gallicani de fallibilitate Romani Pontificis, & de eius inferioritate ad Concilia, ſit reipſa falſa; qui illam ſectatur, ſciens doctrinam oppoſitam eſſe communem omnium fere Theologorum, qui ex Scripturis, ex Traditione, ex Concilijs, ex Patribus, & ex omnibus locis Theologicis illam tam efficaciter muniunt; non poteſt excuſari coram Deo, quia ſi hanc prærogatiuam ſuo Vicario in terris Chriſtus conceſſit, & tot argumenta ad hanc prærogatiuam cognoſcendam reliquit, intrinſecè malum eſt hanc prærogatiuam illi negare: & ſolum per ionorantiam inuincibilem poteſt à culpa formali excuſari, qui illam negant: ignorantia autem inuincibilis locum non habet iuxta Synodum illam, quando dantur opiniones probabiles contrariæ, & quis ſequitur minus tutam reipſa falſam. Doceri ergo deſidero, quo modo hæc componi poſsint. Et ſupplex oro, vt ſerio quiſque apud ſe cogitet, an timorem incutere debeat illud Magiſtri Cani pronuntiatum „ lib. 6. de locis cap. 6. *illud* (inquit) aſſero, ac fidenter quidem aſſe„ ro, peſtem eos Eccleſiæ ac perniciem afferre, qui aut negant Roma„ num Pontificem Petro in fidei, doctrinæque authoritate ſuccedere; „ aut certè adſtruunt, ſummum Eccleſiæ Paſtorem, quicumque tamen „ ille ſit, errare in fidei iudicio poſſe.

SECTIO IX.

Impugnatur ex dictis explicatio Declarationis de poteſtate Eccleſiaſtica Cleri Gallicani, exhibita ab Illuſtriſſimo Epiſcopo Tornacenſi.

1. ILluſtriſsimus ac Reuerendiſsimus Gilbertus de Choyſeul Dupleſſy-Praslain Epiſcopus Tornacenſis hoc anno 1688. typis vulgauit Epiſtolam de poteſtate Eccleſiaſtica, in qua defendit doctrinam anno 1682. ſtabilitam in cœtu Pariſienſi, cuius ſe partem fuiſſe affirmat: in hac autem Epiſtola pag. 31. ſententiam in illa declaratione contentam „ explicans, inquit: Galli ſtant à Conciliorum partibus: ſed ſummos „ Pontifices, à Chriſto Domino, tanquam Petri ſucceſſores, toti Ec-

„ cle-

„ cleſiæ præfectos ; venerantur. Ipſis obedire iure diuino ſeſe teneri
„ prædicant ſuper tecta. Ita docent ſummos Pontifices rebus Eccleſiæ
„ prouidere, vt eorum decreta, quoad fidem, & quoad mores, ſecun-
„ dum Canones, & antiquas ac laudabiles Nationum conſuetudines,
„ amplectenda ſint: donec ex toto orbe Sacerdotes congregentur: &, ſi
„ eorum Conſtitutiones ab omnibus ſingillatim Eccleſijs recipiantur,
„ inconcuſſæ & perpetuæ authoritatis maneant, acſi ab vniuerſali Con-
„ cilio eſſent confirmatæ.

2. Hæc ille. Ex cuius verbis ſatis videtur conſtare, ex mente Illuſtriſſimi authoris decreta Romanorum Pontificum non eſſe ſupra Canones & laudabiles Nationum conſuetudines, niſi confirmentur à Concilio generali: quid enim aliud ſignificant illa verba: *ita docent Summos Pontifices rebus Eccleſiæ prouidere, vt eorum decreta, quoad fidem & quoad mores, ſecundum Canones, & antiquas & laudabiles Nationum conſuetudines, amplectenda ſint; donec ex toto Orbe Congregentur Sacerdotes*: qui ſcilicet Concilium generale facientes, confirmatione ſua robur præſtent Decretis Summi Pontificis, vt amplectenda iam ſint, quamuis non ſecundum Canones, & antiquas Nationum conſuetudines, condita fuerint. Hoc autem eſt apertè falſum; quia vt oſtendimus diſp. 3. ſect. 16. §. 6. num. 4. pag. 346. & ſect. vltima à pag. 352. cùm Canones continentes ius poſitiuum oriantur à poteſtate Eccleſiaſtica, & plenitudo huius poteſtatis Eccleſiaſticæ ſit in capite viſibili Eccleſiæ, nempe in Romano Pontifice Vicario Chriſti; vſus poteſtatis Eccleſiaſticæ reſidentis in Papa non debet moderari per Canones; ſed potius Canones debent moderari per vſum poteſtatis Pontificiæ. Nec Decreta Pontificum vt ſint ſupra Canones, debent expectare confirmationem Concilij; ſed è contra decreta Conciliorum, vt firma ſint & valida, debent confirmari à Papa. Vnde Innocentius III. citatus pag. 359. dicebat: *Nos de plenitudine poteſtatis de iure poſſumus ſupra ius diſpenſare*. Et S. Thomas quodlib. 4. quæſt. 8. art. 2: *Papa habet plenitudinem poteſtatis in Eccleſia; & ita quæcumque ſunt conſtituta per Eccleſiam, vel Eccleſiæ Prælatos, ſunt diſpenſabilia à Papa*.

3. Præterea ſi decreta Pontificum antequam confirmentur à Concilio generali ſint ſubordinata Canonibus, & laudabilibus, atque antiquis Nationum conſuetudinibus; & ſecundum Canones ſint amplectenda; quis erit iudex competens, qui poſſit declarare, an decreta Summi Pontificis ſint ſecundum canones? Eritne hoc relinquendum iudicio ipſorum Chriſtianorum, qui Romano Pontifici obediunt? Quid abſurdius, quàm ſubditos facere iudices de rectitudine, vel iniuſtitia legum ſibi impoſitarum à ſummo Eccleſiæ Paſtore? eritne expectandum Concilium generale, vt iudicium ferat, an decreta Pontificis ſint ſecundum Canones, an non? Sed quid interim fiet? quam ſecuritatem interim habebunt fideles de veritate eorum, quæ per decreta fidei, & de ſanctita-

te eorum, quæ per decreta eorum ſunt ſtabilita à Romano Pontifice? Rurſus, quid dicendum, quando Pontifices aliquid definiunt, de quo nulli antea erant Canones Conciliorum? certè definitiones iſtæ non debent regulari per Canones, qui non ſunt. Dicendum ergo neceſſario eſt; Decreta Pontificum quoad fidem, & mores per ſemet ipſa habere firmitatem, quia oriuntur à ſuprema & infallibili Eccleſiæ authoritate, cui aſſiſtit Spiritus Sanctus, ne aliquid falſum credendum toti Eccleſiæ proponat; nec aliquid malum toti Eccleſiæ præcipiat, vel tanquam bonum, & honeſtum repræſentet.

4. Sed quod maiorem abſurditatem continet, eſt illa Illuſtriſſimi authoris propoſitio: *Si eorum Conſtitutiones ab omnibus ſingillatim Eccleſijs recipiantur, inconcuſſæ ac perpetuæ authoritatis maneant, acſi ab vniuerſali Concilio eſſent confirmatæ*. Ergo Conſtitutio Pontificis, per quam è Cathedra, extra Concilium generale, aliquam fidei quæſtionem determinat, & toti Eccleſiæ proponit, quid in illa materia tenere debeat cum intentione obligandi, non eſt infallibilis authoritatis, niſi ſub conditione, quòd ab omnibus ſingillatim Eccleſijs recipiatur. Ergo in poteſtate cuiuslibet Eccleſiæ erit facere, vt definitio Pontificis edita extra Concilium generale non ſit infallibilis; nimirum ſi nolit recipere eam, quia per te non eſt perpetuæ ac inconcuſſæ authoritatis, niſi ſub conditione, quoad ab omnibus ſingillatim Eccleſijs recipiatur. Hoc autem, quid eſt aliud, quam Eccleſiam Gallicanam, & quamcumque aliam facere arbitram definitionum fidei; vt ſcilicet nulla poſſit eſſe definitio infallibilis, niſi illa, quam ipſa velit acceptare? Nam ſi nolit acceptare, hoc ipſo deficit conditio, quæ per te eſt neceſſaria, vt conſtitutio ſit inconcuſſæ ac perpetuæ authoritatis, nimirum, quod acceptetur ab omnibus ſingillatim Eccleſijs. Nec ſolum in arbitrio Eccleſiæ Gallicanæ, prout complectitur omnes Eccleſias illius nationis, ſed in arbitrio cuiuſcumque Eccleſiæ particularis, v.g. Lugdunenſis, Toloſanæ, Pariſienſis, Turonenſis, & ſic de alijs; erit impedire infallibilitatem Pontificiæ definitionis, quia per te, vt definitio ſit inconcuſſæ ac perpetuæ authoritatis, debet recipi ab omnibus ſingillatim Eccleſijs: ergo à Lugdunenſi, & Toloſana &c. Et ſic de ſingulis; ergo in arbitrio cuiuſcumque erit impedire eius infallibilitatem. Quid autem abſurdius, quam ſummum Paſtorem nihil firmum circa fidem & mores poſſe ſtabilire, niſi quod oues ipſæ voluerint acceptare? & quod firmitas, & inconcuſſa veritas doctrinæ ſupremi Magiſtri Eccleſiæ, neceſſario dependeat ab eo, quod Diſcipuli illam velint auſcultare?

5. Deinde probo hanc conditionem poſtulatam ab hoc authore, ad hoc, vt definitio Pontificis ſit infallibilis, non bene cohærere cum obedientia illa, quæ ſummo Pontifici debetur, & ſic argumentor. *Galli* (inquit) *Summos Pontifices à Chriſto Domino, tanquam Petri ſucceſſores toti Eccleſiæ præfectos, venerantur: Ipſis obedire iure Diuino ſeſe teneri* prędicant

dicant ſuper tecta (Matth. 10. 27.) Non dubium quin hic fuerit ſemper Illuſtriſſimæ Eccleſiæ Gallicanæ ſenſus, quem Vniuerſitas Pariſienſis anno 1554. expreſſit his verbis: *Omnes & ſinguli obedientiæ filij ipſum Romanum Pontificem, vt ſummum & vniuerſalem Chriſti Ieſu Vicarium, & vniuerſalem Eccleſiæ Paſtorem, cui plenitudo poteſtatis à Chriſto data eſt, cui omnes vtriuſque ſexus obedire, cuius decreta pro ſe quiſque tueri & conſeruare tenetur, vt ſemper, agnouerunt, & confeſſi ſunt*. Ergo quotieſcumque Romanus Pontifex è Cathedra Petri declarat aliquam propoſitionem eſſe hæreticam, & præcipit omnibus fidelibus, ne aliter de illa ſentiant, omnes tenentur illam pro hæretica habere; neç poſſunt ſine peccato inobedientiæ de falſitate illius propoſitionis deliberate dubitare: qui enim deliberate dubitat, an ſit falſa propoſitio, quam ſcit damnatam fuiſſe tanquam hæreticam à Sede Apoſtolica, aliter ſentit de illa propoſitione, quam ſentiat Sedes Apoſtolica; ergo omnes tenentur ſuſcipere definitionem Pontificis, vt oraculum infallibile; nam qui licite poteſt dubitare, an ſit vera definitio Pontificis, in qua declarauit aliquam propoſitionem eſſe hæreticam, hoc ipſo aliter ſentit de illa propoſitione quam ſentiat Sedes Apoſtolica: quia hæc nequit declarare eſſe hæreticam illam propoſitionem, de qua dubitat, an ſit falſa.

6. Vt huius argumenti vis omnibus innoteſcat, in medium proferam verba Innocentij X. Papæ, qui anno 1653. hæreticas declarauit quinque propoſitiones Ianſenij, & vt tales damnauit, ſingulis affigendo hanc notam, *hæreticam declaramus & vt talem damnamus*. Poſtquam enim hanc cenſuram ſingulis miſit; ſubiungit num. 10. ſuæ Conſtitutionis: *Mandamus igitur omnibus Chriſti fidelibus vtriuſque ſexus, ne de dictis propoſitionibus ſentire, docere, prædicare aliter præſumant, quàm in hac præſenti noſtra declaratione & definitione continetur, ſub cenſuris & pœnis contra hæreticos & eorum fautores in iure expreſſis*. Ergo cum primum illa Bulla Innocentij intimata eſt in Gallia, omnes illius Regni fideles, qui mentem catholicam Eccleſiæ Gallicanæ perſpectam habebant, cognoſcebant ſe iure diuino obligatos eſſe obedire huic præcepto Summi Pontificis: ergo cognoſcebant ſe non ſolum obligari ad non docendum, vel non prædicandum, eas propoſitiones non eſſe hæreticas; ſed ad internè non ſentiendum,& iudicandum.Ergo Pontifice definiente & declarante aliquam propoſitionem eſſe hæreticam, & præcipiente, vt nullus de illa aliter ſentiat,omnes tenentur ſentire illam propoſitionem eſſe hæreticam: nam omnes iure diuino tenentur illi obedire; non obedirent autem, niſi ſentirent illam propoſitionem eſſe hæreticam: quia qui ſuppoſita illa definitione & intimatione præcepti, iudicaret illam propoſitionem non eſſe hæreticam, clarè repugnaret Pontifici, & eſſet illi poſitiuè rebellis. Rurſus, qui poſt illam definitionem ſibi intimatam cum illo præcepto, diceret: *Ego dubito, an propoſitio iſta damnata à Pontifice*

tifice tanquam hæretica, ſit reipſa hæretica: tranſgrederetur præceptum, quia aliter ſentiret de illa propoſitione, quàm continetur in conſtitutione declarante illam propoſitionem eſſe hæreticam: Pontifex autem iubebat, vt nemo præſumeret aliter de illa propoſitione ſentire, quam in illa ſua conſtitutione contineretur.

7. Quod autem dubitans, an propoſitio damnata tanquam hæretica à Pontifice, ſit hæretica, nec ne; aliter ſentiat de ipſa, quam Pontifex in ſua conſtitutione ſentiat, eſt manifeſtum; quia Pontifex hoc definiens, ac declarans propoſitionem aliquam eſſe hæreticam, non dubitat, an ſit hæretica, ſed poſitiuè affirmat eſſe hæreticam, & vt talem damnat. Vt ergo fideles non aliter ſentiant, quam Pontifex declarat in ſua conſtitutione, debent poſitiuè ſentire, illam propoſitionem eſſe hæreticam. Ergo eius definitio eſt infallibilis. Probo conſequentiam; quia ſi Pontifex poſſet in hac definitione falli; dum declarat, propoſitionem illam eſſe hæreticam, & omnes obligat ad ita ſentiendum de illa; obligaret omnes ad iudicandam eſſe hæreticam propoſitionem illam, quæ hæretica non eſt, ſed potius vera & ſana; ac proinde obligaret totam Eccleſiam ad errandum in materia fidei, nimirum ad habendam pro hæretica doctrinam reipſa veram & catholicam. Implicat autem totam Eccleſiam errare, habendo pro hæretica doctrinam ſanam & catholicam.

8. Quapropter non minorem obligationem habet Catholicus credendi propoſitionem aliquam eſſe hæreticam, quando Pontifex per conſtitutionem ſuam declarauit eſſe hæreticam, & vt talem damnauit, & præcepit, vt nemo aliter de illa propoſitione ſentire auderet; quam in illa conſtitutione continetur; quam ſi Concilium generale approbatum illud ipſum declaraſſet, & id ipſum feciſſet: quia de fide eſt, Romanum Pontificem eſſe Vicarium Chriſti, & ſummum Eccleſiæ Paſtorem, & ſupremum Eccleſiæ Magiſtrum, & omnino certum eſt, quando inter Catholicos dubitatur, an aliqua doctrina ſit ſana, an noxia, an ſit Catholica, an hæretica; & in hoc dubio recurrat ad ſummum Paſtorem, & ſupremum Magiſtrum, & ille dubium reſoluit, & authoritate ſummi Paſtoris, & ſupremi Magiſtri, ouibus atque diſcipulis præcipit, vt fugiant ab aliqua doctrina tanquam noxia, & hæretica, oues & diſcipulos habere obligationem conformandi ſuum iudicium cum iudicio ſummi Paſtoris, & ſupremi Magiſtri; ſicut tenentur conformare cum iudicio Concilij generalis approbati: vtrobique enim Spiritus Sanctus aſſiſtit. Et ſicut in Concilio nihil definitur, niſi præcedenti diligenti examine, & diſcuſſione, quia Spiritus Sanctus, qui aſſiſtit Concilio ne erret, etiam aſſiſtit, ne aliquid definiat niſi præcedente diligenti examine ſcripturæ & traditionum: Ita nunquam à Pontifice aliqua quæſtio fidei determinatur, quin præcedat diligens examen, quia ſicut Spiritus Sanctus non poteſt permittere, vt erret in definiendo controuerſias fidei, ita non poteſt

teſt

teſt permittere, vt temerè, & non præcedente diligenti examine, & matura diſcuſſione definiat. Vnde Bellarminus lib. 4. de Rom. Pontifice cap. 2. meritò pronuntiauit, duo eſſe certa, & inconcuſſa inter omnes
„ Doctores Catholicos, primum eſt, Pontificem cum generali Conci-
„ lio errare non poſſe in condendis fidei decretis, vel generalibus mo-
„ rum præceptis: ſecundum: Pontificem ſolum, vel cum ſuo particu-
„ lari Concilio aliquid in re dubia ſtatuentem, eſſe ab omnibus fideli-
„ bus obedienter audiendum.

9. Et idcirco P. Suarez libr. 3. aduerſus Regem Angliæ cap. 18.
„ num. 7. veriſſimè dixit, quod Patres, qui Concilio Conſtantienſi, &
„ Baſileenſi interfuerunt, & Gerſonius, alijque Doctores, qui generale
„ Concilium ſupra Papam eſſe opinati ſunt, nihilominus certa fide cre-
„ debant, Epiſcopum Romanum eſſe ſupremum, & vniuerſalem Eccle-
„ ſiæ Paſtorem ſupra omnes Epiſcopos, & Patriarchas, habentem in
„ illos ſpiritualem iuriſdictionem, & in omnes fideles cuiuſcumque
„ conditionis ſint. Ex quo ſequitur, omnes fideles obligari ad audiendam eius vocem, quoties in re inter Catholicos dubia, vnam partem determinat, & ab omnibus teneri præcipit tanquam veram, in rebus pertinentibus ad æternam ſalutem, quatenus ſpectant ad fidem, vel ad mores.

SECTIO X.

Impugnatur ex dictis doctrina Gerſonis, & Almaini aſſerentium, definitiones Pontificias non obligare ad credendum rem definitam, ſed ſolum ad non dogmatizandum oppoſitum.

1. VNde deducitur, falſiſſimum eſſe, quod Gerſon in opuſculo de examinatione doctrinarum conſideratione ſecunda, & in opuſculo, *An liceat in cauſis fidei à Summo Pontifice appellare*, in quarta propoſitione: & Almainus in tract. de authoritate Eccleſiæ cap. 10. docuerunt; videlicet quando Romanus Pontifex aliquid è Cathedra definit, & toti Eccleſiæ credendum proponit, declarando doctrinam oppoſitam eſſe hæreticam; ſolum dari obligationem non dogmatizandi contrarium eius, quod definitum eſt. Conſtat enim dari obligationem poſitiuè obediendi Summo Paſtori oſtendenti ouibus ſuis aliquam doctrinam tanquam venenoſam, & præcipienti, vt ab illa fugiant, & oppoſitam ſectentur vt ſalutiferam, & Catholicam, & fideles tanquam diſcipulos debere conformare in re, quæ inter Catholicos antecedenter erat

dubia

dubia, ſuum iudicium cum iudicio ſupremi Magiſtri, quem Deus toti Eccleſiæ præfecit, vt illam inſtrueret in ſana doctrina.

2. Vnde doctrina illa de fallibilitate Pontificis non bene cohæret cum illa alia, quæ eſt omnino certa, de obligatione obediendi Summo Pontifici determinanti dubia fidei, & proponenti vnam partem vt reuelatam & tenendam, & oppoſitam vt hereticam & fugiendam, & obliganti ad non aliter ſentiendum, quàm ab ipſo declaratur; quia cum impoſſibile ſit totam Eccleſiam errare in habendo pro hæretica doctrinam aliquam veram; & aliunde tota teneatur habere pro hæretica illam doctrinam, quam Summus Pontifex hæreticam eſſe declarat, & pro tali haberi præcipit; impoſſibile eſt, vt Pontifex in hac definitione, & declaratione erret.

3. Hinc deduces, D. Ludouicum Dupin minime ſatisfeciſſe argumento, quo Bellarminus ex illis verbis Chriſti, *Paſce oues meas*, colligit, Romanum Pontificem, cui Dominus in perſona Petri ſuas oues paſcendas tradidit, non poſſe errare in iudicio publico fidei, & morum:
„ Nam Pontifex (inquit) eſt Doctor & Paſtor totius Eccleſiæ: ergo
„ tota Eccleſia illum audire, & ſequi tenetur, ergo ſi ille erret, tota
„ Eccleſia errabit. Huic argumento reſpondet Dupin Diſſert. 5. pag.
„ 368. hoc ratiocinium non valere. Cum enim Pontifices (inquit) er-
„ rant, deſinunt Eccleſiam paſcere, vt oportet. Imò occidunt oues po-
„ tius quàm paſcant. Vnde non tenentur oues eum ſequi, cùm vident
„ ſe in mortifera paſcua duci; non enim oues paſcit irrationales, quas
„ pro arbitrio & nutu, quò voluerit, agere poſſit; ſed quæ ratione &
„ perſuaſionibus paſci debent, hoc eſt doceri, & moueri, vt ſpontè
„ Chriſtum colant, eiuſque fidem & religionem illibatam ſeruent.
Hactenus Dupin.

4. Hæc tamen reſponſio argumentum Bellarmini non ſoluit. Quomodo enim oues *videre*, id eſt clarè, & manifeſtè cognoſcere poſſunt, ſe duci à Paſtore ad paſcua mortifera? Quis erit Iudex in hac cauſa, an ſcilicet Pontifex in definitione erret? eruntne ipſæ oues, ipſique diſcipuli? quid abſurdius, quàm oues iudicare Summum Paſtorem, & diſcipulos ſummum Eccleſiæ Doctorem? Quare argumentum ſolum probat fideles non teneri obedire Pontifici, ſi ille per impoſſibile definiat aliquam manifeſtam hæreſim, & illam velit obtrudere Eccleſiæ, præcipiendo omnibus, vt illam amplectantur: *tunc enim oues vident ſe in mortifera paſcua duci*. At quando Pontifex in re inter Catholicos controuerſa, & non ſatis adhuc ab Eccleſia comperta ac determinata, vnam partem definit, & toti Eccleſiæ proponit, vt paſcuum ſalutare, & oppoſitam damnat, vt mortiferum, omnes tenentur illi obedire: ſicut quando Superior præciperet rem manifeſtè malam, non tenetur ſubditus obedire: at quando præcipit rem, de qua dubium eſt, an ſit bona vel mala, debet obedire; nec Superior tenetur illi perſuadere rationibus,

rem

rem illam eſſe licitam; ſed ſatis eſt, quod hoc ipſe prudenter iudicet, vt ſubditum obliget. Conſulatur, quod dicemus Diſp. XIV. ſect. 2. §. 7.

5. Addo ipſum Dupinum diſſertat. 4. pag. 336. hæc formalia habe-
„ re verba: Licèt Pontificis definitiones de fide, & moribus non ſint
„ omnino infallibiles; ſunt tamen magni apud omnes momenti, & vni-
„ uerſam ſpectant Eccleſiam. Atque hinc ſingulæ priuatim Eccleſiæ
„ magnam eius definitionibus reuerentiam præſtare debent, nec poſ-
„ ſunt pro libito eas, vel condemnare, vel reijcere. Hinc contra ipſum ſic arguo: ergo quando Pontifex in re aliquo modo inter Catholicos controuerſa; vnam partem definit & determinat, & oppoſitam declarat vt erroneam vel hæreticam, & præcipit vt pro tali habeatur: ſingulæ priuatim Eccleſiæ tenentur illam pro tali habere: ergo ſi Pontifex poſſet errare; omnes tenerentur errare; & ſic tota Eccleſia haberet pro hæretica doctrinam Catholicam & ſanam. At hoc eſt impoſſibile; ergo impoſſibile eſt Pontificem errare in ſimilibus definitionibus.

6. Cauſam, cur Romanus Pontifex poſſit errare in determinandis fidei, & morum controuerſijs reuocat Almainus tractatu de authoritate Eccleſiæ cap. 10. §. *Sequitur tertiò*, in defectum diligentiæ adhibitæ ad
„ rectè determinandum. Nam ſi Summus Pontifex, inquit, faceret, quod
„ in ſe eſt, ad rectè determinandum, non permitteret Deus, eum errare.
„ Et ſtatim ſubiungit: imò hoc dicit Aliſiodorenſis de Vetula, quod
„ nunquam permittere Deus, eam errare errore perſonali, in his, quæ
„ ſunt fidei, ſi faciat, quod in ſe eſt. Sed Summus Pontifex poteſt ſenten-
„ tiare aliquid eſſe de fide, & non facere, quod in ſe eſt ad rectè ſen-
„ tentiandum. Sed contrà, quia cum à nobis probatum ſit Pontificem non poſſe errare in determinandis fidei quæſtionibus, quæ inter Catholicos ſunt controuerſæ, & aliquo modo dubiæ; quia in hoc dubio omnes fideles tenentur eius iudicium ſequi, ac proinde omnes errarent in credendo, ſi ille erraret in definiendo; vnum è duobus neceſſariò dicendum eſt; videlicet vel Deum permittere non poſſe vt Pontifex temerè, & non præmiſſâ ſufficienti diligentiâ ad inquirendam veritatem; definiat; vt docet Bellar. lib. 4. de Romano Pontifice cap. 2. Canus lib. 5. de locis cap. 5. ad ſecundum, & Granadus tract. 7. diſput. 2 ſect. 2. nu. 13 qui addit, propoſita illâ conditionali, *Si Pontifex aliquid definiret abſque debito examine*, reſpondendum eſſe, quòd ſequeretur vtrumque, ſcilicet, quòd poſſet, & non poſſet errare, vel Pontificem etiamſi peccet in definiendo non præmiſſa ſufficienti diligentia; tamen non poſſe rem falſam definire; ſed Spiritum Sanctum ei aſſiſtere, vt nunquam niſi verum definiat, & toti Eccleſiæ proponat; vt docet P. Valentia tom. 3. col. 259. ad ſextam obiectionem, vbi ait, Pontificem temerè definientem facere etiam rem certam de fide. Vnde hoc ipſo quòd definiat, res definita manet certiſſima; nec eſt, inquirendum, an fecerit, vel non fecerit diligentiam ad definiendum; ſed eodem modo loqui debemus de definitio-

ue

ne eluſiuè de definitione Concilij Generalis, quia vel Deus non poteſt permittere vt definiat, quin adhibuerit ſufficientem diligentiam ante definitionem; vel ſi hoc poteſt permittere, nequit permittere, vt etiam tunc definitionem falſam conficiat: errore autem perſonali poteſt quilibet, in materia fidei, errare, ſi non faciat, quod in ſe eſt. Eſtque magna differentia inter defectum diligentiæ, ſeu temeritatem in definiendo, & ipſam definitionem; nam temeritas illa eſſet perſonalis, & non redundaret in Eccleſiam; at definitio eſt propria Pontificis, quatenus Pontifex eſt; & error in illa redundaret in totam Eccleſiam. Vnde Spiritus Sanctus infallibiliter aſsiſtens Eccleſiæ, ne tota erret in credendo, neceſſariò aſsiſtit Pontifici in definiendo, & docendo totam Eccleſiam: quia cùm certum ſit, totam Eccleſiam habere obligationem ſequendi iudicium Summi Paſtoris, & Doctoris totius Eccleſiæ, quando in quæſtionibus fidei ſententiam profert, & Eccleſiæ proponit, quid in illo dubio tenere debeat; ſanè ſi ille in definiendo, & docendo poſſet errare, tota Eccleſia poſſet, imò deberet errare in credendo. Vnde ideo conceſſa eſt à Chriſto Romano Pontifici infallibilitas in definiendo & docendo, quia promiſſa eſt ab ipſo Eccleſiæ infallibilitas in credendo; & conceſſum priuilegium, ne tota poſsit errare. Ac proinde infallibilitatis priuilegium conceſſum eſt quidem Romano Pontifici, ſed non ipſi propter ipſum, ſed ipſi propter Eccleſiam.

SECTIO XI.

Soluitur obiectio: cuius occaſione exponitur, an & quomodo poſſit Eccleſia obligare ad actum internum.

At in fauorem ſententiæ Gerſonis, Almaini, & ſequacium aſſerentium, definitiones Pontificis non obligare ad credendam veritatem definitam, ſed ſolum ad non dogmatizandum oppoſitum, obijcies, Pontificem non poſſe obligare Fideles ad actum internum fidei, quia materia legis Pontificiæ ſolum poſſunt eſſe directè & per ſe actus externi. Vt enim docet communis ſententia Theologorum cum D. Thoma 1.2. q.91. art.4. & q.100. art.9. poteſtas Eccleſiaſtica efficaciam non habet in actus internos, ita vt per legem Canonicam per ſe præcipi, aut prohiberi poſſint. Ratio eſt, quia humana iuriſdictio non poteſt ferre legem de actibus, de quibus non poteſt iudicare. Non poteſt iudicare de actibus merè internis nec illos punire: ergo nec poteſt de illis ferre leges. Ergo Summus Pontifex nequit ita definire veritatem aliquam, vt obliget fideles ad actum internum fidei circa illam. Vnde deducent Ianſeniſtæ, Innocentium X. exceſſiſſe limites ſuæ poteſtatis, dum præcepit, *ne vllus*

aliter

aliter ſentiret de quinque propoſitionibus Ianſenij, quas vt hæreticas damnauit, *quàm in illa ſua conſtitutione continetur*.

§. I.

Non minus poteſt Romanus Pontifex obligare omnes Fideles ad non aliter ſentiendum & credendum quam ab ipſo definitum eſt; ac poteſt Concilium generale approbatum.

1. VErum hoc argumentum non eſt ſpeciale contra definitiones editas à Summo Pontifice extra Concilium generale, ſed æqualiter militat contra definitiones editas ab illo cum Concilio generali, vel ab ipſo Concilio, approbante & confirmante Summo Pontifice. Vnde ſi Innocentius X. in illa ſua Conſtitutione contra Ianſenium exceſſit limites ſuæ poteſtatis, ſequitur, eoſdem limites exceſſiſſe Concilium Tridentinum in Decreto de Euchariſtia, in cuius prooemio hæc verba legimus: *Sacroſancta œcumenica, & generalis Tridentina Synodus .... omnibus Chriſtifidelibus interdicit, ne poſthac de Sanctiſſima Euchariſtia aliter credere, docere, aut prædicare audeant, quàm vt eſt hoc præſenti Decreto explicatum, atque definitum*. Quod dixerint aduerſarij de definitionibus Conciliorum, dicemus nos de definitionibus Pontificis, & de legibus, quibus iubet definitiones ſuas teneri. Certiſſimum enim eſt, Summum Pontificem poſſe ferre leges obligantes totam Eccleſiam; idque tota Gallia catholicè fatetur. Et ideò inter articulos, quos contra Lutherum credendos propoſuit Vniuerſitas Pariſienſis, vigeſimus tertius eſt iſte: *Certum eſt, vnum eſſe de iure Diuino Summum in Eccleſia militante Pontificem: cui omnes Chriſtiani parere tenentur*. Vt autem teſtatur Edmundus Richerius Doctor ac Socius Sorbonicus in Vindicijs Doctrinæ Maiorum Scholæ Pariſienſis (quæ poſt eius obitum ann. 1683. impreſſæ ſunt Coloniæ apud Balthaſſarem ab Egmon, vt titulus ſonat) lib. 1. pag. 9. in more poſitum eſt, vt omnes Baccalaurei Facultatis Theologiæ Pariſienſis, tam ſeculares, quam regulares, ſolemniter iurent in prædictum articulum cum alijs quinque, quos ibi appendit, atque eos propriâ ſyngrapha obſignent. Additque *de hoc eximium extare monimentum in Tabulario Facultatis anno* 1508. *factum, & à Guidone Rigandeau, ac Ioanne Crozon Notarijs publicis obſignatum*. Illos autem articulos ſex tanquam amuletum præſentiſſimum adhibuit inſignis illa Academia, ne hæreſis Lutherana Chriſtianiſſimum Galliæ Regnum afflaret: nequit enim hæreſis Lutherana locum inuenire apud eos, qui illos ſex articulos credunt.

Digitized by Google

2. Idem præceptum appoſuerat Tridentinum ſeſs. 6. in procemio Decreti de iuſtificatione, *diſtrictiùs* (inquit) *inhibendo, ne deinceps audeat quiſquam aliter credere, prædicare, aut docere, quam præſenti decreto ſtatuitur, ac declaratur*. Et ſeſs. 5. in fine decreti de peccato originali poſtquam declarauit doctrinam Eccleſiæ de peccato originali, ſubiungit: *Si quis autem contrarium ſenſerit, anathema ſit*. Quibus in locis Concilium per illud præceptum expreſsè declarat obligationem, quæ imbibitur in ipſa definitione. Nam ipſa definitio Concilij de iuſtificatione, de Euchariſtia, & de peccato originali importat ſecum obligationem grauem non aliter ſentiendi, quàm in illis decretis continetur: vnde quamuis illud præceptum expreſsè ibi non appenderetur, ſed præcisè exhiberetur decretum declarans, & definiens myſterium Euchariſtiæ, & naturam iuſtificationis; quicumque poſt editum, & promulgatum illud decretum diſſentiret internè veritatibus ibi definitis, eſſet hæreticus, quamuis nihil externè aſſereret, nec in oppoſitum aliquid dogmatizaret.

3. Et ideò Innocentius Decimus in ſua Bulla contra Ianſenium, poſtquam quinque illas propoſitiones *hæreticas* declarauit, *& vt tales damnauit*; ſubiungit: *Mandamus igitur omnibus Chriſtifidelibus vtriuſque ſexus, ne de dictis propoſitionibus, ſentire, docere, prædicare aliter præſumant, quàm in hac præſenti noſtra Declaratione, ac Definitione continetur, ſub cenſuris, ac pœnis contra hæreticos, & eorum fautores in iure contentis*, in quibus verbis particula *igitur* ſatis denotat materiam illius præcepti, vel potius ipſum præceptum virtualiter, & implicitè contineri in ipſa definitione; ac proinde hoc præceptum non imponere nouam obligationem diſtinctam ab illa, quam ipſa definitio importat, ſed eam obligationem explicare, declarare, & intimare; manifeſtando ſubiacere pœnis, ac cenſuris impoſitis contra hæreticos, eos, qui aliter docere, ac prædicare auſi fuerint. Ex quibus manifeſtum eſt, argumentum obiectum initio ſectionis æquè militare contra definitiones Conciliorum. Vndè ſicut certum eſt, Concilium Tridentinum non exceſſiſſe limites ſuæ poteſtatis, dum præcepit, ne aliquis aliter ſentire, & credere præſumeret de iuſtificatione, de Euchariſtia, & de peccato originali, quam in illis decretis eſt explicatum & definitum; ita certum eſt, non exceſſiſſe Innocentium X. limites ſuæ poteſtatis, dum obligauit ad non aliter ſentiendum & credendum, quàm in illa Conſtitutione continetur.

§. II.

Exponitur, an & quomodo poſſit Eccleſia obligare ad actus internos.

1. SVpponitur tanquam indubitatum, poſſe Legislatorem humanum obligare indirectè per ſuam legem ad actum internum voluntatis, qui neceſſarius eſt ad hoc vt ponatur actus externus, quem præcipit, vel vt omittatur actus externus, quem prohibet. Vnde dum Eccleſia præcipit auditionem ſacri in diebus Dominicis, obligat ad voluntatem internam eundi in templum, & dum prohibet eſum carnium die Veneris, prohibet voluntatem internam efficacem comedendij carnes. Solum ergo dubitatur, an poſſit Eccleſia immediatè, & directè obligare ad actum internum, ſtatuendo legem, quæ directè & immediatè obliget ad actus internos virtutis, & prohibeat actus internos vitij. Id ex profeſſo diſputare, non eſt inſtituti noſtri. Affirmant aliqui authores graues apud Patrem Suarez lib. 4. de legibus cap. 12. n. 3. & alij apud Thomam Sanchez lib. 2. Summæ cap. 8. num. 1. quatenus affirmant, hæreticos purè mentales incurrere excommunicationem; eſtque pro hac ſententia ratio valida; quia cum poteſtas Eccleſiaſtica ſit ſpiritualis, & ordinetur ad bonum internum animarum principaliter, & habeat altius principium, quàm lex ciuilis, nempe Deum ipſum ſupernaturaliter illam conferentem, videtur verſari poſſe immediatè circa actus internos; quod ratione à priori ſic ſuadetur. Nam Chriſtus Dominus habet poteſtatem ferendi leges obligantes ad actus internos, v. g. credendi, amandi, ſperandi &c. & ideò de facto obligauit ad exponendum in confeſſione actus merè internos, v. g. cogitationes prauas, & praua deſideria deliberatè concepta; cum ergo Romanum Pontificem conſtituerit Vicarium ſuum in terris, potuit communicare illi hanc poteſtatem. Nec obſtat ratio tertia, quâ D. Thomas 1. 2. quæſt. 91. art. 4. probat, præter humanam legem, neceſſariam fuiſſe diuinam quãdam legem, qua homo in ſupernaturalem finem ſuum, qui eſt æterna beatitudo, ordinaretur, atque infallibiliter dirigeretur. Ratio eſt hæc: *Quia de iis* (inquit) *poteſt homo legem facere, de quibus poteſt iudicare, iudicium autem hominis eſſe non poteſt de interioribus motibus, qui latent, ſed ſolum de exterioribus actibus, qui apparent: & tamen ad perfectionem virtutis requiritur, quod in vtriſque actibus homo perfectus exiſtat; & ideo lex humana non potuit cohibere, & ordinare ſufficienter interiores actus, ſed ad hoc neceſſarium fuit, quod ſuperueniret lex Diuina.* Non, inquam, obſtat hæc ratio, quia licet illa efficax ſit ad intentum D. Thomæ, nempe ad pro-

bandum, præter legem humanam, neceſſariam fuiſſe legem Diuinam; non tamen eſt efficax ad probandum, non poſſe Eccleſiam condere legem obligantem in conſcientia directè, & per ſe ad actus internos, nimirum legem purè directiuam, quæ non habeat vim coactiuam, qualem Legiſlator humanus non poteſt exercere circa actus merè internos; nequit enim inferre pœnam directe pro omiſsione actus interni, de cuius exiſtentia vel carentia probationem habere nequit.

2. Itaque D. Thomas illâ ratione efficaciter probat id, quod in titulo articuli probandum aſſumpſit: Ex eo enim, quod leges humanæ non poſſint *cohibere actus internos vitioſos, & ſufficientèr* ordinare ad perfectionem virtutis actus internos, recte deducitur, neceſſariam fuiſſe legem Diuinam. Quamuis namque legiſlator poſſit præcipere per leges pure directiuas; iſtæ non ſunt *ſufficientes* ad cohibendos actus vitioſos internos, dūm non poteſt exequi pœnam, cuius digni ſunt tranſgreſſores legis: neceſſaria ergo fuit lex diuina, cuius ſupremus legiſlator poteſt fulminare, & exequi pœnam in violatores legis ordinantis ad perfectionem actus internos. Hæc autem ratio non probat, eſſe impoſsibilem legem Eccleſiaſticam pure directiuam; etſi enim illa per ſe ſolam nequeat *cohibere actus internos malos, nec ſufficienter* ordinare ad perfectionem actus internos virtutis; multum tamen ad hoc conducit: adiuncta enim legi diuinæ comminanti pœnam tranſgreſſoribus huius legis pure directiuæ, quæ conſcientiam ligat, iuuat multum ad obtinendum finem vltimum.

3. Qui enim videt, ſe vi legis Eccleſiaſticæ obligari ad exercendum eum actum internum; & aliunde Deum vindicem, qui corda hominum penetrat, poſſe ipſum in infernum detrudere, ſi actum illum liberè omittat; hinc mouetur ad illum exercendum. Vnde P. Suarez eo cap. 12. num. 7. planè fatetur potuiſſe Chriſtum Eccleſiæ dare hanc poteſtatem obligandi per ſuam legem immediate, & directè ad actus pure internos, etiam ſolitarie ſumptos, ac proinde ait, rationem illam communem Theologorum cum D. Thoma non fundari in impoſſibilitate legis humanę obligantis immediate, & directe ad actus internos; ſed in quadam ratione congruentiæ. Non enim eò tendit, vt perſuadeat, aliud fuiſſe impoſſibile, ſed vt perſuadeat hunc eſſe ordinem conſentaneum naturæ hominis. Quo ſenſu *Verum* (inqui) *eſt*, iuxta rei naturam, & ordinariam legem *ſolum illum actum poſſe primariò, & directè humanâ lege præcipi, qui poteſt per homines iudicari*.

4. Sed quidquid ſit an Eccleſia acceperit poteſtatem obligandi fideles directe ad actus pure internos; certum eſt, illam non habere ſolùm poteſtatem indirectam ad actus internos, qui neceſſariò, & per ſe præſupponuntur ad actus internos, quos immediate, & per ſe præcipit vel prohibet: Sed inſuper habere poteſtatem ad actus internos, qui per accidens coniunguntur cum externis, nec ab ijs per ſe ſupponuntur, nec

per

per ipſos manifeſtantur. Sic Eccleſia ſuſcipientibus Ordinem ſacrum præcipit vt Caſtitatem voueant, quod facere non poſſunt ſine internâ intentione vouendi, aut ſe obligandi ad caſtitatem, quæ per exteriorem ordinationem non innoteſcit, nec ad illam per ſe præſupponitur. Sic ex vi præcepti recitandi horas Canonicas tenentur Clerici habere intentionem orandi; vt enim inquit P. Suarez lib. 4. de legibus cap. 13. in fine, *de intentione orandi omnes Doctores conueniunt eſſe neceſſariam vi talis præcepti, quoniam ſine intentione orandi non erit vera oratio, ſed ficta*. Et quod obligatio habendi talem intentionem oriatur ex præcepto Eccleſiæ, probatur à Suario: „ Nam legere omnia illa, quæ recitan-
„ tur animo addiſcendi, vel refricandi memoriam, non eſt per ſe ma-
„ lum, nec contra ius naturale, aut dininum, vt per ſe conſtat, & ta-
„ men qui ſic legeret horas, & aliter non recitaret, non impleret Ec-
„ cleſiæ præceptum ſecundùm omnes; ergo obligatio recitandi cum il-
„ la intentione eſt ex præcepto Eccleſiæ. Idem eſt de intentione reci-
„ piendi ordinem ſacrum ſine animo ſeruandi caſtitatem, vel ad illam
„ ſe obligandi: hoc enim non eſt intrinſecè malum, aut contra ius di-
„ uinum, & tamen nunc eſt peccatum mortale ex vi præcepti Eccle-
„ ſiæ.

5. Ratio autem à priori cur ab Eccleſia poſſint actus interni ſimul cum externis præcipi, eſt, quia actus externi, in quos primariò fertur lex humana, ſunt neceſſarij ad humanum conuictum, vel ad cultum Dei, *non ſolùm* materialiter ſumpti ſecundum eſſe phyſicum, ſed etiam formaliter accepti, vt ſunt tales actus morales, vel quaſi artificiales, id eſt, quatenus ſunt contractus, ſacramentum, ſacrificium, cultus, oratio, & ſimiles; ergo ad rectam Eccleſiæ gubernationem neceſſaria illi fuit poteſtas ad præcipiendum vſum, & exercitium talium actuum ſecundum tales formales rationes. Non poſſunt autem ita præcipi, quin præcipiantur actus interni, ſine quibus rationes illæ conſiſtere non poſſunt; ergo illo modo præcipi poſſunt, ſiue per actus externos ſufficienter manifeſtentur, ſiue non; quia, vt præcipiantur ſatis eſt illa neceſſaria connexio, quia non præcipiuntur per ſe, ſed compræcipiuntur, nec aliter poſſunt præcipi efficaciter tales actus externi. Conſtatque manifeſtè ex Bulla Alexandri VII. & INNOCENTII XI. contra opiniones laxas & ſcandaloſas, Eccleſiam obligare ad actus internos, qui per accidens coniunguntur cum externis, nam inter propoſitiones damnatas ab Alexandro VII. 14. eſt iſta: Qui *facit confeſſionem voluntariè nullam ſatisfacit præcepto Eccleſiæ*. Et inter damnatas à SS.D.N. INNOCENTIO XI. 55. eſt iſta: *Præcepto Communionis annuæ ſatisfit per ſacrilegam Domini manducationem*. Ergo præceptum annuæ confeſſionis obligat non ſolum ad confeſſionem externam, ſed ad actus internos, qui ſunt neceſſarij ad valorem confeſſionis, nempe ad dolorem, & propoſitum emendationis, qui tamen non ſupponuntur per ſe ad confeſſionem vocalem,

&

& ſimiliter præceptum annuæ Communionis obligat ad non accedendum cum obice interno reddente ſacrilegam illam communionem.

6. Ex ijs apertè deducitur, Eccleſiam prohibere potuiſſe non ſolum aſſertionem externam propoſitionum Ianſenij, ſed etiam actum internum, quo quis apud ſe interne iudicet illas propoſitiones eſſe veras, vel non eſſe hæreticas; quia hic actus internus excludens aſſenſum erga propoſitiones damnatas, eſt neceſſarius, vt debito modo obſeruetur conſtitutio Apoſtolica, & obtineatur finis ab illa intentus.

§. III.

Secernitur ab obligatione immediatè orta ex præcepto Eccleſiaſtico in fidei definitione incluſo alia obligatio, quæ oritur immediatè ex iure naturali & præcepto Diuino fidei.

1. NOn eſt autem confundenda (hoc enim ſemel notaſſe debui) hæc obligatio, quæ ex definitione Papæ, ſeu Concilij immediatè oritur, & de qua egimus, cum alia obligatione credendi, quæ ex huiuſmodi definitione & præcepto oritur ſolùm mediatè; nam immediatè oritur ex iure naturali, vel ex ipſo & præcepto affirmatiuo diuino. Dixi ex iure naturali, quia hoc ipſo, quod Eccleſia declarat & definit aliquem articulum, ius naturale obligat ad non diſſentiendum ipſi: naturali enim iure obligamur ad non diſſentiendum ijs, quæ ſunt nobis ſufficienter propoſita vt à Deo dicta. Hoc autem ipſo quod Concilium, vel etiam ſolus Papa aliquid ex cathedra declarat, ſufficienter nobis illud propoſitum eſt vt à Deo reuelatum, & ſic iure naturali obligamur ad non diſſentiendum tali obiecto declarato.

2. Licet autem hoc ipſo, quod aliquid definitum eſt, reſultet naturalis obligatio non diſſentiendi: non tamen propterea reſultat obligatio poſitiuè aſſentiendi explicitè & diſtinctè omnibus ijs veritatibus, eaſque explicitè credendi. In præcepto namque Fidei, vt docent communiter Theologi, duplex eſt pars; altera negatiua: altera affirmatiua. Prior eſt non diſſentire ijs, quæ nobis ſufficienter proponuntur vt reuelata à Deo, vt dixi; & hæc, vt notaui, eſt quaſi de iure naturali, antecedenter ſcilicet ad omnem legem poſitiuam Dei: nam ratio naturalis, dictat, non eſſe diſſentiendum ijs, quæ nobis ſufficienter conſtat dicta eſſe Deo; eis enim diſſentire eſſet grauis Dei iniuria, quia qui ita diſſentiret, in actu exercito reputaret, vel Deum eſſe fallacem, vel fallibilem; quorum neutrum poteſt Deo ſine grauiſſima irreue-

reuerentia imputari. Pars affirmatiua præcepti Fidei eſt credere poſitiuè ea, quæ à Deo reuelata ſunt, & quoad hanc partem affirmatiuam, præceptum Fidei erit quaſi naturale quoad Fidem implicitam & confuſam eorum omnium, quæ à Deo reuelata ſunt in ſcripturis, & per Apoſtolos & Propheras nobis tradita; & quæ ab Eccleſia vel per Concilia generalia approbata, vel Romanum Pontificem ſunt definita, Vt enim inquit Card. de Lugo diſp. 13. num. 3. *Fides implicita & confuſa eorum omnium, quæ Deus nobis reuelat, videtur eſſe ex lege naturæ ex ſuppoſitione quod Deus ea nobis reuelet.* Qnoad Fidem autem explicitam aliquorum myſteriorum non erit præceptum quaſi naturale ſed poſitiuum. Certum enim videtur, eſſe aliquo modo præceptum poſitiuum diuinum aliqua obiecta explicitè credendi v.g. Trinitatem, Incarnationem, Mortem, & Reſurrectionem Chriſti, & his ſimilia; *quæ attento præcisè iure naturæ, ſufficeret implicitè, & in genere* (inquit ibi Cardinalis) *niſi Deus Fidem explicitam horum obiectorum præciperet, vt de facto præcipit.* Quoad partem negatiuam obligat hoc præceptum ſemper, ac pro ſemper: quoad partem affirmatiuam non obligat ſemper & pro ſemper, ſed certis quibuſdam temporibus, vt explicant Theologi. Qui etiam benè diſtinguunt inter ea, quæ neceſſe eſt credere neceſſitate medij, & ea quæ ſolum neceſſitate præcepti. Quę autem neceſſitate pręcepti explicitè credenda ſint, colligendum eſt ex modo, quo Deus Fidei promulgationem impoſuit & ex ſcripturis & traditione & vſu Eccleſiæ: quod pariter in materia de Fide explicatur à Theologis, qui etiam explicant tempus, pro quo vrget huiuſmodi præceptum: nec iſta exponere pertinet ad hunc locum, nec facit ad meum ſcopum, in quem tamen vtile fuit ad æquiuocationes impediendas explicaſſe vt diſtinctas duas iſtas obligationes.

DI-

DISPVTATIO XIII.

In qua examinatur præcipuum fundamentum contrariæ ſententiæ, deſumptum ab authoritate Concilij Conſtantienſis.

POSTQVAM omni genere argumentorum probauimus infallibilitatem Romani Pontificis, tempus eſt, vt deueniamus ad ſoluenda fundamenta aduerſariorum; quorum potiſſimum deſumitur ab authoritate Concilij Conſtantienſis, in quo definitum exiſtimant Concilium eſſe ſupra Papam; vnde infertur hunc non eſſe infallibilem in determinandis fidei & morum controuerſijs.

SECTIO I.

Breuis Hiſtorica narratio de cauſis ſchiſmatis, ad quod extinguendum congregatum eſt Concilium Conſtantienſe, & de initio, & progreſſu, & fine illius.

1. HAnc Hiſtoriam exactiſsimè narrat D. Emanuel à Schelſtrate Bibliothecæ Vaticanæ Præfectus in ſelectiſsimo tractatu de ſenſu & authoritate Decretorum Concilij Conſtantienſis, ſeſs. 4. & 5. circa Eccleſiaſticam poteſtatem editorum. Quem tractatum emiſit in lucem anno 1686. præmiſſa exquiſita diligentia in euoluendis Actis & geſtis huius Concilij, non ſolum quæ typis vulgata ſunt, ſed etiam quæ manuſcripta conſeruantur in Bibliotheca Vaticana, in quibus inquirendis, examinandis, & inter ſe conferendis ſex menſes indefeſſo labore conſumpſit; & ad initium illius eruditi tractatus, compendium præmiſit chronologicum rerum ad Decreta Conſtantienſia, eorumque ſenſum & authoritatem ſpectantium. Ex hoc compendio ego breuiſsimè contexam narrationem hiſtoricam neceſſariam ad intelligentiam eorum quæ dicturus ſum.

2. Anno 1303. Bertrandus de Gotto ex Archiepiſcopo Burdegalenſi

lenſi creatus eſt Pontifex Romanus; qui Clementis V. nomen aſſumpſit: ille autem Lugduni coronatus anno Domini 1305. Sedem Apoſtolicam tranſtulit Auenionem, vbi fuit pluſquam ſeptuaginta annis ſub varijs Pontificibus, nimirum Ioanne XXII. Clemente VI. Innocentio VI. & Vrbano V. vſque ad Gregorium XI. qui hortante Sancta Catharina Senenſi Romæ Cathedram Apoſtolicam reſtituit. Cùm autem è viuis diſceſſiſſet 27. Martij 1378. Populus Romanus, ne Cathedra Petri iterum Roma exularet, omni ope contendit, vt eligeretur Papa Italus; electus eſt verò 8. Aprilis eiuſdem anni Archiepiſcopus Barenſis, qui ſe Vrbanum VI. nominauit.

3. Cardinales verò Galli, & tres Itali ægrè hanc electionem ferentes, & cauſati ademptam fuiſſe libertatem Electoribus, Curiâ aufugientes, Fundis conuenerunt, & ibi 25. Septembris Robertum ex Comitibus Gebennenſibus in Pontificem elegerunt, qui nomen Clementis Septimi aſſumpſit, & cathedram iterum Auenionem transferre conatus eſt. Hinc originem duxit horrendum illud ſchiſma, quod durauit vſque ad annum 1417. in quo, die Sancti Martini electus in legitimum Pontificem Odo de Columna, qui ſe appellauit Martinum V. Vnaquæque enim ex factionibus arbitrabatur penes ſe eſſe Pontificatum, & mortuo vno Pontifice alterum eligebat, & vnaquæque habebat potentes fautores, & ſui iuris defenſores. Nam Clementi VII. adhæſerunt omnes Galliæ ab Alpibus incluſiuè vſque ad Belgium, & Oceanum Britannicum, Scotia, Hiſpania cum Inſulis eidem ſubditis, Cyprus, Rhodus, & Ianua. Vrbano autem paruerunt reliqua regna & Prouinciæ, Italia nimirum cum ſuis inſulis, Germania, Belgium, Bohemia, Hungaria, & Anglia.

4. Vrbano Sexto Romæ mortuo ſucceſſit anno 1389. Bonifacius Nonus. Bonifacio autem anno 1404. ſucceſſit Innocentius Septimus, qui vnà cum Cardinalibus in Conclaui exiſtentibus ſeſe iuramento adſtrinxit cedendi Papatui, quoties alterius obedientiæ Pontifex idem faceret. Innocentio Septimo ſucceſſit anno 1406. Gregorius Duodecimus, qui idem iuramentum fecit.

5. In alia autem obedientia vitâ functo Clementi Septimo ſucceſſit Petrus de Luna ſub nomine Benedicti Decimitertij anno 1394. Cùm autem nec ipſe, nec Gregorius Pontificatui cedere vellent, vtriuſque factionis Cardinales ab illis receſſerunt, & Piſas ſe receperunt, vt ibi Concilium celebrarent pro extinguendo ſchiſmate; ſed dum extinguere volebant, auxerunt. Nam cùm Benedictus, & Gregorius ab ipſis euocati in Concilium, noluiſſent illuc comparere, contra vtrumque ſententiam depoſitionis tulerunt, & ad noui Pontificis electionem proceſſerunt, elegeruntque anno 1409. Petrum de Candia Ordinis Sancti Franciſci, qui appellatus eſt Alexander V. Vnde iam tres erant Papæ dubij de Pontificatu contendentes. Mortuo autem Alexandro Cardinales anno 1410. elegerunt in Pontificem Balthaſarem Coſſa Legatum

Digitized by Google

Bononienſem, qui Ioannes Vigeſimuſtertius appellatus eſt. Hic verò cum Imperatore Sigiſmundo Laudam anno 1413. conuenit, vbi ex conſilio, & exhortatione Imperatoris pro extirpando ſchiſmate, & vnione Eccleſiæ obtinenda indixit Concilium Conſtantienſe in annum ſequentem. Intrauit autem publicè Conſtantiam 28. Octobris anno 1414. & 16. Nouembris primam ſeſſionem habuit, in qua nihilomninò actum eſt de materia vnionis.

6. Volebat Ioannes vt indubitatus Pontifex haberi, & Gregorium, propter ſententiam depoſitionis in Concilio Piſano latam, omninò excidiſſe à iure Pontificatus, & à fortiori idem ſentiebat de Benedicto. Sed Concilium minime in hoc Ioannis mentem ſecutum eſt, ſed voluit quęſtionem de iure Pontificatus intactam relinqui, quouſque à Concilio decideretur. Nam licet Obedientia Ioannis XXIII. eidem canonicè competere exiſtimabat Pontificatum, aliæ tamen duæ obedientię probabiliter contrarium tenebant.

7. In hoc rerum ſtatu Petrus de Alliaco Cardinalis Cameracenſis ſchedulam vulgauit per modum concluſionum, in quarum ſexta ſtatuebat, quod in hac perplexitate, pro pace Eccleſiæ acceleranda poterant Ioannes, Gregorius, & Benedictus ad ceſſionem Papatus compelli, & nolentes cedere, deponi. Et hanc opinionem Concilium in praxi amplexum eſt; nam primò omnium inſtare cœpit, vt Ioannes cederet Papatui, quod & ipſe obtulit ſub conditione, quod alij duo cederent etiam. Sed cùm Rex Romanorum cum Nationibus Galliæ, Germaniæ & Angliæ inſtaret apud Ioannem, vt conſtitueret Procuratorem ad cedendum Papatui, vbi & quomodo Concilio videretur expedire: ipſe animaduertens hoc excogitatum fuiſſe ad ipſum ante duos alios de Papatu contendentes Pontificatu priuandum, nihil intentatum reliquit, vt hoc telum auerteret; verùm cùm non potuiſſet id quod tunc petebat obtinere, timens ne à Concilio Papatu priuaretur, media nocte fugâ ſe ſurripuit à ciuitate Conſtantia, & auxilio Federici Ducis Auſtriæ Scaffuſam, quatuor milliaribus Germanicis à Conſtantia diſtantem, peruenit. Inde ſtatim poſt ſuam fugam iuſſit affigi Conſtantiæ valuis Eccleſiæ edictum, quo omnes Romanæ Curiæ Officiales, ſuoſque familiares Scaffuſam euocabat. Quæ res mire omnium animos turbauit. Vnde Collegium Cardinalium tres Cardinales Legatos ad Papam deſignauit, vt ab ipſo poſtularent, ne Concilium diſſolueret, ſed Procuratores ad cedendum Papatui conſtitueret. Legatis autem die ſequenti ad iter ſe parantibus, monentur omnes Cardinales pro parte Regis Romanorum, & Nationum, vt intereſſe vellent Miſſæ Sancti Spiritus pro vnione Eccleſiæ, & extirpatione Schiſmatis. Poſt Miſſam pulpitum conſcendit Ioannes Gerſon Cancellarius Pariſienſis, & ſermonem habuit, in quo multa dixit de poteſtate Eccleſiaſtica. Et quia ad extinguendum ſchiſma neceſſarium erat, vt tres illi de Papatu contendentes vel volun-

tarie

tarie cederent, vel cedere compellerentur Papatui, multa dixit de excellentia Concilij ſupra Papam, quæ ad aures Ioannis XXIII. peruenientia, non parum eius animum exacerbarunt. Hanc concionem habuit Gerſon die 23. Martij anni 1415. Et certè argumenta ab eo adducta cùm eo tenderet, vt mediante authoritate Concilij pax Eccleſiæ reſtitueretur, animos Patrum mouerunt ad decretum, quod ſeſſione 4. & 5. poſtea fecerunt. Querelæ autem Pontificis contra Gerſonem effecerunt, vt Oratores Regis Chriſtianiſſimi ſe coniungerent cum Cardinalibus, & negotium vrgerent, & in eam ſententiam abirent. Et quamuis nomine Ioannis, Archiepiſcopus Rhemenſis obtulit Regi Romanorum, & Nationibus Procuratoriam ad ceſſionem Papatus, nihil obtinuit; exacerbatis enim ob ipſius fugam Patrum animis, cuncta, quæ pro illo offerebantur, ficta & ſimulata eſſe credebant.

8. Igitur die 26. Martij 1415. celebrata eſt 3. Seſſio, in qua ſtatutum eſt Concilium Conſtantienſe per receſſum Ioannis XXIII. diſſolutum non fuiſſe, ſed nec diſſolui debere ante extirpationem ſchiſmatis, nec ad alium locum ſine conſenſu Concilij transferri poſſe; nemini demum ſine iuſta cauſa ante finem Concilij diſcedere licere.

9. Huic autem Seſſioni duo tantum Cardinales interfuere, nempe Petrus de Alliaco Cardinalis Cameracenſis, & Franciſcus Zabarella Cardinalis Florentinus, reliquis aut Scaffuſæ conſtitutis, aut indecorum reputantibus eidem aſſiſtere. Illi autem duo, qui interfuerunt, non alia ratione permiſerunt publicari decreta iſtius ſeſſionis, niſi ſub conditione quod Ioannes XXIII. illa ratificaret; vt probat P. Philippus Labbè tom. 11. Concil. in appendice illius ſeſſionis, ex regeſto eiuſdem Concilij, & ex Manuſcripto Codice Capranicenſi, qui ad vſum Cardinalis de Capranica Baſileenſis Concilij temporibus conſcriptus videtur; idque proteſtati ſunt. Hanc tamen proteſtationem prætermiſerunt Baſileenſes in compilatione Actorum Conſtantienſium.

10. Poſt tertiam ſeſſionem eodem die 26. Martij ex Scaffuſa reuerſi ſunt Conſtantiam tres illi Cardinales Legati cum duobus alijs, & coram Rege Romanorum, & quibuſdam Patribus agere cœperunt de authoritate Ioannis XXIII. qui ſibi tanquam vero, & indubitato Pontifici authoritatem diſſoluendi Concilium competere exiſtimabat, eaque occaſione locuti ſunt contra ipſum Concilium, quod ſcilicet diſſolutum eſſet propter abſentiam, & diſceſſionem Papæ. Cùm autem nonnulli Patres acriter ſe opponerent, ſuſcitato contra Cardinales clamore, Cardinales inſalutato hoſpite abierunt.

11. Et quamuis die ſequenti, Regis Romanorum, & Nationum animos delinire conati ſunt, aſſerentes ſe induxiſſe Ioannem ad dandum Procuratoriam, & continuandum Concilium, nihil ipſis creditum eſt; omnia enim tanquam ludibria, & fictè pro parte Ioannis oblata credebantur: & poſt multas altercationes ibidem exclamatum eſt. *His non ob-*

ſtantibus fiat ſeſſio, fiat ſeſſio, Ioannes verò timens ſibi à futura ſeſſione, à Scaffuſa de nouo aufugit. Quæ res ita animos multorum commouit, vt multi ex nationibus Germanica, & Anglicana deliberauerint de celebranda die ſequenti ſeſs.4. Et decreuerunt, vt in ea ſtatueretur primo, *Quòd Concilium Conſtantienſe poteſtatem habet immediatè à Deo, cui etiam Papa obedire teneatur in ijs, quæ ſpectant ad fidem, extirpationem Schiſmatis, & reformationem Eccleſiæ in capite, & in membris*. Secundò quod cogi poſſit, ſi obedire contumaciter contempſerit. Tertiò alia plura. Quę omnia contradicentibus pluribus Patribus apud Nationes concluſa ſunt. Cùm autem non ſolùm Nationi Italicæ diſplicerent, ſed & Sacro Cardinalium Collegio ad deliberandum oblata non fuiſſent, noluerunt dicti Cardinales, & Oratores Regis Galliæ ad ſeſſionem venire, niſi inter alia capitula ſecundum omitteretur, & in primo Decreto non fieret mentio reformationis Eccleſiæ in capite, & in membris.

12. Sabbato 30. Martij in vigilia Paſchæ cùm Patres iam parati eſſent cum mitris, & pluuialibus ad celebrandam Seſſionem quartam; mediante Rege Romanorum *adhibitum eſt quoddam moderamen in expediendis in illa Seſſione*, quod nimirum inter cætera Decreta omitteretur ſecundum de poteſtate coactiua Concilij, & in primo Decreto nulla mentio fieret de reformatione Eccleſiæ. Et ita re ipſa factum fuiſſe probat contra Maimburgum D. Schelſtrate ex omnibus Codicibus manuſcriptis Romæ repertis, quorum Catalogum in illo tractatu appendit, & inſuper ex alijs Codicibus ſeruatis in Bibliotheca Cæſarea Viennę,& in Bibliotheca Salemitana prope Conſtantiam, & in ipſamet Gallia Lutetiæ Pariſiorum.

13. Cum autem Cardinalis Florentinus, ad quem tanquam vltimum Cardinalem ſpectabat pronunciare Decreta in ſeſſionibus publicis, veniſſet ad verba, de Reformatione Eccleſiæ in Capite, & in membris, quæ Nationes in ſchedula delere omiſerant, *Subſtitit eaque falſa eſſe, & præter communem deliberationem addita aſſeruit*. Vnde non ſolùm tunc omiſſa fuit clauſula de Reformatione, ſed eadem ſeſs. 4. Cardinales monuerunt Nationes, *quod ſuſpenderent ad tempus materias illas, quæ habent magnas difficultates, & maturam exigunt deliberationem*. Ita Abbas Panormitanus in ſententia finali,& Regeſtum Concilij Conſtantienſis in tribus manuſcriptis Codicibus.

14. Poſt Quartam Seſſionem Patres Conſtantienſes non inſtituerunt de articulis & Decretis controuerſis examen publicum coram Nationibus, neque ſtatueruut, coram Concilio ipſo habendum, ſed quaſi de re parui momenti ageretur, nominarunt aliquos, qui cum Cardinali Florentino ſuper ea re agerent: vbi autem inter eos aliqualiter diſputatum eſt, Deputati quatuor Nationum die 2. Aprilis inter alia multa ſtatuerunt, *quod proxima ſeſſione omnes articuli & clauſulæ concordatæ per Nationes in vltima ſeſſione prætermiſſæ expediantur*. Ita

Rege-

Regeſtum Concilij in tribus manuſcriptis Codicibus.

15. Cum Cardinales nullatenus Nationibus conſentirent quoad articulos, & clauſulas ſeſs. 4. prætermiſſas, eaſque ſe inuitis ſeſs. 5. publicandas eſſe percepiſſent, ſtatuerunt primùm non venire ad ſeſſionem, ſicut & quatuor Cardinales ad eam venire noluerunt. Vbi autem alij animaduerterunt, omnes ſine publico ſcandalo, & periculo diſſolutionis Concilij abeſſe non poſſe, ſtatuerunt ad ſeſſionem venire, præmiſſa tamen proteſtatione ſecreta in Camera paramentorum Palatij Conſtantienſis, *quod propter ſcandalum euitandum ad ſeſſionem ibant, non animo conſentiendi his, quæ audierant in ea ſtatui debere*. Eandem proteſtationem fecerunt quoque legati Regis Galliæ, qui ſeſe quàm ſtrictiſſimè cum Cardinalibus coniunxerant: adeo vt non ſolum contra mentem Ioannis XXIII. ſed & contra ſententiam totius Sacri Cardinalium Collegij, & ipſorum Galliæ Legatorum publicata ſint Decreta de Poteſtate Eccleſiaſtica, quæ D. Maimburg de ſuperioritate Concilij intellecta non ſolùm indubitatæ authoritatis, ſed inſtar dogmatum Fidei habenda eſſe credebat. Conſtat hoc ex Regeſto Conſtantienſis Concilij in tribus manuſciptis Codicibus.

16. Præmiſſa proteſtatione ad Seſſionem Quintam venerunt Cardinales, & inter eos Cardinalis Florentinus Canoniſtarum ſui temporis facile princeps, ad quem tunc ſpectabat Decretorum publicatio, qui rogatus vt Decreta legeret, munus illud exequi recuſauit. Electus itaque Poznanienſis legit *Decreta per modum Conſtitutionum Synodalium, quia Cardinalis Florentinus ea legere noluit*. Poſtquam autem Decreta per modum Conſtitutionum recitaſſet, idem Electus Poznanienſis legit alia *in materia Fidei* contra hæreſes Wicleffi, Hus, & Hieronymi de Praga. Ita Geſta Conſtantienſis Concilij in quatuor manuſcriptis Codicibus apud Schelſtrate differt. 1. cap. 2. & diſſert. 3. cap. 3. Lectis Decretis *tanquam prius* (ante Seſſionem Quartam) *Apud Nationes deliberatis & concluſis*, dicere quidem potuerunt quatuor Præſides, quod illorum publicatio placeret maiori parti Nationum, non tamen Collegio Cardinalium. Cùm enim Cardinales poſt fugam Ioannis XXIII. fruſtra petijſſent pro Sacro Collegio ſuffragium à Nationum ſuffragijs diſtinctum, ſepararunt ſeſe à Nationibus, earumque Congregationibus intereſſe noluerunt: vnde factum eſt, quod Nationes ſine Cardinalibus deliberarint & concluſerint; ſicque à tertia Seſſione vſque ad ſeptimam incluſiuè *penè in omnibus Decretis Concilij factum eſt Cardinalibus, quod tam arcto & breui tempore oſtenſa ſint Decreta iam concluſa in Nationibus, vt non fuerit in eorum poteſtate ſufficienter deliberare, & in magnum contemptum habiti fuerint*. Sic Acta Manuſcripta Conſtantienſis Concilij in Bibliotheca Regis Chriſtianiſſimi Pariſijs aſſeruata: item Geſta eiuſdem Concilij in quatuor Manuſcriptis Codicibus Romæ reperta.

17. Quamuis igitur reperiatur, quod ſingulis ſeſſionibus præſederit

Digitized by Google

rit vnus ex Cardinalibus, qui votum tuliſſe perhibetur, nullibi tamen ſignificatur, cum decem primis ſeſſionibus pro Sacro Cardinalium Collegio votum tuliſſe. Id in actis Conſtantienſis Concilij à quatuor Protonotarijs compilatis notatur, primo factum fuiſſe ſeſſione 11. in Geſtis vero eiuſdem Concilij non niſi ſeſſione 14. ibi enim habetur: *Et reſpondeunt quatuor Prælati pro quatuor Nationibus placet, & Cardinalis Oſtienſis pro Collegio Cardinalium, placet, & hoc nunc primo reſponſum eſt ex parte Cardinalium.*

18. Poſthæc ſeſs.21. quæ habita eſt die 14. Maij, lecta eſt ſententia depoſitionis contra Ioannem XXIII. Patres tamen propter honorem eius voluerunt, vt accederet conſenſus illius, & Ioannes, qui ſeſe Concilio ſubiecerat, acquieuit ſententiæ illius, & ex abundantia renuntiauit. Depoſito Ioanne XXIII. ſtatim Gregorius XII. egit de cedendo Pontificatui, miſitque in hunc finem tanquam Legatum ſuum Carolum de Malateſtis ad ciuitatem de Conſtantia, illumque direxit non ad Concilium, quod Gregorius non probabat, ſed ad Sigiſmundum Romanorum Regem, cui Legatus ſignificauit, miſſum ſe à Gregorio ad dandam Eccleſiæ pacem. In ſeſsione autem 14. habita die 4. Iulij, renuntiauit Papatui non in manibus Concilij, quod exiſtimabat non potuiſſe legitimè congregari à Ioanne, & quod ſibi ſuperius nolebat agnoſcere, ſed in manibus Sigiſmundi Regis, & ſic vnita eſt obedientia Gregorij cum obedientia Ioannis in illa ſeſſione.

19. Reſtabat vnienda tertia obedientia Benedicti XIII. cum alijs duabus, vt conſtitueretur Concilium verè vniuerſale, à quo eligeretur nouus Pontifex, omnino prætermiſsis tribus, qui de Papatu contendebant. Quo in negotio multa tranſacta ſunt, quæ narrat D. Schelſtrate. Nobis ſatis eſt dicere, quod Rex Caſtellæ, & Aragoniæ ſubtraxerunt obedientiam Petro de Luna, ſeu Benedicto XIII. cui tanquam vero Pontifici per multos annos obedierant, & poſt multas conferentias, variaque pacta, tandem anno 1417. ſeſs. 40. facta eſt vnio inter tres obedientias. Et poſtquam diu actum fuerat inter Nationes, & Collegium Cardinalium de modo eligendi futurum Pontificem, conuenit inter omnes die 28. Octobris, quod vna cum Cardinalibus ſex Deputati ex ſingulis Nationibus haberent ius ſuffragij: qui proinde 8. Nouembris Conclaue ingreſsi, poſt triduum in feſto S. Martini cum incredibili totius orbis Chriſtiani lætitia in Summum Pontificem elegerunt Odonem Cardinalem de Columna, qui ob feſtum ſuæ aſſumptionis Martinus V. appellari voluit.

SE-

SECTIO II.

Proponuntur verba Concilij Conſtantienſis, in quibus Aduerſarij fundant ſuam ſententiam de ſuperioritate Concilij in Papam.

1. IN hac igitur Synodo ſeſs.4. hæc ad verbum habentur. *Hæc Sancta Synodus Conſtantienſis generale Concilium faciens pro extirpatione præſentis ſchiſmatis, & vnione, & reformatione Eccleſiæ Dei in Capite, & in membris facienda, ad laudem Dei omnipotentis in Spiritu Sancto legitimè congregata, ad conſequendum facilius, ſecurius, liberius, & vberius vnionem, & reformationem Eccleſiæ Dei ſtatuit, & declarat, vt ſequitur. Et in primis declarat, quod ipſa Synodus in Spiritu Sancto congregata legitimè Concilium generale faciens, Eccleſiam Catholicam militantem repræſentans, poteſtatem à Chriſto immediatè habet, cui quilibet cuiuſcumque ſtatus, vel dignitatis, etiam ſi Papalis exiſtat, obedire tenetur in his, quæ pertinent ad fidem, & extirpationem dicti ſchiſmatis, & reformationem generalem Eccleſiæ Dei in capite, & in membris.* Et hoc quidem eiſdem verbis repetitur ſeſs.5.

2. In hac declaratione fundant Aduerſarij ſuam opinionem de excellentia Concilij generalis ſupra Romanum Pontificem. Et ideo Clerus Gallicanus die 19. Martij anno 1682. inter alia ſecundo loco declarauit, Sic ineſſe Apoſtolicæ Sedi, ac Petri ſucceſſoribus Chriſti Vicarijs rerum ſpiritualium plenam poteſtatem, vt ſimul valeant, ac immota conſiſtant Sanctæ Oecumenicæ Synodi Conſtantienſis à Sede Apoſtolica comprobata, ipſorumque Romanorum Pontificum, ac totius Eccleſiæ vſu confirmata, atque ab Eccleſia Gallicana perpetua religione cuſtodita Decreta de authoritate Conciliorum Generalium, quæ ſeſs.4. & 5. continentur; neque approbari à Gallicana Eccleſia, qui eorum decretorum, quaſi dubiæ ſint authoritatis, ac minus approbata, robur infringant, aut ad ſolum ſchiſmatis tempus Concilij dicta detorqueant. Hæc Clerus Gallicanus in ſua declaratione; ex quibus etiam videtur inferri, Romanum Pontificem extra Concilium non habere authoritatem infallibilem ad decidendas fidei controuerſias: nam ſi Concilium eſt ſupra Papam, vltimum de rebus fidei iudicium ad ipſum videtur ſpectare.

Digitized by Google

SECTIO III.

Quamuis permitteremus iſtam declarationem Conſtantienſis Concilij fuiſſe legitimam : inde non rectè impugnatur authoritas infallibilis Romani Pontificis.

VErum vt ab hoc vltimo incipiam ; quamuis permitteremus hanc declarationem Concilij Conſtantienſis quoad omnes ſui partes legitimam eſſe, inde non deduceretur, Romanum Pontificem carere authoritate infallibili ad decidendas fidei controuerſias, & condemnandas denuo inſurgentes, quando id neceſſitas poſtulat ; & Concilium generale commodè cogi non poteſt. Conſtat enim ex perpetua praxi Eccleſiæ, vt oſtendimus diſp. 5. Hæreſes ſuborientes, à Romanis Pontificibus fuiſſe damnatas ſine Concilio Generali, & pro hæreticis ſemper fuiſſe habitos eos, qui his definitionibus repugnarunt. Et quamuis in Eccleſia definitiones Conciliorum generalium nunquam robur, & infallibilitatem habuerint ſine confirmatione Romani Pontificis, tamen iſtorum definitiones extra Concilium generale editæ, ſine ipſius confirmatione robur ſemper habuerunt, vt teſtatur Diuus Auguſtinus lib. 4. contra duas Epiſtolas Pelagianorum cap. 12. & alijs locis prout latè expendimus diſp. 5. ſect. 1. & diſput. 7. ſect. cuius verba ibi habes ; & neruoſiſsimè probat Thomas Waldenſis tom. 1. lib. 2. art. 3. cap. 467. pag. mihi 284.

§. I.

Probatur exemplis Concilia generalia non habere authoritatem infallibilem ſeorſim à confirmatione Romani Pontificis.

QVod definitiones Conciliorum generalium ſine confirmatione Romani Pontificis authoritatem non habeant, docet Gelaſius in tomo de vinculo anathematis, ſiquidem eorum firmitas non oritur ex multitudine & diuerſitate Epiſcoporum, ſed ex connexione cum Sede Petri cui dictum eſt, *Rogaui pro te Petre, ne deficiat fides tua.* Idque patet exemplis: nam Conciliũ Ariminenſe celebratum anno 359.

ſub

ſub Liberio Papa, generale fuit, & ad illud, teſte Bellarmino, concurrerunt 600. Epiſcopi partim Græci, partim Latini, & tamen quia Romanus Epiſcopus diſſenſit, ſemper eſt habitum erroneum ab omnibus tam Græcis, quam Latinis, vt inquit idem Bellarminus lib. 2. de Chriſto cap.28. imo teſte Cabaſſutio in notitia Eccleſiaſtica pag.149.num.6. occaſione huius Concilij dixit Hieronymus, totum Orbem Chriſtianum miratum fuiſſe ſe eſſe Arrianum. E contra Concilium Conſtantinopolitanum Primum, ad quod ſolum 150. Epiſcopi concurrere, & nullus Latinus à tota Eccleſia Catholica, ſemper vt legitimum, & infallibilis authoritatis habitum eſt, quia confirmatum eſt à Damaſo Papa anno 381. qui antea Ariminenſe reprobauerat.

§. II.

In Concilijs generalibus maior pars ſuffragiorum non ſufficit ad infallibilitatem, niſi accedat approbatio Papæ: nec ſine hac ſufficit vniformis conſenſus Patrum, ad obligandum fideles ad credendum, ea quæ definita ſunt.

1. DIſcrimen aliud inter definitionem editam à Concilio Generali, & factam à Romano Pontifice, eſt manifeſtum. Nam, vt docet etiam ex ipſis Gallis Andreas Duuallius tom.2. in tractatu de Concilijs, pag. 840. in Concilio generali legitimè congregato maior pars ſuffragiorum non facit authoritatem infallibilem, niſi accedat confirmatio Romani Pontificis. Et quamuis pagina 854. ſententiam Pariſienſium de excellentia Concilij ſupra Papam ab omni cenſura Theologica liberet, & quæſt.6. in 3. concluſione ſtatuat, decreta Conciliorum generalium vnanimi Patrum & Legatorum conſenſu edita, eſſe infallibilia etiam ante Pontificis confirmationem, eſto ipſe huius decreti inſtructionem nullam Legatis dederit: tamen poſtmodum pag. 842. in quarta concluſione ſtatuit, Concilium Oecumenicum ante Pontificis confirmationem, non poſſe veritatem à ſe definitam toti Eccleſiæ iuridicè proponere, neque fideles ad exteriorem ſuæ definitionis profeſſionem iure compellere, nec fore hæreticum, qui ab ipſis decretis nondum confirmatis diſſentiret. At exploratum eſt, Romanum Pontificem authoritatem habere ad obligandum omnes fideles, vt tanquam hæreticas habeant eas doctrinas, quas ipſe è cathedra tanquam hæreticas damnat:

eſt enim Paſtor, & Doctor totius Eccleſiæ, cui omnes oues obedire tenentur.

2. Et quamuis gratis permitteremus, non habere authoritatem ſupra Concilium generale, manifeſtum eſt tamen, eam habere ſupra cunctos fideles ſaltem diſtributiuè ſumptos, vt fatentur etiam ipſi Galli. Nam vt teſtantur Theologi Pariſienſes in notis nuper editis aduerſus cenſuram Hungaricam quatuor propoſitionum Cleri Gallicani pag. 12. & 13. Facultas Pariſienſis volens ſe opponere pro muro perniciofis erroribus Lutheri, qui primatum Sedis Apoſtolicæ in Eccleſiam euertere moliebatur, de mandato Franciſci Primi Chriſtianiſſimi Galliarum Regis inter alias ſequentem propoſitionem, vt doctrinam antiquam Regni & Eccleſiæ propoſuit: *Certum eſt vnum eſſe iure diuino ſummum in Eccleſia militante Pontificem, cui omnes Chriſtiani parere tenentur*. Quam propoſitionem cum alijs Rex edicto ſuo authorauit anno 1542. cautumque eſt, vt omnes Galliarum incolæ hanc fidei regulam profiterentur. Quare indubitatum eſt, Gallos cum omnibus Catholicis hanc ſuperioritatem agnoſcere in Romano Pontifice ſupra quaslibet Eccleſias particulares, & ſupra quoslibet fideles, licet ipſi negent ſuperioritatem reſpectu Concilij generalis, vt videre eſt in Almaino tractatu de authoritate Eccleſiæ cap. 8. ad 1. & 4. Caietani, & in Ioanne Maiore in diſputatione An Papa ſit ſubditus Concilio vniuerſali, in ſolutione ad argumenta Caietani.

3. Deinde quamuis permitteremus, Romanum Pontificem non eſſe ſupra Concilium generale legitimè congregatum; tamen dum Eccleſia non eſt ſic congregata, Papa non ſolum eſt ſupra ſingulos fideles ſeorſim, ſed ſupra omnes collectiuè, eiuſque leges & decreta cunctos ligant. Vnde cap. *Vbicumque*, de Electione in 6. *Romanus Pontifex dicitur Vicarius Ieſu Chriſti, Succeſſor Petri, Rector vniuerſalis Eccleſiæ, & Gregis Dominici Director*. Illa autem Decretalis edita eſt à Gregorió Decimo in Concilio Generali Lugdunenſi, & ipſo approbante: ac proinde tituli iſti Romani Pontificis approbati ſunt à Concilio Generali. Præterea Eccleſia ipſa in quadam oratione canit: *Deus omnium fidelium Paſtor & Rector, famulum tuum Papam noſtrum, quem Paſtorem Eccleſiæ tuæ praeeſſe voluiſti* &c. & ſanè teſte Almaino acerrimo defenſore excellentiæ Concilij ſupra Papam in tractatu de authoritate Eccleſiæ cap. 7. in fine, *cùm dictum eſt Petro, paſce oues meas, nil Eccleſiæ, ſed ſoli Petro collatum eſt*. Ergo Petrus, eiuſque ſucceſſores ſuperioritatem habent reſpectu omnium fidelium collectiuè, ſicut Paſtor ſupra vniuerſum Gregem.

Digitized by Google

§. III.

Concluditur ex dictis, iudicium Romani Pontificis definientis eſſe infallibile, & irreformabile, & omnes fideles obligari ad ſuum iudicium illi conformandum.

1. ERgo dum Romanus Pontifex tanquam Doctor, & Paſtor vniuerſalis aliquid è cathedra definit, & credendum proponit, omnes fideles tenentur obedire, & iudicium ſuum eius iudicio ſubmittere, quia ad Summum Paſtorem attinet oſtendere ouibus paſtum ſalutiferum, & in illum eas ducere, & venenoſum notare, & ab illo eas arcere; idque indubitatum eſſe inter Catholicos docent Bellarminus lib. 4. de Romano Pontifice, & Valentia tom. 3. col. 249. colligiturque ex doctrina ipſius Gerſonis, qui in opuſculo articulorum contra Petrum de Luna apud Vindicias doctrinæ Maiorum Scholæ Pariſienſis libr. 3.
„ pag. 227. inquit: Vnitas Eccleſiaſtica ſecundaria conſiſtit in obe-
„ dientia ad vnum Summum Pontificem, qui eſt caput ſecundarium in
„ Eccleſia cum Chriſto: ſic ſequitur, quod quilibet Catholicus debet
„ habere promptitudinem, ſeu præparationem animi ad obediendum
„ Summo Pontifici, dum conſtiterit ſibi, aut conſtare debuerit: quod
„ ſit Papa legitimè electus: ideò enim condemnatus eſt inter cæteras
„ cauſas Ioannes Hus, quia dicebat, quod Eccleſia Dei vſque ad con-
„ ſummationē ſæculi poterat æquè benè regi per Sacerdotes diſperſos
„ per Mundum abſque vno capite, ſicut cum tali capite. Hæc ille. Ergo quando Romanus Pontifex certus, & indubitatus in controuerſijs fidei è cathedra determinat aliquam partem, quæ inter Doctores Catholicos non erat omninò explorata, & præcipit vt illam omnes tanquam veram amplectantur, omnes tenentur obedire, & iudicium ſuum conformare cum iudicio Summi Paſtoris. Sic Innocentius X. in Bulla contra Ianſenium omnibus Chriſtifidelibus mandauit, ſub pœnis contra hæreticos in iure expreſſis, ne de quinque propoſitionibus Ianſenij aliter ſentiant, quàm in eius Bulla continetur: Ergo præcepit, vt pro hæreticis habeant quinque illas propoſitiones; nam præcipere vt non aliter ſentiant, quàm in Bulla continetur, eſt præcipere vt ſentiant, prout in Bulla continetur, ac iudicium ſuum iudicio Pontificis definientis ſubijciant. Quare qui vel ſentiret illas propoſitiones eſſe veras, vel dubium etiam eſſe an ſint veræ vel falſæ, abſque dubio contraueniret præ-

Digitized by Google

cepto Pontificis: ergo vt obediat, ſentire debet illas propoſitiones eſſe falſas atque hæreticas.

2. Quare ſecum pugnat, & falſum docet Gerſon in opuſculo de examinatione doctrinarum parte prima conſideratione ſecunda apud „ Vindicias lib.3. pag.205. dum ait, quod determinatio ſolius Papæ „ obligat, vt præciſè eſt talis, ad credendum: & quod ſententia Papæ „ ſolùm ligat omnes fideles ad non dogmatizandum contrarium. Quod prius docuerat in opuſculo, *An liceat appellare à Pontifice* in 4. propoſitione apud Vindicias pag.191. huius ſententiam ſecutus eſt Almainus in tractatu de authoritate Eccleſiæ, §. *Alia ſunt deciſa*.

3. Sed dices: etiam in ſingulis Diœceſibus fideles tenentur ſuis parere Epiſcopis, de quibus pronuntiauit Chriſtus Luc.10. 16. *qui vos audit me audit: qui vos ſpernit, me ſpernit*. Imo & ſinguli Parochiani tenentur ſuis Parochis obedire, & tamen inde non licet inferre, iudicium Epiſcopi, vel Parochi eſſe irreformabile. Ergo nec ex eo, quod omnes fideles teneantur obedire Romano Pontifici determinanti fidei, & morum controuerſias, ſequitur, iudicium eius eſſe irreformabile.

4. Sed obiectio hæc leuis eſt; nam ex eo quod fideles teneantur obedire ſuis Epiſcopis in ijs, quæ ſub ipſorum poteſtatem cadunt, nihil ſequitur contra infallibilitatem, quam habet vniuerſitas Eccleſiæ in credendo: tum quia Epiſcopi particulares non habent authoritatem edendi Symbolum fidei, & reſoluendi dubia fidei obligando fideles ſibi ſubditos, vt credant tanquam veritatem fidei partem à ſe definitam, hoc enim eſt priuilegium Summi Pontificis, vt docent Theologi cum Diuo Thoma 2. 2. quæſt.1. art. 10. vel ad ſummum etiam eſt priuilegium Concilij generalis: tum quia licet ſubditi tenerentur credere tanquam veritatem fidei illam quam ſcirent, non fuiſſe adhuc ab vllo Concilio generali, vel ab aliquo Summo Pontifice definitam, ſed tunc recenter definiri à ſuo Epiſcopo, hinc ſolum ſequeretur, quod errante Epiſcopo in definitione, traheret ſecum in errorem ſuas oues; ac proinde ſolum ſequeretur, vnam aliquam partẽ Eccleſiæ errare in fide; quod non eſt inconueniens; at cùm Romano Pontifici reſoluenti dubia fidei, & definienti vnam partem, & illam proponenti toti Eccleſiæ, intimando obligationem illam credendi; ſinguli fideles, & conſequenter vniuerſitas fidelium teneatur obedire; ſanè ſi Pontifex poſſet errare in definiendo, & docendo; tota vniuerſitas fidelium poſſet, imò teneretur errare in credendo: hoc autem eſt manifeſtè falſum; quia impoſſibile eſt, vt tota Eccleſia erret in credendo, vnde ne poſſit errare tota Eccleſia in credendo, neceſſarium eſt aſſerere Papam eſſe infallibilem in definiendo.

5. Neque dixeris, fideles ſolum obligari ad credendum quod

Pon-

Pontifex definit, ſub conditione quod illud non ſit contra ſcripturam. Siquidem, an ſit, vel non ſit contra Scripturam, non debet iudicare ouis, ſed Summus Paſtor, non diſcipulus, ſed communis Eccleſiæ Magiſter. Vnde quando in re dubia inter Catholicos Pontifex vnam partem ſtatuit, & credendam proponit toti Eccleſiæ; omnes tenentur ſubijcere ſuum iudicium iudicio ſupremi Magiſtri, ſicut tenentur ſubijcere ſuum iudicium iudicio Concilij generalis, aliquid definientis; quin poſſint opponere, ſe ſolum obligatos eſſe ad credendum ſub conditione quod Concilium non definiat contra Scripturam. Vnde qui ita reſpondet; ne Romanum Pontificem agnoſcat tanquam ſupremum controuerſiarum Iudicem cogitur fateri iudicium Summi Paſtoris ſubijci iudicio ouium, & iudicium ſupremi Magiſtri ſubijci iudicio diſcipulorum.

§. IV.

Si Papa poſſet errare in determinandis fidei controuerſiis, poſſet errare tota Eccleſia in capite, & in membris, & periret fundamentum noſtræ fidei.

1. HInc autem euincitur, non poſſe Romanum Pontificem errare in definiendo res dubias inter Catholicos: quia ſi poſſet errare, erraret tota Eccleſia in Capite, & membris: hoc autem eſt impoſſibile, vt oſtendimus diſput. 1. ſect. 1. Idque denuò confirmatur, quia ſi vniuerſi fideles ſimul cum Romano Pontifice errare poſſent, credentes vt fidei articulum aliquid falſum, poſſet errare Concilium generale à Pontifice confirmatum; nam illud non alia de cauſa errare nequit, niſi quia totam Eccleſiam repræſentat, quæ cum ſit columna, & firmamentum veritatis, errare non poteſt. Et ſanè ſi tota Eccleſia poſſet errare, rueret fundamentum noſtræ fidei; credimus enim myſteria fidei, quia Deus reuelauit: credimus autem Deum reuelaſſe, quia Eccleſia Catholica id credendum proponit.

2. Dices, poſse Romanum Pontificem iudicio opinatiuo prudenti, vt Doctorem particularem ſibi perſuadere, aliquid eſse reipſa reuelatum, quod tamen reuealtum non eſt: ex hac autem perſuaſione poſse inculpabiliter dogma illud falſum toti Eccleſiæ credendum proponere, quo in euentu, & ipſe, & tota Eccleſia cum ipſo inculpabiliter erraret: non videri autem abſurdum, quod tota Eccleſia inculpabiliter erret. Reſpondeo, admittendo, poſse Romanum Pontificem, vt Doctorem particularem ſibi perſuadere per errorem inculpabilem aliquid eſse re-

ipſa

Digitized by Google

ipſa reuelatum, quod reipſa reuelatum non eſt; quia in rebus controuerſis inter Catholicos, Deus non tenetur manifeſtare veritatem omnibus Doctoribus illam diligenter quærentibus; Vnde fieri poteſt, vt duo Doctores Sancti habeant inculpabilitèr opiniones inuicem oppoſitas, quarum altera neceſsario debet eſse falſa, quin author illius peccauerit in tradenda illa opinione, ſic S. Thomas in 4. diſt. 17. docet, quod lapſus in mortale non tenetur ſtatim confiteri habitâ copia confeſsarij contra S. Bonauenturam, & Henricum, qui docuerunt oppoſitum; neuter autem ex illis peccauit in tradenda illa opinione; cum tamen alter ex illis deceptus ſit. Sic idem S.Thomas 22. quæſt. 5. art. 4. & opuſculo 12. quæſt. 6. docuit non eſſe obligationem exponendi in confeſſione circunſtantias notabiliter aggrauantes peccatum intra eandem ſpeciem: Oppoſitum autem tenent multi grauiſſimi, pijſsimiqpe Doctores; & tamen dicere non poſſumus vel D. Thomam, vel hos Doctores peccaſſe in hac doctrina tradenda; ſed potius dicere debemus vtroſque bona conſcientia ſuam ſententiam dixiſſe, quia poſt ſufficientem diligentiam illis apparuit veriſimilior, & probabilior. Certum eſt circumferri multas opiniones contradictoriè oppoſitas, quæ in confeſso apud omnes cenſentur probabiles, quia vnquæque pro ſe numerat multos, grauiſſimoſque Doctores, habetque vnaquæque pro ſe grauia, & vrgentia fundamenta: & quamuis euidens ſit non poſſe vtramque eſſe veram, ab omnibus comuniter vtraque cenſetur probabilis: non enim repugnat opiniones contradictorias eſſe ſimul probabiles; licet euidens ſit, non poſſe eſſe ſimul veras. Dum autem ſupponitur eſſe probabiles; ſupponitur eorum authores innocuè, & ſine peccato illas concepiſſe: quia qui in re controuersâ opinatur vnam partem contradictionis præ alia, quin præmiſerit ſufficientem diligentiam ad inquirendam veritatem, & quin habuerit fundamenta grauia, quæ talia appareant viro prudenti rem ſine præcipitatione, & paſsione expendenti, non format iudicium probabile, & prudens, ſed iudicium temerarium, & præceps. Hoc ergo ipſo quod ſupponatur aliquam opinionem eſſe verè probabilem, ſupponitur conceptam fuiſſe à ſuis authoribus poſt maturam controuerſiæ diſcuſsionem, & conceptam fuiſſe innocuè, & innocenter ſine paſsione, & præcipitatione. Ergo cum euidens ſit ex duabus opinionibus contradictorijs alteram neceſſario eſſe falſam; & ſimul ſupponatur vtramque eſſe probabilem; ſupponitur vtramque à ſuis authoribus eſse conceptam innocuè, & ſine peccato; ergo in rebus dubijs, & controuerſis inter Doctores, poteſt opinio reipſa falſa ſine peccato concipi, & doceri: ergo non tenetur Deus in his rebus dubijs aperire veritatem omni Doctori facienti quod in ſe eſt ad illam inueniendam, ideſt facienti omnia, quæ tenentur facere ad aſsequendum verum. Vnde Auguſtinus lib. 1. contra Iulianum cap. 6. meritò dixit: *in quibuſdam inter ſe aliquando doctiſſimi, atque optimi regulæ Catholicæ Defenſores ſaluâ fidei*

com-

compage non conſonant, & alius alio vna de re meliùs aliquid dicit, & veriùs. Doctor ergò ſatisfacit ſuo muneri ſi quærat diligenter veritatem, & poſt illius inquiſitionem, illam opinionem doceat, quam viderit melioribus, & ſolidioribus fundamentis niti.

3. Ex eo autem quod Papa vt Doctor particularis poſſit inculpabiliter iudicare eſſe reuelatum à Deo, quod reipſa reuelatum non eſt; non ſequitur quod id poſſit iudicare vt doctor publicus & Magiſter totius Eccleſiæ, & ſic procedere ad definitionem: quia hoc ipſo quod quatenus Pontifex faciat id, quod facere tenetur ante definitionem, conſulendo Theologos, examinando traditiones, ſcrutando ſcripturas &c. tenetur Deus illi veritatem aperire, quam non tenetur aperire Doctori particulari facienti quod in ſe eſt ad inquirendam veritatem in re dubia & controuerſa. Diſparitas eſt, quia hoc ipſo quod Deus voluerit rem manere obſcuram, & dari opiniones contrarias, nulli impoſuit obligationem ſequendi potius hos authores, quam oppoſitos; ſed inquirendi veritatem & in rebus ſpeculatiuis ſequendi illos, quos indicat veritatem aſſecutos fuiſſe, & in rebus moralibus de licito & illicito; abſtinendi à ſententia minus tuta, niſi illa ſit manifeſtè probabilior oppoſita. At cum Deus impoſuerit obligationem omnibus Chriſtianis, vt quando Pontifex in re aliquo pacto controuerſa inter Catholicos, vnam partem determinat, & definit; illam tanquam veritatem inconcuſſam ſuſcipiant; nequit Pontifici facienti quod in ſe eſt veritatem occultare. Quod ſi non faciat quod tenetur facere ad inquirendam veritatem, & ob hoc perſeueret in opinione falſa, & velit illam definire; vel Deus mutabit eius mentem in melius; vel ſi perſiſtat in ſuo errore, & velit illam fidelibus, antequam id præſtet obtrudere, Deus auferet illi vitam ne tota Eccleſia teneatur errare.

4. Quare omnino impoſſibile eſt quod Pontifex in errorem inuincibilem & inculpabilem labatur, & illum errorem definiat, & toti Eccleſiæ credendum proponat, ita vt tota Eccleſia per ignorantiam inuincibilem erret in materia fidei: quia licet tunc non amitteretur fides in pœnam peccati, arguitiuè deficeret, proindeque rueret fundamentum ſalutis, quia ſine fide impoſſibile eſt placere Deo; perinde ac ſi Patres Concilij generalis ſimul cum Pontifice declararent vt articulum fidei aliquid reipſa falſum, quod tanquam Doctores particulares probabiliter verum eſſe exiſtimabant; ſiquidem non daretur tunc regula infallibilis ad proponendam Dei reuelationem: hincque argueretur, non eſſe actum fidei ſupernaturalis illum, quo credimus Deum aliquid reuelaſſe, quia tota Eccleſia id tanquam reuelatum credit, & fidelibus credendum proponit, quod eſt abſurdiſsimum. Nec minus incommodum eſt, quod tota Eccleſia innocenter quàm culpabiliter circa fidem erret, credendo tanquam articulum certum aliquid falſum. Si enim hoc ſemel poſſet contigere, nil firmum haberemus, neque fide ſupernatu-

naturali crederemus id quod in ſcriptura continetur; nam & ſcripturam & totum id quod in ſcriptura continetur, credimus eſſe reuelatum, quia Eccleſia docet tales vel tales libros eſſe Canonicos, & ab Apoſtolis, vel ab alijs hominibus Spiritu Sancto afflante ſcriptos: Vnde dixit Auguſtinus: *Euangelio non crederem, niſi Eccleſiæ Catholicæ me commoueret authoritas*. Quia nimirum authoritas Eccleſiæ proponentis cum infallibilitate id quod credendum eſt, conditio neceſſaria eſt vt quis eliciat actum fidei diuinæ circa myſteria.

§. V.

Quamuis Papa poſſet incidere in manifeſtam hæreſim, & ad illam amplectendam vellet obligare; nequit tamen errare in quæſtione, quæ inter Catholicos eſt Controuerſa.

1. VT oſtendam in ſequenti ſeſſione abſolutè impoſſibile eſt, Romanum Pontificem poſſe incidere in manifeſtam hæreſim, pertinaciter aliquid contra fidem credendo: & multo minus poſſibile eſt, quod poſſit concipere decretum quo velit totam Eccleſiam obligare ad hæreſim illam amplectendam: quia hoc non componitur cum promiſſionibus factis à Chriſto Petro & ſucceſſoribus eius. Sed dato, & non conceſſo, quod poſſet hoc facere; adhuc firmiter aſſerendum eſt, non poſſe in re aliquo pacto dubia inter Catholicos partem falſam definire, & toti Eccleſiæ credendam proponere.

2. Hinc P. Valentia tom. 3. col. 256. agens de opinione eorum, qui „ dicunt Papam è cathedra errare poſſe, inquit: Si Authores illi velint „ Pontificem in rebus alioquin omnino controuerſis, id eſt, non ſatis „ expreſsè ab Eccleſia compertis ac determinatis, definire poſſe ac de- „ terminare vt perſonam publicam errorem reipſa contra fidem, errant „ ipſi in fide grauiſsimè. Poſſet enim, imo teneretur tunc Eccleſia vni- „ uerſa Pontificem de re controuerſa docentem, ac nondum hæreſi ma- „ nifeſta notatum, pro Paſtore ſuo agnoſcere, atque adeo ipſum om- „ nino audire. Vnde fieret, vt ſi tunc ille errare poſſet, Eccleſia etiam „ vniuerſa poſſet, imo teneretur errare, quæ eſt hæreſis intolerabilis. Hæc ille.

3 Quapropter quamuis per impoſſibile poſſet Romanus Pontifex in hæreſim manifeſtam incidere, & conſtitutionem facere, qua vellet omnes fideles obligare ad illam amplectendam tanquam articulum fidei, non tamen poteſt errare in decidendis controuerſijs fidei, id eſt veritati-

Digitized by Google

ritatibus nondum ſatis exploratis inter Doctores Catholicos. Ratio diſcriminis eſt manifeſta, quia in poſteriori caſu omnes tenerentur obedire, & conſequenter errare: in priori autem non ſic, ſed potius tenerentur reſiſtere. Vnde ex tali conatu Pontificis, nullum periculum errandi imminceret toti Eccleſiæ, vtpote quæ ſtatim agnoſceret, non iam eum eſſe reuera Pontificem, atque Paſtorem ſuum, quem audire oporteat, ſed lupum manifeſtum ab ouili arcendum.

SECTIO IV.

An Romanus Pontifex poſſit in hæreſim manifeſtam incidere, & illam Eccleſiæ proponere?

§. I.

Proponuntur variæ Doctorum ſententiæ, præſertim ſententia Bellarmini probabiliſſimè opinantis, non poſſe Romanum Pontificem incidere in hæreſim manifeſtam, & veriſſimè affirmantis, omnino certum eſſe, quòd illam non poſſit toti Eccleſiæ proponere.

EX his duobus illud primum, nimirum, quod poſsit Romanus Pontifex in hæreſim priuatam manifeſtam incidere, multi concedunt, inquit P. Valentia loco nuper citato, inter quos Magiſter Canus lib. 6. de locis cap. vltimo ad 11. Secundum verò, nempe quod poſsit hæreſim ſuam fruſtra fidelibus obtrudere, Authores etiam graues admittunt, inter quos Turrecremata lib. 2. de Eccleſia cap. 112. ad 7. & lib. 4. par. 2. cap. 16. E contra aliqui docent, Papam non poſſe eſſe hæreticum, & multo minus hæreſim publicè docere; ita Albertus Pighius lib. 4. Hierarchiæ Eccleſiaſticæ cap. 8. & Bellarm. lib. 4. de Romano Pontifice cap. 6. aſſerit probabile eſſe, pieque credi poſſe Summum Pontificem non ſolum vt Pontificem errare non poſſe, ſed etiam vt particularem perſonam hæreticum eſſe non poſſe, falſum aliquid contra fidem pertinaciter credendo. Idque probat primò, quia ita videtur requirere ſuauis diſpoſitio Prouidentiæ Dei, quia Pontifex non ſolum debet, nec poteſt

teſt hæreſim prædicare, ſed etiam debet veritatem ſemper docere, & ſine dubio id faciet, cum Dominus illi iuſſerit confirmare fratres ſuos, & propterea addiderit, *Rogaui pro te Petre, ne deficiat fides tua*, id eſt, vt ſaltem non deficiat in throno tuo prædicatio veræ fidei. Quomodo autem confirmabit fratres in fide, & veram fidem ſemper prædicabit Pontifex hæreticus? nam quamuis Deus ex corde hæretico extorquere poſſit veræ fidei confeſſionem, ſicut quondam poſuit verba in ore Aſinæ Balaam; at id violentum erit, & non ſecundum modum prouidentiæ Dei ſuauiter diſponentis omnia. Secundò probat ab euentu, quia hactenus nullus fuit hæreticus, vel certè de nullo probari poteſt, quod fuerit hæreticus: ergo ſignum eſt eſſe non poſſe. Vnde quamuis apud Bellarminum non ſit certum, quod Romanus Pontifex nequeat in hæreſim manifeſtam incidere, certum tamen eſt, quod hæreſim illam non poſſit è cathedra docere, contra id, quod tenuit Turrecremata: quod Bellarmini iudicium veriſſimum arbitramur.

§. II.

In alijs Patriarchalibus Eccleſijs ſederunt Præſules, qui fuerunt Hæreſiarchæ; è Romana tamen Cathedra nullus vnquam hæreſim docuit.

1. Hinc in alijs Patriarchalibus Eccleſijs ſederunt Præſules, qui hæretici fuerunt, & hæreſes docuerunt. In Conſtantinopolitana ſederunt Macedonius, Neſtorius, & Sergius Hæreſiarchæ. In Alexandrina Gregorius & Lucius Ariani, Dioſcorus Eutychianus, Cyrus Monothelita, & alij. In Antiochena Paulus Samoſatenus Hæreſiarcha, Petrus Gnaphæus Eutychianus, Macarius Monothelita, & alij. In Hieroſolymitana Ioannes Origeniſta, & ante eum Eutychius, Irenæus, & Hilarius Ariani, vt obſeruauit Bellarm. lib. 4. de Romano Pontifice cap. 3.

2. At vt inquit Driedo lib. 4. de dogmatibus cap. 3. par. 3. fol. 235. *In Romana Sede hactenus nullus ſedit hæreticus, qui docendo definierit aliquid fidei noſtræ repugnans, nec hæreſis vlla ſumpſit illinc initium, ſed mos ibi ſeruatur antiquus*. Defecit Hieroſolymitana Eccleſia, cui Iacobus præſedit. Defecit Achaia, vbi Andreas: Aſia, vbi Ioannes: India, vbi Thomas: Æthiopia, vbi Mathęus: Romana Sedes adhuc manet in fide Chriſti erecta. Hinc Bellarminus vbi ſupra docet, non ſolum Romanum Pontificem non poſſe errare, ſed neque Romanam particularem Eccleſiam.

3. Vnde in c. à recta 24. q. 1. *Hæc ſancta & Apoſtolica mater omnium Eccle-*

Digitized by Google

Eccleſiarum Chriſti Eccleſia, per Dei omnipotentis gratiam à tramite Apoſtolicæ traditionis nunquam erraſſe probatur, neque hæreticis prauitatibus deprauanda ſuccubuit, ſed vt in exordio normam fidei Chriſtianæ percepit ab authoribus ſuis Apoſtolorum Chriſti principibus, illibata fide tenus manet. Quod Agatho Papa teſtatur in epiſtola ad Conſtantinum Imperatorem, quæ lecta eſt in 1. Synodo Act. 4. & poſtea Act. 8. ab omnibus approbata his verbis: *Apoſtolica Chriſti Eccleſia, per Dei gratiam à tramite Eccleſiaſticæ traditionis nunquam erraſſe probatur, nec hæreticis prauitatibus vnquam deprauata ſuccubuit; quia dictum eſt Petro, Simon Simon, ecce Sathanas &c. ego autem rogaui pro te &c. Hic Dominus fidem Petri non defuturam promiſit, & confirmare eum fratres ſuos admonuit; quod Apoſtolicos Pontifices meæ exiguitatis prædeceſſores confidenter feciſſe ſemper, cunctis eſt agnitum.* Quare S. Cyprianus lib. 1. epiſt. 3. dixit, *Ad Romanos perfidiam non poſſe habere acceſſum*; & Hieronymus lib. 3. Apologiæ contra Rufinum. *Scito*, inquit, *Romanam fidem Apoſtolica voce laudatam eiuſmodi præſtigias non recipere, etiamſi Angelus aliter annunciet, quam ſemel prædicatum eſt, Pauli authoritate munitam non poſſe mutari.* Et Nazianzenus in carmine de vita ſua ante medium: *Vetus Roma ab antiquis temporibus habet rectam fidem, & ſemper eam retinet; vt decet Vrbem, quæ toti orbi præſidet, ſemper Deo integram fidem habere.*

4. Sed cæteris prætermiſſis, quamuis nos certum iudicemus, non poſſe Papam hæreſim manifeſtam definire, & credendam proponere; tamen pro nunc nobis ſatis eſt, Romanum Pontificem non poſſe errare in decidendis quæſtionibus controuerſis, & dubijs inter Catholicos, quidquid ſit, an in hæreſim manifeſtam incidere valeat, & eam velle poſſit obtrudere Eccleſiæ. At certiſſimum eſt illud primum contingere non poſſe, quia alioqui tota Eccleſia poſſet, ac deberet errare, quod eſt omnino impoſſibile.

SECTIO V.

Oſtenditur neque ex Concilio Conſtantienſi rectè probari, generale Concilium eſſe ſupra Papam certum & indubitatum.

§. I.

Prima ratio, quia Concilium Conſtantienſe, quando ſeſſione 4. & 5. declarauit Concilium eſſe ſupra Papam, non fuit Generale.

1. ASſumptum probatur, quia Concilium generale, vt contradiſtinctum à Papa, etiam iuxta Aduerſarios facit authoritatem infallibilem: Concilium autem Conſtantienſe, adhuc generale non erat eo tempore, quo ſeſſione 4. & 5. declarauit Concilium eſſe ſupra Papam. Cùm enim tres eſſent dubij Pontifices inter ſe de Papatu contendentes, ſcilicet Angelus de Corario, qui dicebatur Gregorius XII. Petrus de Luna, qui Benedictus XIII. & Balthaſar Coſſa, qui dicebatur Ioannes XXIII. quando celebratæ ſunt ſeſſiones illę, ſolum ibi aderant hi Prælati, qui obediebant Ioanni: nam qui adhærebant Gregorio, adiunxerunt ſe, quando celebrata eſt ſeſſio 14. Qui autem adhærebant Benedicto, adiunxerunt ſe, quando celebrata eſt ſeſſio 20. & 25. Ergo definitio illa non fuit edita à Concilio generali, ac proinde fidem infallibilem facere non poteſt, quatenus præcisè eſt determinatio illius Concilij; quamuis admitteremus Concilium generale ſeorſim ſumptum à Pontifice errare non poſſe, quando concurrit maior pars ſuffragiorum.

3. Quod autem ita res contigerit, teſtis eſt Turrecremata, qui illi Concilio interfuit, lib. 2. Summæ de Eccleſia cap. 99. ſic enim ſcribit: „ Nullus dubitat, quod aſſerere, quod ſola obedientia Ioannis faceret „ Concilium vniuerſale vniuerſalem Eccleſiam repræſentans, eſſet te- „ merarium ac ſcandaloſum alijs duabus obedientijs. Qui etiam affirmat non aſſenſiſſe decreto, quo ſtabilita eſt excellentia Concilij ſupra Papam, omnes, qui Ioannem ſequebantur. Teſtis etiam eſt Eugenius IV. antea dictus Gabriel Condulmerius, qui Martino V. à Concilio Conſtantienſi electo in Pontificatu ſucceſſit, & qui, cum eſſet Cardinalis, adfuit eidem Concilio. Hic namque Pontifex in Conſtitutione ſua,

Moyſes

Digitized by Google

Moyſes Vir Dei &c. qua reprobat decretum, quod aduerſus ipſum ediderat Synodus Baſileenſis, innixa definitioni Concilij Conſtantienſis, vt hoc fundamentum euerteret, de Authoribus definitionis illius Conſtantienſis loquens, inquit: *Scandalorum Duces ſeſſionem fecerunt, in qua quibuſdam decretis per vnam tantùm ex tribus obedientijs poſt receſſum Ioannis XXIII. Conſtantiæ, Schiſmate tunc vigente editis, inhærere ſe dicentes, tres propoſitiones, quas fidei veritates vocant, protulerunt . . . in hoc perniciosiſſimi, dum ſuam malignitatem ſub veritatis fidei fuco colorant, Conſtantienſe Concilium in malum ac reprobum ſenſum retrahunt.*

3. Item in Apologia contra Baſileenſes ſic ſcribit: *Non dixit obedientia Gregorij, non Benedicti, quæ Chriſtianitatis pars non modica erat, ante tempus conuentionis, plenarium fuiſſe Concilium, nec priùs actitata, quaſi Synodi Generalis plenaria auctoritate ſuſcepit. Itaque oportuit ipſis conuenientibus primò ab obedientia Gregorij, deinde ab obedientia Benedicti nouum Concilium conuocari; hincque, vniuerſa Eccleſia concurrente, plenariæ Synodi rem & nomen accepit. Quod ergo ante illum articulum ipſis à Patribus ibi conſidentibus actum eſt, Vniuerſæ Eccleſiæ non debet adſcribi, ſed eis tantùm, qui ibidem conſidebant, & vnius tantum obedientia Synodum faciebant,*

§. II.

Proponitur argumentum, quo Patres Concilij Baſileenſis contendebant firmam & validam fuiſſe definitionem Concilij Conſtantienſis de excellentia Concilij ſupra Papam.

1. ADuerſus hoc fundamentũ ſe protegere poſſunt Aduerſarij eo argumento, quo Baſileenſes ſeſſ. 38. & in reſponſione Synodali *Beatus Hieronymus* &c. & in Epiſtola Synodali, *Graue periculum*, aggreſſi ſunt Conſtitutionem illam Eugenij IV. contendentes decretum editum à Conſtantienſibus Patribus ſeſſione 4. & 5. non ideo eſſe minus firmum, quod conditum fuit à ſolis Prælatis; qui Ioannem ſequebantur: quandoquidem etiam ij ſoli ſeſſ. 8. damnauerant errorem Wicleffi, & etiam ſoli Pontificatum abrogauerant Ioanni, & tamen hæc valuerunt. ergo etiam valuit decretum illud. Verum hoc argumentum inefficax eſt: nam condemnatio Wicleffi non ideo rata fuit, & infallibilis, quia facta eſt à Patribus exiſtentibus ſub obedientia Ioannis, vt conſtat ex dictis, & inferius amplius confirmabitur; ſed quia poſtea robur accepit per Conſtitutionem editam à Martino V. qui à toto Concilio

Digitized by Google

cilio creatus eſt Pontifex, quæ Conſtitutio incipit, *Inter cunctas*, & facta eſt Conſtantiæ anno 1418. Sacro approbante Concilio iam pleno: in ea autem damnati ſunt errores Ioannis Wicleffi de Anglia, & Ioannis Hus de Bohemia. Ab hac ergo conſtitutione, & deciſione totius Concilij, robur accepit damnatio errorum prius facta in 8. ſeſſione, quando Concilium generale non erat.

2. Depoſitio autem Ioannis XXIII. non ideo præcisè valida & legitima fuit, quia Patres illi eam decreuerunt, ſed quia poſtea Concilium iam plenum, vbi ad electionem noui Pontificis procedendum eſſe decreuit, clarè oſtendit, ſe velle rata eſſe omnia, quæ circa Ioannem acta fuerant; & decreuit, vt nullus ex tribus Pontificibus dubijs eligeretur in Papam legitimum.

3. At inſtabant Baſileenſes, vt ſe tuerentur contra Eugenium IV. & ſic obijciebant. Generale fuit Concilium Conſtantienſe, quando condemnauit errores Wicleffi. ergo etiam fuit generale, quando definiuit Concilium eſſe ſupra Papam. Conſequentiam probabant, quia non pauciores in vno caſu, quam in alio conuenerant Patres; nam omnes qui in ſeſs. 8. damnauerunt errores Wicleffi, in ſeſs. 4. & 5. declarauerunt Concilium eſſe ſupra Papam. Antecedens autem ſuadebant ex verbis Martini V. in ea Conſtitutione, qua eoſdem errores proſcripſit, ſiquidem in ea iubet, vt qui ſuſpectus fuerit de his erroribus, ſeptimo loco interrogetur, *vtrum credat, quod condemnationes Ioannis Vvicleffi, Ioannis Hus, & Hieronymi de Praga, factæ de perſonis eorum, libris & documentis per Sacrum generale Conſtantienſe Concilium fuerint rite & iuſte factæ, & à quolibet Catholico pro talibus tenendæ, & firmiter aſſerendæ.*

§. III.

Soluitur argumentum illud cum ſuis inſtantijs; oſtenditurque Martinum V. non approbaſſe omnia, quæ ſtatuta fuerant in Concilio Conſtantienſi à ſola obedientia Ioannis XXIII. ſed ſolùm ea, quæ decreta fuerant aduerſus hæreſes Ioannis Vvicleffi, & Ioannis Hus.

VErum hæc inſtantia parum vrget: nam interrogationes illę iubentur fieri, poſtquam Martinus V. pleno approbante Concilio edidit

dit Conſtitutionem eam, in qua omnes illos errores damnauit. At quamuis Patres in ea conſtitutione dum denuo condemnarunt errores illos, approbauerunt condemnationem factam initio à minore parte Concilij, quæ veram Synodum generalem facere non poterat, præſertim repugnantibus alijs duabus partibus, ſeu obedientijs, vt reuera repugnarunt, opponentes, obedientiam Ioannis iniuſtè ſibi arrogaſſe authoritatem Synodi generalis; non tamen approbauernnt definitionem illam, qua pauci illi Patres obedientiæ Ioannis declararunt, Concilium eſſe ſupra Papam. Vnde claritatis gratia in forma ad argumentum reſpondeo diſtinguendo antecedens. Generale fuit Concilium illud, quod condemnauit errores Wicleffi, in 4. & 5. ſeſſione, nego: quando condemnauit in vltima ſeſſione, approbando conſtitutionem Martini V. concedo antecedens, & nego conſequentiam. Ex dictis autem conſtat, probationem antecedentis nullam eſſe; falſiſſimumque eſt, quod Baſileenſes opponebant Eugenio IV. qui Martino ſucceſſit, nimirum iſtum generaliter approbaſſe omnia, quæ geſta fuerant à Concilio Conſtantienſi in omnibus, & ſingulis ſeſſionibus. Legenti enim Bullam Martini conſtabit illam totam eſſe conceptam aduerſus errores illorum hominum; vt conſtat ex titulo, qui ſingulis paginis Bullæ initio præfigitur maioribus characteribus ſub hac forma: *Damnationis errorum Vvicleff, & Hus apud Conſtantiam factæ approbatio*. Ego ſanè totam illam Bullam à principio ad finem legi, & verbum non inuenio vllum, quo approbet deciſionem de excellentia Concilij ſupra Papam. Idque inde etiam comprobatur, quod ad finem Bullæ appenditur catalogus 45. errorum Wicleffi, & alius 30. errorum Ioannis Hus: & de his iubentur interrogari, qui de hæreſi ſuſpecti fuerint. Quæ omnia ſatis oſtendunt, per illam Bullam ſolùm approbatam eſſe à Martino condemnationem errorum Wicleffi factam à Patribus obedientiæ Ioannis in ſeſs. 8.

§. IV.

Concilium Conſtantienſe, quatenus generale ſub Martino V. non iuſſit credi omnia, quæ olim approbauerat ante electionem Martini, ſed quæ olim approbauerat, & ſimul tunc approbauit poſt electionem.

ET vero quod Concilium non proponat credenda omnia, quæ quomodolibet decreuerat, ſed ea duntaxat quæ antea decreuit, & poſtea ſub Martino confirmauit, ſuadetur ex ſexta interrogatione, quam iubet

Digitized by Google

iubet fieri ei, qui ſuſpectus fuerit de hæreſi illa, nimirum *vtrum credat, quod illud, quod Sacrum Concilium Conſtantienſe vniuerſalem Eccleſiam repræſentans approbauit, & approbat in fauorem fidei, & ad ſalutem animarum, quod hoc eſt ab vniuerſis Chriſti fidelibus approbandum, & tenendum: & quod damnauit, & damnat, eſſe fidei, vel bonis moribus contrarium, hoc ab eiſdem eſſe tenendum pro condemnato, credendum, & aſſerendum*. In quibns verbis non iubentur credere omnia, quæ olim Concilium illud approbauit; ſed copulatiuè, quæ approbauit, & tunc approbat, nimirum in illa ipſa Conſtitutione. Et ideo interrogationem ſextam, ne nimis generalis videretur, prouide concepit his verbis. *Vtrum credat, quod Concilium approbauit; & approbat*. Vnde non iubentur credere, vel damnare illa omnia, quæ Concilium in qualibet ſeſſione approbauerat, vel damnauerat, ſed quæ approbauit & reprobauit in vltima ſeſſione, in qua edita eſt Conſtitutio Martini Quinti.

§. V.

Soluitur aliud argumentum Baſileenſium deſumptum ex eo, quòd Martinus Quintus approbauit notam erroris, quam Concilium Conſtantienſe inuſſerat huic propoſitioni Vvicleffi: Non eſt de neceſſitate ſalutis credere, Romanam Eccleſiam eſſe ſupremam inter alias Eccleſias: *oſtenditurque non ſumi ibi* Eccleſiam *ſeorſim à capite.*

1. MAiorem difficultatem præſefert argumentum, quo vtunrur Baſileenſes in ea reſponſione Synodali (quæ apud Binium habetur part. 1. tomi 4. Conciliorum pag. 139. & in editione Veneta tom.4. pag.613.) contendentes probare Martinum V. approbaſſe determinationem Concilij, in qua declarauit ſuperioritatem Concilij ſupra Papam; ſiquidem Martinus ratam habuit cenſuram, quam Synodus Conſtantienſis inuſſerat articulo 41. wicleffi, nempe huic: *non eſt de neceſſitate ſalutis credere Romanam Eccleſiam eſſe ſupremam inter alias Eccleſias*. Cui articulo hanc notam affixit: *Error eſt, ſi per Romanam Eccleſiam intelligat vniuerſalem Eccleſiam, aut Concilium generale, aut pro quanto negauit primatum Summi Pontificis ſuper alias Eccleſias particulares*.

2. Ve-

Digitized by

2. Verùm nec hoc argumentum quidquam obtinet; quia perſpicuum eſt, nec ibi Eccleſiam, neque Concilium ſumi ſeorſim à Papa legitimo, cùm ſermo ſit de Romana & vniuerſali Eccleſia, quæ Papam includit, quando Papa legitimus & indubitatus datur. Vnde ex approbatione illius cenſuræ ſolùm deducitur, quòd ſit de neceſſitate ſalutis credere, quòd Eccleſia vniuerſalis, quatenus includit Pontificem Romanum, ſeu credere, quòd Concilium generale quatenus repræſentans vniuerſalem Eccleſiam, (quam ſanè non repræſentat, niſi quatenus eſt adunatum legitimo Pontifici, ipſumque includit) habet ſupremam authoritatem. Et quamuis verum ſit, quòd ex vi illius cenſuræ vt approbatæ à Martino, ſolùm ſit de fide, Romanum Pontificem habere primatum ſupra ſingulas Eccleſias, & vi illius non ſit de fide habere primatum ſupra Eccleſiam vniuerſalem, vt congregatam in Concilio: tamen ex vi illius cenſuræ vt ſic approbatæ minimè habetur, Romanum Pontificem non eſſe caput vniuerſalis Eccleſiæ vt congregatæ in Concilio: quia ibi ſic adſtruitur primatus Romani Pontificis ſuper Eccleſias particulares, vt non negetur ſuper Eccleſiam vniuerſalem.

§. VI.

Etſi vi illius cenſuræ vt approbatæ à Martino V. ſolùm ſit de fide, Romanum Pontificem habere primatum ſupra ſingulas Eccleſias particulares; hinc non infertur, non habere primatum ſupra Eccleſiam vniuerſalem vt congregatam in Concilio.

1. NEc hoc intendere potuit Concilium plenum in illa Conſtitutione: nam ſi negaret Pontificem eſſe ſupra Eccleſiam vniuerſalem congregatam in Concilio, vel ſi affirmaret Eccleſiam vniuerſalem in Concilio congregatam eſſe ſupra Papam legitimum & indubitatum, ſibi ipſi contradiceret in eadem Bulla, & contradictoria definiret. Sequela probatur: nam in illa Bulla, 25. loco, is qui fuerit de hæreſi ſuſpectus, iubetur explorari ſub hac forma: *Vtrum credat, quòd Papa canonicè electus, qui pro tempore fuerit, eius nomine proprio expreſſo, eſt ſucceſſor Diui Petri, habens ſupremam authoritatem in Eccleſia Dei.* Ergo Concilium Conſtantienſe plenum, & confirmatum à Martino Quinto definiuit, eum hominem, qui pro tempore fuerit Papa canonicè electus, & ab omnibus fidelibus vt verus Papa agnitus, habere ſupremam authori-

Digitized by Google

thoritatem in Eccleſia Dei: Ergo ex definitione Concilij Conſtantienſis de fide eſt, Romanum Pontificem certum & indubitatum, habere ſupremam authoritatem in Eccleſia Dei; At non haberet hanc ſupremam authoritatem, ſi Concilium generale, vt contradiſtinctum ab ipſo, eſſet ſupra Papam, nam in Eccleſia Dei nequit habere ſupremam authoritatem Magiſtratus ille, ſupra quem eſt alius. Ergo Concilium generale, vt contradiſtinctum à Romano Pontifice certo & indubitato, non eſt ſuperius ipſo; alioquin in Eccleſia Dei ſupremam authoritatem haberet duplex Magiſtratus, nempe Concilium & Papa; hoc autem eſt impoſſibile; quia repugnat vt in eadem Republica dentur duæ ſupremæ authoritates, ſiquidem hoc ipſo quælibet foret ſuprema, & non foret; foret vt ſupponitur; non foret, quia non eſt ſuprema authoritas in aliqua Republica illa, quæ in eadem Republica tenetur obedire alteri. Tunc autem Romanus Pontifex teneretur obedire Concilio generali. Ergo ille non haberet ſupremam authoritatem in Eccleſia Dei, ac proinde verificaretur vtraque pars contradictionis: Ergo euidentiſſimum eſt, vel Concilium Conſtantienſe quatenus Generale, & confirmatum à Martino V. non definiſſe ſuperioritatem Concilij in Papam, vel ſibi ipſi in eadem Bulla apertè contradixiſſe, & contradictoria declaraſſe. Ergo cùm hoc ſit euidenter falſum, reſtat, vt illud primum ſit verum.

2. Idque ipſum conſtat ex alia veritate definita in Concilio Conſtantienſi, quatenus generali, & approbato à Martino V. Nam in Epiſtola Synodali, quam Sacro approbante Concilio edidit Martinus V. contra errores Ioannis Wiclef, & Ioannis Hus, & quam direxit ad Prælatos Germaniæ, vnus ex articulis, quos credendos proponit, eſt: *Quòd Papa ſit caput Eccleſiæ Catholicæ*. Vnde habetur, quòd habitudo Papæ ad vniuerſam Eccleſiam, & per conſequens ad vniuerſale Concilium illam repræſentans, ſit habitudo capitis ad corpus. Sed ſic eſt, quod corpus non niſi mediante capite recipit influxum virtutis, ſenſus, & motus: ergo cum hoc articulo, ſeu veritate fidei, *quòd Papa eſt caput Eccleſiæ Sanctæ Catholicæ*, non poteſt componi, quòd Concilium repræſentans corpus Eccleſiæ, immediatè recipiat à Chriſto poteſtatem gubernatiuam, & motiuam, & non mediante Papa. Ergo ſi Concilium Conſtantienſe, quatenus generale & approbatum, definiſſet doctrinam ſeſſionis quartæ, & quintæ, definiſſet duo contradictoria, & ſibi ipſi apertè repugnaret.

3. Confirmatur: quia implicat, quòd Papa ſit caput Eccleſiæ Catholicæ, *quæ eſt cœtus hominum eiuſdem Chriſtianæ fidei, & eorumdem Sacramentorum communione colligatus ſub regimine legitimorum Paſtorum, & & præcipuè vnius Chriſti in terris Vicarij Romani Pontificis*, vt definit Bellarm. lib. 3. de Eccleſia milit. cap. 2. & tamen, quòd Concilium generale Eccleſiam Catholicam repræſentans, acceperit immediatè à Chriſto

pote-

Digitized by Google

poteſtatem, cui quilibet, etiam Papa ipſe certus & indubitatus, vt volunt Aduerſarij, obedire teneatur in ijs, quæ pertinent ad fidē. Nam cùm euidens ſit caput eſſe ſupra corpus, & non corpus ſupra caput: ſanè Concilium generale legitimè congregatum à Papa certo & indubitato, nequit edere decretum fidei, cui etiam Papa obedire teneatur. Vt enim oſtendimus diſp. 1. ſect. 3. certum omnino eſt, decreta Conciliorum, etiamſi iſta forent in definiendo infallibilia, non poſſe obligare totam Eccleſiam, niſi quatenus confirmata à Romano Pontifice, & mediante ipſius authoritate. Abſurdiſſimumque eſt, quòd caput teneatur obedire corpori, & non potiùs corpus capiti. Ergo ab eo qui credit Papam eſſe caput Eccleſiæ, nequit credi, quòd teneatur Papa obedire Concilio in ijs, quæ pertinent ad fidem; *cùm obedientiam inferiores ex ordine Superioribus tantum debeant*, vt habetur in cap. *Si obedientiam*, diſt. 93. & in cap. *in his omnibus* diſt. 21.

4. Quod confirmatur. Nam cap. *vbi periculum* de electione in 6. Papa appellatur à Concilio Generali Lugdunenſi *Rector vniuerſalis Eccleſiæ* &c. Ergo Papa eſt ſupremus Rector, Princeps & Paſtor generalis Synodi, quæ Eccleſiam vniuerſalem repræſentat. Ergo ei omne Concilium, & vniuerſa Eccleſia obedire tenetur, tanquam ſupremam poteſtatem habenti in Eccleſia Dei. Ergo è contra Papa non tenetur obedire Concilio: implicat enim, vt detur hæc obligatio mutua. Ergo ſi Martinus V. approbauiſſet Decretum illud editum in ſeſſione 4. de excellentia Concilij ſupra Papam, manifeſtè ſibi contradixiſſet, & definiſſet duo contradictoria.

§. VII.

Infertur euidenter ex dictis, in Concilio Conſtantienſi quatenus Generali, & approbato à Martino V. non fuiſſe definitam ſuperioritatem Concilij in Papam.

FAceſſant ergo aduerſarij cum ſuo argumento deſumpto ex Concilio Conſtantienſi: manifeſtum eſt enim, non fuiſſe generale, quando habita eſt 4. & 5. ſeſſio, cum liquidò conſtet (inquit Cabaſsutius in notitia Eccleſiaſtica pag. 508) ex tribus Eccleſiæ obedientijs, ſolam tunc interfuiſſe Ioannis XXIII. obedientiam, reliquis duabus Concilio aduerſantibus; eamque non integram, quia vt teſtatur Turrecremata, plures Patres doctiſſimi illius obedientiæ illi declarationi non præſtiterunt conſenſum, aut aſſenſum ſuum. Ratio autem cur duæ aliæ obedientiæ

Digitized by Google

aduerſatæ ſint, eſt clara, quia id ſibi præiudicare videbant: nam Ioannes XXIII. qui ſucceſſerat Alexandro V. electo in Concilio Piſano anno 1409. vbi depoſiti fuerant Benedictus XIII. & Gregorius XII. indixit Concilium Conſtantienſe, forſan vt æmulis deiectis, ipſe ſolus verus, ac legitimus Pontifex declararetur, & præſedit ſeſſioni 1. & 2. Vnde partes orbis Chriſtiani, quæ ſequebantur Benedictum & Gregorium per Legatos ſuos, in plena congregatione ſe oppoſuerunt authoritati, quam ſibi arrogabat obedientia Ioannis, vt teſtatur Turrecremata, qui tunc Concilio aderat, lib.2. cap.99. & ideo Gregorius, quando renuntiauit Pontificatum in ſeſſ.12. noluit renuntiationem facere in manibus Patrum Concilij, quos Iudices non agnoſcebat, ſed fecit in manibus Sigiſmundi Regis. Principes autem, atque Prælati, qui ſequebantur Benedictum, noluerunt ſe coniungere alijs duabus obedientijs, quouſque fieret noua Concilij conuocatio, arbitrati, illas minimè potuiſſe facere Concilium generale, & antequam ſe coniungerent, priùs apud Narbonam pacti ſunt cum Sigiſmundo Rege de noua Concilij conuocatione facienda: quare vſque ad illud tempus, in quo tres obedientiæ conuenerunt, Concilium Conſtantienſe generale non fuit.

§. VIII.

Concilium Conſtantienſe poſtquam fuit generale, & legitimum, reuocauit decretum factum ſeſſione 4. & 5. ab obedientia Ioannis XXIII. contra authoritatem Romani Pontificis.

1. POſtquam autem generale fuit Concilium, & Eccleſiam vniuerſalem legitimè repræſentauit, palàm videtur reuocaſſe decretum, ſeu declarationem factam in 4. & 5. ſeſſione. Idque patet primò, quia ſeſſ.40. ita ſtatuit: *Sacroſancta Generalis Synodus Conſtantienſis in Spiritu Sancto legitimè congregata, vniuerſalem Eccleſiam repræſentans ſtatuit & decernit, quòd futurus Romanus Pontifex per Dei gratiam aſſumendus de proximo, cum hoc Sacro Concilio, vel deputandis per ſingulas nationes, debeat reformare Eccleſiam in capite & membris, & Curiam Romanam ſecundum æquitatem, & bonum regimen Eccleſiæ, antequam hoc Concilium diſſoluatur, ſuper materijs articulorum alias per nationes in reformatorio oblatorum.* Et ſtatim ſubiungit 18. articulos continentes materiam integram reformationis faciendæ à Papa cum deputatis, quorum decimus tertius erat, *propter quæ, & quomodo Papa poſſit corrigi & deponi.* Iſtud autem decretum integri Concilij contrarium eſt decreto facto ſeſſ. 4.

& 5.

& 5. à Patribus obedientiæ Ioannis, in quo declaratur poteſtas Concilij ſupra Papam, & facultas reformandi Eccleſiam non committitur Pontifici cum aſſiſtentia deputatorum per Concilium, ſed declaratur eſſe vnicè penes iſtud, & iniungitur Papæ obligatio recipiendi reformationem ſibi impoſitam à Concilio tanquam à ſuperiori.

2. Secundò idipſum exinde probatur, quòd Conſtantienſis Synodus, poſtquam Martinum V. creauit Pontificem, morem obſeruando antiquorum Conciliorum, *humiliter petiuit ab eo* (ait Turrecremata vt teſtis) *confirmationem, & roborationem omnium, quæ fecerat*. Cùm autem confirmare, & roborare, ſuperioris authoritatis ſit, planiſſimum eſt, Conſtantienſem Synodum, quando fuit integra, & coaleſcens ex omnibus Chriſtiani orbis obedientijs, non approbaſſe doctrinam illam ſtabilitam à ſola obedientia Ioannis de excellentia Concilij ſupra Papam. Tertiò, quia dum definiuit Romanum Pontificem legitimè electum habere ſupremam authoritatem in Eccleſia Dei, virtualiter definiuit habere authoritatem, cui tota Eccleſia etiam in Concilio generali congregata obedire teneatur.

§. IX.

Soluitur alia obiectio: & oſtenditur Martinum V. non confirmaſſe omnia, quæ à Synodo Conſtantienſi fuerant vtcumque determinata, ſed ea duntaxat, quæ in materia fidei fuerant conciliariter *concluſa, & decretata.*

1. DEmum obijciunt Martinum V. ſeſs. vltima approbaſſe omnia, quæ à Concilio acta fuerant, ac proinde confirmaſſe decretum editum ſeſs. 4. & 5. Aſſumptum probant, quia Martinus ibi dicit, *quòd omnia & ſingula determinata, concluſa, & decreta in materijs fidei per præſens Concilium conciliariter tenere, & inuiolabiliter obſeruare volebat, & nunquam contradicere quoquo modo: ipſaque ſic conciliariter facta approbat, & ratificat, & non aliter, nec alio modo*.

2. Verùm hæc obiectio debilis eſt. Vt enim notant Turrecremata, Caietanus, Bellarminus Valentia, Grauina, & alij communiter, mens Martini V. non fuit confirmare, & rata habere omnia, quæ à Synodo Conſtantienſi à principio vſque ad finem fuerant vtcumque determinata, ſed ea duxtaxat, quæ *in materijs fidei* à Sancta Synodo *conciliariter* deter-

Digitized by Google

determinata, concluſa, & decreta fuerant: id eſt ea ſolùm, quæ poſt diligentem rei diſcuſſionem, & diſputationem inuenta fuerant fidei contraria, & per ſententiarum collationem, ſeu ſuffragiorum ſupputationem determinatum, & concluſum fuerat à Patribus eſſe erronea; quales fuerint 45. articuli Wicleffi, quos Synodus conciliariter damnauerat ſeſs.8. poſt diligens examen: ſic enim ibi dicitur: *Hæc Sancta Synodus præfatos articulos 45. examinari fecit, & ſæpius recenſeri per plures Reuerendiſſimos Patres Eccleſiæ Romanæ Cardinales, Epiſcopos, Abbates, Magiſtros in Theologia, Doctores iuris vtriuſque &c. Quibus articulis examinatis fuit repertum, aliquos & plures ex ipſis fuiſſe, & eſſe notoriè hæreticos* &c. Eandem diligentiam præmiſit ante condemnationem errorum Ioannis Hus, vt conſtat ex ſententia lata contra ipſum ſeſs.15. & ſimiliter antequam condemnaret ſeſs. 13. errorem aſſerentium communionem ſub vtraque ſpecie eſſe neceſſariam ad ſalutem: ſic enim ibi dicitur aduerſus hunc errorem: *Saluti fidelium prouidere ſatagens, matura plurium Doctorum tam Diuini, quàm humani iuris deliberatione præhabita, declarat, & decernit, & definit, quod* &c.

3. Quare in materijs fidei ea duntaxat ſunt conciliariter determinata & concluſa, quæ poſt diligens examen Theologorum atque Doctorum deprehenſa ſunt contraria Scripturis, vel traditionibus Apoſtolicis, vel Conciliorum generalium definitionibus, vel ſenſui communi Eccleſiæ, & per maiorem partem ſuffragiorum in Concilijs damnata ſunt, & oppoſita definita.

§. X.

Concluditur ex dictis Martinum V. non approbaſſe decretum factum ſeſs. 4. & 5. de excellentia Concilij ſupra Papam.

1. Hinc infertur Martinum non approbaſſe decretum, quo Synodus Conſtantienſis declarauit Concilium eſſe ſupra Papam, quia ante illud non eſt præmiſſum examen Theologorum & Doctorum, quod præmitti ſolet in rebus fidei: ſolùm enim ex illa ſeſſione 4. conſtat, Cardinalem Florentinum, poſtquam celebrata eſt Miſſa, & recitatæ ſunt Litaniæ, initio ſeſſionis legiſſe Conſtitutiones quaſdam ſeruandas à Concilio, inter quas primum locum tenet ea, qua dicitur, *Synodum Conſtantienſem poteſtatem à Chriſto immediatè habere; cui quilibet cuiuſcumque ſtatus etiam Papalis obedire tenetur* &c. Et Synodum ſimpliciter approbaſſe Conſtitutionem illam; quapropter ea non eſt edita *conciliariter*, vt ſolent edi definitiones in materia fidei: quia nec Patres com-

commiſerant rem illam examinandam Theologis, & Doctoribus, ſicut commiſerant articulos Wicleffi, & Hus,antequam ad determinationem procederent: neque decreuerunt, ita ſecundum fidem Catholicam eſſe tenendum, nec anathema dixerunt contrarium ſentientibus, aut docentibus,ſicut poſtea fecerunt in materijs fidei determinatis contra Wicleſſum, & ſequaces, ſiquidem ſub anathematis pœna præceperunt, ne vllus Chriſtianus aliquem ex illis articulis in Concilio damnatis auderet prædicare, tenere, vel quodammodo allegare: ergo declaratio facta ſeſs.4. non comprehenditur in his, quæ in materijs fidei ſunt determinata; & concluſa conciliariter à Synodo, ac proinde non fuit confirmata à Martino. Idque inde vrgetur, quod plures Patres doctiſsimi eius congreſſus illi declarationi conſentire noluerunt, vt teſtatur Turrecremata, qui præſens adfuit; cum tamen omnes conuenerint in his, quæ conciliariter in materia fidei determinata ſunt contra hæreticos; Ioanneſque ipſe XXIII. qui ante illam ſeſsionem à Concilio diſceſſerat, poſtea coram Oratoribus Galliæ acriter conqueſtus eſt, *falſa quædam, & erronea aduerſus authoritatem Romani Pontificis decreta, per æmulos ſuos poſt receſſum eius eſſe concluſa*, vt refert idem Turrecremata par. 2. cap. 99.

2. Vnde ſi intentio Concilij Conſtantienſis fuit declarare Conciliū eſſe ſupra Papam etiam indubitatum, eius declaratio fuit planè inſubſiſtens,& falſiſsima,& vt inquit P.Valentia tom.3. col.304.edita fuit tantum quorundam Schiſmaticorū importunitate, nec à Martino V.approbari potuit. Crediderim tamen intentionem Patrum Conſtantienſium in ea ſeſs. 4. ſolùm fuiſſe aſſerere, Concilium generale congregatum tempore ſchiſmatis habere authoritatem immediatè acceptam à Chriſto, cui obedire teneantur Pontifices dubij de Pontificatu contendentes. Forſan verò incautè in definitione verba poſuerunt, quæ videntur aliquid amplius ſonare,& occaſionem dederunt Aduerſarijs aſſerendi Cocilium generale virtualiter eſſe ſupra Papam, etiam certum & indubitatum.

§. XI.

§. XI.

Alia eiuſdem argumenti ſolutio, quòd ſcilicet Martinus V. ſolùm rata habuerit ea, quæ contra hæreſes conciliariter *decreta fuerunt; hoc eſt pleni Concilij conſenſu.*

1. ALia etiam ſolutio, eaque ſatis ſolida poteſt adhiberi, videlicet Martinum per ea verba ſolùm ſignificaſſe, ſe rata habere ea, quæ aduerſus hæreſes, & errores decreta fuerunt conciliariter, hoc eſt pleni Concilij conſenſu Conſtitutionem ipſius Martini approbante: nam per illud *conciliariter* intellexit Martinus quæcunque poſt ſopitum & terminatum ſchiſma, ſuique ipſius electionem à Patribus fuere definita. Sic enim propriè res dicuntur conciliariter definiri, quando Pontifex & cæteri Prælati poſt maturam deliberationem in aliquod dogma conſentiunt: & quia tunc cùm hæc authoritas Concilij ſupra Pontificem definita eſt, aberat Ioannes XXIII. qui Concilium conuocauerat, & Martinus V. nondum à Patribus electus erat, dici non poteſt conciliariter definita &c.

2. Hunc fuiſſe ſenſum Pontificis conſtabit, ſi inſpiciamus occaſionem, quam habuit ad ita reſpondendum. Ediderat Martinus, 8. Kalendas Martij anno 1418. Conſtitutionem illam, in qua Sacro approbante Concilio damnauit errores Wicleffi & Hus. Et paulò poſt nempe 22. Aprilis habita eſt ſeſſio 45. & vltima, in qua Concilium diſſoluit, & de ipſius mandato Cardinalis Vmbaldus omnibus Patribus dixit: *Ite in pace*. In hoc rerum occurſu Oratores Regis Poloniæ, & Ducis Lithuaniæ nomine ſuorum Principum importunè à Pontifice flagitarunt, vt antequam diſſolueretur Concilium, in ſeſsione publica, ſolemnique ritu damnarentur errores contenti in libello quodam Fratris Ioannis Falkemberg, quem libellum Theologi ac Doctores ſapientiſsimi per Concilium deputati cognouerant, & cenſuerant continere errores manifeſtos atque hæreſes; & niſi hoc fieret, Oratores illi minaciter proteſtabantur de grauamine, & de appellando ad futurum Concilium. Ad hanc vero minacem flagitationem reſpondit Pontifex, *quòd omnia & ſingula determinata, concluſa, & decreta in materijs fidei per præſens Concilium* conciliariter *approbat & ratificat, & non aliter, aut alio modo*. Quaſi diceret: rata habeo, quæ in materijs fidei, ſeu contra hæreſes atque errores decreta ſunt *conciliariter*, hoc eſt pleno conſenſu totius Concilij, quod meam Conſtitutionem aduerſus hæreſes approbauit.

Non

Non placet autem, nec tempus patitur, vt poſtquam ſolemniter intimata eſt Concilij abſolutio, noua ſeſsio inſtituatur pro condemnandis erroribus contentis in illo libro. Sic Pontifex importunam Oratorum petitionem repulit.

3. Nihil ergo eſt in verbis Martini, quo inſinuetur ipſum approbaſſe decretum editum ſeſs.4. de ſuperioritate Concilij in Papam: nam ſi intelligatur vniuerſaliter, vſque ad illum diem fuerat inaudita doctrina illa, & oppoſita de ſuperioritate Romani Pontificis in Concilia conſtabat ex Synodis generalibus hanc ſuperioritatem agnoſcentibus, & ex Iure Canonico in plurimis capitibus & Decretalibus, & ex conſenſu Patrum ac Theologorum: proindeque declaratio illa non fuit de rebus fidei, id eſt, de re, cuius contradictoria cenſeretur communiter à fidelibus oppoſita fidei, ſed potiùs fuit de re, cuius contradictoria tanquam conſona fidei, hærebat animis omnium.

SECTIO VI.

An ſufficienter ſoluatur authoritas Conſtantienſis, dicendo ipſum loqui ſolùm pro caſu Schiſmatis.

§. I.

Proponitur ſententia affirmans.

1. MVlti, graueſque Authores benignè interpretantur declarationem illam Concilij Conſtantienſis: nam permittendo illud fuiſſe legitimum, & approbatum à Martino V. etiam quoad illa, quæ decreuit ſeſſione 5. nihilominus ex illa dicunt non poſſe probari Concilium eſſe abſolutè ſupra Papam; quia non definiuit abſolutè Concilia Generalia habere immediatè à Chriſto poteſtatem ſupra Pontifices, ſed tantùm in caſu, id eſt, tempore ſchiſmatis, quando neſcitur, quis ſit verus Papa; nam dubius Papa habetur pro non Papa; ac proinde habere in illum poteſtatem, non eſt habere poteſtatem in Papam. Ita Turrecremata, Campegius, & Sanderus apud Bellarminum illis ſubſcribentem lib. 2. de Concilijs cap. vltimo. Ita etiam Driedo lib. 4. de dogmatibus cap.4. verſus finem, & Iacobus Latomus cap.4. de primatu Romani Pontificis; quam interpretationem promouet Grauina tomo 4. Catholicarum præſcriptionum par.2. art.vlt. pag.80.

2. Item Henricus Spondanus ad ann. 1415. nam agens de 5. ſeſſione

ne iſtius Concilij, & de Conſtitutionibus in ea publicatis pro extirpatione præſentis ſchiſmatis, & vnione ac reformatione Eccleſiæ Dei in
,, capite & membris, num.21. & 54. monet, Non de quocumque Con-
,, cilio vniuerſali locutam Synodum, ſed de ipſo tantùm Conſtantienſi,
,, collecto ad prædicta, cum nullus certus eſſet Pontifex, & ipſa eius
,, verba indicant: & fusè diſputauit olim Ioannes de Turrecremata
,, Card. lib 2. de Eccleſia, cap.99.

3. Et in fauorem huius ſententiæ Cabaſſutius, in hiſtoria Concilij Conſtantienſis num. 13. allegat ipſum Pariſienſem Cancellarium Ioan-
,, nem Gerſon. Ioannes Gerſon (inquit) aſcenſo ſuggeſtu luculentum
,, ſermonem habuit, qui extat inter opera eius impreſſa, quo Concilij
,, generalis authoritatem aſſeruit ſupra Papam, non vtique abſolutè,
,, ſed caſualiter, vt ipſe loquitur: ſcilicet in extremis Eccleſiæ neceſſi-
,, tatibus, qualis tunc occurrebat in dubio de vero Pontifice inter plu-
,, res contendentes.

4, Idque videtur conſtare ex verbis ipſius Concilij ſeſs. 4. vbi ſic legitur. *Hæc Sancta Synodus Conſtantienſis Generale Concilium faciens pro extirpatione præſentis ſchiſmatis, & vnione, ac reformatione Eccleſiæ, in capite, & in membris fienda, declarat, quòd ipſa in Spiritu S. Congregata generale Concilium faciens, Eccleſiam Catholicam militantem repræſentans, poteſtatem à Chriſto immediatè habet, cui quilibet cuiuſcumque ſtatus vel dignitatis (etiamſi Papalis exiſtat) obedire tenetur in his, quæ pertinent ad extirpationem dicti ſchiſmatis* &c.

,, 5. Hinc Duuallius parte 4.quęſt.7.aiebat.Non ſine maxima ratione,
,, grauiſſimi quidam Doctores aſſerunt, Concilium Conſtantieſe nihil
,, aliud definiuiſſe, quàm Concilium eſſe ſuperius Pontifice dubio, &
,, incerto: quod accidit, quando ſchiſmate laborat, & vexatur Eccle-
,, ſia, & iura contendentium omni ex parte dubia ſunt. Tunc enim
,, nemo dubitat, quin in Eccleſia ſit ſuprema poteſtas, ad dubios illos
,, Pontifices, vel alterum eorum deponendum, aut aliquem in eorum
,, locum ſufficiendum. Proinde (vt idem habet quæſt.9.) Concilium
,, Conſtantienſe hac in parte intelligendum eſt duntaxat de tempore
,, Schiſmatis, & quando Pontifices incerti ſunt & dubij.

§. II.

§. II.

Confirmatur ſententia illa; & in medium producuntur ſelecta notitia, quibus Dom. D. Emanuel Scheleſtrate iuremerito deprimit Decreta ſeſs. 4. & 5. Concilij Conſtantienſis.

1. HOrum Doctorum ſolutio poteſt confirmari ex *ijs*, quæ tradit eruditiſſimus D. D. Emanuel à Scheleſtrate in ſelecto tractatu de ſenſu & authoritate Decretorum Conſtantienſis Concilij ſeſs. 4. & 5. excuſo Romæ anno 1686. nam diſſert. 1. huius tractatus cap. 1. ex Codicibus manuſcriptis indubitatæ fidei probat, Decretum primum ſeſs. 4. ex compilatione Baſileenſium corruptum ad nos tranſijſſe: euincitque, verba illa, *ad reformationem Eccleſiæ Dei in capite & in membris*, addita fuiſſe à Baſileenſibus, & minimè inueniri in Decreto 1. ſeſs. 4. prout conceptum fuit à Patribus Concilij Conſtantienſis. Quia Decreta Concilij Conſtantienſis primò impreſſa ſunt, prout fuerant compilata à Baſileenſibus; illi autem, vt ſibi authoritatem conciliarent, & arrogarent ſibi ſuperioritatem in Eugenium Papam, addiderunt verba illa. *Ad reformationem Eccleſiæ Dei in capite, & in membris*, quæ à Conſtantienſibus appoſita non fuerant in quarta ſeſsione, quæ maioris authoritatis fuit; ſed ſolùm in quinta, quæ exiguæ, & ferè nullius fuit; ſiquidem verba illa. *Ad reformationem Eccleſiæ Dei in capite, & in membris*, appoſita ſunt contradicentibus Cardinalibus, & Regis Chriſtianiſſimi Oratoribus. Inter eos præcipuus erat Cardinalis Florentinus Canoniſtarum ſui temporis facilè Princeps, ad quem tunc ſpectabat Decretorum publicatio, qui rogatus, vt Decreta legeret, munus illud exequi, recuſauit, vt inquit laudatus Bibliothecarius in compendio Chronologico pag. 43. electus itaque *Poznanienſis legit Decreta per modum conſtitutionum Synodalium, quia Cardinalis Florentinus ea legere noluit.*

2. Vt autem probat D. Scheleſtrate; Decreta Conſtantienſia primò impreſſa ſunt anno 1500. Decretum autem primum ſeſſionis 4. ex compilatione Baſileenſium his verbis primò typis deſcriptum fuit (inquit ille diſſert. 1. pag. 17.) *Quòd ipſa Synodus in Spiritu Sancto congregata legitimè, generale Concilium faciens, Eccleſiam Catholicam repræſentans, poteſtatem à Chriſto immediatè habet, cui quilibet, cuiuſcumque ſtatus, vel dignitatis, etiamſi Papalis exiſtat, obedire tenetur in his, quæ pertinent ad extirpationem dicti ſchiſmatis, & reformationem Eccleſiæ Dei in capite, & in membris.*

Digitized by Google

3. Hoc decretum eiſdem terminis nullo verbo addito, & nullo detracto, impreſſum eſt in quatuor ſequentibus additionibus factis anno 1511. 1524. 1530. & 1535. vt teſtatur idem Schelestrate ibidem pag. 15. donec anno 1538. Petrus Crabbe poſt has Actorum Conſtantienſium editiones, nouam Conciliorum collectionem duobus tomis in folio comprehenſam in lucem emiſit, in qua retentis omnibus; quæ in præcedentibus impreſſionibus continebantur, addidit decreto ſeſſionis 4. verbum illud, *ad fidem*, ac proinde vbi priores editiones dicebant, *obedire tenetur in his, quæ pertinent ad extirpationem dicti Schiſmatis*, &c. eius editio dicit: *in ijs, quæ pertinent ad fidem, & ad extirpationem dicti Schiſmatis* &c. & hanc lectionem ſecutæ ſunt poſteriores editiones Binij, & aliorum.

4. Dominus Schelestrate contendit, duos errores irrepſiſſe in decretum illud primum ſeſſionis 4. prout à Baſileenſibus primò typis mandatum eſt; vnum per detractionem, alium per additionem; contendens, vocem *illam ad fidem* adeſſe in decreto prout fuit factum in ſeſsione 4. à Concilio Conſtantienſi: abeſſe autem clauſulam illam, *Et ad reformationem Eccleſiæ Dei in capite, & in membris*, & hanc vel per fraudem, vel per errorem additam fuiſſe à Baſileenſibus.

5. Ex his duobus hoc ſecundum ſatis efficaciter probat contra Dominum Maimburgum, qui anno 1685. emiſit in lucem tractatum hiſtoricum de Romana Eccleſia ad defenſionem Declarationis Cleri Gallicani: in hoc opere à cap. 22. vſque ad 26. acriter inuehitur in Dominum Schelestrate, eo quod in Diſſertatione ſua edita anno 1683. typis Antuerpienſibus de ſenſu, & authoritate Decretorum Conſtantienſium, protulerat ſequentia verba: Tres Codices manuſcripti continentes Acta Conſtantienſis Concilij à Notarijs ipſius conſcripta, ex quibus Baſilieenſes Decreta compilarunt, non habent illa verba in primo Decreto ſeſſionis quartæ: *Et ad reformationem generalem Eccleſiæ Dei in capite, & in membris*. Codices quatuor Manuſcripti continentes Geſta indubitata Conſtantienſis Synodi, quorum duo circa ipſius Conſtantienſis Concilij tempus conſcripti ſunt, licèt habeant multò plura, quàm hactenùs edita, nullam tamen mentionem faciunt in Decreto Seſſionis quartæ *de reformatione Eccleſiæ in capite, & in membris*.

6. Hanc diſſertationem adornauit D. Schelestrate, tactus zelo defendendi authoritatem Sedis Apoſtolicæ, quam Declaratio Cleri Gallicani labefactare conabatur: nam per ſex continuos menſes ſumma diligentia, & indefeſſo labore euoluit manuſcriptos Codices Bibliothecæ Vaticanæ, & demum inuenit Acta, & geſta Concilij Conſtantienſis hactenus non edita, in quibus plura continebantur, ex quibus efficaciter probat, non ſolum decreta Seſſionis quartæ, & quintæ ab vna duntaxat obedientia facta fuiſſe, quæ Concilium generale facere non poterat:

rat:

rat: ſed etiam decretum primum Seſſionis quartæ corruptum fuiſſe à Baſileenſibus, & non poſſe ex illo confici argumentum alicuius momenti ad probandum Concilium generale eſſe ſupra Papam. Hæc diſſertatio eruditiſſimi Viri pungit Dominum Maimburgum; & ideo inſurreſcit in eius authorem. Sed hæc impugnatio excitauit eruditiſſimum Schelestrate, vt nouum tractatum ediderit, in quo ſatis ſolidè firmat illud, quod in ſua prima diſſertatione dixerat, & facilè diſſoluit omnia, quæ contra ipſum oppoſuerat Maimburgus.

7. Sed ex duplici capite, ex quo dicit, Decretum primum Seſſionis quartæ Concilij Conſtantienſis, fuiſſe à Baſileenſibus corruptum; illud de detractione illius clauſulæ, *in his quæ pertinen. ad fidem*; non ita efficaciter eſt ab ipſo probatum, ſicut illud de additione illius alterius, *& reformationem Eccleſiæ Dei in capite, & in membris*.

8. Si autem accipiamus Decretum illud detracta ſolùm hac clauſula vltima, quam efficaciter probat laudatus author fuiſſe additam à Baſileenſibus, & non addita illa alia *in his, quæ pertinent ad fidem*, quæ non legitur in primis quatuor editionibus Actorum Concilij Baſileenſis; poteſt inde ſumi argumentum in fauorem ſententiæ aſſerentis Concilium Conſtantienſe in illo decreto non tradidiſſe doctrinam vniuerſalem pro omni Concilio, ſed determinatè locutum fuiſſe pro caſu ſchiſmatis, in quo Papæ ſunt dubij; eiuſque intentionem ſolum fuiſſe ſtatuere, quòd Concilium generale congregatum tempore ſchiſmatis ſit ſupra Papas dubios, & habeat authoritatem, vt illos deponat, & nouum eligat Pontificem, quod quidem verum eſt.

9. Verùm quamuis hæc ſententia pia ſit, & ſit apta, ne dicamus Patres illos turpiſſimè erraſſe: & quamuis eorum intentio fuerit Sancta, vt ſcilicet comprimerent ſchiſma, & probabile valde ſit, nihil aliud intendiſſe in illo ſuo decreto, quam definire, Concilium generale legitimè congregatum eſſe ſupra Papas dubios, quod eſt veriſſimum. Nihilominus negare non poſſumus, incautè locutos fuiſſe: eorumque decreta, vt iacent, aliquid continent falſum, vt in ſequentibus oſtendam. Et authores illius ſolutionis non inſiſtunt in notitijs iſtis, quas magna cum laude Orbi communicauit Dominus Schelestrate; ſed procedunt, ſupponendo, Decretum primum ſeſſionis quartæ conceptum fuiſſe, prout modo habetur in editionibus omnibus Conciliorum, quæ prodierunt poſt collectionem Conciliorum factam anno 1538. à Petro Crabbe. Et quamuis D. Schelstrate rectè probet contra Maimburgum, maioris eſſe authoritatis ſeſſionem quartam Concilij Conſtantienſis, quàm quintam; quia licet vtraque ſit celebrata à ſola obedientia Ioannis, ac proinde neutra ſit celebrata à Concilio generali; tamen quarta celebrata eſt conſentientibus omnibus Patribus obedientiæ Ioannis, quinta verò contradicentibus præcipuis Patribus eiuſdem obedientiæ: ac proinde, quamuis rectè probet contra Maimburgum, ſententiam contrariam

non

non habere ſufficiens præſidium in Concilio Conſtantienſi;nihilominus ego independenter ab hac eruditiſſimi viri doctrina, & permittendo,ſeu gratis ſupponendo, illas ſeſſiones fuiſſe æqualis authoritatis; ex alijs capitibus probabo, Aduerſarios non poſſe argumentũ ſolidum pro ſua ſententia conficere ex Decretis Concilij Conſtantienſis: nec authores aſſerentes,Conciliũ loqui duntaxat pro caſu Schiſmatis,poſſe ex illis ſolidè ſuam ſententiam probare: ſiquidem illi authores videntur ſupponere illa decreta, prout iacent, eſſe vera,ſi referantur ſolùm ad tempus Schiſmatis: nos autem oſtendemus, id eſſe falſum; quia licet referantur ad ſolum tempus ſchiſmatis, continent multa falſa: Decretum autem continens aliquid falſum, nequit eſſe decretum Concilij Generalis legitimi, & approbati; ſiquidem decreta Concilij Generalis debent eſſe infallibilia, ac proinde nihil falſum poſſunt continere: vnde ex eiuſmodi decreto nequit validum confici argumentum.

§. III.

Reijcitur ea ſolutio, quia definitio illa etiam intellecta ſolùm pro tempore Schiſmatis, multa difficilia continet. Et in primis falsò aſſerit Synodum illa, facere Concilium generale.

1. IN primis enim id, quod illi PP.Conſtantienſes dicunt, dum in ea ſeſſione declarant, Synodum illam Concilium generale facere, non ſubſiſtit, quia tunc ſolùm aderat pars Orbis Chriſtiani, quæ Ioannem ſequebatur: hæc autem ſola non poterat facere Concilium generale, præſertim cùm eſſet conuocata ab ipſo Ioanne, qui erat Papa dubius: quia quamuis ſucceſsẽrat Alexandro V. electo in Concilio Piſano, de hoc tamen Concilio dubitabatur, an fuiſset legitimum; & vt inquit P. Valentia tomo 3. diſput. 1. quæſt. 1. puncto 7. congregatum fuerat à quibuſdam Cardinalibus ſchiſmaticis, & ideo Ioanni reſiſtebant Gregorius, & Benedictus.

2. Vnde cum Benedictus anno 1408.à Cardinalibus ad Concilium Piſanum pro ſopiendo ſchiſmate euocaretur, *eorum operam deriſit*, inquit D. Antoninus tom. 3. Chronicorum, titulo 22. §. 3. dixitque. „ Controuerſiam fore de iure Papatus inter ſe & Gregorium, & nihil „ ad eos ſpectare de re ipſa. Idem ſuſtinuit etiam poſt ſententiam „ Piſis contra ſe latam, aſſerens: Cardinales poteſtatem & authoritatem conuocandi generale Concilium à tempore Apoſtolorum ſolis „ Romanis Pontificibus reſeruatam, temere vſurpaſſe, & non confide-

„ rantes,

„ rantes, quòd inferior ſuperiorem non poteſt ſoluere, vel ligare, iu-
„ riſdictionem, & poteſtatem iudicandi Sedem ipſam, ſibi temeritate
„ ſacrilega vendicaſſe. Ita Benedictus in Conuentu Barcinonenſi, cuius ſententiam propugnaſſe plures Viros doctos, notat Odoricus Raynaldus ad ann. 1409. vbi ex Manuſcriptis Codicibus adfert, hanc eorum concluſionem pluribus rationibus, & antiquorum auctoritatibus
„ comprobatam. Quòd propter nullum crimen Papa poteſt deponi à
„ Papatu per aliquem purum hominem, vel per aliquos alios homi-
„ nes mundi, ſiue ſint Cardinales, ſiue Archiepiſcopi, ſiue Primates,
„ ſiue Patriarchæ, nec etiam à Concilio generali, imo nec à tota Ec-
„ cleſia vniuerſali.

3. Hinc etiam Gregorius ſeſs. 14. promiſit quidem ceſſionē Papatus, ſaluo tamen, quòd eius nomine de nouo fieret Patrum conuocatio, & ſic Concilio tribueretur eius nomine authoritas. Et qui adhærebant Benedicto, non aliter ſe voluerunt adiungere alijs duabus partibus, quam præmiſſo pacto vt noua fieret Concilij conuocatio, quaſi omnium partium nomine. Et quamuis daremus Ioannem fuiſſe legitimum Pontificem, quando habita eſt ſeſſio 4. definitio in illa ſeſſione edita non fuiſſet legitima, quia ei Ioannes non conceſsit, ſed potiùs poſitiuè eam reprobauit vt ſchiſmaticam. Conficio hoc dilemma. Vel Ioannes vigeſimus tertius, qui conuocauit Concilium Conſtantienſe, fuit legitimus Pontifex, vel non: ſi ſecundum; ergo Concilium Conſtantienſe fuit nullum, vtpote conuocatum ſine legitima authoritate, ac proinde ex decreto confecto in illa ſeſs. 4. & 5. nullum argumentum ſolidum conficere potuit Clerus Gallicanus. *Si primum:* ergo decreta illius ſeſs. 4. & 5. nullius ſunt valoris vtpote facta non conſentiente, ſed potius reclamante legitimo Pontifice.

§. IV.

Non ſubſiſtere reſponſionem Richerij.

CONſtat ex ijs, quæ diximus, non ſatisfacere Edmundum Richerium tenaciſsimum defenſorem ſuperioritatis Conciliorum generalium in Papam, qui apud Duuallium tractatu de auctoritate Summi Pontificis par. 4. pag. 844. reſpondet, partem adhærentem Ioanni ſufficientiſsimam fuiſſe ad conſtituendum Concilium generale; quia ſi orbis Chriſtianus in quinque partes diuideretur, vix quinta Benedicto & Gregorio fauiſſe comperiretur. Non, inquam, ſatisfacit: quia in Concilio Conſtantienſi, teſte Duuallio, ex plurimis Prouincijs Occidentis aberant Epiſcopi, vt Prælati Aragoniæ, Apuliæ, Scotiæ, & Gaſconiæ. Deerant etiam ex Hiſpania Epiſcopi Regnorum Caſtellæ, & Nauarræ. Item deerant

Digitized by Google

deerant Epiſcopi Siciliæ, Romaniæ, Bauariæ, & quarundam Prouinciarum Germaniæ. Præterea Concilium illud non fuit indictum à Pontifice certo, cui nationes omnes tenerentur obedire. Et hac de cauſa Eugenius IV. Papa meritò dixit. Decreta ſeſs. 4. & 5. non valere, quòd ab vna tantum obedientia fuiſſent facta, id eſt, à Prælatis Ioanni XXIII. obedientibus, ac proinde fuerat conuocatum à Pontifice dubio, cui non tenebantur obedire omnes orbis Chriſtiani nationes, quod eſt contra rationem Concilij perfectè vniuerſalis; quod ſicut robur habere non poteſt, nec totam Eccleſiam obligare, niſi confirmetur à Pontifice certo, cui omnes fideles teneantur obedire: ita nequit legitimè indici à Pontifice dubio, cui non omnes tenentur obedire, nec rationem Concilij Generalis perfecti obtinere. Vt conſtat ex ijs quę diximus diſp. 3. ſect. 14. §. 2. n. 1. & 5. Audiamus Cardinalem Turrecrematam, qui teſtis ocularis fuit eorum, quæ geſta ſunt Conſtantiæ, & diſertè pronuntiat, ob rationem aſsignatam ab Eugenio Papa, Decreta ſeſs. 4. & 5. non fuiſſe decreta Concilij generalis: idque ſtatuit tanquam omnino certum. Rem „ ſic narrat lib. 2. Summæ cap. 99. Notandum, quòd congregatio illa „ Conſtantiæ celebrata, tria tempora habuit (loquitur autem de Con„ cilio Conſtantienſi ante electionem Martini Quinti) Primum fuit, „ in quo ſola obedientia præfati Ioannis Conſtantiæ conuenerat. „ Secundum tempus fuit, in quo Angelus Corarius vocatus in obe„ dientia ſua Gregorius XII. iuri ſuo cedens præfatæ congregationi ſe „ ſub certis modo & formis coniunxit. Tertium tempus eſt, in quo „ Reges, & Principes, ac Prælati obedientes Petro de Luna, Benedi„ cto XIII. vocato in obedientia ſua per ſuos oratores noua facta con„ uocatione Concilij ſe vnierunt præfatæ Congregationi ad pacem „ dandam vniuerſali Eccleſiæ. Et fuimus nos tunc præſentes in mino„ ribus conſtituti, pro quo ſolo tempore conuenientibus omnibus ſi„ mul tribus obedientijs fuit certum dicere, quòd vniuerſalis Eccleſia „ repræſentatiuè congregata eſſet Conſtantiæ. Nullus autem dubitat, „ quin aſſerere, quòd ſola obedientia Ioannis faceret Concilium vni„ uerſale, vniuerſalem Eccleſiam repræſentans, eſſet temerarium, & „ ſcandaloſum alijs duabus obedientijs. Tertiò ea, quæ inducuntur de „ decretis Concilij Conſtantienſis non militant: quorum authoritati „ illius aliæ duæ obedientiæ, ſcilicet Gregorij, & Benedicti apertiſſima „ contradictione in plena Congregatione ſe oppoſuerunt, & eorum „ contradictio fuit acceptata. Subiungit infra idem Cardinalis; In illo„ rum determinatione non modo non interuenit vniuerſalis Eccleſia, „ ſed obedientia vna tantùm, ſcilicet Ioannis XXIII. vt dictum eſt, ſed „ etiam non integrè tota illa obedientia; quoniam plures Patres do„ ctiſſimi illius obedientiæ illis non præſtiterunt conſenſum, aut aſſen„ ſum ſuum. Item nec ipſa in ſua obedientia vocatus Ioannes XXIII. „ quoniam cùm poſt receſſum ſuum à Conſtantia Scaphuſæ conſtitu-

„ tus

„ tus audiret præfatam declarationem concluſam, Dominis Oratoribus
„ Chriſtianiſsimi Regis Franciæ viſitantibus eum, videlicet Domino
„ Duce Bauariæ, Domino Nicolao de Colauilla, alijſque eorum Col-
„ legis amaro animo conqueſtus eſt, falſa quædam, & erronea aduer-
„ ſus authoritatem Summi Pontificis Romani decreta per æmulos ſuos
„ poſt receſſum eius eſſe concluſa, &c. Hactenus Turrecremata ex cuius verbis clarè conſtat Conuentum Conſtantienſem, quando ediditdecreta illa, non fuiſſe Concilium generale vniuerſamEcc leſiam repræſentans.

§. V.

Secundò; quia illa ſeſſio 4. declarauit Concilium immediatè à Chriſto poteſtatem habere, cui etiam ipſe Papa obedire tenetur non ſolùm in ijs, quæ pertinent ad extirpationem ſchiſmatis.

1. AT dices Concilium Tridentinum fuit vniuerſale etiam, quando celebratæ ſunt primæ ſeſsiones, & tamen in illis pauci admodum Epiſcopi aderant, & plures deerant. Ergo non bene probatur Concilium Conſtantienſe non fuiſſe generale, quando celebratæ ſunt quarta & quinta ſeſſio. Reſpondeo conceſſo antecedenti negando conſequentiam: quia Concilium, quod Pontifex certus & indubitatus conuocando, & per ſe ipſum, vel per legatos ſuos præſidendo tanquā totius Eccleſię caput non conſtituit in ratione formaliter vniuerſalis; ſolùm poteſt dici vniuerſale materialiter vt ita dicam, ob aſſiſtentiam ſcilicet omnium, vel ferè omnium Epiſcoporum; ac proinde vbi pauci aſſiſtunt nequit Concilium dici vniuerſale. Tempore illius quartæ, & quintæ ſeſſionis neque aderat indubitatus Pontifex, qui Conuentum Conſtantienſem conuocaſſet; ipſique præſideret immediatè per ſe, vel per ſuos Legatos, quia non erat tunc temporis in Eccleſia Pontifex certus & indubitatus. Cùm igitur tot Catholici Epiſcopi deeſſent, non erat pro eo tempore Concilium Vniuerſale. Secus Tridentinum; quia etiam, quando in primis ſeſsionibus nondum aduenerant plerique Patrum, quia tunc ibi pręſidebat certus, & indubitatus Pontifex per legatos ſuos, fuit Concilium perfectè vniuerſale, vtpote informatum, tanquam anima, vniuerſali authoritate Papæ certi & indubitati, præſidentis & conuocantis.

2. Præterea quamuis daremus, Synodū illam in ea ſeſs. 4. fuiſſe vniuerſalem eo modo vniuerſalitatis qui poteſt conuenire Concilio, quādo nō daturPapa certus & indubitatus, tamē declaratio eius non poteſt ſub-

Digitized by Google

ſtere, quia in ea vniuerſaliter dicitur, *illud Concilium poteſtatem à Chriſto immediatè habere, cui etiam ipſe Papa obedire tenetur, non ſolùm in his, quæ pertinent ad extirpationem ſchiſmatis, ſed in his, quæ pertinent ad fidem, & ad reformationem generalem Eccleſiæ*: hoc ſonare videtur, Concilium Oecumenicum congregatum tempore ſchiſmatis, & ad illud extinguendum, habere ſupremam & infallibilem authoritatem ad decidendas fidei controuerſias, & ad condendas leges vniuerſales & perpetuas, reformatiuas Eccleſiæ: quod tamen probabimus eſſe falſum. Præterea quamuis generale Concilium tempore ſchiſmatis congregatum, poteſtatem habeat ſupra Papam dubium in cauſis fidei ipſius perſonam tangentibus, & habeat poteſtatem ad extinguendum ſchiſma deponendo Papas dubios, & nouum eligendo: tamen non habet hanc poteſtatem immediatè à Chriſto, in eo videlicet ſenſu, in quo Papa certus habet immediatè à Chriſto iuriſdictionem in totam Eccleſiam, & Sacerdos habet poteſtatem ad conſecrandum, & Epiſcopus ad confirmandum & ordinandum. Non enim habet Concilium eam poteſtatem niſi mediante Eccleſia, quæ in cap. *ſi duo*, diſtinctione 39. tribuit Concilio congregato tempore ſchiſmatis poteſtatem ad deponendos Papas dubios, & certum eligendum. Et in cap. *ſi Papa* diſtinct. 40. tribuit Concilio poteſtatem ad iudicandum Papam, qui deprehendatur à fide deuius; vel habet eam poteſtatem iure naturali modo ſtatim explicando.

3. At dicet aliquis: tempore ſchiſmatis cùm abſolutè non ſit Pontifex (ſiquidem Papa dubius abſolutè Papa non eſt) ſupremam, & infallibilem authoritatem decidendi controuerſias fidei, & poteſtatem condendi leges vniuerſales, obligantes totam Eccleſiam, eſſe tunc penes Concilium generale; quia quamuis iſtud, quando datur Papa indubitatus, non habeat hanc authoritatem; quia tunc eſt apud Papam: at quando iſte non datur, illam habet Concilium, quia in Eccleſia Chriſti ſemper debet dari actu ſuprema authoritas ad decidendas controuerſias fidei.

§. VI.

§. VI.

Concilium conuocatum tempore ſchiſmatis, ſolùm habet poteſtatem ad ſtatuenda ea, quæ neceſſaria ſunt ad eius extinctionem ſchiſmatis, non autem ad condendas leges vniuerſales; & decidendas fidei controuerſias.

1. SEd contra; quia hoc gratis, & ſine fundamento dicitur: vt enim probat Eximius Doctor lib. 4. de legibus cap. 6. num. 4. Concilium congregatum tempore ſchiſmatis ſolùm habet eam poteſtatem, quæ neceſſaria eſt, veluti ad defenſionem Eccleſiæ, & ad pacificandum illam, eligendo Summum Pontificem certum: Vnde ea ſolum poteſt præcipere, & ordinare, quæ ad hunc finem neceſſaria ſunt, non verò leges vniuerſalas pro vniuerſa Eccleſia ſtatuere. Rationem reddit, quia tale Concilium neque hanc iuriſdictionem habet immediatè ab aliquo iure Diuino poſitiuo, quia neque ſcriptum eſt, neque traditione conſtat: neque etiam habet à Summo Pontifice, quia ſupponimus illum non eſſe, & qui præceſſerunt, illam non reliquerunt, ſiquidem nullum etiam decretum de hoc habemus. Solum ergo habet poteſtatem, quæ ex iure Diuino naturali conſequitur in quolibet corpore myſtico, vt poſſit ſe gubernare & tueri per Principes particulares vnitos in vnum corpus, quando deeſt ſupremum caput. Hæc autem poteſtas ſolum conſequitur ex natura rei ad prædictum finem, & cum dicta moderatione. Vnde ſi tale Concilium aliquas ferret leges, ad ſummum poſſent obligare ex vi acceptationis Eccleſiæ, vel quatenus ſinguli Epiſcopi poſſent illas in ſuis Epiſcopatibus ferre, vel vſque ad electionem noui Pontificis.

2. Hic autem cùm habeat ſupremam authoritatem in Eccleſia Dei, poſſet illas leges latas à Concilio abrogare, quia eſt ſupra quodlibet ius humanum. Vnde Caietanus tract. 1. de authoritate Papæ cap. 16. meritò irridet eos, qui ex Concilio Conſtantienſi ſeſs. 29. & Baſileenſi ſeſs. 11. ſtatuentibus, vt Concilia generalia de decennio in decennium celebrentur, contendunt poſſe celebrari inuito Romano Pontifice: ſubditque eos, qui aſſerunt ita, in magno eſſe errore, & poſſe vt ſchiſmaticos puniri, ſi ſic exequerentur, quoniam rebelles ſunt Romano Pontifici, qui poteſt ex rationabili cauſa ius poſitiuum mutare, & nouum inducere. Et conſtat, quod determinatio temporis & loci Concilij, de iure eſt poſitiuo.

Digitized by Google

3. Quod Concilium generale congregatum tempore ſchiſmatis, vel Sede vacante in quo ſcilicet vel non datur Papa, vel non datur Papa certus, & indubitatus, non habeat authoritatem ad decidendas fidei controuerſias, & ferendas leges perpetuas, docent etiam tanquam quid exploratum Caietanus vbi nuper, & Bellarminus lib. 1. de Concilijs cap. 14. & apud ipſum Presbyteri Romanæ Eccleſiæ in Epiſtola ad Cyprianum, quæ eſt ſeptima libri 2. in operibus eius: item Duuallius tractatu de poteſtate Papæ part. 4. quæſt. 7. pag. 844. & latè Magiſter Canus lib. 5. de locis cap. 5. & cap. vltimo pag. 200. vbi rectè ait Conciliorum robur ab illo eſſe, pro quo rogauit Chriſtus, *ne deficeret fides eius, quo fratres ſuos poſſet in fide firmare*: & P. Valentia diſp. 1. quæſt. 1. puncto 7. §. 45.

4. Nec vllum poteſt peti à Scriptura argumentum, ad probandum Concilium generale congregatum tempore ſchiſmatis habere authoritatem infallibilem ad decidendas fidei controuerſias, quod pariter non probet de quocumque Concilio generali vt contradiſtincto à Pontifice certo & indubitato. At hoc ſecundum falſum eſt, vt ſupponunt hi, cum quibus contendimus. Vt enim habetur cap. *regula* diſtinct. 17. *nullum ratum eſt Concilium, quod Romani Pontificis non fuerit fulcitum authoritate.* Id quod diſput. 3. ſect. 2. §. 2. probauimus ex epiſtola S. Iulij ad Euſebianos, quam S. Athanaſius inſeruit ſecundæ ſuæ Apologiæ ad Conſtantium Imperatorem, & ex Theodoreto, & Baronio. Ergo falſum eſt illud primum, ac proinde nullum eſt fundamentum ad aſſerendum authotitatem ſupremam tranſire ad Concilium, quando ſerpit ſchiſma, vel Sedes Petri vacat. Nam quod Concilium tum repræſentet Eccleſiam vniuerſalem, nil probat, quia repræſentat Eccleſiam acephalam ſine capite: in communitate autem Eccleſiæ acephala non reſidet formaliter ſuprema, & infallibilis authoritas ad decidendas fidei controuerſias, ſed ſolum radicaliter, tanquam in potentia electiua Summi Pontificis, cui Chriſtus eam authoritatem immediatè communicet poſita legitima electione. Quando autem Eccleſia habet Papam certum, tunc habet quidem ſupremam authoritatem; cæterum illam habet ratione capitis. Vt enim inquit D. Thomas 2. 2. quæſt. 11. art. 2. ad 3. *Authoritas Eccleſiæ principaliter reſidet in Summo Pontifice.* Quod latè & neruosè probat Cardinalis Iacobatius in egregio ſuo opere de Concilio lib. 5. art. 8. & patet ex dictis diſp. 2. ſect. 5. à §. 4. contra Gerſonem, clariuſque patuit diſp. 1. in qua probauimus Chriſtum neque communicaſſe Eccleſiæ ſupremam authoritatem, quia illam communicauerit toti fidelium collectioni; neque quia communicauerit collectioni Epiſcoporum. Vnde reſtat, vt propterea ſolùm dicatur communicaſſe Eccleſiæ ſupremam authoritatem, quia illam communicauit Eccleſiæ capiti, ſeu Romano Pontifici. Vnde lib. 2. probabimus, Generalis Concilij & Papæ non eſſe diuerſas & diſtinctas poteſtates, ſed

vnam

vnam, & eandem. Vnam dico non vnitate ſuppoſiti, ſed vnitate ordinis & dependentiæ; ſicut omnium ſtellarum & ſolis non eſt diuerſum lùmen, nec vnum & aliud ſimpliciter, nec vna & alia virtus actiua ſimpliciter, ſed tantum ſecundum quid; quia videlicet lumen planetarum originem trahit à ſole. Et ſicut omnium fontium vna eſt aqua ſecundum eſſentiam, quia omnes fontes originem habent ab eodem principio, nimirum à mari. Videnda ſunt quæ ſupra diſput. 9. ſect. 3. adduximus ex S. Thoma, ex Bonauentura, Durando, & alijs.

5. Modo hic addo inſignem Angelici Doctoris locum in opuſculo contra errores Græcorum, vbi oſtendit, *quòd prædictus Chriſti Vicarius in totam Eccleſiam Chriſti plenitudinem poteſtatis, & vniuerſalem prælationem obtineat. Legitur enim in Chalcedonenſi Concilio, quod tota Synodus clamauit Leoni Papæ: Leo Sanctiſſimus Apoſtolicus, & Oecumenicus, id eſt, vniuerſalis Patriarcha, per multos annos viuat. Et Chryſoſtomus ſuper Matth. Filius, quæ Patris eſt, & ipſius filij poteſtatem Petro vbique terrarum conceſſit, & homini mortali omnium, quæ in cælo ſunt, dedit authoritatem, dando eidem claues ad hoc, vt Eccleſiam vbique terrarum amplificet. Et ſuper Ioann. in homil. 85. Iacobum localiter in loco terminat: Petrum autem totius Orbis ordinat Magiſtrum & Doctorem, Item ſuper Actus Apoſtolorum: Petrus à Filio, ſuper omnes, qui filij ſunt, poteſtatem accepit, non vt Moyſes in gente vna, ſed in vniuerſo orbe. Hoc etiam trahitur ex authoritate Sacræ Scripturæ. Nam Petro indiſtinctè oues ſuas Chriſtus commiſit dicens Ioann. vltimo. Paſce oues meas. Et Ioann. 10. vt ſit vnum ouile & vnus Paſtor.* Ita D. Thomas.

SECTIO VLTIMA.

Infertur ex dictis, falſam & ſine fundamento eſſe ſecundam propoſitionem Cleri Gallicani.

1. IN ea propoſitione Illuſtriſſimus cœtus Pariſijs congregatus anno 1682. declarauit, *Sic ineſſe Apoſtolicæ Sedi, ac Petri Succeſſoribus Chriſti Vicarijs rerum ſpiritualium plenam poteſtatem, vt ſimul valeant, atque immota conſiſtant Sanctæ Oecumenicæ Synodi Conſtantienſis à Sede Apoſtolica comprobata, ipſoque Romanorum Pontificum, ac totius Eccleſiæ vſu confirmata, atque ab Eccleſia Gallicana perpetuâ Religione cuſtodita Decreta de authoritate Conciliorum generalium, quæ ſeſs. 4. & 5. continentur; nec probari à Gallicana Eccleſia, qui eorum Decretorum, quaſi dubiæ ſint authoritatis, ac minùs approbata, robur infringant; aut ad ſolum ſchiſmatis tempus Concilij dicta detorqueant.*

2. Concilia generalia approbata à Romano Pontifice errare in fidei defini-

definitionibus non poſſe, conſtans eſt omnium Catholicorum contra hæreticos ſententia; illiſque magnam ineſſe authoritatem, magnamque venerationem deberi, Eccleſia ipſa ſuo exemplo ſemper profeſſa eſt, & omnes Catholici confitentur. At quod Concilia generalia ſint ſupra Papam certum, & indubitatum, nullum in Euangelio, nec in Scripturâ reliquâ,& Patribus ſolidum fundamentum habet; ſed potius ex Euangelio, ex veteri Teſtamento, ex Concilijs, ex perpetua praxi Eccleſiæ, & ex reliquis locis Theologicis apertè concluditur, Romanum Pontificem eſſe ſupra omnia Concilia; illi enim, & non Concilio dictum eſt: *Super te ædificabo, Eccleſiam meam*. illi, *Tibi dabo claues Regni cælorum*. Illi ſoli: *Paſce oues meas*, non has aut illas, ſed *meas*, id eſt, *omnes*; *Quanta ſit poteſtas Petri* (inquit Chryſoſt. hom.55. in Matth.) *intellige, Ego dico tibi*, inquit, *Tu es Petrus, & ſuper te ædificabo Eccleſiam meam, Ego tibi dabo claues regni cælorum*. Solique Pontifici conuenit eſſe Summum Paſtorem totius ouilis Chriſti, Concilio autem etiam legitimo, & vniuerſali non conuenit eſſe Summum Paſtorem, ſed eſſe *ouile* Chriſti repræſentatiuè, quatenus repræſentat Eccleſiam, quæ eſt ouile Chriſti, quod paſcendum Chriſtus tradidit Petro, & Succeſſoribus eius, tanquam Vicarijs ſuis. Quæ omnia in hoc libro latè demonſtrata ſunt.

3. Quare propoſitio illa ſecunda, & contradictoria ſibique pugnantia virtualiter continet, & multa falſa aſsumit. Continet contradictoria; quia ex vna parte, veriſſimè ſupponit, ineſse Romano Pontifici *rerum ſpiritualium plenam poteſtatem*, & ex alia vult immota manere Decreta Concilij Conſtantienſis ſeſs.4. & 5. in quibus declaratur Concilium eſse ſupra Papam, & Papam, habere obligationem obediendi *mandatis, ſtatutis, ſeu ordinationibus, aut præceptis cuiuſcumque Concilij generalis legitimè congregati*; ſi autē non obedire *contumaciter præſumpſerit, niſi reſipuerit, condignæ pœnitentiæ ſubijciendum, & debitè puniendum*. Hæc autem ſunt incompoſſibilia. Quomodo enim habere poteſt plenam poteſtatem ſpiritualem in Eccleſia Dei, qui aliorum poteſtati ſubiectus eſt: ergo ſi Papa ſubijcitur poteſtati Concilij, & dum hoc eſt legitimè congregatum, in illo non exiſtit Papa tanquam Superior, ſed tanquam ſubditus, & ſubiectus Concilio, cui obedire teneatur; non habet rerum ſpiritualium plenam poteſtatem: ſicut enim in rebus politicis, & temporalibus plenam poteſtatem non habet, qui ab alterius arbitrio, & iudicio pendet; ita nec in rebus ſpiritualibus.

4. Deinde cum fide certum ſit, Romanum Pontificem eſse Vicarium Chriſti, & quidem immediatum, vt definitum eſt in ipſo Concilio Conſtantienſi, quatenus inconcuſsè fuit generale, & approbatum à Martino V. nimirum ſeſs.43.aduerſus articulum 37. Ioannis Wicleffi; & cum Papa non deſinat eſse Vicarius Chriſti ex eo, quod ſit congregatum Concilium, ſequitur, neceſsariò habere ſuperioritatem in Concilio, cui tanquam Vicarius Chriſti præſidet: vnde illa duo aſserta contenta in

ſecun-

ſecunda propoſitione Cleri Gallicani ſunt inter ſe inuicem repugnantia.

4. Falſiſſimumque eſt, Concilium Conſtantienſe, quantum ad doctrinam illius ſeſſionis quartæ, & quintæ fuiſse à Sede Apoſtolica, nimirum per Martinum V. approbatum, ac totius Eccleſiæ vſu confirmatum, cum oppoſitum à nobis apertè probatum ſit, conſtetque doctrinam illarum ſeſſionum, quatenus Papam certum, & indubitatum Concilio ſubijciunt, fuiſse reprobatam ab Eugenio IV. in litteris, quas ſacro approbante Concilio Florentino ſcripſit aduerſus Baſileenſes, quæ incipiunt, *Expoſcit debitum*. Et in Conſtitutione ſua, *quæ* incipit, *Moyſes vir Dei*, §. *poſtremo memorati*, apud Labbè tom. 13. col. 1188. Et à Leone X. in Concilio Lateranenſi *vltimo* ſeſs. 11. in Conſtitutione: quæ incipit, *Paſtor æternus*, cuius verba aliqua deſcripſimus diſp. 3. ſect. 14. pag. 327. omninoque ignoramus, quomodo verum eſſe poſſit id, quod Illuſtriſſimus Clerus in illa 2. propoſitione dicit, nimirum decreta illa ſeſs. 4. & 5. Concilij Conſtantienſis, *ipſo Romanorum Pontificum, ac totius Eccleſiæ vſu confirmata*; cum nullus inueniatur Pontifex, qui verbo aut facto ſignificauerit, ſe Concilio generali ſubeſſe.

„ 5. Falſum quoque eſt, ab Eccleſia Gallicana perpetua Religione „ cuſtodita fuiſſe decreta de authoritate Conciliorum generalium, quæ „ ſeſs. 4. & 5. continentur. Abunde enim à nobis demonſtratum eſt diſp. 4. ſect. 2. & diſp. 9. ſect. 3. 4. 5. & 6. hanc doctrinam de ſuperioritate Concilij generalis in Papam certum & indubitatum non eſſe ſententiam Illuſtriſſimæ Eccleſiæ Gallicanæ, ſed aliquorum ex illa; & quidem paucorum, multoque plures eſſe Doctores Galliæ, qui poſt Concilium Conſtantienſe retinent ſententiam antiquam, quæ ante Concilium illud erat apud Doctores omnes Pariſiéſes inconcuſſa & indubitata; quam qui ſectantur doctrinam nouiter introductam poſt Concilium Conſtantienſe à Ioanne Gerſon, quem ſecuti ſunt Iacobus Almaynus, Ioannes Maior, Edmundus Richerius, Ioannes Launoius, Simon Vigorius, & pauculi alij; quouſque anno 1682. Illuſtriſſimi Prælati Pariſijs congregati declarationem illam fecerunt, eam publicantes ſub ſpecioſo titulo Cleri Gallicani: cum tamen à generali Conuentu Cleri edita non ſit, vt ſatis probant Eugenius Lombardus, & author Galliç vindicatæ; item author libri de libertatibus Eccleſiæ Gallicanæ.

6. In vltima parte illius ſecundæ propoſitionis dicunt Illuſtriſſimi „ Præſules, qui comitia illa Pariſienſia conſtituerunt, Non probari à „ Gallicana Eccleſia, qui eorum decretorum, quaſi dubiæ ſint autho- „ ritatis, aut minus approbata, robur infringant, aut ad ſolum ſchiſma- „ tis tempus Concilij dicta detorqueant. Verius dixiſſent, non pro- „ bari ab illo cœtu: ſiquidem cœtus ille Eccleſiam Gallicanam vniuerſam non repræſentabat; Præterea cum Eugenius IV. Pontifex maximus declarauerit illa decreta ſeſs. 4. & 5. Concilij Conſtantienſis robur non habere; tum quia facta à ſola obedientia Ioannis, quæ Concilium

gene-

generale non conſtituebat; tum quia, licèt fuiſſent facta à Concilio generali, limitari debebant ad tempus ſchiſmatis, in quo non eſt Papa certus & indubitatus (nam ſolùm eſt verum, Concilium eſſe ſupra Papam dubium, non autem ſupra certum & indubitatum) viderint alumni Eccleſiæ Gallicanæ, cui potius ſibi ſtandum ſit, an declarationi Eugenij IV. quem tanquam Summum Eccleſiæ Paſtorem venerantur, cui omnes fideles obedire tenentur; an declarationi Cleri Gallicani factæ contra mentem Pontificis, & ab eodem reprobatæ. Quamuis enim illa declaratio facta fuiſſet ab vniuerſa Eccleſia Gallicana in Concilio Nationali pleno; certiſſimum eſt, non illi, ſed declarationi Summi Pontificis ſtandum eſſe; quia certiſſimum eſt Papam eſſe ſupra omnia Concilia Prouincialia & nationalia.

7. Imo vt Nicolaus I. Papa doctiſſimus epiſt. 7. ad Orientales ſcripſit circa medium ſeculi noni, etiam *in vniuerſalibus Synodis, quid ratum, quid prorſus acceptum, niſi quod Sedes Beati Petri probauit, vt ipſi ſcitis, habetur? ſicut è contrario, quod ipſa ſola reprobauit, hoc ſolummodo conſiſtit hactenus reprobatum*. Et ex ipſis Doctoribus Gallis Petrus de Marca in opere concordiæ ſacerdotij & Imperij agnoſcit, ſine aſſenſu Romani Pontificis Concilia generalia celebrari non poſſe & ideo lib. 5. cap. 5. num. 4. inquit: *Hoc flagitium admiſerat Dioſcorus, quod ſine Sedis Apoſtolicæ authoritate Synodum Epheſinam peregit*. Et cap. 14. num. 1. *in ſeptima* (inquit) *quoque Synodo Primatus Romani Pontificis emicuit. Etenim non ſolius conſenſus prærogatiua, dignitasqae Sedis Apoſtolicæ, ſed etiam ſumma illa authoritas admiſſa eſt, quæ conuentibus Eccleſiaſticis Concilij Oecumenici robur conferre debet*. Ipſeque Edmundus Richerius, quamuis authoritatis Pontificiæ deprimendæ, & Principum ſecularium extendendæ ſtudio famoſus ſit; tamen lib. 1. hiſtoriæ Concilior. cap. 1. num. 7. ſic ſcribit: *Cum Primatus Petri ſit iuris diuini quoad inſtitutionem, certè regulariter & ordinariè Synodi generales abſq; conſenſu Papæ legitimè petito celebrari non debent. Idque praxis Eccleſiæ primitiuæ demonſtrat, & Canon Eccleſiaſticus, quem Iulius Papa commendat.*

DI-

DISPVTATIO XIV.

In qua oſtenditur, non poſſe ex Concilio Baſileenſi impugnari infallibilitatem Romani Pontificis.

SECTIO I.

Proponitur argumentum ab authoritate huius Concilij.

IOANNES Launoius Conſtantienſem ac Baſileenſem Synodum extollit, Florentinam autem indignè deprimit: & communiter aſſertores ſuperioritatis Concilij in Papam nituntur authoritate Baſileenſis, quod legitimè cæpiſſe nemo negauerit, indictum ſiquidem fuit à Martino V. & auxilio Sigiſmundi aduc Romanorũ Regis ex prę̨ſcripto Synodi Conſtantienſis congregatum eſt eo fine, vt in eo de moribus fidelium reformandis, & Curia Romanorum in melius mutanda ageretur, & Boemorum motus, turbæ, ſeditiones & hæreſes ponerentur. Præſidem Concilij conſtituerat Martinus Iulianum Cæſarinum Romanæ Eccleſiæ Cardinalem, Sediſque Apoſtolicæ Legatum. Poſt obitum Martini Eugenius IV. Prædeceſſoris ſui inſtitutum ſecutus, indictionem Conciiij renouauit, & vt inchoaretur Præſide Iuliano, ſerio demandauit. Inchoatum eſt autem anno 1431. initio Pontificatus Eugenij; multaque de reformatione Romanæ Eccleſiæ in eo tractari cæpta fuere: & ante omnia initio ſeſſionis 2. declaratum eſt, Synodum illam legitimè congregatam eſſe, atque Concilium Oecumenicum facere: & confirmatum eſt, vel potius eiſdem verbis denuò repetitum decretum Synodi Conſtantienſis de ſuperioritate Concilij in Pontificem. Poſtea autem anno 1439. ſeſs. 23. tria decreta ediderunt Baſileenſes contra authoritatem Romani Pontificis. Primum: *Veritas de poteſtate Concilij generalis vniuerſalem Eccleſiam repræſentantis ſupra Papam, declarata per Conſtantienſe, & hoc Baſileenſe generalia Concilia, eſt veritas fidei Catholicæ*. Secundum: *Veritas hæc, quod Papa Concilium generale ſine eius conſenſu nullatenus authoritatiuè poteſt diſſoluere, aut ad aliud tempus prorogare,*

  rogare,

rogare, aut è loco in locum transferre, eſt veritas fidei Catholicæ. Tertium: *Veritatibus duabus prædictis pertinaciter repugnans eſt cenſendus hæreticus*.

SECTIO II.

Oſtenditur hoc argumentum nullius eſſe ponderis.

1. VErùm argumentum petitum ab authoritate huius Concilij nullius eſt ponderis: quia vt inquit Cabaſutius in Notitia Eccleſiaſtica pag. 531. ex quo ſibi ſupra Pontificem Romanum authoritatem indebitam arrogauit, plenamque iuriſdictionem iubendi, compellendique ipſum ſuis iuſſionibus, non obedientem deponendi, aliumque eius viuentis loco Pontificem obtrudendi, quod demum ab ipſo peractum eſt, deſijt eſſe legitima Synodus, ſibique grande vituperium, fædamque maculam accerſiuit, turbas in omnem Eccleſiam concitando, nouumque ſchiſma obtrudendo, quo tempore reſpirare incipiebat à teterrimo annorum 50. ſchiſmate, quo Reſpublica conflictata fuerat. Priores Concilij ſeſſiones circa conſueta præliminaria & præparatoria tranſactæ ſunt. Cumque pauciſſimi præſules qui Baſileam conceſſerant, iam olim canonicè inſtituto indubitato, & vnico Pontifice Eugenio, eius in priuatum ordinem reductionem comminarentur, debitamque hæreticis pœnam, niſi ſe inferiorem, & ſubditum iuriſdictionis Synodi profiteretur, eiuſque mandatis obtemperaret, tunc cœpit Concilium pernicioſi ſchiſmatis iactare ſemina, quamuis Conſtantienſis Synodi decretum prætexeret, ſed in diuerſa longè diſparique cauſa. Illud enim iuſtam ſibi attribuebat poteſtatem in plures Pontifices contendentes, & vniuerſam iam pridem Eccleſiam lacerantes, quorum ius obſcurum admodùm, & ambiguum erat, nec aliud ſupererat remedium extinguendi incendium, quo Eccleſia conflagrabat, etiam poſtquam ſinguli contendentium Pontificum fidem iureiurando obſtrinxerant deponendæ ſuæ dignitatis propter Eccleſiaſticam vnionem, & pacem. Itaque Conſtantienſe decretum felici exitu terminatum eſt, remoto ſchiſmate; at ex aduerſo cùm nulla eſſet in Eccleſia conciſio, ſoluſque Eccleſiæ præeſſet Eugenius, quem fideles omnes legitimum agnoſcebant, & colebant Pontificem, eo viuente nouum Baſilienſes Pſeudo-Pontificem Felicem V. intruſere.

2. Iuſtam habuit Pontifex Eugenius cauſam Concilij Baſileenſis alio transferendi, feruente tunc in omni vicinia Burgundium inter, & Auſtriacum Duces graui bello, ſtantibuſque tunc in armis Boemiæ, Morauiæque populis, quorum iniuſtis poſtulatis Concilium non poterat aſſentiri. Iamque etiam tranſactis octo menſibus poſtquam Synodus

Digitized by Google

dus debuit exordium ſumere, Epiſcopi apud Baſileam non plures tribus, alijque Prælati non plures quàm decem conuenerant, atque ita immeritò cœtus ille Sacroſancti Generalis Concilij nuncupationem iactabat, & quod longè deterius eſt, de extrudendo Summo, legitimoq; electo Pontifice nefaria conſilia capeſſebat. Hanc vt amoliretur perniciem Eugenius, prudenti conſilio Synodum non quidem dirimere, ſed commodiorem in ciuitatem, ſcilicet Bononiam transferre ſategit, eoque Baſileenſes acciuit, qui hac occaſione Ponticem, vt criminis reum,miſſis apparitoribus ad ſe citari fecerunt, neque iniuſto huic vadimonio obtemperantem contumaciæ damnare auſi,ſe nefando depoſitionis eius iudicio accinxere.

3. Quamuis autem Eugenius primò cogitauerit Concilium Bononiam transferre, poſtea tranſtulit Ferrariam, atque Florentiam, ea præcipuè de cauſa (ait Binius in notis ad Baſileenſe Concilium) quod Græci de vnione cum Romanis ineunda acturi, eum locum delegiſſent. Hinc Baſileenſis Synodus (ait Duualius in Antiloquio tractatus de ſuprema Summi Pontificis authoritate pag. 700.) authoritate legitima fuit reprobata, vt conſtat ex ſeſſione ſecunda (vndecima vt alij dicunt) Concilij Lateranenſis ſub Leone X. vbi *Conciliabulum Schiſmaticum, ſeditioſum, & nullius prorſus authoritatis appellatur*. Et ideo Pius II. in Bulla, quæ incipit *Primitiua*, & habetur ſeſſione vndecima Concilij Lateranenſis, obtinuit à Ludouico XI. Rege Galliæ, vt patentibus litteris abrogaret pragmaticam ſanctionem in Concilio Baſileenſi fabricatam, tanquam in ſeditione, & ſchiſmatis tempore natam. Quam ſanctionem approbauit Conciliabulum Bituricenſe in Gallia celebratum anno 1438. vt habetur apud Binium ad finem Concilij Baſileenſis.

4. Vt autem conſtet, quàm ſint deſpicienda decreta illa tria, in quibus pro veritatibus fidei declararunt ſua falſa opinamenta Baſileenſes; audiamus ipſum Eugenium IV. qui in Conſtitutione, quæ incipit *Moyſes vir Dei*, & promulgata eſt in Concilio Florentino, deſcribit quale fuerit Concilium Baſileenſe, quando illa edidit decreta. Cuius Conſtitutionis ſub nomine libelli publicati ab Eugenio Florentiæ contra Baſileenſes, mentionem facit ipſum Concilium Baſileenſe ſeſſ. 28. Sic autem ait Eugenius. *Ad illud etiam Laici, & Clerici infra Sacros Ordines conſtituti ignorantes, inexperti, vagi, apoſtatæ, de criminibus condemnati, Nobis, & ſuis Superioribus rebelles, & reliqua huiuſmodi concurrebant*. Vnde conſtat Baſileenſem cætum non Concilium legitimum, ſed Conciliabulum ſeditioſum fuiſſe, quando ſeſſione 33. tres illas concluſiones pro veritatibus fidei poſuit. Vt enim notat Spondanus ad
„ annum 1431. num. 10. fuit contra omnem formam Conciliorum ad-
„ mittere ad fidei definitiones non ſolùm Epiſcopos & Abbates, ſed
„ etiam Eccleſiarum Canonicos, & Parochiarum Rectores, ita vt non
„ minoris eſſet authoritatis ſimplicis Canonici, quam Epiſcopi ſuf-

„ fragium, & non tam Epiſcoporum, quam Presbyterorum Synodus
„ eſſet.

5. Et quidem hoc fuiſſe contra omnem formam Conciliorum, conſtat ex Bellarm. lib.1. de Concilijs cap. 15. vbi ait: Catholicorum
„ ſententia eſt, ſolos Prælatos maiores, id eſt Epiſcopos in Concilijs
„ generalibus & Prouincialibus habere ius ſuffragij deciſiui ordina-
„ riè; ex priuilegio autem & conſuetudine etiam Cardinales, Abates,
„ & Generales Ordinum, licet Epiſcopi non ſint. Vnde Baſileenſes tunc præluſerunt errori Hæreticorum proteſtantium, qui Tridentinum reijciebant, ad illudque venire noluerunt, quia in illo non habebant ſuffragium, niſi Cardinales, Epiſcopi & Abbates, & generales ordinum, cùm debuiſſent omnes Viri docti, etiam Laici ſuffragium habere deciſiuum, vt refert ibi Bellarminus.

6. Quare Synodus Baſileenſis, quando vt ſe accingeret ad ſacrilegam depoſitionem Eugenij, tres illas concluſiones pro veritatibus fidei declarauit, redacta eſt ad factionem ex vili plebe conſtantem, vt narrat Spondanus ad annum 1437. nam Legati, Cardinaleſque omnes, vno excepto Arelatenſi, diſceſſerant, & Epiſcopi qui remanſerant, in partes diſtracti erant, ſiquidem Panormitanus (qui, vt narrat Pius II. in ſua Bulla retractatoria, initio dictis, ſcriptiſque Concilij geſta probabat, & Eugenij facta damnabat) cum Collegis & alijs Aragonenſibus, qui præſulum numero præualebant, pro Summi Pontificis authoritate ſtabant; pars alia quorundam Theologorum, Iuriſtarum, accitorumque ex vicinis oppidis ac vrbibus Sacerdotum incondita multitudine conſtabat, inter cuius clamores, ſtrepitus, & tumultus, quales ſolent in prælijs tubarum clamores, fremitus æquorum audiri, cùm ſignis collatis duo inuicem concurrunt exercitus, intentatis inſuper atrocibus minis per vim, & fraudem extorta eſt Concluſio illarum trium propoſitionum de authoritate Concilij ſupra Papam, renitentibus, ac reclamantibus Panormitano, Aragonenſibus, ac Collegis Epiſcopis. Earum promulgationi nullus Aragonenſium Epiſcoporum interfuit, nullus omnino ex tota Hiſpania, ex Italia ſoli Groſſetanus Epiſcopus & Abbas de Dona: ex duabus alijs Nationibus, nimirum Gallia, & Germania mitrati fuerunt ſolùm viginti, plerique Abbates. Quæ omnia latè referunt Spondanus ad annum 1439. & Æneas Siluius lib. 1. de geſtis Baſileenſis Concilij, qui coram adfuit, & Baſileenſibus fauebat, & atteſtatur rem inauditam factam fuiſſe ab Arelatenſi: nam vt ſeſſioni illi authoritatem conciliaret aliquam, futuram cogitans Epiſcoporum paucitatem, plurimas Sanctorum reliquias illa vrbe perquiri iuſſit, ac per Sacerdotum manus in ſeſſione portatas abſentium Epiſcoporum locum tenere.

7. Vnde conſtat, nec vmbram quidem Oecumenici Concilij habuiſſe cætum Baſileenſem in illa ſeſſione, in qua (ſubdit Pontifex) quibuſdam

Digitized by Google

buſdam decretis, licèt per vnam tantum ex tribus obedientijs poſt receſſum Ioannis XXIII. Conſtantiæ, ſchiſmate tunc vrgente, editis inhęrere ſe decentis memorati ſcandalorum Duces numero pauciſſimi, quorum plerique conditionis infimæ, & nominis, tres propoſitiones, quas fidei veritates vocant, protulerunt; *in hoc pernicioſiſſimi, dum ſuam malignitatem ſub veritatis fidei fuco colorant, Conſtantienſe Concilium in malum, ac reprobum ſenſum, & à ſana doctrina penitus alienum pertrahunt*. Hucuſque Eugenius, qui hæc poſtrema verba propterea adiecit, quia Baſileenſes Decretum Concilij Conſtantienſis, quod limitatiuè, & reſtrictiuè acceptum pro tempore ſchiſmatis, & circa Papas dubios legitimum ſenſum habere poterat, impiè extenderunt, volentes Concilium generaliter eſſe ſupra Papam etiam certum, & indubitatum, qui eſt ſenſus reprobus ex mente Eugenij.

8. Conſtat ergo nullius eſſe momenti authoritatem Baſileenſis Concilij, qua fidenter vtuntur illi quos impugnamus præſertim Simon Vigorius Iuriſperitus ad ſuadendum Concilium eſſe ſupra Papam. Primò, quia quando ſeſſione 2. editum eſt decretum illud Baſileenſis Concilij iſtud nullam reipſa habebat authoritatem; nam tunc iam Eugenius certus & indubitatus Pontifex publico, & ſolemni edicto Concilium illud diſſoluerat, aliudque poſt annum cum dimidio Bononiæ celebrandum indixerat: nam ſeſſio illa ſecunda habita eſt die 15. Kalendas Martij anni 1432. at Pontifex Concilium diſſoluerat 15. Kalendas Ianuarij, id eſt die 18. Decembris anno 1431. quatriduo poſt celebratam primam ſeſſionem, vt inquit Spondanus ad illum annum num. 20. Nam prima Congregatio, in qua ceptum eſt Concilium Baſileenſe, habita eſt 7. Decembris; in ea autem Iulianus Legatus indixit primam ſeſſionem in diem 14. eiuſdem menſis, ac proinde adueniente illa die habita eſt prima ſeſſio, vt teſtatur ibi Spondanus num. 19. & quatriduo poſt, id eſt die 18. Eugenius diſſoluit Concilium, nimirum duobus ferè menſibus antequam celebraretur ſecunda ſeſſio.

9. Hinc Eugenius in ſua Conſtitutione, quæ incipit *Deus nouit*, & habetur ſeſſione 16. illius Concilij ſic intulit: *Concilio ergo ad ipſam Bononienſem ciuitatem tranſlato; ibidem poſtmodum Baſileæ conuenientes velut locuſtæ acephali Canonicum ſine noſtris Præſidentibus non fecerunt Concilium, cum authoritate carerent Apoſtolicæ Sedis*. Et paulò poſt: *Vnde verum non eſt dicere, eorum Canonicum poſt noſtram diſſolutionem fuiſſe vel eſſe Concilium, quoniam nulla rata eſt, vel vnquam erit Synodus, quæ Summi Pontificis non fuerit authoritate ſub fulta*.

10. Præterea conſtat, nullum Baſileæ ſtetiſſe Legatum Apoſtolicæ Sedis, qnando anno 1439. celebrata eſt ſeſſio 33. in qua Baſileenſes tres propoſitiones illas pro veritatibus fidei declararunt, vt hanc vltimam diſpoſitionem adhiberent monſtruoſo illi partui depoſitionis Eugenij in lucem edito ſeſſione 34. propter quem meruerunt hoc ſcommate

mate

Digitized by Google

mate perſtringi: *Baſilea peperit Baſiliſcum*, Depoſitionem ſcilicet iniquiſſimam certi, & indubitati Pontificis.

11. Conſtat tertiò; quia quamuis daremus Concilium non fuiſſe diſſolutum quando celebrata eſt ſeſſio ſecunda, exploratum tamen eſt, dogma ibi declaratum eſſe falſum, & meritò poſtea reprobatum ab Eugenio in Conſtitutione nuper citata, vbi rem totam his grauiſſimis verbis declarat: *Nam & ſi Canon Conſtantienſis, qui incipit* Frequens (habetur ſeſſione 39.) *ab ipſo Concilio editus, & à felicis recordationis Martino Prædeceſſore noſtro non improbatus locum mutare, vel tempus inceptionis Concilij prorogare nobis ſine Concilij conſenſu prohibere videatur, non tamen debet ſic abuſiuè interpretari, vt cauſa imminente nobis etiam ſolis adempta fuerit circa loci mutationem, temporis prorogationem diſpenſandi facultas; cùm etiamſi à Martino editus fuiſſet, illa non fuiſſet, ſiue eſſe debuiſſet prohibentis intentio, qua ſucceſſoribus ſuis nullum potuit in hac parte præiudicium generari, pari poſt ipſum, quinimò eadem poteſtate functuris; & infertur* (prout eſt ſecundum omnia iura) *in hac parte Concilium inferius Summo Pontifice, Papamque ipſis priorem nequeunt ſoluere vel ligare, ſed nos in his Concilio ſuperiores ipſum poſſemus pro libitu regulare. Nam hoc de iure notiſſimum quod, poſſumus quæcunque ſtatuta, decreta ſiue ſancita, per quoſcumque prædeceſſores noſtros, vel per quæcumque Concilia, dummodo in ipſis fidei fundamenta non exiſtant, ſiue ex hoc vniuerſalis Eccleſiæ bonum principaliter non turbetur, vt Vicarius Chriſti irreprehenſibiliter pro noſtro amouere, & corrigere libito voluntatis, & contra ſentire non eſſet longæuum ab hæreſi, velle ligare manus Vicarij Ieſu Chriſti, & in terris Dei Legati, ſiue ipſius geſta iudicare, vel improbare, quod Sacrilegij crimen habet.*

SECTIO III.

Soluitur ratio, qui videtur Concilio Baſileenſe authoritatem conciliari.

1. AT opponet aliquis, Eugenium ipſum litteris ſuis Apoſtolicis, quæ inſeruntur ſeſſioni 16. reuocaſſe diſſolutionem Concilij priùs à ſe factam, & declaraſſe Concilium Baſileenſe à tempore inchoationis legitimè continuatum fuiſſe, & eſſe, proſecutionemque ſemper habuiſſe, continuari, ac proſecutionem habere debere ad prædicta, perinde ac ſi nulla diſſolutio facta fuiſſet, nimirum ad reformationem Eccleſiæ in capite, & in membris. Ergo videtur Eugenius rata habuiſſe ea, quæ Concilium ad illud vſque tempus decreuerat, ac proinde confirmaſſe decretum ſeſſionis ſecundæ de ſuperioritate Concilij in Papam.

2. Re-

2. Reſpondeo ex Spondano ad annum 1438. putatam illam approbationem priorum Concilij geſtorum apertè violentam fuiſſe, Idque conſtabit legenti ea, quæ idem Author ſcribit ad annum 1432. num. 2. & 5. & ad annum 1433. num. 27. vbi ait ad hoc conſilium capiendum compulſum fuiſſe Pontificem, tum metu ſchiſmatis, tum Imperatoris, cæterorumque Principum violentis perſuaſionibus, tum conſpirationibus in eum vndique factis inſtigatione Philippi Ducis Mediolanenſis; quod etiam teſtatur Turrecremata lib. 2. cap. 100. Conſtabit denique legenti Bullam retractationum Pij II. quæ ſtat ad finem Concilij Florentini, in qua hic Pontifex retractauit ea, quæ dum eſſet in minoribus, ſub nomine proprio Æneæ Siluij contra Eugenium IV. pro Concilio Baſileenſi ſcripſerat.

3. Nec ex eo quod Pontifex reuocauerit diſſolutionem Concilij prius à ſe decretam, ſequitur, ipſum approbaſſe omnia, quæ à Concilio fuerant ſtabilita, aut ſe obligaſſe ad approbandum omnia, quæ in poſterum ſtabilirentur; & multò minus ſequitur Eugenium hoc facto declaraſſe, ſe non habuiſſe poteſtatem ad diſſoluendum Concilium, ſine eius conſenſu; ſed ſolùm ſequitur, vel ipſum non fuiſſe conſtantem in manutenenda diſſolutione Concilij, vel agnouiſſe, quod prius non agnouerat, nimirum ex diſſolutione Concilij ſequi ſcandala. Vnde Pontifex in ea Bulla rata non habuit ea, quæ contra ipſius authoritatem à Baſileenſibus fuerant declarata ſeſſione ſecunda.

4. Idque confirmatur ex alia Bulla, qua ad inſtantiam Sigiſmundi Imperatoris anno 1433. confirmauit continuationem illius Concilij, in qua inquit: *Illud promouere, ac omni fauore proſequi intendimus, ita tamen, quod Præſidentes noſtri ad præfati Concilij præſidentiam admittantur cum effectu; ac omnia & ſingula contra perſonam, ac authoritatem noſtram, & Sedis Apoſtolicæ . . . . per dictum Concilium prius omninò tollantur, & in priſtinum ſtatum reducantur*. Extat hæc Bulla in Apendice Concilij apud Binium pag. 212.

5. Nec ex priori Bulla aliud habetur, quam Pontificem voluiſſe, vt geſta Concilij in eodem ſtatu manerent, ac ſi illud diſſolutum non fuiſſet. At quamuis Concilium non fuiset diſsolutum, quando celebrata eſt ſeſſio ſecunda, non propterea robur habere poterat decretum in ea editum contra authoritatem Pontificis: quia decreta Concilij generalis, niſi confirmentur à Romano Pontifice, habere nequeunt authoritatem infallibilem, præſertim quando non ſunt edita à toto Concilio nemine diſcrepante, & conſentientibus Papæ legatis, ſiquidem actione ſexta Concilij Chalcedonenſis ita ſcribitur, vt refert Iſidorus in libro Conciliorum: *In omnibus Synodis Apocriſarij Apoſtolici* (id eſt Legati) *decreta ſua primò propter ſummam authoritatem ſanctæ eius ſedis confirmabant, quia aliter robur non habebant*. Certum eſt autem, non conueniſse omnes Patres in illud decretum, nec conſenſiſse Legatum Pontificis, quia nullus tunc dabatur.

6. Nec

6. Nec obſtat, quod Eugenius ad Concilium pertinere iuſserit reformationem Eccleſiæ in capite & in membris: quandoquidem non iuſſit pertinere ad Concilium capiti ſuo repugnans, ſed conſentiens, id eſt Romano Pontifici obtemperans: nullum enim Concilium poteſt definitionem fidei edere, dum non eſt vnitum capiti, ſed potius ab eo ſeparatum, ſicut tunc ſe habebat Baſileenſe, quia in eo ſtatu vniuerſalem Eccleſiam non repræſentabat.

7. Idque confirmatur; quia cum in Concilio Florentino multi ab Eugenio quærerent, an Baſileenſia decreta ſuo calculo confirmaſset, reſpondit: *Nos quidem bene Concilij progreſſum approbauimus, vt nempe eo quo cæperat pede progrederetur; non tamen eius decreta approbauimus, aut approbamus*. Ita refert Turrecremata lib. 2. cap. 100. qui Florentiæ ex ore Eugenij verba hæc accepit.

8. Quare licèt ille Concilium Baſileenſe per Bullam inſertam ſeſſione 16. vtcumque probauerit, tamen vt obſeruat Spondanus ad annum 1438. num. 23. approbatio illa generalibus verbis concepta ambiguum ſenſum reddere reperta fuit, nec ex illa probari poteſt, Eugenium approbaſse, & confirmaſse definitiones illius Concilij. Quod inde apertiſſimè conſtat, quod cùm à Legatis Baſileenſibus importuna prece fuiſset rogatus, vt Concilio ſubſcriberet, eiuſque decreta ſua ſyngrapha communiret, ſemper tamen abnuit, ſolùmque dixit, ſe prorogationem, & continuationem Concilij adiuturum.

§. I.

Quid ſenſerit Cardinalis Turrecremata de facto Eugenij, dum Concilium Baſileenſe ſe proſequi velle, & charitate amplecti profeſſus eſt.

HOc factum modeſtè reprobat grauiſſimus hic Author in tractatu ſpeciali, de poteſtate Papæ, & Concilij Generalis par. 2. §. *Tertium fundamentum*, vbi ita ſcribit. Non abſque admiratione vidi „ ſcriptum Domini Eugenij, quo Concilium Baſileenſe ſe proſequi „ velle, & charitate amplecti profitetur, in quo committit ipſi Conci„ lio reformationem Eccleſiæ in capite, & in membris. Quod fortaſse „ prouida quadam ſimulatione actum, vel dictum eſt, ad contentan„ dum animos inſolentium, & ſcandala euitanda. Vtrum autem minus „ malum foret ſecundùm Auguſtinum vt ſcandalum oriatur, quàm vt „ veritas relinquatur, Suæ ſanctitati iudicandum relinquo. Simulatio „ enim Petri Paſtoris Paulo Doctori diſplicuit. Christus etiam Do„ minus Phariſæorum ſcandalum non metuens ait Matth. 15. Sinite

eos,

Digitized by Google

„ eos, cæci ſunt, & duces cæcorum. Timendum eſt enim valde Paſto-
„ ribus, ne dum erga ſubditos nimium ſeruatur humilitas, regendi
„ frangatur authoritas; vt ait Auguſtinus. In ianuis enim periculum
„ mihi videtur, ne aduerſarij, qui Romanæ Sedis culmen pro viribus
„ nituntur deprimere, ex his verbis cornua ſibi ſumant, eaque ſiniſtrè
„ interpretantes dicant, præfatum Dominum Eugenium hoc dixiſse
„ non facti humilitate, ſed iuris neceſſitate; & ex hoc poſtmodum alij
„ in conſequentiam trahant, omnino Papam eſse Concilio ſubditum: &
„ ſic de cetero Papa erit in Concilijs non caput, ſed digitus. Et bre-
„ uiter dico, ſaluo ſemper iudicio melius ſapientis, quod meo iudicio
„ multa in vtriuſque horum Conciliorum decretis ponuntur, quibus
„ ſi non obuietur, poſſint de facili multæ nouitates inſurgere, & plu-
„ rima mala & ſcandala generari, & tandem paulatim Romanæ Sedis
„ authoritas à Domino Ieſu Chriſto collata, ab hominibus euacuari;
„ quia vno inconuenienti dato, multa ſequuntur. Ideo videtur neceſ-
„ ſarium, quod data Dei nutu optata pace Eccleſiæ, Summus Pontifex
„ de conſilio Dominorum Cardinalium, conuocato ad hoc competen-
„ ti numero Doctorum tam ſacræ paginæ quam Decretorum, diligen-
„ ter examinaret vtriuſque Concilij Decreta, & quæ eſſent confirma-
„ tione digna, vtpote Sanctorum, Doctorum Theologorum, Sacrorum
„ Canonum, & veterum Conciliorum dictis & ſententijs conſona con-
„ firmarentur.

SECTIO IV.

Quid ſentiant ipſi Doctores Galli de Concilio Baſileenſi.

§. I.

Quid ſenſerit Ludouicus XI. Galliæ Rex, & Epiſcopus Meldenſis eius Legatus.

1. CONcilium Lateranenſe vltimum, quod Iulius II. inchoarat, ad finem perduxit Leo X. Ei autem tanquam Oecumenico & ſacroſancto LVDOVICVS XI. Galliæ Rex adhæſit, idque publicè per ſuos Legatos proteſtatus eſt, vt habetur ſeſs.8. eiuſdem Concilij; & Baſileenſi ac Piſano Conciliabulis, expreſsis ac conceptis verbis renuntiauit. Vnde Rex ille approbauit cenſuram, qua Concilium Lateranenſe ſeſs. vndecima confixit ac notauit Synodum Baſileenſem, eam

appellans; *Conciliabulum ſchiſmaticum, ſeditioſum, & nullius prorſus authoritatis.*

2. EPISCOPVS MELDENSIS Caroli Septimi ad Eugenium Legatus, Regis ſui Gallorumque nomine, Baſileenſem Synodum *veſanam* appellat oratione in Cardinalium Collegio habita; vt habes apud Odoricum Raynaldum ad ann. 1441. num. 10.

§. II.

Quid Duuallius, & Coffeteau.

1. AVdiamus iudicium ſapientiſſimi huius Doctoris Sorbonici nam in primis in procœmio ſui tractatus de ſuprema Romani Pontificis in Eccleſiam poteſtate pag. mihi 14. loquens de Simone Vigorio, „ qui ſe muniebat authoritate illius Concilij inquit: Sed certè ſacco ſe „ (vt aiunt) madido contra imbrem ingruentem operuit Vigorius; ne„ que enim Concilium Baſileenſe, nec reſponſio ſynodalis alicuius „ ſunt ponderis, vt ſequenti capite pluribus demonſtrabo. Fuit enim „ Concilium Baſileenſe, ſeditioſa contra verum Pontificem Euge„ nium IV. coniuratio, potiuſque latrocinium quam Concilium, eiuſ„ que acta demptis beneficiorum pragmaticis, reciſa damnataque in „ Eccleſia ſemper fuerunt. Poſtea vero in eodem procœmio §. 2. ſub„ iungit: eo tamen tanquam præualido ſcuto omnes aduerſariorum „ machinas retundere ſe putat Vigorius &c. Verùm non verebor aſſe„ rere, Concilium illud Baſileenſe, quouis modo, & tempore ſpecta„ tum, abſolutè Oecumenicum non fuiſſe &c. Liquidò conſtat, non „ Concilium, ſed exercitum; non conſenſionem, ſed contentionem, „ non Eccleſiæ ſubſidium, ſed exitium (niſi Deus ſolita prouidentia „ ſuccurriſſet) extitiſſe. Nemo ergo mentis compos, & iudicij, illud „ verè Oecumenicum putabit, ſed potius tamquam latrocinium Phe„ ſino peius exhorreſcet, & execrabitur &c.

„ Deinde ſic loquitur idem DVVALLIVS. Quæres, quo in honore „ ac pretio Galli Conciliorum Bâſileenſe habuerint? Plerique, in„ ter quos primas tenet Vigorius, Baſileenſe Concilium à Maioribus „ noſtris tanquam Regni Gallici Palladium habitum fuiſſe prædicant, „ eiuſque decreta tanti æſtimata, acſi de cælo ad reformationem inte„ græ Eccleſiæ delapſa eſſent. Verum ex ante dictis manifeſtum eſt, „ quid de Concilio Baſileenſi candidiores, verique Galli ſenſerint. „ Vnde, cum ab vniuerſa Eccleſia exploſum, & reiectum ſemper fue„ rit, exceptis ijs, quæ propter bonum pacis, Nicolaus V. approbanda „ cenſuit: non potuit non eodem filo à Catholicis Gallis repudiari, „ nec enim alia eſt fides Galliæ, & alia vniuerſalis Eccleſiæ, cuius Gal-

„ lia

Digitized by Google

„ lia pars eſt, eaque nobiliſſima. Id quod pluribus ibidem demonſtrat
„ Duuallius. Inter quæ eſt & illud, de quo Behotius conqueritur,
„ ſanctioni Baſileenſi per Concilium Bituricenſe eſſe detractum. Ex
„ quo apparet, hoc Concilium non ita ſacrum, ſanctumque Gallis
„ fuiſſe, quin eius ſanctiones ad Lydium lapidem examinarint: & quod
amplius eſt, quædam mutauerint, quædam detraxerint. Ibidemque ex
hiſtoria probat, Carolum Septimum Galliarum Regem, & conſequenter Gallos ad Regis exemplum, Baſileenſis Concilij oſores fuiſſe; & hoc certum eſt, ſemper Carolum in obedientia Eugenij perſtitiſſe; & intruſum Felicem adorare noluiſſe.

2. NICOLAVS COFFETEAV Epiſcopus Maſſilienſis to.2. lib.4.
„ cap. 5. Quod attinet ad Concilium Baſileenſe, plura afferri poſſent,
„ quibus eius authoritas conuelleretur: Et non dubitat Lateranenſe
„ Concilium ſub Leone X. celebratum, illum Conuentum Baſileen-
„ ſem, Conciliabulum ſchiſmaticum, ſeditioſum, & nullius prorſus
„ authoritatis vocare. Et ſanè quæ à Baſileenſibus contra Eugenium
„ IV. tentata ſunt, omne ei robur & pondus detraxerunt. Nam quo
„ tempore de gradu Eugenium deijcere ac abdicare moliti ſunt, Iu-
„ lianus Cardinalis Pontificis Legatus, moderando Conſeſſui Præſes
„ datus, ſacrilegæ audaciæ pertæſus, Baſilea exceſſerat, nec factam
„ Pontifici iniuriam ſuſtinere valentes Epiſcopi, & ipſi quoque magna
„ ex parte abſceſſerant. Quare Cardinalis Arelatenſis, alieni iuris
„ vſurpator, & qui reliqui erant, factioſi Epiſcopi, de ſua paucitate
„ erubeſcentes, ingentem Presbyterorum multitudinem inuexerunt,
„ vt iam violata antiquorum Conciliorum forma, non Epiſcoporum
„ ſed Presbyterorum Synodus eſſet. Quamquam, ne ſic quidem obti-
„ nere potuerunt, vt omnes in ſcelerata decreta conſentirent. Ac de-
„ mum eodem tempore Florentiæ agebatur Concilium Oecumenicum,
„ in quo præſidebat Summus Pontifex, cui aſſidebant Epiſcopi, tum
„ Græci, tum Latini, & numero plures, & doctrina celebriores his qui
„ Baſileæ turbas cierent. Aderat vero & Imperator Græcorum Paleo-
„ logus, & Orator Imperatoris Latini, vt nulla ratione dubitari poſ-
„ ſet, vtrum ex duobus legitimum, ac verum eſſet Concilium.

§. III.

Quid Mauclerus, & Spondanus.

1. MICHAEL MAVCLERVS tom.1. lib.3. 2. par. cap.11. & 16.
„ Eugenius IV. malè facta in Concilio Baſileenſi quaſſauit, &
„ irrita, tanquam ſpuria pronuntiauit. Iſtud Concilium, licet à Papa
„ Eugenio congregatum, tamen poſtea minimè confirmatum, in gra-

„ uiſſimos impegit errores. Vt cum hæreticum eſſe definiuit negare,
„ Concilium eſſe ſupra Papam, aut aſſerere, Papam transferre in alium
„ locum poſſe Concilium, aut in aliud tempus, prorogare. Nunc quis
„ tam inſanus, ac mentis inops, qui huius, ac definitionis Baſileenſis
„ oppugnatores hæretica peſte contaminatos eſſe auderet, velletque
„ defendere? Inter innumeros alioquin, etiam pro tali habendus eſſet Ioannes Cabaſſutius in ſua Notitia Eccleſiaſtica Hiſtor. Concil. Concilium Baſileenſe ita depingens. Cum pauciſſimi Præſules, qui Baſileam conceſſerant &c. Omitto alia, iam enim Textum Cabaſſutij propoſui in hac eadem Diſputatione Sectione 2. num.1.

2. Illuſtriſſimus SPONDANVS Appiamarum in Gallia Narbonenſi Epiſcopus, in continuatione annalium Baronij ad ann. 1439. num. 24. teſtatur ex Ænea Siluio, qui præſens aderat Baſileæ, quando celebratum eſt Concilium, maximam partem decretorum Concilij Baſileenſis condita eſſe dictante Thoma de Courcellis Canonico Ambianienſi, quem miris laudibus Æneas extollit tùm à præſtantia doctrinæ, tum à modeſta quadam verecundia, qua ſemper terram intuebatur, dum in Concilio diſſereret. Doctor iſte, blaſphemos appellabat eos, qui contra decreta Concilij Baſileenſis Romanum Pontificem per Concilium deponi poſſe negarent: & tanquam fundamentum ſuæ doctrinæ ſtatuebat; Papam verius dici Eccleſiæ Vicarium, quam Chriſti; vnde deducebat poſſe deponi à Concilio generali repræſentante Eccleſiam; quia nullum eſt dubium, quin Dominus Vicarios ſuos poſſit ad nutum ſuum deſtituere, ſicut illos potuit inſtituete: aſſerebat inſuper Concilium ſine authoritate Papæ congregari poſſe & qui id negarent, ruinam ſecum Eccleſiæ trahere: ad has autem aſſertiones ſtabiliendas detorquebat Scripturæ & Patrum teſtimonia. Poſtquam autem Spondanus retulit Elogium huius Doctoris ab Ænea Siluio compactum; ſub-
„ dit: Attende, quam laudet hominis modeſtiam Æneas; excæcatus
„ ſane tunc ipſe, & dementatus ad hæc vana, & penè dixerim veſana
„ argumenta, & obliquas Scripturarum ac Patrum interpretationes;
„ eaſdem ipſas quibus noſtri temporis hæretici aduerſus Summum
„ Pontificem abutuntur. Et paulò poſt, vbi in medium produxit Spondanus ſynopſim eorum, quæ Doctor iſte diſſeruit in Concilio Baſi-
„ leenſi concludit: Ita egregius ille orator ac perorator, quo dictante
„ cùm, vt ait Æneas, maxima pars decretorum Concilij Baſileenſis con-
„ dita ſit, quis miretur, ſi talia fuerint, qualia leguntur? conuenien-
„ tiſſimè ſanè terram ſemper intuebatur, qui nihil tunc cæleſte ſapiebat.
Quibus verbis ſatis manifeſtat Spondanus, quam parui facienda ſint decreta Concilij Baſileenſis contra authoritatem Papæ edita. Et ſanè illa nituntur principio aperte erroneo, quod ſcilicet Papa ſit propriè Vicarius Eccleſiæ, potius quam Chriſti; vt conſtat ex ijs quæ dixi diſp.1. ſect.3. eſtque manifeſtè falſum, poſſe Concilia generalia legitimè cele-

bra-

brari ſine authoritate Romani Pontificis, quando in Eccleſia datur certus & indubitatus, aut robur habere Concilij decreta ſine Papæ confirmatione; vt conſtat ex dictis diſput. 1. ſect. 2. §. 12.

„ 3. Hinc idem Spondanus ad annum 1438. num. 21. dixit, Nullius „ ferè pretij fuiſse apud Gallos Baſileenſis Concilij authoritatem. Et num. 22. inuehitur in eos, qui dicunt, Eccleſiam Gallicanam appro„ baſse, aut recepiſse Concilium Baſileenſe; Nugæ hæ (inquit) ſunt, & „ impoſturæ. Abſit à dignitate, & puritate Eccleſiæ Chriſtianiſſimæ „ tanta calumnia: ſiquid eius illa recepit, non vt ab eius authoritate „ obligatoriâ (qualis omninò debuiſset eſse, ſi verè eius decreta, „ tanquam legitimæ Synodi Oecumenicæ agnouiſset) recepit, ſed ve„ lut à proponente, quæ vtilia, & conducibilia exiſtimabat, ita vt li„ berum eſset, quæ vellet recipere, quæ nollet, reijcere, vti & fecit „ tam in hac re quàm in nonnullis alijs authoritate propria, ac regia. „ Et num. 23. aſserit, Conuentum Baſileenſem, & Bituricenſem (in quo „ anno 1438. Pragmatica ſanctio à Baſileenſibus edita, recepta con„ firmataque fuit) inanem, & irritum declaratum fuiſse; præſertim poſt „ poſtremam Concilij diſsolutionem; nimirum quando Concilium „ nouum Ferrariam indixit.

§. IV.

Quid ſenſerint Illuſtriſſimus Petrus de Marca, M. Bail, & Cabaſſutius.

1. VT conſtet Decreta Concilij Baſileenſis de excellentia Concilij ſupra Papam non æſtimari ab hoc Illuſtriſſimo Viro, ſuppo„ nendum eſt Concilium Baſileenſe anno 1439. ſeſsione trigeſimatertia ſequentem edidiſse definitionem. Item declarat, quod „ quicumque, cuiuſcumque dignitatis, etiamſi Papalis exiſtat, qui „ mandatis, ſtatutis, ſiue ordinationibus, aut præceptis huius Sanctæ „ Synodi, & cuiuſcumque alterius Concilij generalis legitimè con„ gregati, ſuper præmiſſis, ſeu ad ea pertinentibus factis, vel fiendis „ obedire contumaciter contempſerit, niſi reſipuerit, condignæ pœ„ nitentiæ ſubijciatur, & debitè puniatur, etiam ad alia iuris ſubſidia „ (ſi opus fuerit) recurrendo. Hactenus Concilium, hanc doctrinam tanquam veritatem Catholicam definiens, & fidelibus proponens, & hæreticum pronuntians & declarans eum, qui illi pertinaciter reſiſteret; vt patet ex ijs, quæ poſtmodum ſubdit, & habentur apud Labbe tom. 12. pag..

2. Doctrinam autem huic contrariam ſtatuit Illuſtriſſimus MAR-

CA

Digitized by Google

CA lib.2. de concordiâ Sacerdotij, & Imperij cap.11. vt patet ex Synopſi illius capitis, quam ſub his terminis exhibet Stephanus Baluzius.

„ I. Perſona Pontificis à nemine iudicatur, ex Synodo Romana „ ſub Symmacho, & ex Ennodio. Quia Romanus Epiſcopus eſt caput „ omnium Sacerdotum.

„ II. Eadem Eccleſiæ Gallicanæ ſententia in cauſa Symmachi, imo „ pietas maior, quam Romanæ Synodi, ex Auito.

„ 3. Sed textum ipſum Illuſtriſſimi Præſulis proferamus. Principem „ (inquit) legibus ſolutum eſſe, eo ſenſu, vt etſi in leges impingat, „ pœnis legum coërceri non poſſit, communis eſt Theologorum, & Iu„ riſconſultorum ſententia; ita vt ſubditi, qui de Principis ſtatu ali„ quid decernere ſibi liberum eſſe putauerint, lege Iulia Maieſtatis te„ neantur. In hunc quoque dignitatis gradum adſcitum fuiſſe Roma„ num Pontificem, Galliarum Reges, & Epiſcopi vna cum cæteris ſæ„ piſſime cenſuerunt. Symmacho à Clericis Eccleſiæ Romanæ de cri„ minibus atrociſſimis accuſato, & ab Epiſcopatu per vim depulſo, „ Theodoricus Rex Italiæ cogit plenariam Synodum omnium Regni „ ſui Sacerdotum, accedente ipſius Symmachi conſenſu. Liguriæ „ Æmiliæ; & Venetiarum Epiſcopi literis Regis euocati cùm ſe Ro„ mam conferrent, Theodoricum Rauennæ commorantem inuiſunt,& „ Romanæ Sedis Sacerdotem à minoribus Epiſcopis iudicari non poſ„ ſe ſignificant: Nec antedictæ Sedis Antiſtitem minorum ſubiacuiſse „ iudicio, in propoſitione ſimili, facilè forma aliqua teſtaretur: vt do„ cet Romana Synodus 3. habita anno 502. In eam ſententiam con„ ceſſit ipſa Synodus; quæ ita Decretum ſuum temperauit, vt libe„ rum, & immunem à criminibus Symmachum pronunciaret, quantum „ ad homines reſpicit: Sed totius negotij examen Arbitrio diuino di„ miſit cùm legatione ſuâ priùs monuiſset Senatum Romanum,qui di„ ſcuſſionem accuſati onis vrgebat, authoritatem Sedis iniuſtis illis „ deſiderijs obſtare. Etenim tunc ab omnibus publice aſserebatur Se„ dis Apoſtolicæ Præſulem, minorum nunquam ſubiacuiſse ſententiæ, „ vt è libello accuſatorum refert Ennodius Ticinenſis in Apologetico; „ qui robuſtiſſimis verbis eam aſſertionem firmauit, quæ & à Synodo „ quintâ Romanâ probata eſt cum integro Apologetici libello; Et „ deinde à Collectoribus in corpus Canonum relata. Aliorum, inquit, „ fortè hominum cauſas Deus voluit homines terminare; ſed Sedis „ iſtius Præſules,ſuo ſine queſtione reſeruauit arbitrio. Voluit B. Petri „ Apoſtoli ſucceſsores cælo debere tantùm innocentiam, & ſubtiliſſi„ mi diſcuſsoris indagini inuiolatam exhibere conſcientiam. Huius „ autem Priuilegij ratio inde petitur ab Ennodio, quod Romanus Epi„ ſcopus ſit caput omnium Sacerdotum: Sanctorum voce patet Ponti„ ficum dignitatem Sedis eius factam toto orbe venerabilem, dum illi

quid-

„ quidquid fidelium eſt, vbique ſubmittitur, dum totius Corporis ca-
„ put eſse deſignatur.
„ 4. Dum hæc Romæ geruntur, Gallicani Epiſcopi nutare ſtatũ ſuum
„ in laceſſito vertice ſentientes, & ſe in criminatione Principis peti, for-
„ mulam Decreti receperunt, quam de Papa Symmacho apud Vrbem
„ Synodus Romana ediderat, vt teſtatur Auitus Viennenſis, qui ex
„ mandato Galliæ Epiſcoporum ad Senatores Vrbis, ipſe Senator Ro-
„ manus, & Chriſtianus Epiſcopus, quæ mens eſset omnium vnus præ-
„ ſcripſit. Nolo in inuidiam trahi Epiſcopos Italiæ. Sed ſi verum ama-
„ mus, non eſt diſſimulanda pietas Eccleſię Gallicanæ, quæ Synodo
„ Romanæ velut vitio vertit, quòd iudicium aliquod aduerſùs Symma-
„ chum ſuſcepiſset: Quia non facile datur intelligi, quâ vel ratione,
„ vel lege, ab inferioribus eminentior iudicetur, vt loquitur Auitus. Et
„ licet Dei cognitioni Synodus rem ipſam ſeruauerit, Epiſcopi tamen
„ Gallicani concoquere non poſſunt, quâ ratione in illam cauſam ne
„ leuiter quidem potuerit inquirere. Quod Synodus ipſa venerabilis,
„ inquit Auitus, laudabili conſtitutione proſpiciens, cauſam quam,
„ quod ſaluâ eius reuerentiâ dictum ſit, penè temerè ſuſceperat inqui-
„ rendam, diuino potiùs ſeruauit examini: perſtringens tamen prout
„ breuiter potuit, nihil vel ſibi, vel glorioſiſſimo viro Theodorico
„ Regi de his, quæ Papæ dicebantur obiecta patuiſſe. Nolo epiſtolam
„ integram tranſcribere, quæ abundè mentem omnium Gallicanorum
„ Sacerdotum explicat: qui concedunt quidem in cæteris Epiſcopis, ſi
„ quid nutauerit, poſſe reformari; at ſi Papa Vrbis vocatur in du-
„ bium, Epiſcopatus iam videbitur, non Epiſcopus vacillare. Hucuſ-
que Illuſtriſſimus Marca, cuius doctrina ex diametro pugnat, cum illa definitione, ſeu declaratione Concilij Baſileenſis, quomodo enim auderet ſapiens author tam conſtanter ſtatuere tanquam doctrinam certam oppoſitum eius, quod Concilium Baſileenſe declarauerat, ſi exiſtimaret; illius Concilij decreta firma, & legitima fuiſſe?

5. M. BAIL in Summa Conciliorum tom. 1. pag. 491. de hoc Con-
„ cilio loquens, inquit, Oecumenica fuit hæc Synodus, eo quod au-
„ thoritate Pontificis indicta, ac primo nutrita, & ſub præſidio Iuliani
„ Cardinalis continuata fuerit euſque, donec illicita poteſtate vſur-
„ pata in Pontificem Romanum, Pontifex Legatum ſuum, pluresque
„ alios Epiſcopos auocaret. Quando vero poſt horum diſceſſum Sy-
„ nodus ſub præſidio Cardinalis Arelatenſis continuata, inuitoque
„ Pontifice prorogata eſt, non tantùm Oecumenica, verum etiam legi-
„ tima Synodus eſſe deſijt. Et propterea dicitur hoc Concilium ex
„ parte reprobatum. Nam quod ſit reprobatum authoritate legitima,
„ conſtat ex ſeſsione vndecima Concilij Lateranenſis ſub Leone X.
„ celebrati, vbi Conciliabulum Schiſmaticum, ſeditioſum, & nullius
„ prorſus authoritatis appellatur. Nam eo tempore, quo Concilium

in

„ in Pontificem ſententiam pronuntiare auſum eſt, omnes præcipui
„ Epiſcopi diſceſſerant, & quidam Cardinalis Arelatenſis, munus præ-
„ ſidendi ſibi aſſumpſerat. Et quia Epiſcopi paucisſimi erant, introdu-
„ xerunt in Synodum ingentem Presbyterorum multitudinem: ita vt
„ contrà omnem formam Conciliorum, non Epiſcoporum, ſed Presby-
„ terorum Synodus eſſet. Deinde eodem tempore agebatur Floren-
„ tiæ Concilium alterum, in quó præſidebat Summus Pontifex, &
„ & cum eo ſedebant Epiſcopi Latini & Græci ſine comparatione plu-
„ res, quam eſſent Baſileenſes, & vna cum Epiſcopis aderat Imperator
„ Græcorum, & Legatus Imperatoris Latinorum: vt nullo modo du-
„ bitari poſſet, vtrum ex duobus eſſet verum Concilium Eccleſiæ
„ generale.

6. IOANNES CABASSVTIVS Aquiſextienſis in notitia Eccleſia-
ſtica Conciliorum cap. 90. de Concilio Baſileenſi loquens, Hoc, (in-
„ quit) ex quo fuit ab Eugenio reuocatum, euaſit deinceps illegiti-
„ mum. Huiuſce vero Baſileæ Conuentus reprobatio legitur in Late-
„ ranenſi Concilio ſub Leone X. ſeſs. 11. Ludouicus Arelatenſis con-
„ nitebatur Concilij Oecumenici Conſtantienſis declaratione ſeſs. 4.
„ qua definitur, Concilium generale legitimè congregatum ea pollere
„ authoritate, quæ Papam ipſum adſtringat, & cogere poſsit ab obe-
„ diendum, inflexibili animo mandatis Eugenij obſtitit, & pro Baſi-
„ leenſi Conuentu firmiſſimè ſtetit. Idque Conſtantienſe decretum
„ renouarunt Baſileenſes ſeſſionibus primis, & reiterarunt ſeſs. 18.
„ & ſeſs. 33. inſtaurantes declararunt, eſſe diuinæ Fidei. Quod poſtea
„ damnauit ſub Leone Synodus Lateranenſis ſeſs. 11. & iuremeritò
„ ſanè. Quia (vt cap. 19.) poteſtate directiua poteſt vti erga Summos
„ Pontifices legitima Synodus, & Pontifex præſens erga ſucceſſores:
„ non verò poteſtate coactiua: qualem aliquando voluit indebitè ſibi
„ aſſumere Conciliem Baſileenſe.

§. V.

Quam pauci Doctores Galli nitantur authoritate Concilij Baſileenſis.

CОrdati itaque authores Galli authoritatem Baſileenſis Concilij paruipendunt. Authores autem aliqui moderni non multæ authoritatis illam extollunt, vt Ioannes Launoius, quem ad viuum depingit P. Theophilus Raynaudus tom. 18. pag. 332. eum appellans Herculem Commodianum; & quem ob hanc cauſam impugnat. Chriſtianus Lupus 4. parte à pag. 596. Item eam extollit Iuris conſultus Vigorius

gorius quemque merito, vt alibi dixi, explodit Duuallius in Antiloquio tractatus de ſuprema Romani Pontificis in Eccleſiam authoritate: quia cum nec Theologiam à limine ſalutaſſet, auſus eſt de Eccleſia, eiuſque regimine, de Summo Pontifice, de Concilijs, eorumque authoritate, rebuſque alijs grauiſſimis ſcribere, & iudicare. Item Edmundus Richerius Doctor Sorbonicus, vt pariter notaui Diſput. 1. qui ann. 1611. clam, & ſine nomine authoris peſtilentem edidit librum de Eccleſiaſtica, & politica poteſtate, qui magnas turbas in Gallia excitauit; & propterea confixus eſt ab Archiepiſcopo Senonenſi in Synodo Prouinciali; & quem impugnandum ſuſcepit Duuallius. Hi ſunt Authores moderni, qui audaciùs contra authoritatem Romani Pontificis in Gallia ſcripſerunt; quibus adiunge Theologos illos Pariſienſes, qui in lucem emiſerunt nuper Vindicias doctrinæ Maiorum Scholæ Pariſienſis, & notas ſcripſerunt in cenſuram Hungaricam quatuor propoſitionum Cleri Gallicani, & Defenſionem Edmundi Richerij aduerſus aliquos eius calumniatores, quæ extat ad finem vindiciarum.



DISPVTATIO XV.

In qua oſtenditur, nec ex Scriptura, nec ex Hiſtoria Eccleſiaſtica vllum argumentum depromi, quo probetur, Romanum Pontificem carere priuilegio Infallibilitatis, dum è Cathedra Petri tanquam Summus Paſtor vniuerſam docet Eccleſiam, determinando fidei & morum controuerſias, quę inter Catholicos emergunt.

1. QVamuis ſit valde probabile, & ſatis valide propugnatum à Cardinali Bellarmino lib.4. de Romano „ Pontifice cap. 6. Romanum Pontificem non ſo„ lum vt Summum Pontificem errare non poſſe, „ ſed etiam vt particularem perſonam hæreticum „ eſſe non poſſe, falſum aliquid contra fidem per„ tinaciter credendo, & plenè ſatisfaciat obiectionibus contrarijs percurrendo per errores, qui falſo adſcribuntur multis Pontificibus Romanis: nihilominus ſcopus præſentis Tractatus ſolùm fuit demonſtrare, Romanum Pontificem errare non poſſe, dum tanquam Summus Pontifex determinat fidei & morum controuerſias, quæ in Eccleſia inter Catholicos emergere ſolent, & Eccleſiæ toti intimat quid tenere debeat, edita conſtitutione, vel decreto cum intentione omnes fideles obligandi ad tenendam, & profitendam eam partem, quam ipſe definiuit & declarauit; vt fecit Innocentius X. circa quinque propoſitiones Ianſenij, & Benedictes XII. circa controuerſiam de Beatitudine animarum Sanctarum ante diem Iudicij vniuerſalis, & Innocentius I. circa Baptiſmum adminiſtratum ab hæreticis. Vnde argumenta, quæ contendunt probare aliquos Pontifices incidiſſe in errores, imo & in hæreſim, non ſunt contra nos. Illa enim aſſiſtentia Spiritus Sancti quæ neceſſaria eſt, ne tota Eccleſia erret in credendo tanquam veritatem infallibilem dogma aliquod falſum,

Digitized by Google

ſum, concedenda eſt Summo Pontifici, dum docet è Cathedra Petri totum Chriſti ouile.

2. Ne autem in hoc erret tota Eccleſia, neceſſarium eſt aſſerere, Romanum Pontificem habere aſſiſtentiam infallibilem Spiritus Sancti, vt in dubijs fidei emergentibus inter Catholicos, non determinet partem erroneam, eamque toti Eccleſiæ credendam proponat ſua Conſtitutione. Nam tunc omnes tenentur obedire Summo Pontifici: vnde ſi ipſe erraret in definiendo & determinando, tota Eccleſia erraret in capite & in membris, imo & tota teneretur errare vt probaui diſput. 1. ſect. 1. & diſp. 15. ſect. 2. §. 4. Ex eo autem quod Summus Pontifex incideret in hæreſim manifeſtam, non ſequitur quod tota Eccleſia teneretur errare: vnde nihil nos cogit ad aſſerendum, ipſum habere aſſiſtentiam infallibilem Spiritus Sancti, ne erret contra fidem, vel ne prolabatur in hæreſim. Aſſiſtentia enim infallibilis Spiritus Sancti non datur ipſi propter ipſum, ſed propter Eccleſiam. Vnde eam duntaxat aſſiſtentiam Spiritus Sancti cogimur agnoſcere in Romano Pontifice in iudicando & docendo, quæ eſt neceſſaria ne tota Eccleſia erret in credendo. Et propterea diſput. 15. ſect. 2. §. 6. diximus, quod licet Papa poſſet incidere inuincibiliter in errorem contra fidem, non poſſet Deus permittere, vt illum credendum toti Ecclaſiæ proponeret. Et ſimiliter §. 7. oſtendimus, quod quamuis Papa poſſet incidere in manifeſtam hereſim, & ad illam amplectendam velle obligare: nihilominus non poteſt errare in determinando quæſtionem controuerſam inter Catholicos, proponendo Eccleſiæ partem falſam ad credendum.

SECTIO I.

Falsò D. Dupin affirmat, Defenſores Infallibilitatis Romani Pontificis non conuenire in explicando, quid ſit Papam loqui è Cathedra Petri.

1. AVthor iſte id affirmat diſſert. 5. pag. 540. & probat: quia qui„ buſdam loqui è Cathedra, idem eſt ac cum Concilio loqui: „ alijs è Cathedra loqui idem ſonat ac ſecundũ Scripturam, & traditio„ nem loqui. Alij ſic explicant illud ex cathedra loqui, vt idem ſit „ ac loqui re maturè & diligenter examinata. Verùm ne quis ſuſpi„ cari poſſet, Dupinum fingere hoſtem, quem feriat, deberet aſſignare Authores, qui ita explicant. Multos ego euolui, & in nullo inueni explicationem vel definitionem tam ineptam; nec exiſtimo vllam ex ijs explicationibus potuiſſe cadere in virum ſapientem, & qui primos terminos huius controuerſiæ penetret.

2. Audiat D. Dupin, quomodo rem hanc vniformiter quoad ſubſtantiam explicent defenſores Infallibilitatis Pontificiæ. Omnes in hoc conueniunt, tunc ſcilicet Romanum Pontificem loqui vt Summum Pontificem, & vt Caput Eccleſiæ, & vt Doctorem publicum, & non tantum vt Doctorem particularem; ſeu tunc loqui è cathedra, quando totam Eccleſiam inſtruit, & omnibus Chriſti ouibus oſtendit, quænam ſint paſcua venenoſa, à quibus fugere debeant, quænam ſalutaria, quæ debeant quærere; id eſt quid tenere debeant vt verum, quid reſpuere vt falſum, quid amplecti vt honeſtum, quid fugere vt turpe. Vt enim optimè explicat P. Valentia tom. 3. diſp. 1. quæſt. 1. punct. 7.
„ §.39. tunc Romanus Pontifex definit vt Eccleſiæ caput, quando de-
„ cretum edit pro vniuerſa Eccleſia, quod vult à fidelibus indubitan-
„ ter admitti; & vt repetit ibidem columna 250.t oties loquitur Roma-
„ nus Pontifex è cathedra, & tanquam Chriſti Vicarius, & ſummus
„ Eccleſiæ Paſtor, quoties de rebus fidei controuerſis alterutram ſen-
„ tentiam ita determinat, vt ad illam recipiendam obligare velit totam
„ Eccleſiam. Sic locutus eſt Innocentius X. dum anno 1653. condemnauit vt hæreticas quinque propoſitiones Ianſenij, omnibus diſtrictè præcipiens, ne de illis propoſitionibus aliter loqui aut ſentire audeant, quam in illa Conſtitutione contineretur, vt vidimus ſupra.

3. Eximius Doctor P. Franciſcus Suarez diſput. 5. de fide ſect. 8. num.4. aſſerit, tunc Romanum Pontificem loqui è cathedra, & vt Summum Pontificem in rebus fidei, quando aliquid authenticè proponit
„ vniuerſæ Eccleſiæ tanquam de fide diuina credendum. Veritas Ca-
„ tholica eſt, inquit, Pontificem definientem ex Cathedra, eſſe regu-
„ lam fidei, quando aliquid proponit vniuerſæ Eccleſiæ tanquam fide
„ diuina credendum &c. Nam Chriſtus dedit Petro & ſucceſſoribus
„ eius authoritatem paſcendi Eccleſiam, maximè in doctrina, & ſingu-
„ lari modo, id eſt non tantum per authoritatem prædicandi, quam
„ omnibus Apoſtolis indifferenter tribuit, cum dicit, Euntes docete
„ omnes gentes, prædicate Euangelium omni creaturæ, ſed per pote-
„ ſtatem iuriſdictionis interpretandi, ſeu proponendi veritates creden-
„ das, & ſub obligatione illas credendi: ergo hæc poteſtas habet ne-
„ ceſſario adiunctam aſſiſtentiam Spiritus Sancti, ne erret; quia hoc
„ neceſſarium eſt propter infallibilitatem Eccleſiæ in credendo: nam ſi
„ Pontifex docens illo modo, illam poſſet decipere, etiam ipſa poſſet
„ decipi, imo cogeretur ad errorem, quia credere teneretur. Huc-
„ uſque Eximius Doctor, qui addit, ita docere hoc tempore omnes
„ Catholicos; & cenſeo, inquit, rem eſſe de fide certam.

4. Hinc P. Franciſcus Amicus ex communi conſenſu Doctorum diſp. 7. de fide, ſect. 1. ſupponit, tunc Pontificem loqui è cathedra, quando loquitur vt Summus Paſtor cum tota Eccleſia, fideles obligans

ad credenda quæ ipſe docet. Inquirit enim, an ſummus Pontifex infallibilem authoritatem in definiendis rebus fidei habeat? & ſub hoc
„ titulo immediatè ſubiungit: Loquor de Pontifice, non vt priuata
„ perſona eſt, quo pacto ſupra docui non repugnare illum eſſe hæreti-
„ cum, & hæreſim docere, ſicut cæteros priuatos Doctores; ſed de
„ Pontifice vt vniuerſali Eccleſiæ Paſtore ex cathedra docente, & obli-
„ gante fideles ad credenda ea, quæ ipſe docet, & definit.

5. Idem docet M. Canus lib. 6. cap. 8. ad vndecimum, Cardinalis Bellarminus lib. 4. de Romano Pontifice cap. 2. vbi cum communi omnium ferè Catholicorum ſententia docet, Summum Pontificem, ſiue hæreticus eſſe poſſit, ſiue non, non poſſe *vllo modo definire aliquid hæreticum à tota Eccleſia credendum*: citat autem S. Thomam, Waldenſem, Turrecrematam, Caietanum, Driedonem, Hoſium, Ekium, Ioannem à Louanio, Petrum de Soto, & Canum. Ex quorum omnium ſententia Pontificem loqui è cathedra vt ſummum Pontificem de rebus fidei, eſt Pontificem toti Eccleſiæ proponere, quid ab illa tenendum & credendum ſit, cum intentione ad id obligandi. Optimè autem notat ſapientiſſimus Cardinalis, ſententias, & decreta Pontificum interdum verſari in rebus vniuerſalibus, quæ toti Eccleſiæ proponuntur, qualia ſunt decreta fidei, & præcepta morum generalia; interdum in rebus particularibus, quæ ad paucos pertinent, quales ferè ſunt omnes controuerſiæ facti, vt an talis promouendus ſit ad Epiſcopatum, an iure fuerit promotus, an videatur deponendus. Quo prænotato, affirmat omnes Catholicos conuenire cum hæreticis in duobus. Primò poſſe Pontificem etiam vt Pontificem, & cum ſuo cœtu conſiliariorum, vel cum Concilio generali errare in quæſtionibus facti particularibus, quæ ex informatione teſtimonijſque hominum præcipuè pendent. Secundò, poſſe Pontificem vt priuatum Doctorem errare, etiam in quęſtionibus iuris vniuerſalis tam fidei quam morum, idque ex ignorantia, vt alijs Doctoribus interdum accidit. Affirmat pręterea, Catholicos omnes in alijs duobus conuenire, non quidem cum hęreticis, ſed ſolum inter ſe. Primò Pontificem cum generali Concilio non poſſe errare in condendis fidei decretis, vel generalibus pręceptis morum. Secundò, Pontificem ſolum, vel cum ſuo particulari Concilio aliquid in re dubia ſtatuentem, ſiue errare poſſit, ſiue non, eſſe ab omnibus audiendum.

6. His ſuppoſitis, in controuerſia præſertim contra Gerſonē, & recentes quoſdā Gallos, Papā in dubijs fidei & morum non poſſe errare, dum loquitur è cathedra, idem eſt ac Papam non poſſe extra Concilium generale errare in eo ipſo, in quo non poteſt errare cum Concilio generali, nimirum in determinandis fidei & morum controuerſijs; id eſt, non poſſe in re dubia & controuerſa inter Catholicos, eligere & definire partem falſam, & illam credendam proponere, & intimare toti Eccleſię; ac proinde nec poſſe toti Eccleſiæ præcipere aliquid reipſa illicitum,

tum, nec credendum proponere aliquid reipſa falſum, ſiue poſſit vt Doctor particularis errare, ſiue non.

7. Eandem explicationem tradit D. Andreas Duuallius part. 2. „ quæſt.5. pag.mihi 312. his verbis: Notandum eſt nos in primis di„ gnoſcere Summum Pontificem, non vt priuatum Doctorem, ſed vt „ communem totius Eccleſiæ Paſtorem ſe gerere, quoties ad id de quo „ conſulitur, & interrogatur, abſolutè, & abſque vlla hæſitatione re„ ſpondet, totique Eccleſiæ credendum proponit. Certum enim eſt „ tunc vt generalem Eccleſiæ Paſtorem rei propoſitæ reſpondere: vbi „ hæc duo coniungimus, abſolutè nempe reſpondere, & toti Eccleſiæ „ credendum proponere; prius enim abſque poſteriori non ſufficit, ab„ ſoluta namque reſponſio à priuato Doctore non minus quam à gene„ rali Paſtore datur: quo fit vt ei falſum ſubeſſe poſſit, ſi Eccleſiæ ſimul „ non proponatur, vt ex hiſtoria Cęſarij Ciſtercienſis conſtat, qui lib.3. „ cap.32. refert Abbatem Ciſtercienſem, & cæteros huius ordinis Ab„ bates Innocentium III.conſuliſſe,quid agendum eſſet Confeſſario per „ viam confeſſionis agnoſcenti Monachum aliquem abſque Ordine in„ dies aut ſæpius celebrantem, nec à celebratione vllis monitis & „ præceptis eiuſdem Confeſſarij abſtinere volentem; an eius confeſſio „ in hoc caſu eſſet detegenda. Innocentius, inquit Cæſarius, conuo„ uocauit Cardinales, viroſque litteratos, & quid de ea re ſentirent „ quæſiuit, omnibus penè in hoc conſentientibus, quod confeſſio non „ eſſet prodenda. Reſpondet Innocentius: *Ego dico in tali caſu confeſ„ ſionem eſſe prodendam,quia potius eſt blaſphemia quàm confeſſio,nec debet „ confeſſor tantam blaſphemiam ac inſaniam celare, per quam periculum „ toti Eccleſiæ poterit incumbere:& placuit ſententia Innocentij omnibus,& „ ſcripſit ſequenti anno ad Capitulum generale,quod à ſe fuerat determina„ tum*. Hæc Cæſarius. Quę tamen Innocentij reſponſio ſimpliciter, „ & abſolutè data, non ſolùm communi Theologorum doctrinę aduer„ ſatur, vt videre eſt apud Nauarrum in cap. *Sacerdos*, de pœnitentia „ diſt.6. ſed etiam Concilio Lateranenſi cap. 22. ſub eodem Innocen„ tio celebrato repugnare videtur. Quamobrem vt reſponſio Summi „ Pontificis infallibilis ab omnibus habeatur, non tantum opus eſt eum „ abſolutè reſpondere, ſed etiam vt reſponſionem ſuam omnibus fide„ libus credendam proponat.

8. Et M. Bail, in Summa Conciliorum excuſa Pariſijs anno 1675. tom. 1.pagin. 85. ſecutus communem ſenſum Theologorum, dicit, „ intelligendum eſſe Summum Pontificem loqui ex Cathedra, cùm „ docet vniuerſam Eccleſiam, iubetque Chriſtianis omnibus ex au„ thoritate Summi Pontificis, quam à Chriſto accepit, vt teneant „ aliquam doctrinam.

„ 9. Et paulò inferius: Dum volunt exprimere Theologi diſcrimen

„ illud

„ illud, quod eſt in Pontifice Romano, cùm loquitur tanquam priua-
„ tus homo, aut Doctor, mentem ſuam de aliqua difficultate aperiens,
„ ſine vlla iuſſione, vt eam ſequantur alij; & cum eandem manifeſtat
„ omni Eccleſiæ, cuius eſt Paſtor, adhibito imperio, ex authoritate
„ ſupremi Pontificatus, qua pollet, ſub pœna anathematis, vt ei acquie-
„ ſcant omnes; ad ſignificandum hunc ſecundum modum loquendi in
„ Pontifice Romano, dixerunt, tunc Pontificem Romanum loqui è
„ Cathedra, metaphoricè ſcilicet Cathedræ nomine accepto, pro au-
„ thoritate ſui Pontificatus ſuper vniuerſam Eccleſiam.

10. Miror quidem Dominum Dupinum aſſeruiſſe infallibilitatis Pontificiæ aſſertores non conuenire in explicando, quid ſit Pontificem loqui è Cathedra, quandoquidem etiam illius Infallibilitatis impugnator D. Maimburgus fatetur, *loqui è Cathedra nihil aliud eſſe, quàm Summum Pontificem Conſtitutionem edere, quâ imponat omnibus Chriſtianis obligationem credendi aliquid*. Vt conſtabit Sect.10. præſentis Diſputationis.

11. Ex dictis ſatis conſtat, quid velint Doctores Catholici communiter, dum contra Gerſonem, & paucos alios Doctores docent, Papam non poſſe errare, dum è Cathedra, tanquam Summus Paſtor totam inſtruit Eccleſiam in rebus fidei, & morum, proponens omnibus fidelibus, quid debeant tenere in re, quæ inter ipſos Catholicos erat aliquo modo dubia, & cuius reſolutiò petita eſt à Romano Pontifice, tanquam à communi totius Eccleſiæ Magiſtro, & interprete ſacrarum litterarum, vel alia via ei proponitur. Quamuis enim Papa poſſit errare, quando in aliquo caſu particulari conſultatur ab aliquo Prælato, vel ab aliqua Eccleſia particulari, & reſponſum non dirigit ad totam Eccleſiam, cum intentione obligandi omnes fideles ad ita credendum, & tenendum: non poteſt tamen errare, quando in re controuerſa inter Catholicos vnam partem definit, & toti Eccleſię proponit credendam. Diſparitas eſt manifeſta; quia ex eo quod poſſit errare in primo caſu, non ſequitur quod tota Eccleſia poſſit errare: in ſecundo autem ſequitur, quod poſſit, imò & quod debeat tota errare; quia in dubio illo omnes tenentur obedire Summo Paſtori dubium reſoluenti, & præcipienti, vt omnes teneant illam partem, quam ipſe definiuit. Vnde quamuis quis ante definitionem Pontificis apud ſe exiſtimaret certam ſententiam oppoſitam illi, quam definiuit Pontifex; debet cùm primùm illi conſtat de definitione Pontificis, deponere ſuum iudicium, & aſſumere iudicium oppoſitum; ſicut Gerſon, & omnis Eccleſia Gallicana contra hęreticos fatetur de definitionibus Concilij generalis: nam etiam ſi quis ante definitionem Concilij generalis arbitraretur vnã ſententiam eſſe certam; ſi tamen videret oppoſitã definiri à Concilio, deberet ſtatim ſuum iudicium deponere, & fateri ſe deceptum, & hallucinatum fuiſſe.

12. Ratio eſt; quia cùm ex confeſſione omnium Catholicorum contra-

tra hæreticos manifeſtum ſit, Chriſtum reliquiſſe in Eccleſia ſua regulam aliquam viuam infallibilem, ad quam ſpectet proponere fidelibus doctrinam fidei ab omnibus tenendam, & oſtendere ouibus Chriſti paſcua ſalutaria, vt quærant ea, & venenoſa, vt ab eis fugiant; & aliunde manifeſtum ſit ex Euangelio, authoritatem infallibilem propriam huius regulæ, cùm primùm à Chriſto, vel promiſſa, vel collata eſt Eccleſiæ, fuiſſe promiſſam, & collatam perſonæ ſingulari Petri per illa verba, *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ Inferi non præualebunt aduerſus eam*: & per illa: *Paſce oues meas*, ac per illa, *Rogaui pro te Petre, ne deficiat fides tua: & tu aliquando conuerſus confirma fratres tuos*; conſequens eſt, hanc authoritatem infallibilem & promiſſam, & collatam eſſe Eccleſiæ primariò & principaliter, quia promiſſa & collata eſt capiti Eccleſiæ pro bono totius Eccleſiæ, ſeu ad conſeruandam vnitatem, & puritatem fidei in tota Eccleſia, vt oſtenſum eſt in toto decurſu huius Operis, & ſpecialiter Diſp.1.

SECTIO II.

Ex eo quod Petrus fuerit à Paulo reprehenſus, perperam arguit D. Dupin, poſſe Pontificem Romanum in determinandis fidei, & morum controuerſijs errare.

1. DVpin diſſertatione 5. cap. 1. contendit probare ex Scriptura, Romanum Pontificem non eſſe infallibilem in determinandis fidei, & morum controuerſijs. Nam Galat. 2.14. Petrus à Paulo reprehenſibilis fuiſſe perhibetur, accuſaturque ab eodem, quod non rectè ad veritatem Euangelij ambularet, quodque Gentes authoritate ſua ad Iudaizandum impelleret. Iam verò ſi potuit Petrus aduerſus veritatis regulam, quam poſtea Eccleſia ſecuta eſt, cogere Gentes ad Iudaizandum; cur non poterunt Petri Succeſſores contra veritatis regulam, aut docere, aut faciendum præſcribere?

2. Verum hoc argumentum ſolum probat, Pontificem Romanum vt Doctorem particularem eſſe errori & peccato obnoxium, quod nemo negat: nec enim habet aſſiſtentiam infallibilem Spiritus Sancti, vt in nullo erret, & vt nihil faciat, quo reprehenſibilis ſit; ſed ſolum habet aſſiſtentiam infallibilem, ne poſſit errare dum dubia fidei & morum reſoluit, & controuerſias fidei & morum determinat, & toti Eccleſiæ intimat, quid tenere & credere debeat. Nec oppoſitum probatur ex facto Petri, qui ſcilicet non definiuit licitum eſſe Iudaizare, nec hoc Eccleſiæ

præ-

Digitized by Google

præcepit; ſed ſolùm vt homo peccauit, non quidem mortaliter, ſed ſolum venialiter, ſecundum ſententiam communem Patrum & interpretum. Vt enim ex ipſis docet P. Cornelius à Lapide ad illum locum, „ in illo Petri facto fuit aliquod peccatum, non erroris in fide, vt qui- „ dam temerè aſſeruerunt, ſed in facto, incautæ videlicet ſimulationis, „ & profeſſionis Iudaiſmi, quodque ſcandalum daret Gentibus, vt ſe- „ cum iudaizarent, ſubducendo ſcilicet ſe à Gentibus, quibus hacte- „ nus conuixerat, & ad Iudæos aduenientes ſubitò tranſiens, cum eiſ- „ que Iudaicè viuens. Vnde Gentes iure opinari poterant Iudaiſmum „ tam ſibi, quàm illi eſſe neceſſarium ad ſalutem, & Chriſtianos obli- „ gare. Licet enim necdum mortiferæ eſſent lex & ceremoniæ vete- „ res, ſeruarique poſſent ad legem ſuauiter & cum honore ſepelien- „ dam, & Iudæorum animos ad Chriſti fidem alliciendos: erant tamen „ mortuæ, & inſuper mortiferæ, ſi quis eas ſeruaret putans, vel ita ſe „ gerens, quaſi ad eas teneretur, & quaſi lex veros Chriſtianos obliga- „ ret. Petrus autem licet id non putaret, ita tamen incautè ſe geſſit, „ vt Gentibus hoc ſuſpicandi iuſtam occaſionem dederit.

„ 3. Patet, quia id clarè ſecundò, & tertiò hic docet Paulus: *Ei*, in- „ quit, *reſtiti, quia reprehenſibilis erat*. Et verſ. 14. *Cùm vidiſſem, „ quòd non rectè ambularent ad veritatem Euangelij, dixi Cephæ: „ quomodo Gentes cogis iudaizare?* tua ſcilicet ſimulatione, &, vt „ græcè, hypocriſi: quæ omnia Petrum peccaſſe euincunt, vel, quòd „ abſit, mentitur Paulus, ait Sanctus Auguſt. epiſt. 8. 9. & 19. ad Hieron. „ Cyprian. epiſt. ad Quintum, Gregor. hom. 18. in Ezech. Ambroſius, „ & paſſim Latini veteres, & moderni.

4. Deinde probat Cornelius, hoc peccatum Petri fuiſſe leue, & veniale, aut materiale tantum, ex inconſideratione nimirum, vel ex „ defectu luminis prudentiæ. Putabat enim (inquit Cornelius) bo- „ na fide Petrus ſe Iudæorum, quorum præcipuè hactenus fuerat Do- „ ctor & Apoſtolus, offenſionem cauere debere potius, quàm Gentium, „ & Gentes id ipſum ſcire, aut facile cogitare poſſe. Sed in hac ſua „ opinione errauit Petrus: Licet enim, ait D. Thomas, Spiritus Sanctus „ in Apoſtolos deſcendens in Pentecoſte, eos deinceps confirmauerit in „ prudentia & gratia, vt euitarent omnia peccata mortalia, non tamen „ vt omnia venialia effugerent.

5. Nec ex eo, quòd Paulus Petrum reprehenderit, argui poteſt, Petro ſuperiorem, aut parem fuiſſe in poteſtate & authoritate. Vt enim Petrus de Tarantaſia Ordinis S. Dominici, Cardinalis Oſtienſis, à Gregorio X. Pontifice ſimul cum S. Bonauentura creatus, & poſtea eidem Gregorio in Pontificatu ſuccedens, & Innocentius V. appellatus, locum illũ exponit; ſubditi poſſunt Prælatum peccantem modeſtè arguere, *zelo charitatis*, non *officio poteſtatis*. Et vt diſtinguit S. Thom. in 4. diſt. 33. art. 4. explicans illum locum Pauli, duplex eſt correctio: quia quædam eſt actus

charitatis ; & hac correctione poteſt Papam corrigere quicunque illum diligit in charitate : quædam eſt actus *iuſtitiæ*, videlicet per punitionem, vel per pœnæ inflictionem, & hac non poſſunt ſubditi Prælatos corrigere. Et quidem Auguſt. epiſt. 19. Cyprianus, & Gregorius, & alij Patres rectè ex hoc textu probant, ab inferioribus corrigi poſſe Superiores cum humili charitate pro veritate tuenda.

SECTIO III.

Reſponſio generalis ad argumenta contendentia aliquos Papas erraſſe in fide, ac propterea non eſſe in definiendo infallibiles.

1. OPponunt aduerſarij multos caſus, in quibus aliqui Romani Pontifices videntur erraſſe. Eos latiſſimè recenſet & exponit Bellarminus lib.4. de Romano Pontifice à cap.8. vſque ad 15. Breuiter eos percurrit P. Valentia tom. 3. à columna 260. & Stapletonius tom. 1. par.2. controu. 3. quæſt. 4. pag. 707. Summa reſponſionis eſt, errores obiectos Summis Pontificibus, vel veros non eſſe errores, vel falsò illis imponi, vel certè Pontifices non ita è cathedra definiſſe, ſed ita duntaxat ſenſiſſe vt Doctores particulares, aut aliquid aliud agendo, aut etiam obiter interpretando id, quod ex inſtituto voluerunt determinare. Neque enim omnia, quæ Pontifices ad rem confirmandam adducunt, definire volunt, hoc eſt vniuerſam Eccleſiam ad ea omnia recipienda obligare; ſed illa tantùm, quæ ex inſtituto determinant. Quæ autem ſint huiuſmodi, colligi poteſt aut ex erroribus contrarijs, contra quos Pontifices aliquid definiunt, aut ex aſſeuerandi modo, atque forma, vt ſi aliquid ſub anathemate ſtatuant, aut ſi ex fide certum eſſe affirment, aut toti Eccleſiæ credendum proponant: id quod rectè notauit Canus lib.5. de locis cap.5. & lib.7. cap. vltimo, & ante ipſum Caietan. quæſt.61. art.3. Vnde P. Franciſcus Amicus diſp. 7. de fide Sect.1. vbi defendit infallibilitatem Romani Pontificis in determinandis fidei, & morum controuerſijs, num.37. ad argumentum ductum ex varijs erroribus Pontificum, reſpondet vniuerſaliter nullum ex citatis in rebus fidei erraſſe vt Pontificem, hoc eſt, vt docentem Eccleſiam ex
„ cathedra: cuius ſignum eſt, inquit, quia nullus affertur, qui ſuum
„ errorem, in quem vt priuata perſona lapſus fuit, Eccleſiæ ſequen-
„ dum proponit, ad illumque fide Diuina credendum illam adſtrin-
„ git, & obligat.

2. Neque ratio potiſſima, quâ nituntur aduerſarij, intentum euincit, nimirum illa, quæ deſumitur ex multis Sacris Canonibus, docentibus Pon-

Pontificem non poſſe iudicari, niſi inueniatur à fide deuius, vt patet ex Can. *Si Papa* Diſt. 40. ex Concilio V. ſub Symmacho, ex Concilio VIII. generali Act. 6. & ex Innocentio III. in ſerm. 2. de conſecratione Pontificis. Textus namque iſti ſupponunt Papam poſſe à fide deuiare per hæreſim; alioqui fruſtra apponerent illam limitationem, *niſi inueniatur à fide deuius*. Non, inquam, ratio deſumpta ex his textibus intentum euincit: ei namque duplicem adhibet ſolutionem Bellarminus „ ſatis probabilem. Reſpondet enim iſtos omnes Canones loqui de „ errore Pontificis perſonali, non iudiciali. Nam Pontifex ſi poſſit „ eſſe hæreticus, ſolùm erit negando aliquam veritatem antea definitam, non autem poteſt eſſe hæreticus, dum ipſe aliquid noui definit, „ tunc enim non ſentit contra aliquid definitum ab Eccleſia. Canones „ autem citati loquuntur expreſsè de hæreſi, igitur non loquuntur de „ errore iudiciali, ſed perſonali Pontificis. Secundò dicet, Canones „ illos non velle dicere, Pontificem etiam vt priuatam perſonam poſſe „ errare, ſed tantùm non poſſe Pontificem iudicari. Quia tamen non eſt „ omnino certum, an poſſit, necne eſse hæreticus Pontifex, ideo ad „ maiorem cautelam, addunt conditionem, niſi fiat hæreticus.

SECTIO IV.

Nullus vnquam Papa dogma falſum Eccleſiæ credendum propoſuit.

1. ET quidem nullum vnquam Romanum Pontificem hæreſim aliquam Eccleſię è cathedra propoſuiſſe, diſertè docent Theodoretus epiſt. ad Renatum, Nicolaus I. epiſt. ad Michaelem Imperatorem Leo I. epiſt. ad Petrum Antiochenum, & S. Agatho Papa in epiſtola ad Auguſtos Imperat. quæ habetur Actione 4. Concilij Conſtantinop. 3. Quod de poſterioribus Pontificibus conſtāter affirmat M. Canus lib. 6. de locis c. 8. quamuis ipſe ibi doceat, Papā poſſe eſſe hæreticum. Nam poſtquam retulit ſententiam Alberti Pighij contendentis, nullum vnquam Romanum Pontificem in hęreſim incidiſse, nec incidere poſſe, attenta Chriſti prouidentiâ erga Eccleſiam ſuam, eamque opinionem, vt nouam „ impugnaſſet, tandem concludit: Non eſt igitur negandum, quin Sum„ mus Pontifex hæreticus eſse poſſit, cuius rei exemplum vnum, vel „ alterum forſitan proferetur: at quòd in fidei iudicio contra fidem „ definierit, ne vnum quidem proferri poteſt. Et ſtatim reſpondet ad argumentum deſumptum ex oratione Chriſti, qui videtur impetraſſe Petro, & Succeſſoribus eius non ſolùm aſſiſtentiam Spiritus Sancti ad confirmandum in fide fratres, determinando dubia fidei, ſed etiam ad

Digitized by Google

conſeruandam veram fidem, *Rogaui pro te Petre, ne deficiat fides tua, &*
„ *tu aliquando conuerſus confirma fratres tuos.* Nam aliud eſt in Petro
„ (inquit) quod ſpectat ad hominis priuatam excellentiam, aliud, quod
„ pertinet ad communem Eccleſiæ vtilitatem. Quod negarit Chriſtum,
„ hominis erat, quod confirmaret fratres, erat Eccleſiæ. Illud proprium,
„ hoc commune erat. Similiter quod fides Petri propria ſemper inte-
„ rius ſeruaretur, hominis priuilegium erat, quod verò alijs confir-
„ mandis ſolidam fidem proponeret, nec in fidei iudicio deficeret,
„ Eccleſiæ publicum priuilegium erat. Romanus igitur Epiſcopus
„ non fuit hæres, aut priuilegiorum, aut culparum Petri propriarum,
„ quæ videlicet ex accidenti publicæ Petri poteſtati coniungebantur;
„ ſed ſucceſſit in his, quæ ſpectabant ad Eccleſiæ communes, & neceſ-
„ ſarias commoditates. Nam priuilegia Apoſtolis à Chriſto conceſſa,
„ aliter ad ipſos, aliter ad Succeſſores referuntur. Quippe in Apoſtolis
„ fuerunt etiam priuilegia perſonalia amplioris gratiæ, quàm in po-
„ ſteris.

2. Et reddit poſtea rationem: Non enim, ait, fides interior Roma-
„ ni Pontificis Eccleſiæ eſt neceſſaria, nec illius occultus, & priuatus
„ mentis error Eccleſiæ Chriſti nocere poteſt. Quapropter non eſt ne-
„ ceſſe, vt in interioris fidei conſeruatione Romanis Pontificibus Deus
„ ſemper aſſiſtat. At quod, dum ea decernunt, quæ fidelibus credenda
„ ſunt, dumque Eccleſiam Chriſti in fide dirigunt, non deficiant, ſed
„ diuina manu teneantur; id Eccleſiæ opus eſt, idque proinde Romanis
„ Epiſcopis etiam imbecillis, & aliàs priuatim errantibus non negabi-
„ tur: ne videlicet per publicæ poteſtatis errorem, Eccleſiam faciant
„ in communi veritatis ignoratione verſari.

3. Sed oportet, vt deſcendamus ad caſus particulares, in quibus D. Dupin, D. Maimburgus, & aliqui alij malè contendunt Pontifices in definiendo erraſſe. Seligemus autem caſus difficiliores, prætermiſſis alijs, in quibus ſoluendis nulla eſt difficultas; quia ad ſummum probant aliquos Pontifices incidiſſe in errorem, ſiue culpabilem, ſiue inculpabilem contra Fidem: nec habent autem ſpeciem vllã probabilitatis ad perſuadendum erraſſe in determinandis fidei, & morum controuerſijs, & Eccleſiæ proponendis doctrinis falſis. Ordine etiam temporum prætermiſſo, agemus priùs de Honorio I. de Ioanne XXII., & Sixto V.: iſti enim ſolent à nonnullis præcipuè impeti, & afferri ad impugnandam Infallibilitatem, quam tuemur, Romani Pontificis.

SE-

Digitized by Google

SECTIO V.

Quidquid ſit, an Honorius Primus inciderit in errorem Monothelitarum; certum eſt, illum errorem non definiſſe, nec Eccleſiæ credendum propoſuiſſe; vt ſine vlla probabilitatis ſpecie D. Dupin aſſeruit.

1. D. Dupin diſsert. illa 5. pag. 349. affirmat, Honorium Primum non ſolùm in errorem Monothelitarum incidiſse, ſed illum errorem Decretali epiſtola definiſſe. Cæterùm quamuis nonnulli voluerint Honorium incidiſse in errorem illum: tamen, vt teſtatur Thomas „ Stapletonius loco ſupra citato, nemo vnquam ſcripſit, aut dixit, „ Decretum hæreticum emiſiſse illum, ſeu hæreſim illam credendam „ propoſuiſse. Sed quod nemo ante Stapletonium dixerat, auſus eſt aſserere Doctor Dupin his verbis: *Honorius à Sergio Patriarcha conſultus, Monothelitarum errorem Decretali epiſtola definiuit*: in hoc multò infenſior Romanæ Sedi, quàm fuerit Nilus Epiſcopus Theſſalonicenſis, qui Primatum Romanis Pontificibus negauit, contendens Petrum quidem fuiſſe Vicarium Chriſti, munus tamen iſtud in eius perſona finitum eſſe: ſiquidem Nilus in libro de Romani Pontificis Primatu contendit quidem, Honorium hæreticum Monothelitam fuiſſe; non eſt tamen auſus affirmare, Honorium definiſſe illam hæreſim, & Eccleſiæ credendam propoſuiſse. Infenſior quàm fuerint Magdeburgenſes; nam iſti centuria 7. cap. 10. in vita ipſius, & cap. 11. colum. 533. inter manifeſtos hæreticos eum ponunt; cæterùm non affirmant illum definiſse hanc hæreſim.

2. Nec afferri poteſt argumentum, quo aliud probetur, quàm ad ſummum hoc vnum, quòd ſcilicet Honorius reſpondens Epiſtolis Sergij, hæreſim non extinxerit, quam Sergius in ſuis litteris ipſi ſuadere conabatur. Non eſt autem idem conniuere epiſtolæ hæretici ſtatuentis hæreſim, ac hæreſim illam definire, & toti Eccleſiæ credendam proponere. Certè ſi Caluinus ſcripſiſſet ad Romanum Pontificem, eique inſtillaſſet ſuos errores, & Pontifex reſpondens hæretico acceptaret errores illos, & tanquam veritates amplecteretur, verè diceretur Pontificem illum contra fidem erraſſe; non tamen propterea dici poſſet errores illos definiſſe, & Eccleſiæ credendos propoſuiſſe. Extant quidem duæ Epiſtolæ Honorij ad Sergium; vna in ſexta Synodo actione 12. altera ibidem act. 13. In vtraque autem videtur Honorius approbare doctrinam

Digitized by Google

ctrinam Sergij Principis Monothelitarum, & docere, non debere dici Chriſtum duas habere voluntates, aut operationes. Verùm hoc nihil obſtat; nam ſuppoſito, (ſed non conceſſo) & gratis admiſſo, quòd Honorius approbaſſet doctrinam Sergij, non ideo tamen ſequeretur, quòd illam doctrinam toti Eccleſiæ credendam propoſuerit. Non enim eſt idem, Pontificem Romanum approbare doctrinam hæretici, ac doctrinam illam definire vt Summum Pontificem & Paſtorem, & toti Eccleſiæ proponere, vt eſt manifeſtum. Vnde licèt communis conſenſus Theologorum doceat tanquam certum, Romanum Pontificem non poſſe errare in dubijs fidei determinandis, & toti Eccleſiæ proponendis; nullus tamen eorum tanquam omnino certum ſtatuit, Papam non poſſe eſſe hæreticum; ſed aliqui expreſsè affirmant, poſſe eſſe hæreticum, vt M. Canus, & nonnulli fatentur aliquos Pontifices de facto contra Fidem erraſſe. Et quamuis Bellarminus & alij latè defendant, in Cathedra Petri nullum hucuſque Pontificem ſediſſe, qui hæreticus fuerit: Et hoc factum certum exiſtiment, vel ſaltem conſtanter affirment, de nullo Pontifice probari poſſe, quòd fuerit hæreticus: id tamen non defendunt, quia certum exiſtimant, Papam non poſſe eſſe hæreticum, ſed quia putant id eſſe pium, & magis probabile, vt patet ex verbis Bellarmini lib. 4. de *Romano Pontifice cap. 6.* „ Probabile eſt, inquit, pièque
„ credi poteſt, Summum Pontificem non ſolùm vt Pontificem, ſed
„ etiam vt particularem perſonam hæreticum eſſe non poſſe, falſum
„ aliquid contra fidem pertinaciter credendo.

3. Licet itaque Dupini argumentum probaret, Honorium hæreticum fuiſſe, & hæreſim tenuiſſe in epiſtola reſponſiua directa ad Sergium hæreticum: non tamen probat, hæreſim definiſſe in epiſtola Decretali ad totam Eccleſiam directa, in qua omnibus fidelibus intimauerit, vt eam doctrinam credant; prout erat neceſſarium, vt verificaretur illud quod ſignificant verba Dupini, *Honorius errorem Monothelitarum epiſtola Decretali definiuit.*

4. Addo, nec argumentum Dupini probare, quòd Honorius fuerit hæreticus adhuc materialiter, ſed duntaxat, quòd deceptus à Sergio Patriarcha, materialiter errauerit in eo, quod non erat adhuc expreſsè definitum, nec adhuc ſatis conſtabat, an eſſet de fide. Nam ad hæreſim formalem requiritur, quòd quis pertinaciter credat oppoſitum eius, quod ſcit ab Eccleſia Romana teneri, & doceri. Qui enim per errorem inculpabilem iudicant aliquid reipſa contra fidem, erronei dici poſſunt, non tamen hæretici: ſiquidem hæreſis propriè ſumpta non componitur cum fide habituali ſupernaturali: error autem materialis contra fidem bene cohæret cum fide, imò & cum gratia habituali ſanctificante. Ad hæreſim verò materialem requiritur, quòd quis per errorem inuincibilem neget veritatem, quæ inconcuſsè eſt de fide apud omnes Doctores Catholicos, quin Eccleſia toleret oppoſitum. Quando autem Hono-

rius

rius ſcripſit, non erat ita explorata illa veritas de duplici Chriſti voluntate, quæ poſtea definita eſt contra Monothelitas in ſexta Synodo Generali, ſeu Conſtantinopolitana tertia, quæ inchoata eſt menſe Nouembri anni 680. & finita eſt menſe Septembri 681. ſub Agathone Papa, & Conſtantino Pogonato, in qua à 289. Epiſcopis, Monothelitarum hæreſis damnata eſt, cùm tamen Honorius obijſset anno 638. & vt inquit Seuerinus Binius tom. 2. Conciliorum par. 2. pag. 339. in notis ad Epiſtolam tertiam Honorij (quæ eſt lapis offenſionis, & petra ſcandali antiquioribus, & nouatoribus hæreticis) eo tempore, quo Honorius Sergio reſcripſit, Sergius „ ab omnibus Catholicus habebatur, „ nihilque hæreticum adhuc dixerat, aut ſcripſerat, ſuaque omnia „ Eccleſiæ cenſuræ ſubiecerat. Mihique maximè placet iudicium Eximij Doctoris P. Franciſci Suarez diſput. 10. de fide ſect. 6. num. 11. ait, quòd licèt multi veroſimiliter affirment, verum Pontificem poſse incidere in hæreſim, ſibi „ tamen & magis pium, & probabilius videri, „ poſse quidem Papam vt priuatam perſonam errare ex ignorantia, non „ tamen ex contumacia, ac proinde non poſse eſse hæreticum, quia hæreſis ſine contumacia non incurritur.

5. An verò reipſa tenuerit illum errorem, qui poſtea damnatus eſt, res eſt dubia. Et quamuis ad noſtrum intentum ſatis ſit, quòd errorem illum non definierit, nec Eccleſiæ credendum propoſuerit, vt hucuſque tanquam omnino certum ſtabiliuimus: nihilominus ſect. ſequenti oſtendemus, quod illum errorem non tenuerit.

SECTIO VI.

Oſtenditur contra D. Maimburgum, & D. Dupin, Honorium Primum Pontificem non tenuiſſe errorem Monothelitarum, qui poſtea damnatus eſt in ſexta Synodo generali.

1. AN Honorius in hęreſim Monothelitarum conſenſerit, grauis eſt quæſtio diu multumque ventilata, & hoc noſtro tempore à Doctoribus Catholicis vtrimque agitata, inquit D. Andreas Duuallius parte 2. quæſt. 4. Illum fuiſse hæreticum Monothelitam affirmant non ſolùm Nilus Schiſmaticus, & Magdeburgenſes hæretici, ſed etiam nonnulli ex Catholicis, vt M. Melchior Canus apud Bellarmin. lib. 4. de Romano Pontifice cap. 11. Huius opinionis fundamenta adducit ibi Bellarminus, quorum præcipuum ſumitur ex ſexta Synodo Act. 13. vbi

damnatur

Digitized by Google

damnatur Honorius tanquam hæreticus, & comburuntur eius epiſtolæ: & ex ſeptima Synodo, vbi totum Concilium dicit anathema Honorio, Sergio, & Cyro, & ceteris Monothelitis. At Honorium ab hac labe liberant Iacobus Payua Andrade in defenſione Synodi Tridentinæ, & Stapletonius; item apud Bellarminum Albertus Pighius, Hoſius, Ioannes à Louanio, & Onuphrius, ipſeque Bellarminus ibidem: & Cardinalis Baronius tom. 8. Annalium ad annum 681.pag. mihi 548.vbi ait: „ Vetus eſt calumnia Monothelitarum hæreticorum, quâ Honorium „ in ſuas abſtrahere partes conati ſunt; verùm tum à Ioanne Pontifice „ Honorij ſucceſsore, tum à Maximo diſputante cum Pyrrho conuicta eſt. Et latè Seuerinus Binius, qui poſt Bellarminum, & Baronium ſcripſit; nam tom. 2. part. 2. Conciliorum pag. 337. ait: „ Verior eſt ſen- „ tentia omnium ferè orthodoxorum noſtri temporis illa, quâ Hono- „ rius ab omni labe, & ſuſpicione hæreſis expurgatur; idque ſatis neruosè probat. Subſcribunt R. P. F. Franciſcus Longo à Coriolano in ſumma Conciliorum à pag. 578. & D. Andreas Duuallius parte 2. qui id ſolidè probat. Nam Honorius in ſua ad Sergium Conſtantinopolitanum epiſtola de vna aut duabus operationibus in Chriſto tacendum eſse iudicauit, ne qui dicerent vnam in Chriſto oprationem fuiſse, Eutycheti vnicam in Chriſto naturam aſserenti fauere viderentur; & qui duas ſtatuerent, partes Neſtorij duas in Chriſto perſonas pugnaciter aſtruentis tueri viderentur: ideoque cùm res nondum eſset ab Eccleſia definita, & quorſum quiſque hac in quæſtione ſe verteret, ad alterutrius ſcopulos nauem ſuam allideret, à nomine vnius aut duarum operationum abſtinendum eſse prudenter decreuit. Ex hoc tamen non magis hæreſim definiuiſse ſequitur, quàm ſi nunc temporis quæſtio de auxilijs, vniuerſas Chriſtiani nominis Academias tantopere exagitans definiretur, ſequeretur felicis recordationis Clementem VIII. in hæreſim prolapſum eſse, qui omnibus, & ſingulis Doctoribus, ne alterutram quæſtionis partem condemnare, ſeu vt eius verbis vtar, qualificare auderent, Bullâ expreſsâ prohibuit: itemque Sixtum IV. ſi Conceptionis Beatæ Virginis quæſtio terminaretur, cum cap. *Alma Mater*, de treuga & pace prudenter vetuit, ne à quoquam alterutra illius pars damnaretur, aut tanquam hæretica, & temeraria reprobaretur. Quod cùm nemo ſanæ mentis dixerit, idem eſt de Honorio ſentiendum, etſi poſtea quæſtio duarum in Chriſto operationum & voluntatum, contra Monothelitas fuerit *definita*. Quam rationem aſſignant etiam Bellaminus, & Binius.

§. I.

§. I.

Nihil haberi contra rectam Fidem Honorij in eius Epiſtolis ad Sergium.

1. NEque obſtat, quòd Honorius in ſua epiſtola hæc verba proferat: ***vnde & vnam voluntatem fatemur Domini noſtri Ieſu Chriſti***. Vt enim probat apud Bellarminum S. Maximus Martyr, qui tempore Honorij vixit, teſtimonio ipſius Secretarij, qui epiſtolam illam ab Honorio dictatam exarauit: illa verba, ***vnam voluntatem***, non ſunt intelligenda de Chriſto ſpecificatiuè ſumpto, quatenus eſt Deus & homo, ſed de Chriſto reduplicatiuè vt homine; ſolùmque ſignificant, in Chriſto vt homine non eſse duas voluntates contrarias ſibi inuicem repugnantes, ſicut ſunt in nobis, alteram carnis prouenientem ex peccato, alteram ſpiritus; ſed vnam, omnino ſubiectam voluntati diuinę. Audiamus verba Secretarij Honorij teſtificantis de mente Pontificis, qui epiſtolam ipſi ſcribenti dictauerat. ***Cùm Sergius***, inquit Secretarius, ***ſcripſiſſet, prædicare quoſdam, eſſe duas Chriſti voluntates contrarias; nos reſcripſimus, Chriſtum duas voluntates contrarias, vnam ſpiritus, alteram carnis, non habere***, ſed vnam tantùm voluntatem ſpiritus, quia caro in Chriſto nihil abſolutè contra rationem potuit.

2. Et hinc ***euidenter infertur***, inquit Duuallius, Honorium, quan-„ do vnam tantùm in Chriſto voluntatem ſtatuit, de humana tantum „ loquutum eſse. Nec enim in Chriſto à peccato prorſus immuni vlla „ interceſſit humanarum voluntatum pugna & contrarietas, quaſi ca-„ ro eius aduerſus ſpiritum, vt in nobis aſsolet, concupierit. Et ſanè hæc expoſitio colligitnr ex verbis Honorij, qui reddens rationem, cur diceret vnam in Chriſto eſse voluntatem, inquit: ***Quia profectò à Diuinitate, aſſumpta noſtri natura, non culpa &c.*** Hæc enim ratio nulla eſſet, ſi afferretur ad probandum errorem Monothelitarum, nimirum in Chriſto Deo & homine, vnam tantùm eſse voluntatem: eſt autem efficaciſſima, ſi aſsumatur in ſenſu explicato à Secretario Honorij, ad probandum non fuiſſe in Chriſto duas contrarias voluntates, carnis & ſpiritus. Nam contrarietas iſta ex peccato nata eſt; Chriſtus autem ſemper habuit naturam humanam immunem ab omni peccato, imò & incapacem peccandi ob vnionem cum Verbo.

3. Et hanc fuiſſe Honorij mentem clarè oſtendit Baronius tom. 8. ad annum 633. pag. mihi 317. totam epiſtolam Honorij adducens. Nam poſtquam expendit verba nuper relata ſubiungit: „ Cùm igitur audis „ vnam Honorium dicere voluntatem, intellexiſſe id reſpectu duarum

„ inter ſe pugnantium contrariarum voluntatum ad malum & bonum, „ ex ijs, quæ tradit, apparet, noſque inferiùs id magis perſpicuè de- „ monſtrabimus. Hæc ibi Baronius, qui poſtea ad annum *681*.expendens duodecimam ſeſſionem ſextæ Synodi, in qua data eſt ſententia contra Monothelitas, & contra Honorium, idipſum perſpicuè oſtendit. Et pag. mihi 552. ad finem, & initio paginæ 553. ſic concludit: *Si non aliunde Honorius eſt condemnatus hæreticus, quàm quod prior eius ad Sergium epiſtola ſcripta, hæretica fuerit exiſtimata: cùm è contra eadem in omnibus orthodoxa probetur, euaneſcat penitus illa de eius damnatione ſententia*. Certè quidem iudicio Maximi in diſputatione cum Pyrrho, eam eſſe probatam Catholicam, & ex interpretatione germana facta ab authore, qui ſcripſerat, atque oſtenſam in omnibus orthodoxam à Ioanne Romano Pontifice, ſuperiùs monſtratum eſt: & cum de ea epiſtola ſuo loco ſermo eſt habitus, pariter palàm factum illam in omnibus eſſe Catholicam, nec vlla ex parte periclitari poſſe. Quæ quidem communis eſt ſententia recentiorum Orthodoxorum, qui eam exactè diſquirunt; quod egregiè inter alios præſtitit doctiſſimus Robertus Bellarminus.

4. Idque ipſum validè confirmatur: quia ſi Honorius intendiſſet approbare errorem Monothelitarum, quod ſcilicet in Chriſto Deo & homine vna dumtaxat ſit voluntas, ſibi ipſi manifeſtè contradiceret in eadem epiſtola; nam in illa veritatem catholicam de duplici natura, diuina & humana, cum duplici voluntate diuina ſcilicet & humana, & duplici operatione apertè confitetur his verbis: *Vtraſque naturas in vno Chriſto, vnitate naturali copulatas, cum alterius communione operantes, atque operatrices confiteri debemus: & diuinam quidem, quæ Dei ſunt, operantem, & humanam, quæ carnis ſunt, exequentem, non diuisè, neque confusè, aut conuertibiliter Dei naturam in hominem, nec humanam in Deum conuerſam edocentes, ſed naturarum differentias integras confitentes &c.* Hæc confeſſio Catholiciſſima eſt, & Monothelitarum hæreſim penè deſtruens, ſubiungit Bellarminus.

5. Cardinalis Baronius in priori illo loco ad annum *633*. integram epiſtolam Honorij tranſcribit; & immediatè ſubiungit pag. mihi 317. „ Intelligis, Lector, piè, ſanctè atque catholicè ab Honorio iſta diſ- „ ſeri, id, atque ita poni ob idiomatum communicationem, vnum „ in Chriſto volentem, & operantem, ſicut vnica eſt eius perſona; „ cùm tamen æquè adſtruat ob diuerſas proprietates duarum ſimul in- „ diuisè, & inconfusè coniunctarum naturarum, æquè & voluntates „ diſtinctas, & inconfuſas in eodem reperiri. Quapropter ſatis conſtat, ideo Honorium tunc abſtinuiſſe à vocabulo duarum voluntatum, ne videretur in Chriſto ponere cum Neſtorio duos volentes, ſeu duas perſonas, cùm certum ſit in Chriſto eſſe vnicam perſonam cum duplici natura, & cum proprietatibus vtrique naturæ proportionatis.

6. Et quidem, quod mens Honorij fuerit illa, quam hucuſque expo-

poſuimus, conſtabit legenti ſequentia eius verba in epiſt. 1. ad Sergium. *Non oportet* (inquit) *ad dogmata hæc Eccleſiaſtica retorquere, quæ neque Synodales apices ſuper hoc examinantes, neque authoritates canonicæ viſæ ſunt explanaſſe: vt vnam, vel duas exergias aliquis præſumat Chriſti Dei prædicare.* Et ibidem. *Et nos quidem ſecundum ſanctiones diuinorum eloquiorum oportet ſapere, vel ſpirare, illa videlicet refutantes, quæ quidem nouæ voces noſcuntur ſanctis Dei Eccleſijs ſcandala generare, ne paruuli, aut duarum operationum vocabulo offenſi, ſectantes Neſtorianos nos veſana ſapere arbitrentur; aut certè ſi rurſum vnam operationem Domini Ieſu Chriſti fatendam eſſe cenſuerimus, ſtultam Eutychianiſtarum attonitis auribus dementiam fateri putemur.*

§. II.

Diluitur præiudicium contra Honorium ex ſexta Synodo.

1. SEd quid reſpondendum eſt ad fundamentum præcipuum deſumptum ex ſexta Synodo? certè reſponſio apparet difficilis; quia non videtur poſſe abſolui Honorium, quin damnetur ſexta Synodus, quæ illum damnauit: & ideo Baronius ad annum 633. pag. mihi 316. „ aiebat: Hic in limine magnæ controuerſiæ te præmonitum velim „ Lector, eo quod per lubrica incedat oratio, quaſi defendi non „ poſſit Honorius, niſi, qui eum damnaſſe dicuntur, Patres ſextæ Synodi „ condemnentur. Cæterum Baronius cùm ex vna parte Honorium validiſſimè, & ſolidè defendat ab impoſita hæreſi, etiam ab errore „ ſatagit purgare ſextam Synodum; & ideo ſtatim addit: Verum non „ ſic fiet, ſed veritati cùm fuerit bene conſultum, erit vt & videas „ quàm apertiſſima luce Honorium ab ea calumnia vindicatum, inte„ gerrimum in omnibus, ſemperque orthodoxum oſtenſum, & Patres „ impoſturâ detectâ, reddi ab omni ſuſpicione laceratę iuſtitiæ liberos. Id autem præſtat poſtea ad annum 681. dum diſcutit Acta ſextę Synodi, eiuſque rationes in compendium redigit Binius tom. 2. Conciliorum parte 2. pag. 337. his verbis.

„ 2. Honorium in Actis Synodalibus VI. & VII. Concilij velut hæ„ reticum anathematizari, & cum Monothelitis ibidem recenſeri, „ multum huic noſtræ communi orthodoxorum ſententię præiudica„ ret, ſi non euidenter conſtaret, acta ſextæ Synodi impoſtura Theo„ dori Conſtantinopolitani & Monothelitæ Epiſcopi, corrupta eſſe. „ Anaſtaſius Bibliothecarius in compendio actionum Synodalium „ ſextæ Synodi, diſertis verbis affirmat Theodorum Conſtantinopoli„ tanum Epiſcopum, qui Vitalianum è ſacris Dyptichis eraſerat, inter „ hæreticos nominatum fuiſſe. Verùm ſi acta eiuſdem Synodi illa,

Digitized by Google

„ quæ nunc extant, diligentiſſimè omni ex parte luſtres, nuſquam Theodori, vbique ferè Honorij nomen inter damnatos Monothelitas reperies. Quis credat illud ſine fraude impoſtoris Epiſcopi accidiſſe? Accedit, quod ſi Concilium ſextum Oecumenicum condemnaſſet Honorium tanquam hæreticum, cum epiſtola S. Agathonis, quam actione 8. & 18. velut oraculum S. Petri approbauerat, manifeſtè pugnaret. Nam Agatho Papa in epiſtola 1. ad Imperatorem, quæ lecta eſt in ipſo Concilio ſeſs.4. ait: Omnes ſuos Prædeceſſores, quorum vnus eſt Honorius, hęreſibus ſemper reſtitiſſe, ſuoſque fratres in vera fide confirmaſſe. Quod ſi verum eſt, non potuit ſexta Synodus Honorium iam multis ante temporibus defunctum, velut hæreticum condemnaſſe, quodque ad Imperatorem ſcripſerat Agatho Pontifex, velut oraculum S. Petri approbaſſe. Præterea ſi Concilium Oecumenicum Honorium, prout aſseritur, velut hæreticum condemnauit, neceſsum eſt affirmare, illud intolerabili errore & impudentia laboraſse, vtpote quod nullo hęreſeos indicio comperto, Pontificem Catholicum, & Orthodoxum condemnauerit. Nam illę, quas aduerſarij pretendunt Epiſtolas Honorij, Monothelitarum doctrinæ fauentes, Catholicę ſunt, duaſque in Chriſto voluntates & operationes eſse profitentur, niſi quod à nominibus illis Vnius, vel duarum ad ſcandalum tollendum, & contentionem ſedandam abſtineri velint. Quare cum nemo pro hęretico damnari poſſit, qui rem ipſam confitetur, licet nomen iuſta de cauſa tacendum eſse arbitretur, preſertim ante definitionem Eccleſiæ; grauiſſimè ſanè erraſset Concilium, ſi hac de cauſa Pontificem condemnaſset. Quod cum nullo vnquam tempore ne ipſi quidem hęretici affirmauerint, dicendum eſt, quod impoſtura Grecorum hęc de condemnato Honorio, actis Synodalibus ſexti Concilij Oecumenici per fraudem & dolum ſurreptitię addita fuerint. Et quidem maximè propterea, quod in Lateranenſi ſub Martino, & Romano ſub Agathone celebratis Concilijs nulla reperiatur mentio Honorij, quando nominatim omnes Monothelitę Synodali iudicio condemnati ibidem recenſentur.

3. Sed maiori cum efficacia oſtendit Baronius ad annum 681. pag. 548. & 549. manu impij Theodori deprauatam fuiſſe ſententiam latam à Patribus ſextæ Synodi contra hæreticos Monothelitas, appoſito Honorij nomine, ac ſuo ſublato. Nam ſeſs.13. lectæ ſunt Epiſtolæ, & ſcripta Monothelitarum, nimirum Sergij Epiſcopi Conſtantinopolitani, Cyri Alexandrini, Pyrrhi & aliorum, & reprobata; ſicut reprobata fuerant ab Agathone Pontifice Romano in epiſtola ad Imperatorem; quam Epiſtolam Patres viderant. Sic enim in illa ſua ſententia dicunt Patres Concilij: *quarum omnia ſupraſcriptarum perſonarum mentionem fecit Agatho ſanctiſſimus, ac ter Beatiſſimus Papa antiquæ Romæ in ſuggeſtione, quam fecit ad pijſſimum, & Deo confirmatum Dominum noſtrum & magnum*

gnum Imperatorem, eoſque obÿcit, vtpote contraria rectæ fidei ſentientes, quos anathemati ſubmitti definiuimus. Admirationem autem cauſat, quod Patres iſti, qui tanta cum reuerentia citant epiſtolam Agathonis, in qua damnans hęreticos Monothelitas, eoſque nominans, nullam mentionem fecit Honorij, vt vllo pacto ſuſpecti de errore illo; ſed potius illum ab omni hæreſi purgat, dum in eadem epiſtola diſertè affirmat, omnes prædeceſſores ſuos Romanos Pontifices procul fuiſſe ab omni ſuſpicione hæreticę prauitatis. Admirationem, inquam, cauſat, quod in ſua ſententia addere potuerint immediatè ad verba nuper citata ea quæ ſequuntur: *Cum his vero*, inquiunt, *ſimul proÿci à Sancta Dei Catholica Eccleſia, ſimulque anathematizari: præuidimus & Honorium, qui fuerat Papa antiquæ Romæ, eò quod inuenimus per ſcripta, quæ per ipſum facta ſunt ad Sergium, quia in omnibus eius mentem ſecutus eſt, & impia dogmata confirmauit*. Hactenus quæ fertur ſententia aduerſus hæreticos in Synodo confirmatos.

4. Quibus verbis recitatis ſubiungit Baronius grauiſſimā ponderationem: Hic rogo, inquit, Lector, ſiſte mecum iſta conſiderans, quod in tantæ rei hiſtoria nullus ſit locus mendacio & falſitati, ſed ipſa pura ſinceraque veritas fraudibus omnibus & impoſturis ſuperior ſemper appareat. Si in recitata ſententia in condemnatione hęreticorum Patriarcharum & aliorum, Agathonis Romani Pontificis ſe exemplum & authoritatem ſecutam Synodus profitetur, dum quos prædamnatos ait ab Agathone Pontifice in Epiſtola ad Imperatorem, eoſdem condemnatos confirmat: quare contra eandem Agathonis epiſtolam ab eadem Synodo additur Honorij condemnatio? Si non latuere Synodum, quæ in ea eſſent Epiſtola de condemnatione dictorum Epiſcoporum hęreticorum: vtique neque potuerunt latuiſſe, quæ pro Honorio in eadem legerentur in conteſtatione validiſſima illa iterum atque iterum repetita, qua firmiſſimè aſtrueret, neminem ſuorum Prędeceſſorum Romanorum Pontificum quid minimum in Catholicam fidem peccaſſe.

5. Vt autem Baronius comprobet non potuiſſe à Patribus Concilij talia verba contra Honorium proferri, ac proinde fundamentum adeſſe iudicandi, illa fuiſſe per fraudem ac dolum à Græcis ſuppoſita, in medium producit verba S. Agathonis in ſua epiſtola, & ſtatim addit: Habes igitur ex recitatis verbis Agathonis, non ſolum prædeceſſores omnes Romanos Pontifices procul fuiſſe ab omni ſuſpicione hæreticę prauitatis, ſed omnes pariter aduerſus hęreſes inſurrexiſſe, inſuper quod maius his omnibus æſtimari debet, Agathonem ipſum hęc ſibi vendicare ex Domini (vt ait) pollicitatione, qua dixit: *Ego rogaui pro te Petre, vt non deficiat fides tua*; quæ irrita nullo modo reddi poſſit, ipſo teſtante, qui ait: *Cœlum & terra tranſibunt, verba autem mea non præteribunt*. Vnde intelligas, quàm ſolido nitatur

„fun-

,, fundamento aſſertio illa de Romanorum Pontificum fide Catholica
,, nullo fermento hęreſis aliquando labefactata .
,, 6. Vides igitur,quantum iſta pro Honorio Papa ſtent inconcuſſa .
,, Sed & quod idem Agatho Pontifex eadem Epiſtola texens catalo-
,, gum omnium hęreticorum , qui aſſertores vnius fuerint voluntatis ,
,, nec inter eos Honorium nominat , qui primus omnium nominandus
,, fuiſſet pariter & execrandus: planè haud dubium reliquit, extra eiuſ-
,, modi nefandorum conſortium Honorium collocatum .

§. III.

Eadem ex Epiſtola Agathonis recta fides Honorij rurſus validiſſimè confirmatur .

1. MVlta alia validiſſima conficit Baronius argumenta , vt comprobet Acta Synodi corrupta fuiſſe à Theodoro Patriarcha , eo quod inter hæreticos ipſe fuerat nominatus à Synodo . Et ſanè incredibile apparet, quod Legati Sedis Apoſtolicæ , qui rerum agendarum certum,ac perſcriptum acceperant Commonitorium , nimirum vt eam fidem, eaque dogmata conſtanter defenderent , quę in Epiſtola S. Agathonis continebantur , & qui interfuerunt illi ſeſſioni , in qua damnata eſt memoria hęreticorum Monothelitarum , viderent damnari cum alijs Honorium prædeceſſorem Agathonis , quem ipſe in ſua Epiſtola ab omni ſuſpicione hæreſis liberum faciebat ; & tamen quod nullum verbum fecerint in defenſionem Epiſtolæ Agathonis , & innocentiæ Honorij . Nam arguere hęreticæ prauitatis Honorium , erat mendacij, vel erroris arguere Epiſtolam Agathonis , in qua teſtabatnr omnes ſuos Prædeceſsores procul fuiſse ab omni ſuſpicione hæreticæ prauitatis . Et ſanè memoria Honorij ſatis erat recens ; nam ille obijt anno 638. & Agatho electus eſt in Papam anno 678.& eius epiſtolę ad Sergium notę erant Agathoni .

2. Nec ſolum Agatho Papa hoc teſtatus eſt ; ſed centum & viginti quinque Epiſcopi, qui anno 680. in Concilio Romano Monothelitarũ hæreſim condemnarunt, atque Legationem Conſtantinopolim ad Synodum Oecumenicam decreuerunt, hoc ipſum teſtati ſunt in epiſtola Synodica, quæ fuit veluti inſtructio Legatorum , cui omnes cum Agathone ſubſcripſerunt, quæ habetur in Sexta Synodo Actione 4. apud Labbè tom.6. à colum.677. ſic enim omnes quaſi vno ore loquuntur : *Credimus* , O Imperatores, *quia quod paucis , raroque conceſſum eſt, à Deo coronato veſtro Imperio diuinitus concedetur, vt per ipſum Catholicæ atque Apoſtolicæ veræ noſtræ fidei ſplendidiſſimum in omnium mentibus emicet lumen: quod ex veri luminis fonte tamquam de radio viuifici fulgoris,per mi-*

niſtros

niſtros Beatos Petrum & Paulum Apoſtolorum Principes, eorumque diſcipulos & Apoſtolicos ſucceſſores, gradatim vſque ad noſtram paruitatem, Dei opitulatione ſeruatum eſt, nulla hæretici erroris tetra caligine tenebratum, nec falſitatis nebulis confœdatum, nec intermiſſis hæreticis prauitatibus velut caliginoſis nebulis perumbratum, immune atque ſincerum, & ſuis radijs perluſtratum, pijſſimis conatibus conſeruare cupit veſtrum à Deo coronatum faſtigium.

3. Quare prudens lector iudicet, an præcipitanter & temerè dixerit D. Dupin diſſert. 5. pag. 350. omnes nunc ridere opinionem Baronij, quatenus ſcripſit, Acta ſextæ Synodi fuiſſe corrupta. Qui enim hoc rident digni ipſi riſu erunt, cùm ad ita iudicandum habuerit Baronius grauiſſima fundamenta. Et ſanè niſi dicamus acta illa Synodalia in ijs, quæ cauſam Honorij concernunt, corrupta & deprauata fuiſſe, oportet fateri, Synodum ſanctiſſimam intolerabilis erroris & iniuſtitiæ notam incredibilem incurriſſe.

3. Vt enim inquit Coriolanus in Summa Conciliorum pag. 579. „ Intolerabilis error foret, ſi vnam atque alteram epiſtolam Honorij „ ducenti octoginta nouem Patres non intellexiſſent, quaue intentio„ne ea ſcripta fuiſſet, ex circumſtantia temporis, loci, ac perſonarum „ non aduertiſſent: item quæ locorum dubiorum foret interpretatio, „ ex vulgata illa, & celebri diſputatione Maximi cum Pyrrho habita „ non audiſſent. Magna eſſet impudentia, ſi Apoſtolicam Sedem, quæ „ communi antiquiſſimorum Patrum ſententia iudicat omnes, & à ne„mine iudicatur, ipſi iam præcipitato iudicio condemnare præſumpſiſ„ſent, cùm aliàs ob damnationem Theodori Mopſueſteni, aliorumquè „ minoris authoritatis, & dignitatis Epiſcoporum, totum terrarum „ Orbem commoueri, Synodumque Oecumenicam congregari opor„tuiſſet. Grauis eſt iniuſtitia, ſine cauſa iuſta damnare innocentem, at„que citra legitimam debitamque proceſſus formam, etiam nocentem, „ & criminis reum condemnare. Si Patres Oecumenici Concilij Hono„rium condemnaſſent, ſine cauſa damnationis ſententiam in eum in„tuliſſent. Epiſtolæ enim, quas ad Sergium ſcripſit, & quarum cauſa „ in Actis damnari perhibetur, Catholicæ ſunt, nulla hæreſeos ſuſpi„cione laborant, vt prolixè notat Binius in epiſtolis ipſis, & in Vita „ ipſius Honorij. Siquidem ambæ clariſſimè teſtantur, ipſum ſenſiſſe, „ & docuiſſe in Chriſto eſſe duas voluntates & operationes, & ſolùm „ voluiſſe abſtineri à nominibus *vnius*, vel *duarum* ad ſcandalum tol„lendum, & contentionem ſedandam. Non poteſt autem iuſtè de hæ„reſi condemnari is, qui rem ipſam confitetur, licèt nomen, præſertim „ ante definitionem Eccleſiæ, iuſta de cauſa tacendum eſſe arbitretur: „ alioquin Beatus Hieronymus poſſet iam pro hæretico condemnari, „ quia in epiſtola ad Damaſum cenſuit, non eſſe dicendas in Deo tres „ hypoſtaſes, cuius contrarium poſtea Eccleſia non ſemel definiuit.

„ Imò

„ Imò ſi reus obiecti criminis fuiſſet Honorius, priuſquam damnaretur, „ erat inquirendum, an errorem vnquam reuocauerit, vel potiùs in „ eodem vſque ad obitum perſeuerauerit? Quare cùm tantam ignomi„ niæ notam nemo etiam hæreticorum huic ſanctæ Synodo impingen„ dam eſſe ſentiat, dubium non eſt, quin Acta Concilij in hac cauſa „ Honorij deprauata fuerint. Quod argumentum deſumpſit hic Au„ thor ex Bellarmino lib.4. de Romano Pontifice cap. 10. verſ. *Quinto loco*, vbi ait in hoc puncto neceſſarium eſſe dicere, vel Concilium illud deprauatum fuiſſe ab æmulis, vel intolerabili errore, & impudentia laboraſſe.

4. Probat etiam Coriolanus in Summa Conciliorum pag. 575. alio argumento fuiſſe corrupta à Græcis Acta Sextæ Synodi; nam Anaſtaſius in vita Agathonis ſcribit, Georgium Conſtantinopolitanum Patriarcham, fidem Catholicam profeſſum eſſe coram Synodo in publico conuentu habito die 14. Februarij anni 681. & poſtquam narrauerat habitam fuiſſe Actionem ſeptimam die 13. Februarij anni 681. addit: *Sequenti die ab eodem Secretario reſidente Synodo vnà cum Principe, Synodica Sanctiſſimi Agathonis relecta eſt &c.* Poſtquam verò Coriolanus hæc „ verba Anaſtaſij retulit, ſubdit: Quæ cùm in Actis Synodalibus deſi„ derentur, credanturque data opera à Theodoro Conſtantinopolita„ no Epiſcopo ablata, ne inde hæreticus probaretur; certiſſimo argu„ mento conſtat, Acta huius Concilij hoc loco mutilata eſſe: quæ ali„ bi eorumdem hæreticorum corruptela vitiata, & deprauata fuerunt.

5. Ex dictis collige, vel ſuppoſititiam, vel corruptam eſſe epiſtolam Sancti Leonis Secundi ad Conſtantinum Pogonatum Imperatorem, in qua approbat, & confirmat ſextam Synodum, quæ extat ad calcem ſextæ Synodi Actione 18. in qua hæc verba leguntur: *Pariter anathematizamus noui erroris inuentores, ideſt Theodorum Pharitanum Epiſcopum, Cyrum, Alexandrinum, Sergium, Pyrrhum, & Conſtantinopolitanum, Eccleſiæ ſubuerſores, potius quam Præſules: necnon & Honorium, qui hanc Apoſtolicam Eccleſiam non Apoſtolicæ traditionis doctrina luſtrauit, ſed profana proditione immaculatam fidem ſubuertere conatus eſt.* Binius in notis ad hanc Epiſtolam cum Baronio ad annum 683. numer. 6. & 8. tribus coniecturis probat hanc Epiſtolam commentitiam eſſe, quarum tertia eſt, quòd Honorium in Monothelitarum hæreſi defunctum, adeòque iuſtè anathematis condemnatum eſse ſcribat, quẽ publico funere Romana Eccleſia ſepeliuit apud Sanctos Pontifices in Eccleſia S. Petri, cuique vt Catholico Pontifici parentauit. Vel ſi contendas, illam Epiſtolam legitimam eſse; & vt ſcripta eſt à S. Leone, ad nos perueniſſe, de neceſſitate fatendum erit, ſanctum hunc Pontificem circa factum Honorij paſsum eſse deceptionem, nec mentem Honorij penetraſse.

§. IV.

Digitized by Google

§. IV.

Soluitur Argumentum deſumptum ex Edicto Imperiali ſeu Epiſtola Conſtantini Pogonati.

1. NEc refert, quod in Edicto quoque Imperiali inter hæreticos Monothelitas damnatos numeretur Honorius, vt num. 13. in Propylæo ad Acta Sanctorum Maij diſſert. 15. refert Papebrochius, & probat ex veteri codice Bellouacenſi. Non inquam, refert: quia licet hoc non potuerit latere Legatos Romæ, quando ibi lectum eſt Imperatoris edictum; potuit tamen latere Conſtantinopoli, quando erat tempus reclamandi. 2. Quia Legati Agathonis non ſubſcripſerunt edicto Imperatoris, ſicut ſubſcripſerunt omnibus & ſingulis actionibus Synodi, quibus ſubſcribere non poterant, ſi in aliqua illarum damnaretur memoria Honorij tanquam hæretici. Vnde ſubſcriptio Legatorum probat Honorij nomen fraudulenter inſertum fuiſſe poſtea actis Synodi. 3. Quia credibile eſt Monothelitarum fraude & induſtria in Edicto Imperatoris nomen Honorij fuiſſe adiunctum nominibus hæreticorum Monothelitarum. Nam erat minor ignominia Theodori Patriarchæ Conſtantinopolitani, & Macarij Patriarchæ Antiocheni notari vt Monothelitas, ſi ſimul eadem nota inureretur Honorio olim Patriarchæ Romano. Vnde Græci ſolliciti de honore ſuorum Patriarcharum, voluerunt eorum cauſam facere communem Patriarchæ Latino. Neque deſunt alia exempla ſimilis vitiationis à Græcis factæ: ne enim ab eadem ſexta Synodo diſcedamus quemadmodum refert Labbè cap. 6. pag. 586. Iulianus Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalis in diſputatione, quam habuit in Concilio Florentino contra Græcos poſt Emanuelem Calecam aduertit ab illis verbis: *Credimus in Spiritum Sanctum Dominum, & viuificatorem ex Patre Filioque procedentem*, expunxiſſe ly *filioque*: denique dicere, quod Pogonatus Imperator in ſuo Edicto errauerit, non continet illud abſurdum, quod continet error totius Synodi.

2. Ex hucuſque dictis corruunt alia argumenta contra rectam fidem Honorij deſumpta ex authoritate ſeptimæ, & octauæ Synodus alijſque quibuſdam teſtimonijs antiquorum: ex vitiatis enim Actis ſextæ Synodi, tanquam ex primo erroris fonte proceſsere.

§. V.

Iudicium Illuſtriſſimi Petri de Marca de recta Honorij Fide.

1. VT defenſionem Honorij abſoluam, ſubiungo iudicium Petri de Marca circa hanc controuerſiam, an ſcilicet Honorius fuerit hæreticus Monothelita, vel illum errorem docuerit. Stephanus Baluzius in vita huius Illuſtriſſimi Viri, quam præfixit primo tomo de concordia, enumerans opera huius præclari Scriptoris, quæ in lucem emiſit, & illa etiam eorum, quæ prælo parabat, & morte præoccupatus
,, anno 1662. luce publicâ donare non potuit, pag.28. inquit: Sed in
,, primis deplorandum eſt, Marcæ per valetudinem eius non licuiſſe
,, epiſtolam ſcribere, quam vltro promiſerat ſe ſcripturum ad clariſſi-
,, mum,& eruditiſſimum virum PHILIPPVM LABBEVM Presbyterũ
,, è Societate IESV: in qua Honorium Romanum Epiſcopum,quem ſe-
,, culi noſtri malignitas in Concilio ſexto Oecumenico damnatum eſſe
,, contendit vt Monothelitam, ab ea labe prorſus immunem reddidiſ-
,, ſet, oſtendiſſetque nihil aliud in eo damnatum eſſe præter negligen-
,, tiam,& quia variè ſe geſſerat. Primùm enim probare decreuerat eui-
,, dentiſſimis argumentis (ſic aiebat ipſe) germana eſſe Acta illius Cõ-
,, cilij, neque à Græcis corrupta; contra quàm viſum eſt nonnullis vi-
,, ris eruditiſſimis. Deinde probaſſet Honorium illic fuiſſe damnatum;
,, non quia Concilium putarit illum docuiſſe hæreſim, vt iſti nouelli
,, hæretici exiſtimant (Centuriatores Magdeburgenſes intellige) ſed
,, quia Sergij Patriarchæ CP. & Cyri Alexandrini Conſultationem
,, ambiguis reſponſis eluſerat, neque ſtatim damnauerat hæreſim tunc
,, recens emergentem. Vnde data populis Orientis occaſio credendi
,, Monothelitarum opinionem non eſſe hæreticam, quandoquidẽ eam
,, prima Sedes non feriebat anathemate. Scilicet Honorius eo decep-
,, tus eſt, quòd Patriarchæ illi pollicerentur Orientem vniuerſum, vbi
,, Neſtorij, & Eutychetis errores vigebant, ad vnitatem Eccleſiæ Ca-
,, tholicæ rediturum, Concilijque Chalcedonenſis decretum de dua-
,, bus naturis in Chriſto vnitis amplexurum, ſi concedi aliquo modo
,, poſſet vnicam in Chriſto voluntatem fuiſſe. Et cùm noua hæc opi-
,, nio, vt ſunt omnia ferme noua, interpretationi tum obnoxia eſſet,
,, quando videlicet nondum damnata erat ab Eccleſia; Honorius, quò
,, facilius Orientem à vetuſtis erroribus reuocaret, οἰκονομικῶς, & per
,, diſpenſationem à ſummo iure receſſit; vt Marcæ verba ad hunc lo-
,, cum traham. Hæc tamen diſpenſatio infeliciter illi ceſſit; vt iam
,, pridem obſeruatum eſt in libro tertio de concordia cap.13.§.9.Nam

hinc

Digitized by Google

„ hinc factum, vt damnationis ſententiam pronuntiauerit ſexta Synodus, perſuaſumque fuerit Orbi vniuerſo, illum inſanam vnius voluntatis opinionem fouiſſe, quam incipientem extinguere debuerat. Hucuſque Baluzius, qui bene perſpectam habebat Illuſtriſſimi authoris mentem, ſiquidem ab anno 1656. apud Marcam habitauit, & indiuiduus eius comes fuit vſque ad mortẽ, vt ipſe narrat in eius vita pag. 16.

SECTIO VII.

Ex opinione falſa, quam aliquando ſecutus dicitur Ioannes XXII. circa animas Sanctorum non beandas ante diem vniuerſalis iudicij, malè infert D. Dupin, Pontificem Romanum, etiam quando Eccleſiam docere intendit, errorem poſſe tanquam fidei dogma proponere.

1. HIc Author pag. 352. ad probandum Papam poſſe in determinandis fidei, & morum controuerſijs errare, adducit in medium Ioannis XXII. exemplum: qui Pontifex, inquit, tum prædicationibus publicis, tum etiam litteris & ſcriptis, & Legationibus conatus eſt ſuum de medio animarum poſt mortem ſtatu errorem in Eccleſiam vniuerſam inducere, & contrarium ſentientes à ſua opinione dimouere. Quod probat teſtimonijs aliquorum Scriptorum, qui hoc teſtantur. Quibus relatis ſic concludit: Habemus ergo in iſto Pontifice exemplum, quo manifeſtè probatur, Papam Romanum, etiam cùm Eccleſiam docere intendit, errorem poſſe tanquam fidei dogma proponere, ac proinde ruit Romani Pontificis ex cathedra loquẽtis, hoc eſt, Eccleſiam docentis, infallibilitas.

2. Hoc eodem exemplo vtitur nouiſſimè Illuſtriſſimus Gilbertus de Choyſeul Epiſcopus Tornacenſis in epiſtola de poteſtate Eccleſiaſtica impreſſa anno 1688. & vi illius pag. 26. contendit, Bellarminum eiuſq; ſequaces, ſaluâ ſuâ doctrinâ docere nõ poſſe, Papam eſſe infallibilem, & qui aſſerit infallibilem, loqui pugnantia. Quod putat ſe hoc argumento conficere. Si vniuerſè verum ſit, Papam eſſe infallibilem; quicumque Papali fulget dignitate, infallibilitatis etiam fulget priuilegio. Si autem quilibet Papa infallibilitate donatus eſt, nullus Papa poteſt Eccleſiæ errorem proponere. Hoc ſuppoſito principio, ſequentem ſubiungit ſyllogiſmum. Quidquid docet Papa, vt Papa infallibiliter verum eſt. Atqui aliquis Papa, vt Papa docet Papam eſſe fallibilem: ergo infallibiliter verum eſt, Papam eſſe fallibilem. Minorem probat exemplo Adriani VI. qui dum eſſet Doctor Louanienſis,

ſis, docuit errare poſſe Summum Pontificem, & hæreſim docere ſua decretali. Quod autem author particularis ſcripſerat, factus Pontifex confirmauit, imprimique præcepit, ac publicari. *Qui poteſt* (inquit) *docere totam Eccleſiam Summus Pontifex, ſi non docuit Adrianus?* Hæc ille.

3. Vtriuſque tamen authoris argumentum debile nimis eſt. Ad hoc ſecundum reſpondeo, minorem illius ſyllogiſmi eſſe falſam, & probationem eius eſse nullam, vt conſtabit ex dicendis contra Dupinum. Ad cuius argumentum reſpondeo tantum abeſse, vt illa conſequētia manifeſtè inferatur ex ijs, quæ ibi narrat hic Author, vt nullam antecedens cum conſequenti connexionē habeat. Admittimus diſputandi gratiâ Ioannem XXII. fuiſſe in ea ſententia, eamque conatum fuiſſe alijs perſuadere. Hinc autem qua probabilitatis ſpecie inferri valet, poſſe Papam dogma falſum definire, & totam Eccleſiam obligare ad credendum? Certum eſt, Papam poſse libros imprimere, & inter opiniones, quæ ſuo tempore currunt, & habentur pro probabilibus, vnam præ alia eligere, quamuis reipſa ſit falſa, & deſiderare vt alij eam ſequantur, & ad hoc eos hortari, & conari quantum eſt ex ſe, vt ea fiat communis; imò poſse hæc omnia facere ex deſiderio eam definiendi, poſtquam viderit eam communiter approbari. Hinc autem nulla probabilitate inferri valet, poſse ad definitionem illius opinionis falſæ procedere, edendo Conſtitutionem, qua toti Eccleſiæ proponat illam doctrinam, vt dogma fidei, cum intentione obligandi ad ita credendum. Ratio eſt manifeſta, quia ex primo errore nihil ſequitur contra infallibilitatem, quam Eccleſia habet in credendo, quia Eccleſia non tenetur ſequi ſententias omnes, quas Summus Pontifex ſectatur, vt Doctor particularis, quamuis ſciat illum deſiderare, vt omnes eam doctrinam ſectentur: tenetur autem tota Eccleſia poſitiuè obedire Summo Pontifici ſolemniter determinanti dubium emergens inter Catholicos circa fidem, & proponenti vnam partem per Bullam, vel Conſtitutionem, & iubenti, vt omnes eam doctrinam ſectentur; vnde ſi ille poſset errare in definiendo, & docendo Eccleſiam tanquam regula viua fidei, tota Eccleſia poſset, & deberet errare in credendo; quod eſt penitus impoſsibile, cùm ſit columna, & firmamentum veritatis.

4. Falſumque eſse, quod Dupin affirmat, nempe Pontificem Ioannem Legatos à Latere cum litteris in Galliam miſiſse, vt Gallos in eam ſententiam pertraheret, teſtatur Spondanus ad annum 1333. numer. 1. his
„ verbis: Quod verò Rex inſinuaſset à pluribus ſubmurmuratum fuiſ-
„ ſe Pontificem miſiſse Gerardum Pariſios ad eam ſpargendam, & fo-
„ uendam opinionem; calumniam hanc deterſit Ioannes litteris ad Re-
„ gem ſcriptis: ex quibus pariter refelluntur Authores, qui idipſum
„ falsò aſserere auſi ſunt.

5. Quid autem hac in re geſserit Ioannes narrat Spondanus ibi his
„ verbis: Anno Chriſti milleſimo trecenteſimo trigeſimo tertio, Indi-
„ ctione prima, (vt Villanius, Rebdorffius, Continuator Nangij, &

alijs

„ alij tempus ſignant) Ioannes Pontifex, quod iam antea conceperat
„ de viſione beatifica animarum, publicè cæpit tractare. Quod enim
„ non pauci ex antiquis Patribus tam Græcis, quàm Latinis, Iuſtinus,
„ Irenæus, Origenes, Theodoretus, Tertullianus, Lactantius, Victori-
„ nus, Prudentius & alij tenuiſſe videbantur, animas à corpore ſepa-
„ ratas, & ab omni peccati macula, vel in hac, vel in altera vita rite
„ purgatas, beata viſione diuinæ eſſentiæ ante extremum iudicij diem,
„ haud perfectè frui, ſed ſuorum reſurrectionem corporum expectare,
„ vt ſimul cum ipſis perfectam beatitudinem aſſequerentur: ad hanc
„ quoque opinionem nondum omninò ab Eccleſia reprobatam, viſus
„ Ioannes propendere concione ea de re habita coram S. R. E. Cardi-
„ nalibus, alijſque Prælatis Auenione exiſtentibus; (qua pariter di-
„ diſputabat, animarum damnatorum pœnas imperfectas eſſe ante
„ diem poſtremi iudicij, ac poſt illud longè atrociores fore) multos
„ in ſe concitauit aduerſarios, tam ex ijſdem Cardinalibus & Prælatis,
„ quàm ex alijs vbique Sac. Theologiæ Doctoribus, omniumque Or-
„ dinum Religioſis, è quibus nonnullorum Dominicanorum etiam vſ-
„ que ad pœnas zelus enituit.

„ 6. Poſtmodum addit Spondanus, quod Rex Franciæ litteras ſcrip-
„ ſit ad Pontificem dehortatorias, modeſtè ſignificans non decere Ro-
„ manum Pontificem quæſtiones ſuſpectas mouere, ſed motas ab aliis
„ iudicare & decidere: cùm tamen Pontifex non ſuam ſententiam aſ-
„ ſertiuè ingeſſiſſet, ſed poſt quæſtionem à ſe propoſitam iuſſiſſet om-
„ nibus Cardinalibus, Prælatis, & Doctoribus, quid de ea cenſerent,
„ diligenter inquirere, & ad ſe referre.

7. Literas ſupra memoratas, quibus Papa Ioannes XXII. apud Re-
gem depulit calumniam ſibi impoſitam, adducit Lucas Vvadingus in
Annalibus Minorum ad annum 1333. num. 11. & ſunt quæ ſequuntur:
„ Adhuc in eiſdem litteris Regijs vidimus contineri, quod à pluribus
„ dicebatur, quod nos miſeramus dilectum filium Gerardum Othonis
„ Generalem Miniſtrum Fratrum Minorum Pariſios ad docendum, &
„ prædicandum, quod animæ ſeparatæ à corpore, & à peccatis purga-
„ tæ diuinam eſſentiam vſque poſt reſurrectionem corporum non vide-
„ bant. Ad quod dicimus, & aſſerimus coram Deo, quod nunquam
„ hoc cor noſtrum intrauit, nec exiuit ab ore. Imò ſupponebamus
„ firmiter, quod inibi latè expoſita legatione ſua Excellentiæ Regiæ,
„ eiuſque audito beneplacito, an vellet pro eodem negotio aliquos,
„ vel aliquem Nuncios deſtinare, ſtatim cum collega ſuo deberet pro-
„ ſequi verſus Angliam & Scotiam cæptum iter. Et quia Procurato-
„ rem prædictum Regis Scotiæ Pariſijs vidimus adhuc eſſe, Excellen-
„ tiam Regiam precamur attentè, vt cum dicto Procuratore ſe infor-
„ mare debeat de præmiſſis, & ſi hæc, quæ præmiſimus inuenerit eſſe
„ vera, velit Celſitudo Regia relatoribus talibus minorem in alijs fi-
„ dem adhibere.

8. Quod

8. Quod autem Ioannes Vigeſimuſecundus non definierit controuerſiam illam, nec vnquam mandauerit, ab omnibus teneri ſententiam erroneam de viſione beatifica nõ communicanda animabus ſanctis vſque ad diem iudicij vniuerſalis,probat manifeſtè eruditiſſimus Scheleſtrate,in ſuo poſtremo tractatu de ſenſu,& authoritate Decretorum Concilij Conſtantienſis, in Præfatione ad lectorem, ex grauibus ſcriptoribus, qui Adrianum VI. per centum, & octoginta, & amplius annos præceſſerunt,& quid reuera factum ſit, tanquam teſtes coætanei, & oculati poſteriorum memoriæ conſecrarunt.

9. Imprimis Ioannes Villanus in Hiſtoriâ vniuerſali, quam ad annum 1348. quo Florentiæ obijt, perduxit,teſtatur lib. 12. cap.229.quòd etiamſi Ioannes propenderit in ſententiam de differendâ poſt reſurrectionem viſione beatificâ, tamen ſub pœnâ excommunicationis præceperit Cardinalibus, Prælatis, & Magiſtris in Curia ſua exiſtentibus, *Vt ſuper eâ quæſtione opiniones ſuas tam pro, quàm contrà referrent, proteſtando ſemper, quòd pro neutrâ parte quidquam concluſerat; ſed id,quod dicebat, & proponebat, eſſet per modum diſputationis & exercitij, ad hoc vt verum inueniret.*

10. Vnde Cardin.Bellarminus lib.1.de ſanct.beatitudine cap.2.conſtanter aſſerit, Ioannem XXII. non ſolùm eam ſententiam non definiſſe, ſed paulò ante mortem partim retractaſſe, partim etiam declarasse.*Nam aſſeruit*, inquit, *Primò ſe in omnibus ſuis ſermonibus de hac re nunquam intendiſſe rem definire, ſed ſolùm quærere veritatem. SECVNDO', aſſeruit ſibi diſplicere priorem ſententiam, ac ſentire ſe, animas ſanctorum videre Deum, etiam ante diem iudicij, niſi aliter Eccleſia, & ſui Succeſſores definirent: quorum definitioni ſe ſubmittere dicebat omnes ſuas opiniones. Habetur hæc retractatio ipſis verbis, quibus facta eſt, apud Ioannem Villanum lib. 11. cap. 19. hiſtoriæ de rebus Florentinorum, quam ille dicit ſe habuiſſe à fratre ſuo, qui in aula eiuſdem Ioannis Papæ degebat.* Huic teſtimonio Villani accedit aliud Ptolemæi Lucenſis, qui in Hiſtoria Eccleſiaſtica M.S. qnam anno 1432. abſoluit, ad ann. 1333. agens de queſtione illa circa beatitudinem animarum,fatetur Ioannem in Conſiſtorio coram. Cardinalibus declaraſſe, *Quod in prædicta quæſtione nihil definiendo ſed recitando dixerit:*

11. Similiter Monachus Benedictinus,qui Chronicon Guillelmi de Nangis vſque ad ann. 1340. continuauit tom. 11. Spicilegij, agens de Sermone, quem Ioannes eâ de re habuit: *Magis*, inquit, *creditur hoc opinatiuè, quàm cum aſſertione dixiſſe.*

12. Vlricus, qui anno 1334. quatuor libros *de beata viſione Deitatis* Ioanni Vigeſimo ſecundo nuncupauit circà finem lib. 4. agens de eiuſdem Ioannis ſermone, in libro Manuſcripto, qui aſſeruatur in Bibliotheca Vaticana, *Nec definitio*, inquit, *nec determinatio, ſeu prædicatio, ſed magis quædam Scholaſtica diſputatio*, *aut diſputantium collatio*

aptiùs

aptiùs eſſe perpenditur. Extant libri illi M.SS. ad quorum calcem adiuncta eſt declaratio Ioannis XXII. data Auenione anno Pontificatus eius decimonono, tertio Nonas Decembris, in qua ſe ſententiam *pro faciali viſione ante reſurrectionem corporum* admittere ſignificat, additque: *ſi verò alia vel aliter circa materiam huiuſmodi per nos dicta, prædicata, ſeu ſcripta fuerunt, quoquo modo illa diximus, prædicauimus, ſeu ſcripſimus, recitando, & conferendo dicta Sacræ Scripturæ, & ſanctorum*. Iacobus tituli S. Priſcæ Presbyter Cardinalis cum libellum de ſtatu animarum eo ipſo tempore Auenione compoſuiſſet, quo Quæſtio hæc de Viſione beatifica ſub Ioan. XXII. agitabatur, poſt obitum Ioannis eundem libellum coram frequenti Doctorum, & Cardinalium cœtu prælecturus, ita in prooemio teſtatur: *Quamuis autem ſupradictus prædeceſſor meus pro illa parte ſupradictarum quæſtionum, quam non teneo, nec tenui, ſolùm induxerit rationes, & authoritates in ſermonibus, & in ſcriptis, & non in parte, quam teneo; tamen frequenter tam in ſermonibus, quàm in Conſiſtorio dixit publicè coram magna multitudine populi, quod illa, quæ dicebat circa iſta, non dicebat, niſi conferẽdo: Et quia pro parte illa, ad quam inducebat rationes, & authoritates, parũ, aut nihil, per alios inductũ fuerat, ideo vt veritas clariùs appareret ex tali collatione, pro illa parte, quæ indefenſa eſſe vſque tunc videbatur, dictas probationes inducebat. Quod declarauit circà finẽ vitæ ſuæ, & etiam ſuper hoc mandauit fieri litteras ſuâ Bullâ bullatas, declarando, quod ipſe fideliter crediderat, & credebat, quod Sanctorum animæ à peccatis, & pœnis peccatorum purgatæ, ante generalem reſurrectionem & iudicium, Dei eſſentiam facialiter videbant, ſecundùm quod ipſarum ſtatus patiebatur. QVOD DICO, NE QVIS EXISTIMET, EVM ASSERVISSE CONTRARIVM ILLIVS, quod nunc, poſtquam fui licèt indignus, aſſumptus ad Apoſtolatum, per me extitit de Concilio Cardinalium doterminatum*. Ita Iacobus ex Cardinali S. Priſcæ Benedictus XII. Ioannis Succeſſor in libello, qui Manuſcriptus aſſeruatur in Bibliotheca Vaticana Codice 4006. Teſtatur autem idem Pontifex verbis ſuperiùs allatis, ſe edidiſſe Conſtitutionem de conſilio Cardinalium, quam puto eſſe illam, quæ incipit *Benedictus Deus in donis ſuis*, & data eſt Auenione ſecundo anno ſui Pontificatus 4. Kal. Feb. in qua de hac ipſa quæſtione refert: *Cùmque idem Prædeceſſor, ad quem prædictorum determinatio pertinebat, ad deciſionem concertationum huiuſmodi ſe pararet in ſuo Conſiſtorio publico, tam fratribus ſuis S. R. E. Cardinalibus, de quorum numero tunc eramus, quàm Prælatis, & Magiſtris in Theologia, qui multi aderant tunc præſentes, iniungendo diſtrictius, & mandando, vt ſuper materia de viſione prædicta, quando requirerentur ab eo deliberatè vnuſquiſque diceret quod ſentiret: tamen morte præuentus, ſicut Domino placuit, perficere id nequiuit*. Hęc Benedictus teſtis oculatus de Ioanne XXII. in Bulla quã originalem Eminentiſſimus Cardinalis Caſanate, communis eruditorum Mæcenas in vrbe, communicauit

D.Schel-

D. Schelſtrate, cùm illum ſuum tractatum publicę luci parabat; inuenta ſiquidem fuerat tunc temporis apud nobiliſſimum virum Bulla illa Benedicti XII. cum ſigillo plumbeo pendenti in cordulis ſericis. Ex quo eruditiſſimus hic author nuper adductum teſtimonium de verbo ad verbum deſcripſit. Vnde conſtat, tantùm abeſſe quod Ioannes XXII. quæſtionem de Viſione Beatifica definierit, vt Cardinales potius ac Prelatos ad ſententiam ſuam libere promendam paulo ante mortem adhortatus ſit.

12. His teſtimonijs adiungo aliud exhibitum ab ipſa Eccleſia Gallicana, cuius plures Antiſtites, & Doctores eo ipſo tempore à Carolo Rege conuocati in Caſtrum Vicennarum, ſequentem fecerunt declarationem. *Multorum fide dignorum relatione* (inquiunt) *audiuimus, quod quidquid in hac materia ſanctitas ſua* (Ioannes XXII.) *dixit, non aſſerendo ſeu opinando protulerit, ſed ſolummodò recitando.* Ita in Decreto, cui Doctores Pariſienſes cum Petro Paludano Patriarcha Hieroſolymitano, & Petro Archiepiſcopo Rothomagenſi ſubſcripſerunt, & quod integrum Reſponſioni ſuę ad Myſterium iniquitatis inſeruit Nicolaus Coffeteau electus Maſſilienſis Epiſcopus, & nuper Bulleus Tomo 4. Hiſtorię vniuerſitatis Pariſienſis Sęculo 6. ad an. 1332. iterùm retulit; ac originale in manibus Patrum Dominicanorũ ſe Lutetię vidiſſe teſtatus eſt Philippus Gammachæus Doctor Sorbonicus in 1. 2. quæſt. 4. cap. 2. adiungens; „ Hæc pluſquam ſufficere, vt Adriano, & alijs occurratur, præſertim „ cùm nemo ex ijs dicat, ſe vidiſſe Decretum Ioannis, ſed tantùm ex „ relatione aliorum audiuiſſe.

13. Ex ijs patet Adrianum VI. errore vulgi deceptum falſo aſſeruiſſe Ioannem XXII. declaraſſe, & ab omnibus teneri mandaſſe, animas iuſtorum non viſuras clarè Deum ante diem iudicij vniuerſalis: quamquam id non tam ex ſuo, quam ex vulgi rumore aſſeruerit; vt patet ex ipſius verbis adducendis infra 8. *& nouiſſimè* (inquit) *fertur de Ioanne XXII.* &c. Quænam fuerit Adriani mens circa priuilegium Romani Pontificis ad non errandum in materia fidei, explicabimus infra ex Maldero.

SE-

Digitized by Google

SECTIO VIII.

Vindicatur Sixtus Quintus ab errore in iudicio fidei, quem illi imponit Maimburgus.

1. ARguit etiam Maimburgus contra infallibilitatem Romani Pontificis in definiendo, ex Biblijs correctis à Sixto V. quæ ab ipſo fuerunt per Bullam intimata toti Eccleſię; & tamen quia illorũ Bibliorum noua editio eſt mendoſa, ſuppreſſa & reuocata fuit à Clemente Octauo: Ergo errauit Sixtus V. in illo decreto, quo toti Eccleſiæ propoſuit tanquam ſinceram, & genuinam verſionem Bibliorum mendoſam: illud autem decretum pertinebat ad fidem: ergo errauit Sixtus V. in decreto fidei.

2. Verum hoc argumentum nihil contra infallibilitatem Romani Pontificis in determinandis fidei & morum controuerſijs concludere valet. Vt enim contra hanc infallibilitatem eſſet efficax, deberet nobis Maimburgus probare, Sixtum Quintum toti Eccleſiæ declaraſſe, Biblia illa, prout à ſe correcta & emendata, eſſe reſtituta primęuæ puritati vulgatæ editionis, & omnibus fidelibus pręcepiſſe, vt hanc nouam editionem tanquam per omnia conformem autographo ſuſciperent; eiſque teſtari; nullum mendum aut errorem in alijs editionibus inuentum, in hac ſupereſſe: At falſum eſt, id declaraſſe Sixtum, & hoc pręceptum impoſuiſſe. Ergo ex mendis deprehenſis in illa editione Sixti, male probat Maimburgus, poſſe Papam dogma falſum definire, & toti Eccleſiæ credendum proponere. Minor probatur. Nam Sixtus Quintus ad executionem Decreti Tridentini, his verbis expreſſi ſeſſ. 4. in Decreto de editione, & vſu ſacrorum librorum: *Declarat, & ſtatuit, vt poſthac ſacra ſcriptura, potiſſimum vero hæc ipſa vetus, & vulgata editio quam emendatiſſimè imprimatur*: ad huius inquam, Decreti executionem Sixtus, magnam adhibuit diligentiam, & ſumptus ad corrigendos errores, qui eò irrepſerant, ipſeque declarat, ſibi in animo non fuiſſe, vt noua editio in lucem exiret, ſed tantùm vt vulgata, quoad eius fieri potuit emendatiſſima, ſuæque puritati reddita, prodiret in publicum, nec in ſuo decreto declarat, nullum omnino in illa ediſione extare verbum, quod non concordet autograhpo, nec vllum ſupereſſe errorem ex ijs, qui irrepſerant in alias verſiones ob incuriam ſcribarum, ſed ſolum declarat, verſionem ſcripturæ, quam dat in lucem, eſſe vulgatam, emendatam *quoad eius fieri potuit*; quibus verbis id vnum ſignificat, ſibi ſummæ curæ fuiſſe, vt emendatam ipſam *exhiberet*. Totum hoc conſtat ex Conſtitutione ipſius Sixti circa editionem Bibliorum, in qua

Digitized by Google

ſic loquitur : *Illud ſane certum atque exploratum eſſe volumus, noſtros hos labores ac vigilias eò nunquam ſpectaſſe, vt noua editio in lucem exeat, ſed vt vulgata vetus, ex Tridentinæ Synodi præſcripto emendatiſſima, priſtinæque ſuæ puritati, qualis primùm ab ipſius interpretis manu ſtyloque prodierat, quoad eius fieri potuit, reſtituta imprimatur ..... prout optimè fieri potuit emendata* (cenſendam eſſe) *declaramus*.

3. Quare niſi Maimburgus aut alius quiſquam nobis probet, Sixtum voluiſſe ſua Conſtitutione obligare fideles ad credendum tanquam veritatem infallibilem, ſuam Bibliorum editionem nihil differre ab antiqua vulgata, dum erat in ſua puritate, & per omnia conformis primo exemplari ab Apoſtolis, & Prophetis ſcripto; numquam ex mendis Bibliorum Sixti impugnare poterit infallibilitatem Romani Pontificis in definiendo. Id autem nec probauit, nec vllus vnquam probare poterit.

4. Præterea, vt Maimburgus ex mendis, & erroribus, quæ in verſione Sixti remanſerant, & à Clemente emendata ſunt, probaret, Papam poſſe errare in determinandis fidei, & morum controuerſijs, deberet nobis oſtendere, in illis Biblijs contineri aliquos errores contra fidem, & bonos mores: Quamuis enim ſuperfuiſſent aliqua verba, ſeu aliquæ clauſulæ, in quibus in rebus minutis, & non attinentibus ad fidem vel ad mores, verſio illa non concordaret cum autographo, ſeu cum originali dictato ab Spiritu Sancto, non idcircò Sixtus hanc verſionem toti Eccleſiæ proponens & commendans, definijſſet aliquid contra fidem, & bonos mores; At Maimburgus nec hoc probauit, nec probari poteſt: quia eſt penitus incredibile, quod poſt tam accuratam in emendandis Biblijs diligentiam appoſitam, in illis viri ſapientiſſimi reliquerint aliquid contrarium fidei, & bonis moribus. Ergo argumentum Maimburgi inefficax eſt.

5. Deinde argumentor, quia Maimbusgus fatetur, & teſtatur, omnes errores Bibliorum Sixti optimè emendatos fuiſſe à Clemente Octauo, & tamen Clemens non declarauit nihil emendandum vel corrigendum reſtare in illa verſione; ſed ſolum declarauit, ſummam curam, & diligentiam adhibitam in illius correctione. Cur ergo hanc declarationem Maimburgus attribuit Sixto? Aſſumptum probatur ex Præfatione ipſorum Bibliorum, quæ ſcitu, & voluntate ipſius Clementis conſcripta eſt, in qua cum vetus illa ac vulgata editio generatim fuiſſet cõmendata ijs verbis: *Huius tamen veteris, ac vulgatæ editionis tanta ſemper fuit authoritas, tamque excellens præſtantia, vt eam cæteris omnibus latinis editionibus longe anteferendam eſſe, apud æquos iudices in dubium reuocari non poſſit. Qui namque in ea libri continentur (vt à maioribus noſtris quaſi per manus traditum nobis eſt) partim ex S. Hieronymi translatione vel emendatione ſuſcepti ſunt; partim retenti ex antiquiſſima quadam editione latina, quam S. Hieronymus in caput 49. Iſaiæ communem, & vulgatam, S. Auguſtinus lib. 2. doctr. Chriſt. cap. 15. Italam, S. Gregorius*

epiſt.

epiſt. dedicatoria ad Leandrum cap.5. veterem translationem appellat.&c. mox inferius de modo, ratione, ac perfectione recognitæ illius editionis Bibliorum ita ſubiungitur: *Accipe Chriſtiane Lector, eodem Clemente Summo Pontifice annuente, ex Vaticana Typographia, veterem ac vulgatam S. Scripturæ editionem quanta fieri potuit diligentia caſtigatam: quã quidem ſicut omnibus numeris abſolutam, pro humana imbecillitate, affirmare difficile eſt: ita cæteris omnibus, quæ ad hanc vſque diem prodierunt, emendatiorem purioremque eſſe, minime dubitandum. Et vero quamuis in hac Bibliorum recognitione, in Codicibus manuſcriptis, Hebræis, Græciſque fontibus, & ipſis veterum Patrum commentarijs conferendis non mediocre ſtudium adhibitum fuerit: in hac tamen peruulgata lectione, ſicut nonnulla conſulto mutata, ita etiam alia, quæ mutanda videbantur conſulto immutata relicta ſunt: tum quod ita faciendum eſſe, ad offenſionem populorum vitandam, S. Hieronymus* (epiſt. ad Suniam, & Fretellam, & præfat. Euangeliorum ad Damaſum) *non ſemel admonuit: tum quod facile fieri poſſe credendum eſt, vt maiores noſtri, qui ex hebræis, & græcis latina fecerunt, copiam meliorum, & emendatiorum librorum habuerint, quam ij, qui poſt illorum ætatem ad nos peruenerunt, qui fortaſſe tam longo tempore identidem deſcribendo minus puri ac integri euaſerunt: tum denique quia Sacræ Congregationi Ampliſſimorum Cardinalium, alijſque eruditiſſimis viris, ad hoc opus à Sede Apoſtolica delectis, propoſitum non fuit, nouam aliquam editionem cudere, vel antiquum interpretem vlla ex parte corrigere vel emendare; ſed ipſam veterem ac vulgatam editionem latinam, à mendis veterum librariorum, necnon prauarum emendationum erroribus repurgatam, ſuæ priſtinæ integritati ac puritati, quoad eius fieri potuit, reſtituere; eaque reſtituta, vt quam emendatiſſime imprimeretur, iuxta Concilij Oecumenici decretum pro viribus operam dare:* Hactenus præfatio.

6. In qua, vt monet Tannerus diſput. 1. de fide quæſt. 5. dub. 2. n. 81. ſpeciatim obſeruandum eſt illud, quod dicitur, in hac vulgata editione, *ſicut nonnulla conſulto mutata, ita etiam alia, quæ mutanda videbantur, conſulto immutata relicta eſſe &c.* Item quod ſępius iteratur ea clauſula, *Quanta fieri potuit diligentia*; vel, *quoad eius fieri potuit*, caſtigatam, reſtitutam &c. & denique, *omnibus numeris abſolutam affirmare, difficile eſſe.* Quibus verbis (inquit Tannerus) plane ſignificatur, poſſe adhuc locos „ aliquos reperiri, qui in diſceptationē veniant: præſertim quando nul„ lo pręcepto, multo minus ſub cenſurę alicuius interminatione interdi„ citur, nequis vnquam vllam aliam lectionem, olim circa eandem vul„ gatam editionem vſurpatam, ei, quæ inrecognitis illis libris expreſſa „ eſt, anteferre auſit, modo interim in textu ipſo nulla fiat mutatio; hoc „ enim non licet. Id vero id ſubinde licite fieri poſſe, ſatis ex dictis col„ ligitur; ita vt paſſim, ac frequenter, & ſine authoritate alicuius anti„ qui examplaris fiat, fas eſſe exiſtimandum non eſt; quando ſaltem ple„ raque recte ac ex iudicio reſtituta ac emendata eſſe docetur; ita quidē

„ vt ea editio omnibus anterioribus cenſenda ſit *emendatior ac purior*:
„ Neque ideo fidei, aut religioni præiudicium creatur: quia omnis illa
„ lectionis varietas, de qua controuerſari adhuc licet, nullum fidei aut
„ morum dogma aliunde ex Scriptura ſacra non manifeſtum concernit;
„ ſed in rebus plerumque minimis verſatur; quæ ſæpe nec ſenſus qui-
„ dem; multo minus aliquam dogmatum varietatem inducant.
„ 7. Ex his deducit Tannerus ibi num. 83. fortaſſis defendi recte poſ-
„ ſe, etiam Sixtum V. Pontificẽ, tametſi non pauca aliter in ſuis Biblijs
„ legenda cenſuerit; nihil tamen, quod ad fidei & religionis integritatẽ
„ ac puritatem attinet, erraſſe: eſto minus forte circumſpecte, nec vndi-
„ que ſatis ad publicam Eccleſię vtilitatẽ, & ędificationem accommoda-
„ te, ea bibliorum recognitio, & de acceptanda recognitione præcepto,
„ initio concepta & publicata viſa fuerit: in qua re ſubinde errare poſſe
„ Pontificem, ſalua fidei & religionis integritate, dictum eſt quæſt. 4.
„ dub. 7. certe in hoc rerum genere tranſigendo, etiam intra limites re-
„ cti, magna poteſt eſſe varietas & latitudo.

8. Poſſumus etiã obiectioni illi reſpondere, Conſtitutionem Sixti V. non fuiſſe publicatam, & promulgatam modo ſufficienti, vt per illam dici poſſit Sixtum V. locutum fuiſſe è Cathedra Petri toti Eccleſiæ, illamque obligaſſe ad credendum ea; quæ in ea Conſtitutione declarauit; quod tamen erat neceſſarium, vt hoc exemplo probaretur, Papam in determinandis fidei & morum controuerſijs non eſſe infallibilem. Aſſumptum probatur; quia, vt notat P. Vazquez tom. 2. in 1. 2. diſpu-
„ tatione 155. n. 15. Id obſeruant Summi Pontifices in curia Romana,
„ vt nondum intelligantur loqui de Sede Petri, tanquam Iudices, &
„ Pontifices, in legibus & Canonibus ferendis, etiamſi eos imprimi fa-
„ ciant, donec ad valuas Baſilicæ Principis Apoſtolorum de vrbe, Can-
„ cellarię Apoſtolicę, & in acie Campi Floræ ſolenniter publicentur, &
„ exemplar vnum in columna illius Campi, & aliud ad valuas S. Petri
„ per aliquantulum temporis affigatur. Et addit Vazquez, accidere
„ etiam interdum, vt legibus & bullis impreſſis dicatur, publicatæ tali
„ die; & tamen nunquam ſolenniter fuerint promulgatæ, quare nec
„ tunc vim legis habebunt. Ita Vazquez.

9. Conſtat autem ex Præfatione, quæ iuſſu Clementis octaui pręfixa eſt Biblijs ſacris vulgatæ editionis, decretũ illud, quod Sixtus V. ſuis Biblijs præfixerat, nunquam fuiſſe plene promulgatum, ſed tempeſtiuè reuocatum, ipſo etiam Sixto V. iubente. Author namque illius præfationis de quo poſtea, narrans exquiſitam diligentiam, quam Romani Pontifices
„ in corrigendis libris ſacris adhibuerunt, inquit: Quamuis inſignium
„ Academiarum Theologi in editione vulgata priſtino ſuo nitori reſti-
„ tuenda magna cum laude laborauerint; quia tamen in tanta re nulla
„ poteſt eſſe nimia diligentia, & Codices manuſcripti complures & ve-
„ tuſtiores Summi Pontificis iuſſu conquiſiti, atque in vrbem adue-

cti erant;

„ cti erant; & demum, quoniam executio generalium Conciliorum, &
„ ipſa ſcripturarum integritas ac puritas ad curam Apoſtolicæ Sedis
„ potiſſimum pertinere cognoſcitur: Ideo Pius IV. Pontifex Maximus
„ pro ſua in omnes Eccleſiæ partes incredibili vigilantia lectiſſimis
„ aliquot Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, alijſque tum ſacra-
„ rum litterarum, tum variarum linguarum peritiſſimis viris, eam Pro-
„ uinciam demandauit, vt vulgatam editionem latinam, adhibitis an-
„ tiquiſſimis Codicibus manuſcriptis, inſpectis quoque Hebraicis, Græ-
„ ciſque Bibliorum fontibus; conſultis denique veterum Patrum Com-
„ mentarijs, accuratiſſimè caſtigarent. Quod itidem inſtitutum Pius V.
„ proſecutus eſt. Verum conuentum illum ob varias grauiſſimaſque
„ Sedis Apoſtolicæ occupationes iam dudum intermiſſum, Sixtus V.
„ Diuina prouidentia ad Summum Sacerdotium euocatus, ardentiſſimo
„ ſtudio reuocauit, & opus tandem confectum typis mandari iuſſit.
„ Quod cum iam eſſet excuſum, *& vt in lucem emitteretur, idem*
„ *Pontifex operam daret*, animaduertens non pauca in ſacra Biblia
„ præli vitio irrepſiſſe, quæ iterata diligentia indigere viderentur, to-
„ tum opus ſub incudem reuocandum cenſuit atque decreuit. Id vero
„ cum morte præuentus præſtare non potuiſſet, Gregorius XIV. qui
„ poſt Vrbani VII. duodecim dierum Pontificatum Sixto ſucceſſerat,
„ eius animi intentionem executus perficere aggreſſus eſt, ampliſſimis
„ aliquot Cardinalibus, alijſque doctiſſimis viris ad hoc iterum depu-
„ tatis. Sed eo quoque, & qui illi ſucceſſit Innocentio IX. breuiſſimo
„ tempore de hac luce ſubtractis, tandem ſub initium Pontificatus Cle-
„ mentis VIII. qui nunc Eccleſiæ vniuerſæ gubernacula tenet, opus in
„ quod Sixtus V. intenderat, Deo bene iuuante, perfectum eſt. Hacte-
nus præfatio illa. Excuſum quidem, at non *in lucem emiſſum* dicitur ſo-
lũque aſſeritur id procuratum à Pontifice, quo ſatis aperte indicatur, hic
rem ſtetiſſe nec vltra vſque ad legitimam publicationem progreſſum,
ob immutatam ſcilicet in ipſamet procuratione, & opera ipſius Sixti vo-
luntatem. Huiuſmodi autem Præfatio confecta fuit à Bellarmino, qui
poſt mortem Sixti fuit inter deſignatos à Pontifice ad vlteriorem Bi-
bliorum correctionem, vt videre eſt apud Ciacconium in vitis Pontifi-
cum, & apud Sotuellum in Bibl. Scriptorum Soc. vbi de Bellarmino;
adeoque hic optimè norat quæcumque in hoc negotio fuere geſta.

10. Confirmantur prędicta ex ijs, quæ ſcribit P. Tannerus diſp. 1. de
„ fide quæſt. 4. dub. 6. num. 265. ijs verbis. Quamuis nonnulli ſcri-
„ pſerint, decretum illud aliquanto tempore ad valuas Eccleſiæ Romæ
„ fuiſſe affixum, & poſtea refixum, eoque ipſo quodam modo reuoca-
„ tum, duobus ante menſibus, quam tempus requiſitum elaberetur,
„ mortuo nimirum Sixto V. & reclamantibus Cardinalibus; Ego ta-
„ men fidem huic rei habere non poſſum. Cum enim iam dudum
„ anno. 1609. & 1610. in Academia Ingolſtadienſi hæc difficul-

„ tas

„ tas, de Biblijs Sixtinis, tum à me tum ab alijs Doctoribus Theologis
„ priuatim & publicè diſcuſſa, & in omnem partem diu multumque
„ verſata fuiſſet, ego tandem ad explorandam facti veritatem, Romam
„ ad P. Ferdinandum Alberum, eo tempore Societatis noſtræ per Ger-
„ maniam Aſſiſtentem ſcripſi, qui in litteris 28. Auguſti datis An-
„ no 1610. his ipſis verbis reſcripſit: Circa Biblia Sixtina, poſt dili-
„ gentem inquiſitionem & diſcuſſionem, hanc denique reſponſionem
„ dederunt ij, qui huic rei incumbebant, qua omnis tollitur difficul-
„ tas, & cui omnes merito acquieſcent. Reſponſio ſic habet. Cer-
„ tum eſt, Bullam de ijs Biblijs non fuiſſe promulgatam; cuius rei cer-
„ tiſſimum indicium eſt, in Regiſtro huiuſmodi promulgationem non
„ reperiri. Et Illuſtriſſimus Cardinalis Bellarminus teſtatur, ſe cùm
„ ex Gallia Romam redijſſet, à pluribus Cardinalibus audiuiſſe Bul-
„ lam illam non fuiſſe promulgatam, & id quidem illi ſe certiſsime
„ ſcire affirmabant. Et addit idem P. Alberus: Sciat præterea R. V.
„ hæc eadem ex S.D.N. (Paulo V. Pontifice) habita fuiſſe: vt tuto his
„ adhærere liceat & oporteat. Et in litteris 4. Septembris eodem an-
„ no 1610. ad eiuſdem rei confirmationem, hæc adiungit: Item P.
„ Azor, eo ipſo tempore, quo cœperunt (typis) publicari illa Biblia,
„ cum inſtarent aliqui, Papam poſſe errare, quia videbatur iam erraſſe
„ de facto in Biblijs; Reſpondit publice P. Azor, Bullam illam non
„ fuiſse publicatam, quamuis in impreſſione legeretur ſubſcriptio Cur-
„ ſorum; nam hoc factum fuiſse, per anticipationem typographi,
„ ita iubente Pontifice, ne impreſſio tardaretur. Huius rei teſtis eſt
„ Pater Andreas Eudæmon Ioannes, qui tunc aderat diſputationi.
Hæc ille.

„ 11. Quod ſi etiam Sixtus V. nihil ipſe de ſuo decreto mutando
„ cogitaſset, aut non niſi morbo admonente, eam cogitationem con-
„ cepiſset, idipſum iam, inter alia, exemplum eſse poteſt ſingularis
„ illius curæ ac prouidentiæ, quam Deus erga Eccleſiam ac Roma-
„ nam Cathedram habet, vt prius ac potius è viuis Pontificem eximat,
„ quam permittat eum falſam aliquam definitionem edere, ac ad
„ finem perducere; ſi quidem gratis concedamus, aliquid in eo Sixti
„ decreto fuiſse erratum, de quo infra quæſtione 5. dub. 2. Hactenus
P. Tannerus.

12. Pro meliori intelligentia dictorum notandum eſt ex Cardinali Pallauicino in hiſtoria Concilij Tridentini lib. 6. cap. 17. vbi diſſoluit obiecta à Petro Suaui contra editionem vulgatam Bibliorum, quam Synodus Tridentina probauit, & legitimam eſſe declarauit, & pro authentica haberi iuſſit; notandum, inquam, eſt, in editione illa vulgata multa eſſe ambigua, obſcura multa, quibus lux affundatur à Biblijs primorum Idiomatum, in quibus primo ſcripta ſunt, nempe Idiomatis
„ Hebræi, & Græci. Aliud enim eſt (inquit) affirmare, verſionem ali-

„ quam

,, quam eſſe legitimam, hoc eſt, neque data opera corruptam in qua-
,, cumque parte, quantumuis minima, & ad præcipuam rei ſententiam
,, non ſpectante, neque vmquam planè ex inconſiderantia ab archety-
,, po difformem in ijs, quæ rem conſtituunt: aliud verò, affirmare, ei-
,, dem ineſſe omnem claritatem, omnem vim, omnes alludendi con-
,, cinnitates, quæ inſunt archetypo. Primum de vulgata Tridenti de-
,, finitum eſt: alterum præſtari per nullam translationem poteſt; cum
,, ſingula idiomata ſuis proprijs dicendi rationibus & excellant inui-
,, cem & deficiant: vnde in multarum dilucida explicatione rerum, al-
,, terum alteri reſpondere non valet.
,, 13. Hinc diuinę prouidentię (ſubdit Cardinalis *hiſtoricus*) conſi-
,, lium fuit, quo ſimul verbo ſuo perennem vitam in paginis ſeruaret,
,, ſimulque diuinitus non impediret mutationem linguarum, quæ
,, ſuapte natura, ſicuti reliqua terreſtria, variationi ſubiacent, non
,, quidquid ſacræ litteræ complectuntur, conſtituere tamquam dogma
,, neceſſarium, vt innoteſcat Eccleſiæ ſuæ, cum ibi multa loca ſuper-
,, ſint vel maximè dubia & alia non minus obſcura, quæ probabile eſt,
,, ita per omnem mortalium ætatem permanſura. Articuli quoque ne-
,, ceſſarij, non certis indiuiduiſque vocibus à Deo reſtringuntur; ſed
,, huiuſmodi conditionis ſunt, vt vim & pretium habeant, non tam
,, ex numero, quam ex pondere, vt ita dicam, pecuniæ: quod nunquam
,, variat ex quacumque permutatione; & ſecundum quod ſolum ab in-
,, terprete fidelis expoſitio requiritur: quod Marcus Tullius in verten-
,, dis latinè duabus Orationibus contrarijs Demoſthenis & Æſchinis,
,, à ſe præſtitum gloriatur. Idipſum effecerunt ſeptuaginta Interpretes
,, in ſacris litteris Græcè reddendis; quod patet, ſi hæ cum Hebraicis
,, conferantur, quod & ab explanatoribus obſeruatur. Quid plura?
,, Quo nos doceremur, Diuinum Conſilium in ſua Fide ſacris oraculis
,, ſtatuenda, aliud quam hoc idem non fuiſſe, ipſi authores Diuinorum
,, librorum, quos Sancto Spiritu dictante ſcripſerunt, non ſemper ea-
,, dem facta dictaque commemorant cum iiſdem prorſus conditioni-
,, bus, certiſque omnino verbis, quibuſcum euenere; ſed interdum
,, ſatis habuerunt cum præcipua rei ſumma concordare. Quod in cau-
,, ſa eſt, vt viderentur nonnumquam Euangelij ſcriptores inter ſe di-
,, ſcrepare in eiuſdem rei geſtæ narrationibus; quod SS. Patres ac re-
,, centes interpretes ſæpe annotarunt. Quoniam itaque verbum nul-
,, lum in illis libris exaratum fuit abſque Dei afflatu, adeoque abſque
,, ſignificationis alicuius altioris magiſterij documento; ad has verita-
,, tes & myſteria detegenda, quorum certam diſtinctamque notitiam
,, in Eccleſia non quæſiuit, ſed voluit vt in ſuo verbo lateret in-
,, exhauſta vena, conferre plurimum valet linguarum intelligentia,
,, quibus primò diuina verba conſignata ſunt.

14. Atque inde legitimè infert Pallauicinus, nullam vim habere popu-

popularem illam rationem, quam affert Suauis: *Si editio vulgata proba eſt, & legitima. Ergo reliquæ malæ ſunt, & inſipienter eis vtimur.* Id-
„ que hoc exemplo declarat: Fac, hiſtoria vel quæuis alia latina ſcri-
„ ptio magni momenti Italico ſermone mediocriter exponatur; ſi ea
„ Italica expoſitio fidelis ſit, legitima dici poterit, adeoque idonea ijs
„ litibus dijudicandis, quæ à rebus præcipuis ac momentoſis in ea
„ contentis dependent; ſed non idcirco elaborari non poterit alia pa-
„ riter Italica verſio magis viuida, magis propria, magis dilucida vel
„ in totum vel ex parte, quæ multa Auctoris acumina explicet atque
„ alluſiones in alia verſione minimè declaratas, Neque quidquam
„ amplius eo, quod hic dicimus, Decreti Tridentini verbis ex neceſſa-
„ ria ipſorum vi Vulgatæ tribuitur. Atque in hanc ſententiam illa
„ ſunt interpretati, ac declararunt præſtantiſſimi Theologi, etiam ex
„ ijs qui Concilio interuenere.

SECTIO IX.

Soluitur argumentum deſumptum ex lapſu Liberij, & ſubrogatione Felicis II. Vbi quam ſingulari prouidentia Deus manifeſtauerit S. Felicis merita tempore Gregorij XIII.

1. D. Dupin pag. 347. probat fallibilitatem Romani Pontificis in determinandis fidei & morum controuerſijs ex lapſu Liberij Papæ, *qui non tantùm Athanaſij damnationi, ſed & fidei formulæ hæreticæ ſubſcripſit.*

2. Cardinalis Bellarminus lib.4. de Romano Pontifice cap. 9. affirmat,& efficaciter probat de Liberio duo eſſe certa; vnum verò dubium. Certum eſt primo, Deum ab initio Pontificatus vſque ad exilium, quod pro fide Catholica pertulit, acerrimum defenſorem fuiſſe Catholicæ religionis. Certum eſt ſecundò, Liberium poſt reditum ab exilio fuiſſe etiam verè orthodoxum & pium, & fidem Catholicam vſque ad mortem conſtanter defendiſſe, & poſt mortem ſemper pro ſancto habitum fuiſſe. Dubium vero eſſe, an medio tempore, id eſt in ipſo reditu ab exilio aliquid egerit contra fidem. In quo dubio, quamuis Sulpitius, Socrates, Sozomenes ſignificent, Liberium ſemper eundem fuiſse, nec vnquam de fidei conſtantia aliquid remiſiſse; tamen Bellarminus ex Athanaſio, Hieronymo, Hilario probabilius cenſet, eum tædio exilij inflexum tandem fuiſse ad ſubſcriptionem hæreſeos: & hoc iudicium ſequitur Baronius tom. 3. Annalium ad annum 387. pag. 668. de illo ſic habet

habet Athanaſius in Epiſtola ad ſolitarios : *Liberius deinde poſt exactum in exilio biennium inflexus eſt, miniſque mortis ad ſubſcriptionem inductus eſt. Verum illud ipſum quoque & eorum violentiam, & Liberij in hæreſim odium, & ſuum pro Athanaſio ſuffragium, cùm liberos affectus habebat, ſatis coarguit: quæ enim per tormenta priorem eius ſententiam extorta ſunt, eæ iam non metuentium, ſed ita cogentium voluntates habendæ ſunt.* Ita Athanaſius: in quam ſententiam hæc quoque S. Hilarius ad Conſtantium: *Vertiſti deinde vſque ad Romam bellum tuum, eripuiſti illinc Epiſcopum: & o te miſerum, qui neſcio vtrum maiore impietate relegaueris, quàm remiſeris.* Sed & S. Hieronymus, dum de Fortunatiano agit Epiſcopo Aquileiæ, hæc ait: *In hoc habetur deteſtabilis, quòd Liberium Romanæ Vrbis Epiſcopum pro fide ad exilium pergentem primus ſolicitauit, ac fregit, & ad ſcriptionem hæreſeos compulit.* Et idem in Chronico: *Liberius tædio victus exilij, in hæreticam prauitatem ſubſcribens, Romam quaſi victor intrauit.* In libro autem de Romanis Pontificibus de eodem ſcriptum legitur, quod conſenſit Conſtantio hæretico, communicauitque cum hæreticis.

3. Baronius verò ex epiſtolis ipſius Liberij, occaſionem lapſus ipſius colligit, & narrat his verbis pag. mihi *669.* „ Damnato Photino in Concilio Sirmienſi, & ſcripta aduerſus eum prima illa fidei profeſſione, tentauit Conſtantius per Demophilum, & Fortunatianum, Liberium adhuc exulem Beroeæ exiſtentem, vt ſententiæ aduerſus Athanaſium latę ſubſcriberet, atque Decreta fidei in Sirmienſi Concilio ſcripta ſuſciperet: cùm ille, qui inſtar Samſonis validè aduerſus impios Philiſthæos, ac ſtrenuè decertauerat, & vſque adeò ipſos impetus fregiſſet Imperatoris, atque Arianorum phalanges tolerantia exilij ſuperaſſet, exciſo neſcio quo pacto ab eius vertice fortitudinis crine, hebetatoque prorſus robore priſtino Sacerdotalis conſtantię, exſurgit imbellis, & dat turpiter manus ipſum quærentibus aduerſarijs. Quod ſi coniectura interdum ex effectibus intima cordis ſcrutari licet; non alia Dalila illi detrimento fuit, quàm inuidia humanæ laudis gloria compta: quippe qui ægro ferebat animo, intruſum ab Arianis (vt dictum eſt) Felicem agere Romę Pontificem, ſe verò exulem, atque à ſua Sede procul extorrem; quam vt reciperet, & ex ea Felicem eijceret, oblatas illas ſordidas conditiones accepit tandem. Hęc quidem omnia ſcripta in primis ab eo ad Orientales epiſtola planè ſignificat.

4. Poſtquam Baronius epiſtolas Liberij exſcripſit, pag. *670.* ita concludit: Et his omnibus, quę tum ex Hiſtoricis, atque Sanctis Patribus, nec non ex eiuſdem litteris hìc recitata ſunt, nihil eſt quo excuſari Liberius poſſit, quin communionem inierit cum Arianis, & in Athanaſium latam ab eiſdem ſententiam ratam habuerit: hæc, inquam, omnia, ſi aliorum deficerent aſſertiones, ipſomet recitatis his

„ litteris profitente, vera eſſe, in dubium reuocari haud poſſunt. Num
„ autem ob cauſam dicendus hęreticus? minimè gentium: Latèque
& neruosè probat ibi Baronius, Liberium hęreticum non fuiſſe; quod
prius breuiter probauerat Bellarminus, affirmans Liberium conſenſiſſe
in damnationem Athanaſij propter crimina ipſi obiecta, non propter fidem, & ſimiliter cum hęreticis communicaſſe, quia Catholicos ſe fingebant; ac proinde eorum doctrinæ aſſenſum non præbuiſſe.

5. Vtriuſque Cardinalis iudicio conſonat iudicium D. Andreæ Duuallij ſic diſſerentis: „ Licèt non mediocriter (Liberius) peccauerit Arianis communicando, & D. Athanaſium iniuſtè condemnando, fideique formulę nomine conſubſtantialis carenti, quamuis Catholica eſſet, ſubſcribendo: & propterea meritò in ſuſpicionem hæreſeos in foro ſaltem exteriori venerit, & à Summo Pontificatu eadem cauſa exciderit, in eiuſque locum citra illius iniuriam Felix ſub Conſtantio poſtea glorioſus martyr fuerit ſuffectus: nihilominus Liberius nihil quicquam contra fidem definiuit, ſed eius error, ſi in aliquem lapſus ſit, duntaxat fuit perſonalis, & non ex cathedra: quinimò poſt mortem Felicis, non ſine manifeſto diuinę prouidentiæ iudicio, quaſi poſtliminio ad publicam fidei contra Arianos proteſtationem reuerſus, à Clero Romano Pontifex legitimus haberi cępit, & turpiſſimam maculam, quam ſibi ipſi propria culpa inuſſerat, fidei Catholicæ confeſſione, & ad mortem vſque defenſione eluit: Vnde meritò ab Ambroſio, Epiphanio & Baſilio, Vir beatiſſimus appellatur.

6. Ex dictis liquidò conſtat, ex lapſu Liberij non poſſe probabile argumentum fieri ad ſuadendum, ipſum è cathedra definiſſe, & Eccleſiæ credendum propoſuiſſe dogma falſum. Primò, quia quomodo potuit hæreſim alijs credendam proponere, qui hęreſim illam nunquam tenuit? Quod autem non tenuit hæreſim Arianam, de qua agebatur, manifeſtum indicat Baronius. Vnde Spondanus in compendio Baronij ad annum Chriſti 357. num. 13. de Liberio loquens, id conſtanter affirmat. Poſtquam enim aſſeruit negari non poſſe eum grauiſſimè deliquiſſe, ſubdit: „ tamen à fide Catholica defeciſſe, aut in hæreſim incidiſſe, nullus „ vnquam probabit.

7. Deinde, quamuis permitteremus, ipſum re verâ incidiſſe in hæreſim Arianorum, & conſenſiſſe cum ipſis in doctrina; inde nullatenus probari poſſet ipſum definiſſe illam hæreſim, & Eccleſiæ credendam propoſuiſſe: Etſi enim ex eo quod Papa definiſſet hęreſim, rectè argueretur ipſum hęreticum fuiſſe; ex eo tamen quod hęreticus fuerit, probari nequit hæreſim definiuiſſe, & Eccleſiæ credendam propoſuiſſe.

8. Præterea cum hæreſis Arianorum fuiſſet iam tunc apertè damnata in Concilio Nicæno; quamuis permitteremus Liberium Pontificem non ſolùm fuiſſe hæreticum Arianum, ſed etiam hæreſim illam manife-

ſtam

Digitized by Google

ſtam obtrudere voluiſſe in Eccleſiam: inde non poſſet probari, Papam poſſe errare in determinanda quæſtione, quæ inter ipſos Catholicos eſt dubia, vt oſtendi ſupra diſp. 15. ſect. 2. §. 7. Ratio eſt, quia ſi Papa per impoſſibile iuberet, vt omnes crederent tanquam veritatem fidei doctrinam iam damnatam ab Eccleſia tamquam hæreticam; nullus teneretur illi obedire, imò omnes tenerentur reſiſtere. At quando res eſt dubia inter ipſos Catholicos, & nondum ab Eccleſia eſt determinatum, quid tenendum ſit; quando Papa poſt diligentem rei diſcuſſionem dubium determinat, & vnam partem credendam proponit, omnes tenentur illi poſitiuè obedire, & ſuum iudicium priuatum ſubmittere iudicio eius, quem Deus conſtituit ſupremum totius ſui ouilis paſtorem, vt ouibus paſcua ſalutaria proponat; & quem conſtituit ſupremum iudicem controuerſiarum Fidei, & morum: Vnde ſi ille tunc in iudicando errare poſſet, omnes fideles tenerentur in credendo errare.

9. Solet etiam obijci contra infallibilitatem Pontificis in definiendo Felix Secundus, qui operâ Arianorum euectus eſt ad Pontificatum, quando Liberius actus eſt in exilium: nam Felicem Epiſcopum, Arianum fuiſſe teſtatur Hieronymus in catalogo Scriptorum, dum ſermonem facit de Acacio Epiſcopo Cęſarienſi, cuius pręcipuè opera Felix, qui erat Diaconus Romanus, ad Pontificatum aſcendit. Verùm hoc argumentum nihil probat. Quamuis enim daremus Felicem hæreticum fuiſſe, quando ab Arianis electus eſt; certum eſt non fuiſſe verum Pontificem toto eo biennio, quo Liberius in exilium deportatus, conſtanter defendit Catholicam fidem, ſed fuiſſe Antipapam. Certum rurſus eſt, ſi initio Felix hæreticus Arianus fuit, poſtea, quando poſt præuaricationem Liberij ſalutatus eſt Pontifex à Clero Romano, fuiſſe fidei Catholicæ acerrimum defenſorem, nec vnquam aliquid contra fidem docuiſſe, non ſolùm è Cathedra, & vt Pontificem, ſed nec vt authorem particularem.

10. Deinde Bellarminus rectè probat ex Ruffino lib. 10. hiſtoriarum cap. 22. ex Theodoreto lib. 2. cap. 17. ex Sozomeno lib. 4. cap. 10. Felicem nunquam Arianum fuiſſe, licèt cum Arianis liberè communicauerit, propter beneficium Pontificatus ab eis acceptum. Vt autem notat ex Baronio, & Bellarmino Spondanus in epitome ad annum 357. num. 19. in hac hiſtoria Liberij, & Felicis, admiranda prorſus apparuit Dei prouidentia, qua Eccleſiam Romanam ſemper moderatus eſt. Nam „ labefactato ex Arianorum communicatione, etſi non hæreſis partici- „ patione, Liberio, Felicem antea eorum communicatione coniun- „ ctum excitauit ex aduerſo, ſicque ad pugnam roborauit, vt tum eos „ omnes, tum eorum Principem Conſtantium anathemate feriens, pro „ mercede coronam martyrij fuerit conſecutus. Felice autem defuncto (ſubdit num. 21. Spondanus) nullus in eius locum ſubrogatus eſt, quod Liberius, abrupta penitus, quæ recipiendæ Sedis cauſa interceſſerat,

cum Arianis communicatione, ab omnibus legitimus Romanæ Eccleſiæ Pontifex, vt erat antea, cognitus & acceptus fuit. Conſtatque authore Marcellino Presbytero, eundem, ad tollendum Eccleſiæ Romanę ſchiſma, eos, qui à Felice fuerant ordinati, in Clerum cum ordinibus, & honoribus accepiſſe, factumque vnum Paſtorem ouilis vnius.

11. Notat autem Bellarminus, quod licèt Liberius hæreticus non eſſet; quia tamen hęreticus habebatur propter pacem cum Arianis factam, potuiſſe ex ea præſumptione ei Pontificatum abrogari. Non enim „ homines tenentur, inquit, aut poſſunt corda ſcrutari, ſed quem ex„ ternis operibus hæreticum eſſe vident, ſimpliciter hęreticum iudi„ cant, ac vt hæreticum damnant. Miraque prouidentia Deus cauſam Felicis egit tempore Gregorij XIII. Rem narrat Baronius tom.3. ad annum 357. pag. mihi 674. Cum enim ingreſſus in Pontificatum fuerit „ iniquus, inde & accidit (inquit Baronius) vt temporibus Pontifi„ catus Gregorij Decimi Tertij, dum de emendatione Romani Marty„ rologij à viris eruditis ad hoc delectis frequentes haberentur con„ uentus, & de Felice non leuis controuerſia incidiſſet, expungenduſ„ ne eſſet ob vitioſum ingreſſum eius, vel abſque martyrij titulo relin„ quendus, deque his diu multumque altercatum eſſet; & ego in eam „ ſententiam pedibus irem, vt Felicis nomen expungendum eſſet, eo„ que argumento volumen haud breue ſcripſiſſem, cui fauerent, aſti„ pularenturque complures viri eruditi in vrbe tunc exiſtentes: accidit „ planè, veluti diuino miraculo, vt cùm in Diaconia Sanctorum mar„ tyrum Coſmæ & Damiani in Foro ad Templum Pacis poſita, quidam „ malè conſulti, ſed non ſine diuina prouidentia, clam altare vnum à „ dextris poſitum ſuffoderent, vt theſaurum inuenirent, quod accepe„ rant, neſcio quo reuelante, ibi eſſe repoſitum; in marmoream arcam „ inciderent, in cuius altero latere, tabulæ lapideæ interſtitio ab altero „ diſtincto, repoſitæ inuenirentur reliquiæ Sanctorum martyrum Mar„ ci atque Marcelliani, & Tranquillini; in altero verò arcæ latere cor„ pus S. Felicis, de quo agimus, vna cum lapideo laterculo ibidem in„ tus poſito hiſce litteris exarato: Corpus S. Felicis Papæ, & Marty„ ris, qui damnauit Conſtantium. Quod accidit pridie eius diei, quo „ eiuſdem S. Felicis in Eccleſia natalis dies agi conſueuit quarto Ka„ lendas Auguſti, anno Domini milleſimo quingenteſimo octogeſimo „ ſecundo, cùm de eius meritis diſceptatio magna eſſet, iamque penè „ ob innumeras contrarias aſſertiones cauſa cadere videretur: quando „ opportune ipſemet Felix viſus eſt admiratione omnium rediuiuus „ comparuiſſe, per ſe ſuam ipſe cauſam acturus, cùm iam valdè ſtylo „ contradicentium eſſet oppreſſus.

„ 12. Tantæ rei nonnihil tunc ipſe vna cum alijs admiratione per„ culſus, adinuentiſque poſtea recitatis ſuperius Liberij litteris de

inita

" inita ad tempus communicatione cum Arianis, accedenteque ad
" hæc omnia (quod maioris ponderis apud me erat) ipſa de ea re
" ſententia Romani Pontificis; ſtylum modeſtia Chriſtiana repreſſi,
" quem zelo veritatis acueram, vincique à Felice, feliciſſimè accidiſ-
" ſe putaui; cedereque Illuſtriſſimo, ac Reuerendiſſimo Domino Iu-
" lio Sanctorio, Sanctæ Romanæ Eccleſiæ ampliſſimo Cardinali,
" ſimulque diſertiſſimo Viro, qui egregiè pro Felice ſuſceperat pa-
" trocinium, me cum ipſo triumphum magna gloria agere exiſtima-
" ui, ipſa veritate in vtroque vincente.

SECTIO X.

Reſpondetur ad reliqua argumenta petita ab erroribus Pontificum.

1. DOctor Dupin differt. 5. cap. 1. contendit probare Romanos Pontifices non eſſe in iudicando infallibiles: exemplis Romanorum Pontificum, qui de facto à fide, & à veritate deuiarunt. Exempla autem iſta, vt præmiſi ſupra 5. & 3. ſunt importuna ad intentum probandum. Quamuis enim illi concederemus, omnes Pontifices, quos ibi enumerat, à fide, & veritate deuiaſſe, non obtineret intentum. Nam licèt certum ſit, vt in toto hoc Opere probauimus, Romanum Pontificem habere aſſiſtentiam infallibilem Spiritus Sancti, ne erret in determinandis dubijs fidei, & morum, quæ inter Catholicos emergunt, proponendo toti Eccleſiæ, vt veritatem ab omnibus credendam aliquod dogma falſum: nihilominus certum non eſt habere aſſiſtentiam infallibilem Spiritus Sancti, ne erret contra fidem ſaltem per ignorantiam, & citra contumaciam requiſitam ad hæreſim. Id autem quamuis ſufficienter ſit oſtenſum in erroribus, qui affricantur Honorio, Ioanni XXII. Sixto V. Liberio, & Felici Secundo; magis conſtabit percurrendo alios Pontifices, quos in exemplum adducit.

§. I.

§. I.

Oſtenditur non erraſſe Eleutherium, ſeu Zephyrinum.

„ 1. PRimus eſt, inquit, Eleutherius, ſeu quiſquis alius Pontifex, „ quem teſtis eſt Tertullianus in libro contra Praxeam literas „ pacis miſiſſe ad Montaniſtas, & eas poſtea reuocaſſe. Verum non Eleutherius, ſed Zephyrinus Pontifex erat, quando Tertullianus hoc ſcripſit; ſiquidem Sanctus Eleutherius electus eſt anno 177. & obijt anno 192. Tertullianus autem id ſcripſit circa annum 208. quandoquidem ipſe circa id tempus, vt probat P. Labbè, prolapſus eſt in Montani dogmata, & nouæ Prophetiæ deliramenta. Illud autem ſcripſit in fauorem Montaniſtarum, vt notat Bellarminus, rectè monens propter hanc cauſam non magni faciendum hac in re Tertulliani iudicium. Reſponſionem, quam huic obiectioni exhibuit Bellarminus, diſſimulauit, vel non legit D.Dupin,& ideo argumentatus eſt ex illo loco Tertulliani, quia in annotationibus ad Tertullianum poſuit eo loco Rhenanus in margine: *Epiſcopus Romanus montanizat*. Ex hac enim reſponſione conſtat, quod quamuis admitteretur teſtimonium Tertulliani vt verùm; inde nullum poteſt confici argumentum contra infallibilitatem Romani Pontificis in determinandis fidei, & morum controuerſijs. Legat illam D. Dupin, & deſinat tam debilia argumenta obij„ cere. Credibile eſt, (inquit Bellarminus lib.4. de Romano Pontifi„ ce cap.8.) Zephyrinum Pontificem à Montaniſtis perſuaſum fuiſſe, „ doctrinam Montani non eſſe diuerſam à doctrina Romanæ Eccleſiæ, „ & ideò eundem Pontificem voluiſſe eis pacem reddere, quam abſtu„ lerant ipſius prædeceſſores: non quidem quod approbaret errorem, „ quem ſui maiores improbauerant, ſed quod arbitraretur falsò de illis „ erroribus fuiſſe accuſatos Montaniſtas. Hoc autem non eſt errare „ circa fidem, nec montanizare, vt mentitur Rhenanus, ſed errare cir„ ca perſonam id quod multis alijs viris ſanctis accidit. Scribit enim „ Ruffinus lib.10. hiſt.cap. 11. Arium, vt Conſtantino Imperatori per„ ſuaderet, ſe eſſe Catholicum, tanto artificio ſcripſiſſe fidem ſuam, vt „ à Catholicis putaretur Catholica, & à ſuis tamen agnoſceretur qua„ lis erat. Et Leo epiſtola 86. ad Nicetam Aquileienſem, monet Epi„ ſcopum illum, vt Pelagianos ad Eccleſiam redeuntes apertiſſimis „ verbis iubeat hæreſim abiurare, propterea quod ſoleant plerumque „ Eccleſiam decipere, ita compoſita confeſſione fidei ſuæ, vt Catholici „ videantur, cùm non ſint. Tale aliquid videtur Zephyrino etiam „ Pontifici accidiſſe.

Digitized by Google

§. II.

Idipſum oſtenditur de Victore I.

" 1. SEcundus Pontifex, inquit Dupin, eſt Victor, qui temerè in
" Aſianos Epiſcopos ſententiam excommunicationis tulit, &
" & ideo reprehenſus eſt à cæteris Epiſcopis, vt ex Euſebio liquet.
" Quamuis autem res iſta diſciplinæ non fuerit; nihilominus grauiter
" errauit iſte Pontifex, qui ob rem tam parui momenti totum Orbem
" laceraſſet, niſi cæterorum Epiſcoporum prudentia huius temeritatem correxiſſet. Hæc ille. Sed quid hoc ad intentum præfixum? Hoc ſanè ad ſummum probat, Pontificem Romanum poſſe ſine ſufficienti cauſa aliquem excommunicare, & temerè in aliqua actione ſe gerere: nec enim habet aſſiſtentiam Spiritus Sancti infallibilem, vt in nullo peccet, in nullo temerè ſe gerat, & præcipitanter; ſed ſolùm vt non erret, dum è cathedra Petri reſoluit dubia fidei, & morum, & toti Eccleſiæ proponit, quid tenendum, quid credendum ſit. Vnde exemplum illud Victoris non eſt ad propoſitum.

2. Videtur autem hoc hauſtum ex Caluino lib.4. Inſtitut. cap.7. §.7. (vt habes apud Bellarminum lib.4. de Romano Pontifice cap.19.) modum illum obloquendi de Victore Papa. Vt autem conſtet, quàm immeritò dicat D. Dupin, grauiter erraſſe Victorem, & ob rem exigui momenti, neceſſe eſt hanc hiſtoriam euoluere. Cùm Sanctus Pius huius nominis Primus, qui ad Pontificatum euectus eſt anno Chriſti 156. & martyrio coronatus anno 165. decreuiſſet, vt Paſcha non celebraretur cum Iudæis decima quarta die primi menſis, ſed Dominica ſequenti, & Aſiani nollent acquieſcere; Sanctus Victor Primus, qui ad thronum aſcendit anno 192. & anno 201. Martyr occubuit, eos omnes excommunicauit. Vt autem conſtet non fuiſſe hoc ob cauſam parui momenti, audiamus Henricum Spondanum in Epitome Baronij ad annum 198.
" num.1. Per vniuerſum fermè, inquit, terrarum orbem ab Epiſcopis
" ad Synodos conuocatis, vno omnium conſenſu ex antiqua Apoſto-
" lorum traditione ſtatutum eſt, Paſcha celebrandum eſſe tantummodò
" die Dominico. Non eſt autem *res exigui momenti* illa, ad quam determinandam tot Synodi per vniuerſum orbem congregatæ ſunt.

3. Et quamuis propter hanc excommunicationem latam à Victore contra Aſiaticos, ille nimiæ ſeueritatis redargutus ſit ab Irenæo, alijſq; Catholicis Epiſcopis, qui eodem quo ipſe die Paſcha celebrabant; tamen qui legerit apud Baronium cauſas, quæ Victorem ad hoc ſeuerum præceptum imponendum impulere, quas ignorare non debuit D. Dupin, ſi voluiſſet fideliter res narrare, & non de induſtria occaſionem

quæ-

quærere carpendi Romanos Pontifices; ſatis mirari non poterit, quod Doctor Catholicus ita ſtylum acuerit, contra Pontificem ſanctum, & Martyrem. Vt autem veritas omnibus pateat, in medium producamus verba Henrici Spondani in compendio Baronij ad annum 198. num. 3. vbi ita loquitur.

„ 3. Et vt rem ipſam accuratius perſcrutemur, (inquit) quamdiu „ cum Catholicis tantùm acta res eſt, tolerabile viſum fuit Romanis „ Pontificibus, permittere Aſianos more Iudæorum decimâ quartâ „ Lunâ Paſcha celebrare: at cùm hæc indulgentia hæreſis eſſe videre„ tur occaſio, ab ea ceſſare conſultius viſum eſt. Qui enim his tempo„ ribus inualuiſſent in Aſia Montani ſectatores (quod Pacianus ſigni„ ficat) & ipſi die decimaquartâ eſſe Paſcha celebrandum, ſecus autem „ agentes errore duci omninò affirmabant. Differebant tamen ab alijs „ Quartodecimanis, quod illi Lunæ curſum Iudæorum more obſerua„ bant, hi autem Solis. Nec tantùm Montaniſtæ eum fouerunt errorem „ ſed & ipſe Blaſius (quem vidimus) Romanæ Eccleſiæ Presbyter, ea „ ratione Iudaiſmum latenter (vt ait Tertullianus) introducere cona„ tus eſt; & quod ei contradiceretur, ſchiſmate ſe ab Eccleſia præſci„ dit, compluribus alijs in ſuam ſententiam perductis. Quapropter „ cùm hæc amplius tolerare, idem iam videretur quod ſchiſmati faue„ re; etſi durum ac violentum viſum eſt multis remedium Victoris Pa„ pæ, pernecesſarium tamen ad vlcus ſanandum: cùm præſertim non „ eadem præſens eſſet Aſianorum cauſa, ac fuerat tempore Polycarpi; „ quandoquidem olim illi ex permisſione, iſti nunc ex necesſitate id ſe „ agere dicerent.

„ 4. Ne autem aliquæ Occidentalium Eccleſiarum in eiuſmodi er„ rorem laberentur, curauit idem Victor eas omnes admonere, vt in „ antiqua Apoſtolorum traditione permanerent: nam quæ extant binæ „ ipſius ad Deſiderium & Paracodam Epiſcopos Viennenſes, & per „ eos ad vniuerſam Eccleſiam Gallicanam datæ diuerſis temporibus „ de ea re literæ, argumento ſunt eum & alias eiuſdem generis ad reli„ quas Occidentalis Orbis Eccleſias direxiſſe. Porrò qui in Oriente „ ea de cauſa auulſi ſunt ab Eccleſia, magna ex parte in ſchiſmate per„ manſerunt in longum tempus: licèt enim ingens eorum numerus „ Concilij Niceni tempore ad Eccleſiam fuerit reuocatus; tamen etiam „ poſtea Syros, Cilices, & Meſopotamos in eodem errore permanſiſſe „ S. Athanaſius tradit. Fauerunt & alij eidem ſententiæ, de quibus „ dicetur ſuo loco. Hucuſque Spondanus.

§. III.

§. III.

Falsò quoque aſſeritur erraſſe Stephanum.

„ 1. TErtius eſt Stephanus, inquit Dupin, qui in oppoſitum Cy-
„ priano errorem videtur incidiſſe, docens quoslibet hæreti-
„ cos à quacumque hæreſi venientes ſine iterato baptiſmo ſuſcipien-
„ dos, quo omnium omnino hæreticorum Baptiſmata, ſiue in nomine
„ Trinitatis, ſiue ſecus collata approbauit: ita certè mentem eius in-
„ tellexerunt Cyprianus & Firmilianus, eiuſque verba id omnino ſo-
„ nant. Adde quod omnes ferè hæretici qui tunc exorti erant, exce-
„ ptis Nouatianis, de quibus nondum erat quæſtio, cùm Trinitatem
„ non agnoſcerent, in Trinitatis nomine minimè baptizabant, ſed in
„ baptiſmate abſurdis vtebantur quibuſdam formulis, vt videre eſt
„ apud Irenæum. Cùm ergo omnes, aut ferè omnes hæretici, qui à
„ Chriſto ad Stephanum vſque exorti erant, in Trinitatis nomine mi-
„ nimè baptizarent; Stephanus autem à quacumque hæreſi venientes
„ ſine iterato baptiſmo ſuſceperit, quid aliud inde inferri poteſt, niſi
„ eum illorum, qui in Trinitatis nomine minimè baptizabant, rata ha-
„ buiſſe baptiſmata, qui error eſt Cypriani errori oppoſitus, quem ta-
„ men ille ita acriter defendit, vt Cyprianum & alios aliter ſentientes
„ à communione Eccleſiaſtica ſummouere ſit conatus.

2. Verum argumentum hoc confectum à D. Dupin contra S. Stephanum Papam, & Martyrem, pariter ab ipſo poſſet contorqueri contra Concilium Nicænum canone 19. vbi iubentur Paulianiſtæ rebaptizari. *Ex quo apertè deducitur cæterorum hæreticorum Baptiſma approbatum à Concilio fuiſſe*, vt inquit Bellarminus lib. 1. de Sacramentis cap. 26. Paulianiſtæ reliquię, & Sectarij erant Pauli Samoſateni Epiſcopi Antiocheni, qui dicebat Chriſtum purum hominem eſſe, & ante Mariam Virginem non extitiſſe. *Hi autem*, (inquit Binius tom. 1. Concil. par. 1.
„ pag. 288. in notis ad illum Canonem) Si ad Eccleſiam redire con-
„ tendant, rebaptizari iubentur, non vt iterato baptiſmate abluantur,
„ ſed quod horum miniſterio Baptiſma ipſis collatum initio nullum
„ fuerit, ideo quia forma eadem, qua vtitur Eccleſia, per expreſſam
„ ſcilicet Trinitatis inuocationem, non fuerit adminiſtratum. Poſſet ſimiliter contorqueri in Hieronymum, qui in Dialogo contra Luciferianos extremo ſic ait: *Synodus quoque Nicæna omnes hæreticos ſuſcipit, exceptis Pauli Samoſateni diſcipulis*. Vbi apertiſſimè dicit (inquit vbi nuper Bellarm.) approbatum Baptiſma hæreticorum omnium, exceptis quibuſdam, qui nimirum non vtebantur formula legitima.

3. Quare S. Stephanus non approbauit omnium hæreticorum Ba-

 ptiſmum,

ptiſmum, ſed duntaxat eorum qui legitima forma & materia à Chriſto inſtituta vtebantur. Nam Sanctus Stephanus ſe oppoſuit errori, qui paulò ante tẽpus quo floruit Cyprianus, cœpit exoriri in Aſia, & in Africa, nimirum errori aſſerenti non eſſe rata Sacramẽta, quæ ab hæreticis & ſchiſmaticis dabantur poſt ſeparationem eorum ab vnitate Catholica, non quidem ob defectum materiæ, & legitimæ formæ, ſed ob defectum legitimi Miniſtri: arbitrabantur enim vnitatem in fide Catholica eſſe quid eſſentialiter prærequiſitum, vt Miniſter Sacramentorum illam validè adminiſtraret, & propterea dicebant, Baptiſmum adminiſtratum ab hæreticis etiam ſub legitima materia, & forma, & cum intentione debita eſſe omninò nullum, ac propterea reiterandum. Auguſtinus autem lib.2. de Baptiſm. cap.7. indicat, primum authorem huius erroris fuiſſe Agrippinum Epiſcopum Carthaginenſem, Sancti Cypriani prædeceſſorem; quod clarius teſtatur Vincentius Lyrinenſis apud Bellarminum lib.1. de Sacram. cap. 26. Secutus eſt prædeceſſorem ſuum Cyprianus (inquit Bellarminus) cum multis Africæ Epiſcopis, ſic tamen vt non propterea ſe ab Eccleſiæ vnitate ſepararet, vt patet ex epiſtolis ad Quintum, ad Pompeium, & ad Iubaianum: quocirca nunquam hæreticus habitus eſt. Nec deſunt, qui aſſerunt, eum poſtea reuocaſſe ſententiam, vt Sanctus Auguſtinus teſtatur in epiſt. 48. ad Vincentium: quemadmodum etiam Epiſcopos cæteros, qui cum Cypriano cum errorem definierant, reuocaſſe ſententiam ſuam, permotos authoritate Stephani Romani Pontificis, ſcribit S. Hieronymus in Dialogo contra Luciferianos.

4. Quod S. Stephanus non approbauerit Baptiſma omnium hæreticorum, etiam illorum, qui non vtebantur forma præſcripta in Euangeliò, patet primò: quia cùm forma Baptiſmi ſit tam expreſsè in Euangelio tradita per illa verba, ***Baptizantes eos in nomine Patris & Filij, & Spiritus Sancti***; incredibile omninò, eſt quod Sanctus Pontifex approbauerit Baptiſmata, quæ carebant mentione Trinitatis. Secundò: Stephanus dum dicebat, Baptizatos ab hæreticis non eſſe rebaptizandos, loquebatur de hæreticis Nouatianis, qui legitima forma Baptiſmi vtebantur, vt probat Binius loco ſupra citato in notis ad Canonem 19. Concilij Nicæni ijs verbis: Id quod de Nouatianis (inquit) tempore Stephani Pontificis contra Africanos inſtitutum eſt, huic Canoni nihil obſtat. Hi enim legitima forma baptizati antea fuerant; ideòque ipſos per iteratum Baptiſmum in Eccleſiæ communionem recipere, ſacrilegium fuiſſet, iuxta ea quæ copioſè ſcripſimus in Notis ad Canonem Apoſtolorum 46. Notumque erat Sancto Stephano, Hæreticorum baptiſma non eadem forma, qua conferebatur ab Eccleſia, collatum, nullum omninò eſſe; ac proinde eos, qui eſſent baptizati ab hæreticis non habentibus veram formam Baptiſmi, quæ in Eccleſia Catholica erat in vſu, & quæ in Euangelio continentur, baptizandos

eſſe

eſſe vero baptiſmo; quod non erat rebaptizare, ſed primò verè baptizare. Dum ergo Sanctus Stephanus Papa docuit Baptizatos ab hæreticis non eſſe rebaptizandos, planè intellexit de baptizatis Baptiſmo illo, qui adminiſtratur in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.

5. Et in hoc ſe oppoſuit Epiſcopis Africanis, qui vnà cum Cypriano ad Synodum coacti Chartagine(inquit Spondanus in epitome Baronij ad ann.258. num.7.) cùm de ea quæſtione, nimirum an Baptizati ab hęreticis ſint rebaptizandi,occaſione Nouatianorum in Africa reſtauratâ „ conſulti fuiſſent à Ianuario, & ſocijs Numidiæ, ita definierunt, vt „ omninò negarent Baptiſmum vllo modo reperiri extra Eccleſiam; „ ideoque qui apud Hæreticos, vel ſchiſmaticos baptizati viderentur, „ cùm ad Eccleſiam venirent, verè baptizari debere. Stephanus autem conſtanter tenuit doctrinam oppoſitam, aſſerendo extra Eccleſiam reperiri Baptiſmum, dummodò extra Eccleſiam adminiſtraretur eo modo, quo adminiſtratur in Eccleſia, nimirum cum materia & forma à Chriſto inſtituta, & vera intentione baptizandi.

6. Idque inde validè confirmatur, quod Sanctus Stephanus, vt perſiſteret in doctrina de non rebaptizandis ijs, qui baptizati fuerant ab hæreticis; nitebatur traditione, & conſuetudine, quæ ab Apoſtolorum tempore vſque ad illud tempus durabat; & hoc erat potiſſimum Stephani fundamentum, vt teſtatur Auguſtinus libr. 6. de Baptiſmo cap.9. his verbis: *Conſuetudinis robore tenebatur orbis terrarum, & hæc ſola opponebatur inducere volentibus nouitatem*. Planum autem eſt,traditionem Apoſtolicam non aliam fuiſſe tunc, nec poſtea continuatam, niſi illam, quæ docet hominem baptizatum ab hæreticis ſub legitima materia, & forma à Chriſto inſtituta non eſſe rebaptizandum. Apoſtoli enim tradiderunt fidelibus, vt Baptiſmus adminiſtraretur in aqua elementari abluendo baptizandum, & ſimul ſupra illum proferendo formam, qua modò vtitur Eccleſia. Vnde in Canone 44. Apoſtolorum ſic legimus: *Si quis Epiſcopus, aut Presbyter iuxtà præceptum Domini non baptizauerit in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti &c. abijciantur*. Et Canone 47. habetur ſic: *Epiſcopus, aut Presbyter, ſi eum, qui ſecundùm veritatem habuerit baptiſma, denuò baptizauerit, deponatur*. Habet autem baptiſmum in veritate, qui baptizatus eſt in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, cum intentione faciendi, quod facit Eccleſia, & Chriſtus inſtituit, ſiue Baptiſmus ſit collatus à Catholico, ſiue ab hæretico. Hæc eſt traditio Apoſtolica, quâ nitebatur Stephanus Papa, nec alia eſſe potuit: nec enim vnquam fuit mos in Eccleſia,quod non rebaptizentur ij, qui ſunt baptizati alia forma, quàm ea,quæ vtitur Eccleſia; imò ſemper viguit oppoſita; vnde quoties datur prudens dubium, an homo fuerit baptizatus ſine debita materia & forma, debet baptiſmus repeti ſaltem ſub conditione.

7. Hinc Spondanus, poſtquam narrauit oppoſitionem, quam do-

ctrinæ Stephani fecerunt Africani Epiſcopi, in duabus Synodis ad hoc congregatis Carthagine à Cypriano, ad quarum vltimam conuenerunt vltra centum ſeptuaginta Epiſcopi, ſic concludit ad annum 258. nu.12.
,, Quòd verò ad Stephanum attinet; quas antiquorum Patrum traditio-
,, nes ſummo ſtudio, & intrepido animo acerrimè propugnauit; eædem
,, his turbinibus ſuperatis ſinceræ, & integræ in Eccleſia Catholica
,, cuſtoditæ permanſerunt; qui verò contrariam ſectati ſunt ſenten-
,, tiam, ijdem omnes pro hæreticis ſunt habiti. Enituitque planè in
,, hoc tanto certamine, quanta in Traditionibus vis, & in Apoſtolica
,, Sede ineſſet authoritas, quando (vt ait egregiè Vincentius Lirinen-
,, ſis, dum de hac re pluribus, ac planè grauiter more ſuo agit) Ste-
,, phanus Papa cum cæteris quidem collegis ſuis, ſed tamen præ cæte-
,, ris huic nouitati reſtitit; dignum exiſtimans, ſi reliquos omnes tan-
,, tum fidei deuotione vinceret, quantum loci authoritate ſuperabat.
,, Qui quidem ob Catholicam traditionem egregiè propugnatã, meruit
,, omnium præconijs celebrari, & anniuerſaria commemoratione non
,, ſolum à Latinis, ſed & Græcis (quod de alijs occidentalis Eccleſiæ
,, ſanctis martyribus raro accidere conſueuit) in tabulis Eccleſiaſticis
,, commendari. De quo & illud ſtupore dignum Auguſtinus iudica-
,, uit, quòd cùm hæretici Donatiſtæ poſtea aduerſariam Stephano
,, ſententiam, Africanorum Conciliorum authoritate defenſarent; in
,, ipſum tamen ob eminentem iudicij cum ſanctitate coniunctam au-
,, thoritatem, ne mutire quidem auſi ſint, imo & laudare compulſi, &
,, Epiſcopatum illibatè geſſiſſe confiteri.

8. Ex ijs omnibus manifeſtè conſtat, ſine vlla probabilitate D. Dupinum attribuiſſe Sanctiſſimo Pontifici Stephano craſſum illum errorem, quo nullo pacto ſit rebaptizandus ille, qui ab hæretico quocumque, etiam baptizante abſque inuocatione Trinitatis, ſit baptizatus. Et ſatis ex hoc Dupini argumento conſtat, in quæ abripuerit ipſum auiditas nimia impugnandi authoritatem Sedem Apoſtolicæ. Redibit ſermo de Stephano in diſputatione ſequenti, in qua de Cypriano.

S. IV.

§. IV.

Neque erraſſe Zoſimum in cauſa Celeſtij.

1. PErgit Dupin in enumeratione Pontificum, quibus affricat errorem, & quarto loco nominat Liberium, quem iam ab eius calumnijs vindicauimus. Quinto loco nominat Zoſimum „ qui Cę-„ leſtij, inquit, hæretici libellum Catholicum eſſe pronunciavit, eumq; „ datis ad Africanos litteris comprobauit; nam etſi errorem Cęleſtij „ non approbauerit Pontifex, eius de peccato originali dubitationem „ proculdubio approbavit. Hucuſque Dupin, qui id probare contendit ex Auguſt. lib. 1. ad Bonifacium cap. 3.

2. In primis hoc argumentum non probat intentum, nempe quod Pontifex Romanus poſſit in dubijs Fidei reſoluendis errare, proponendo toti Eccleſiæ aliquod falſum cum intentione obligandi ad id credendum tanquam veritatem; ſed ad ſummum probat, poſſe Papam circumveniri ab hæretico verſipelli, & ab illo ita decipi, vt bona fide habeat pro Catholico hominem hæreticum, & pro iuſto & ſancto hominem peccatorem. Conſulatur Baronius ad ann. 173. vbi deſcribit æſtimationem ſanctitatis, quam habuit Montanus hæreticus, & artificia, quibus multos decepit: quibus relatis, ait num. 3. „ Magna certè Montani „ fraus tentatio in Eccleſia fuit, cùm non hic, vel ille inanis homo, „ & facilis ad credendum ab huiuſmodi compoſita larua deceptus ſit, „ ſed & qui magna videbantur præditi ſantitate atque doctrina, & n. 7. „ quod ſpectat ad Montanum, & ſocios eius perfacile fuit ab eis deci-„ pi; quippe qui in omnibus ſpeciem pietatis præferebant &c. Et num. 5. idipſum pulchro confirmat exemplo. Nam vt narrat Socrates lib. 4. „ cap. 11. „ Euſtathius Sebaſtenus hæreticus Romam veniens cum ſuis „ ad Liberium Papam, fidei Catholicæ ſinceram profeſſionem edens, „ doloſe communionem (ideſt litteras comunicatorias, quæ pacificæ appellabantur; & nemini facienti profeſſionem fidei negabantur) ſubri-„ puit, rediensque glorioſe de Romanæ Eccleſiæ communicatione ſe „ extulit, ſed reclamantibus orientatibus, & qualis adhuc eſſet Eu-„ ſtathius declarantibus, rurſum ſic cognitus, ab Eccleſia pulſus eſt, „ atque damnatus.

3. Itaque quamvis Papa poſſit in hunc modum circumueniri, & decipi; Id nobis non officit. Sed vt detegamus, quid in hac materia ſit verum, Annales Eccleſiaſticos, & Authores fide dignos conſulamus. Rem exactè narrat Spondanus ad annum 417: num. 3. ex Baronio tom. 5. ad illum annum à pag. 400. his verbis.

4. Initio

4. Initio Pontificatus Zoſimi,Cæleſtius Pelagij anteſignanus (quem
„ tanquam nouæ hæreſis promulgatorem iam diù ante damnatum ab
„ Epiſcopis Africanis in Concilio Carthaginenſi, appellaſſe vidimus
„ Sedem Apoſtolicam) Innocentio ſibi aduerſante defuncto, Romam
„ ad ſucceſſorem illius Zoſimum ſe contulit, aduerſus accuſatores que-
„ relas illaturus. Quòd verò non ignoraret, & ab ipſo Zoſimo fore
„ damnandum ſi qualis eſſet detegeretur hæreticus, ea arte concinna-
„ uit ſcriptum à ſe libellum,vt licèt in eo ſatis indicaret ſe negare pec-
„ catum originale, non poſſet tamen à Zoſimo reijci, vtpote qui
„ poſt enarratam de fide ſententiam, eiuſmodi apponeret verba, *Si*
„ *fortè, (vt hominibus) quiſpiam ignorantiæ error obrepſerit, veſtrâ ſen-*
„ *tentiâ corrigatur*. At verò adiecit prudenter Zoſimus ad exploran-
„ dam hominis fidem, interrogare eum quàm exactiſſimè, an aſſentire-
„ tur epiſtolæ aduerſus errores Pelagij ab Innocentio ſcriptæ: quod
„ cùm ille profeſſus eſſet, tunc lenius quidem cum eo ſpe conuerſionis
„ ipſius Zoſimus agens, minimè tamen adhuc à vinculis excommuni-
„ cationis ſoluendum exiſtimauit, ſed ex abundanti in Africam ſcripſit,
„ vt ſi quid haberent contra eum, Romam mitterent. Hæc enim om-
„ nia ita ſe habuiſſe, conſtat ex diuerſis Auguſtini ſcriptis, qui & ipſe
„ Zoſimum excuſans, docet haud eum erraſſe, dum ſcripſit illum Cæ-
„ leſtij libellum eſſe Catholicum. Extântque in veteri Codice Vati-
„ cano literæ ipſæ eiuſdem Zoſimi ad Epiſcopos Africanos ſub huius
„ anni Coſſ. ſcriptæ, atque aliæ æquè ad eoſdem datæ vndecimo Ca-
„ lendas Octobris in cauſa Pelagij. Qui enim eadem erant fuligine
„ tincti, eadem ambo vſi ſunt ad fallendam Sedem Apoſtolicam arte;
„ dum ſicut Cæleſtius, ita Pelagius in litteris, quas datas diximus ad
„ Innocentium, & eo defuncto acceptas à Zoſimo, nihil magis cona-
„ tus eſt, quàm ab ipſo Romano Pontifice videri atque probari Ca-
„ tholicus: addens, & ipſe in fine libelli confeſſionis fidei eidem obla-
„ to hæc verba: Hæc eſt fides, quam ſemper tenuimus, in qua ſi mi-
„ nus peritè, aut parùm cautè aliquid fortè poſitum eſt, emendari cu-
„ pimus à te, qui Petri & fidem, & ſedem tenes.

5. His poſitis dico, S.Zoſimum non approbaſſe de peccato originali dubitationem; quaſi Auguſtinus hoc referens per hoc ſignificauerit, Zoſimum approbaſſe, quod Cæleſtius reuocauerit in dubium peccatum originale: hoc enim approbaſſe Zoſimum, fuiſſet Zoſimum dubitaſſe an detur peccatum originale, quod eſt planè falſum; ſed approbauit, quod Cæleſtius coram ipſo dixerit, ſe non definiendo, ſed dubitando aliqua ſcripſiſſe, quæ paratus erat corrigere, ſi falſa eſſe deprehenderentur, eaque ſubiecit verbaliter iudicio Romanæ Sedis. Hæc ſunt, quæ Zoſimus tunc laudauit, & illa reuera digna laude erant, ſi cor verbis fraudulentis reſponderet; proptereàque eius libellus Catholicus dictus eſt à Zoſimo, *quia & hoc Catholicæ mentis eſt* (inquit Auguſtinus,) *ſi quæ*

forte

fortè aliter ſapit , quàm veritas exigit , non ea certiſſimè definire, ſed detecta ac monſtrata reſpuere . Idque magis conſtabit , ſi in medium proferamus integra verba Auguſtini lib.2. ad Bonifacium à D. Dupin citata . *Quæ nam tandem* (inquit) *querela venerandæ memoriæ Papæ Zoſimi, quæ interlocutio reperitur vbi præceperit , credi oportere ſine vllo vitio peccati originalis hominem naſci? nuſquam prorſus hoc dixit, nuſquam omnino conſcripſit , ſed cùm hoc Cæleſtius in ſuo libello poſuiſſet inter illa dumtaxat, de quibus ſe dubitare , & inſtrui velle confeſſus eſt; in homine acerrimi ingenij , qui profectò ſi corrigeretur , plurimis profuiſſet , voluntas emendationis , non falſitas dogmatis approbata eſt, & propterea libellus eius Catholicus dictus eſt , quia & hoc Catholicæ mentis eſt , ſi qua fortè aliter ſapit quàm veritas exigit , non ea certiſſimè definire , ſed detecta ac demonſtrata reſpuere .*

6. Neque refert , quod poſtmodum Auguſtinus ſubiungit : *Sed ſi , quod abſit , tunc fuiſſet de Cæleſtio vel Pelagio in Romana Eccleſia iudicatum , vt illa eorum dogmata quæ in ipſis , & cum ipſis Papa Innocentius damnauerat , approbanda & tenenda pronuntiarentur , ex hoc potius eſſet præuaricationis nota Clericis Romanis , inurenda .* Hæc ibi Auguſtinus ; in quibus non ſupponit *Pontificem , & Eccleſiam, quæ Romæ eſt , à fide maiorum deficere poſſe* , vt illi falsò tribuit D. Dupin ; ſed solùm apponit conditionalem , quòd erraſſet tunc Zoſimus, ſi approbaſſet illa dogmata , quæ Innocentius damnauerat . Quæ conditionalis nihil ponit in eſſe circa Zoſimum , nec ſupponit illum potuiſſe errare , approbando illud, quod Innocentius Primus damnauerat ; ſed potius , quia tanquam certum ſupponit declarationem Innocentij fuiſſe certam , & infallibilem , ſupponit hoc eſſe priuilegium Sedis Apoſtolicæ , vt errare non poſſit in ijs quæ definit ; ac proinde ſupponit ſine manifeſto errore non poſſe poſteriorem Pontificem oppoſitum declarare eius, quod à Deceſſore ſuo definitum eſt in materia fidei , quod eſt veriſſimum ; & efficaciter probat , iudicium Romani Pontificis determinantis fidei , & morum controuerſias , eſſe irreformabile .

§. V.

Redarguitur Maimburgus ſuamet explicatione definitionis ex Cathedra .

1. EX dictis omnibus ſatis conſtat , D. Dupin , nec his exemplis , nec exemplo D. Petri probaſſe id , quod probandum ſuſceperat , nimirum Romanos Pontifices non eſſe infallibiles in determinan-

dis

dis ex cathedra fidei, & morum controuerſijs: tum quia licèt admitteremus Petrum, & ſeptem illos Romanos Pontifices ab ipſo enumeratos de facto à fide, & veritate deuiaſſe, inde non poteſt fieri probabile argumentum ad perſuadendum, poſſe Romanum Pontificem errare in reſoluendo dubia fidei & morum emergentia inter Catholicos, proponendo ſcilicet toti Eccleſiæ credendum dogma falſum: tum quia oſtendimus, falſum eſſe, quod Pontifices illi à fide deuiauerint.

2. Hinc quia D. Maimburgus exemplis illis vtitur ad impugnandam infallibilitatem Romani Pontificis, manet ex dictis ſimul cum D. Dupin expugnatus. Sed inter vtrumque hæc datur differentia, quod D. Dupin vt fugeret impugnationes, obſcurare conatus eſt explicationem, quam communiter afferunt Doctores Catholici, dum exponunt, quid ſit Papam loqui è cathedra, ne ſi admitteret certam aliquam explicationem, ex ea poſſe redargui. At D. Maimburgus, quia in Scholis exercitatus non erat, hoc non cauit; ſed potius explicans ſtatum controuerſiæ iſtius, in qua inquiritur an Papa ſit infallibilis, ita explicat, quid ſit *Papam loqui è cathedra*, vt hæc ipſa eius explicatio inania reddat, & extra propoſitum argumenta omnia, quæ poſtea adducit deſumpta ex errore Petri, & aliorum Pontificum.

3. In tract. enim de Prærogativis Eccleſiæ Romanæ, vt ſe accingeret ad impugnandam infallibilitatem Romani Pontificis in deteminandis è cathedra fidei & morum controuerſijs, explicat Maimburgus pag. 67. ſtatum quæſtionis de infallibilitate Papæ ſequentibus verbis fideliter ex Gallico in Latinum conuerſis. Quæſtio quæ poteſt agitari (inquit) eſt, vtrum quando loquitur ex cathedra, vt Magiſter & Doctor omniũ Fidelium, & excuſsâ re de qua agitur accuratè in multis Congregationibus, in ſuo Cõſilio, in ſuo Conſiſtorio, aut ſua Synodo ſuorum Suffraganeorũ, ſuorum Cardinalium, & ſuorum Doctorum, conſultus etiã ab Vniuerſitatibus, & inuocato per preces publicas & admodum ſolemnes auxilio Spiritus ſancti, docet omnes Chriſtianos, definit, proponit vniuerſæ Eccleſiæ per Bullam, aut Conſtitutionem quod debet credi: Vtrum, inquam, pronuncians hoc modo ſit infallibilis, nec ne, & vtrum eius iudicium latum, & declaratum hoc modo poſſit reformari per Concilium vniuerſale. Ecce meâ quidem ſententiâ (addit ille) quod dici poteſt clarius, & magis formale (ſeu expreſſum) circa ſtatum famoſæ huius *quæſtionis*.

4. Hæc ibi, & quidem ſatis appoſitè. Sed non animaduertit prædictus author, hanc ipſam explicationem omninò vana reddere exempla omnia, quæ poſtea ſubijcit, ad probandum Papam eſſe fallibilem, vt exemplum D. Petri, qui errauit impellendo exemplo ſuo Gentes ad iudaizandum, exemplum Papæ Liberij, Marcellini, & aliorum; de quibus manifeſtum eſt non ita erraſſe, vt è cathedra aliquid falſum Eccleſiæ credendum propoſuerint. Vnde poſt illam explicationem cuilibet

ho-

homini aliquantulum in ſcholis verſato apparet clariſſimum, exempla illa inutilia omnino eſſe ad intentum Authoris; & illum ex nimio ardore defendendi Declarationem Cleri Gallicani, & deprimendi authoritatem Romanę Sedis, ea non vidiſſe, quæ in oculos omnium ſtatim incurrunt.

SECTIO XI.

Eneruantur breuiter reliqua argumenta ex reſponſis Pontificum petita, quibus Dupin impugnat infallibilitatem Romani Pontificis in definiendo.

1. EA diſſert. 5. cap. 1. §.4. reijcit D. Dupin infallibilitatem Romani Pontificis ex pugnantibus inter ſe Pontificum definitionibus. Verùm quamuis nullum exemplum producat, quo probetur Pontificum aliquem authenticè è cathedra propoſuiſſe aliquod dogma toti Eccleſię, cum intentione obligandi ad id credendum, & quòd poſtea alius Pontifex oppoſitum declarauerit, & toti Eccleſiæ credendum propoſuerit; ſed ſolùm adducit reſponſa Pontificum ad dubia ſibi propoſita, ad quæ reſponderunt, aperiendo quid ſentirent ipſi ſecundum ſententiam, quæ tunc cenſebatur ab ipſis magis probabilis, quamuis poſtea falſa deprehenſa ſit, & oppoſitum ſit definitum ab Eccleſia; vt conſtabit legenti Caietanum in opuſc.27. quæſtionum, Azorium parte.2. lib. 5. cap. 15. M. Canum lib.6. de locis cap. vltimo, Bellarm. lib.4. de Romano Pontifice, Gonzalez in Decretales, Spondanum & Baronium. Vnde omnes errores Pontificum à D. Dupin enumerati, non ſunt definitiones authenticæ è cathedra cum intentione obligandi totam Eccleſiam; ſed ſunt deciſiones Pontificum, quibus ſignificabant, quid ſentirent in re, de qua interrogabantur, ſine intentione obligandi Eccleſiam ad tenendum, quod ipſi aſſerebant vt verum, ſecundum opinionem, quæ ipſis apparebat veriſimilior.

2. Hoc pacto Cęleſtinus Tertius interrogatus, an per hæreſim diſſolueretur matrimonij vinculum, reſpondit, per hæreſim ita matrimonium ſolui, vt liceat ei matrimonium aliud inire, cuius coniux in hæreſim lapſus ſit. Oppoſitam tamen ſecutus eſt Innocentius Tertius ſententiam in cap. Quanto *de Diuortijs*, & doctrinam Innocentij definiuit poſtea Tridentinum ſeſs.24. can.5. Tantumque abeſt, vt Cęleſtinus definierit, & Eccleſiæ credendam propoſuerit doctrinam illam falſam, quæ illi tunc viſa eſt probabilior, quia nondum erat quæſtio hæc bene diſcuſſa,

ſcuſſa; vt nec Innocentius definierit ſententiam veram oppoſitam, quam poſt fere quadringentos annos Tridentinum fide certam reddidit hoc ſuo Canone: *Si quis dixerit, propter hæreſim diſſolui poſſe matrimonij vinculum, anathema ſit*: ſed ſolùm Epiſcopo Ferrarienſi ipſum de hac controuerſia conſulenti, quid ipſe Innocentius ſentiret, expoſuit, vt patebit legenti verba textus: *Sanè tua Fraternitas intimauit, quod altero coniugum ad hæreſim tranſeunte, qui relinquitur ad ſecunda vota deſiderat conuolare, quod vtrum poſſit fieri, per tuas nos duxiſti litteras conſulendos. Nos igitur conſultationi tuæ reſpondentes, diſtinguimus, licet quidam Prædeceſſor noſter ſenſiſſe aliter videatur, an ex duobus infidelibus alter ad fidem Catholicam conuertatur, vel ex duobus fidelibus alter labatur in hæreſim, vel incidat in gentilitatis errorem. Si enim alter infidelium coniugum &c. Si autem alter fidelium coniugum vel labatur in hæreſim, vel tranſeat ad gentilitatis errorem, non credimus, quod in hoc caſu is, qui relinquitur, viuente altero poſſit ad ſecundas nuptias conuolare &c.*

3. Ex quibus verbis euidenter apparet Innocentium nihil hic tanquam certum definijſſe, & credendum propoſuiſſe, ſed ſolum quid ipſe ſentiret, expoſuiſſe. Et idem à fortiori conſtat de Cęleſtino, de quo Innocentins non dicit definijſſe oppoſitum, ſed ſolum ſenſiſſe, idque non aſſeueranter, ſed cùm formidine, vt indicant illa verba, *licet quidam Prædeceſſor noſter ſenſiſſe aliter videatur*.

4. Igitur argumenta quæ facit Dupin, ad ſummum probant, Pontifices aliquos Romanos ſecutos quandoque eſſe ſententias oppoſitas in reſpondendo ad conſultationes ſibi factas; & cùm ex ſententijs oppoſitis neceſſe ſit alteram eſſe falſam, erraſſe in reſponſis ſaltem materialiter. Nec ex eo, quòd Pontifex aliquis in epiſtola decretali, in qua reſponſum dedit conſultationi ſibi factæ, tradiderit doctrinam reipſa falſam, vt dicitur de Cęleſtino, ſequitur, quod poſſit Pontifex errare in determinandis fidei & morum controuerſijs per decretum authenticum obli-
„ gans totam Eccleſiam; cum certum ſit multa eſſe in Epiſtolis Decre-
„ talibus, quæ non faciunt rem aliquam eſſe de fide, ſed ſolùm opinio-
„ nes Pontificum de ea re nobis declarant, vt inquit Bellarminus lib.4.
„ de Romano Pontifice cap.14.

5. Dixi *ad ſummum hoc probare*; quia Doctor Dupin multos errores tribuit Romanis Pontificibus, quos errores non fuiſſe rectè probat Bellarminus eo cap.14. Sed nobis amplius in his immorari non libet; quia quamuis concederemus erraſſe, hic error non fuit definitus à Pontifice, & toti Eccleſiæ propoſitus vt veritas ab omnibus credenda.

6. In hac autem materia præ oculis habenda eſt diſtinctio inter Decreta, & definitiones fidei contentas in decretalibus Romanorum Pontificum, & inter Decreta morum, quæ ſunt leges. Nam (vt bene
„ notat P. Layman lib.1.tract.4. cap.6., Eccleſiaſticæ definitiones, ſeu

„ De-

„ Decreta Fidei, quibus Romani Pontifices aliquid toti Eccleſiæ cre-
„ dendum propoſuere, ita infallibilem veritatem continent, vt nec à
„ poſterioribus Pontificibus, nec à Concilio generali reformari, vel
„ reuocari poſſint: Morum vero Decreta, ſeu leges, pro temporum
„ aliarumque circumſtantiarum varietate abrogari poſſunt, vel deſue-
„ tudine aboleri.

7. Similiter ex dictis præ oculis habenda eſt differentia inter Deciſionem factam à Pontifice reſpondente ad conſultationem particularem, ſecundum ſententiam duntaxat probabilem, quam ipſe veram exiſtimat, & Deciſionem factam ab illo in dubio fidei, tanquam à ſupremo Paſtore intimante toti Eccleſiæ, quid tenere debeat. Nam in primo caſu poteſt Pontifex errare, & quidem errore inculpabili, eiuſque iudicium poteſt reformari à ſequente Pontifice, ſicut error Cæleſtini tertij reformatus eſt ab Innocentio Tertio, qui re diligentiùs examinata, comperit, fuiſſe falſam opinionem, quam eius Deceſſor in reſpondendo ſecutus fuerat: non poteſt autem errare in ſecundo caſu. Vt enim optimè notat Pater Valentia tom. 3. diſp. 1. punct. 7. §. 40. columna 250. Duobus modis poteſt Pontifex aliquid aſſerere. Primo intendendo duntaxat explicare quid ipſe ſentiat in illa quæſtione, perinde ac poſſet quiuis alius Doctor, quin intendat obligare totam Eccleſiam ad credendum illud, quod ſic aſſerit. Secundo *poteſt Pontifex*, inquit P. Valen-
„ tia, aliquid aſſerere obligando totam Eccleſiam, vt illud recipiat; nec
„ quiſpiam audeat perſuadere ſibi contrarium: & quæcumque Ponti-
„ fex in aliqua de Religione controuerſia ſic aſſerit, certa fide creden-
„ dum eſt, illum infallibiliter, ac proinde ex authoritate Pontificia,
„ hoc eſt, ex diuina aſſiſtentia id aſſerere. Non eſt autem in tota hiſtoria Eccleſiaſtica exemplum alicuius Pontificis, qui in hoc ſecundo modo aſſerendo errauerit.

8. Deinde D. Dupin §. 5. intendit probare infallibilitatem Romanorum Pontificū in definiendo ex ipſorum confeſſione, prẹſertim ex confeſſione Adriani Sexti, qui in 4. art. 3. de miniſtro Confirmationis ait: Ad
„ ſecundum principale de facto Gregorij primi dico, quod ſi per Roma-
„ nam Eccleſiā intelligatur caput illius, puta Pontifex, certum eſt, quod
„ poſſit errare, etiam in ijs quæ tangunt fidem, hæreſim per ſuam deter-
„ minationem aut Decretalem docendo; plures enim fuerunt Pontifices
„ Romani hæretici, item & nouiſſimè fertur de Ioanne XXII. qui publi-
„ cè docuit, declarauit, & ab omnibus teneri mandauit. Hæc ille ſcripſit cùm eſſet adhuc Louanienſis Theologus, quæ Pontifex factus non retractauit, ſed rurſum edi voluit in noua editione Commentariorum ſuorum in quatuor ſententiarum libros, quam Romanus Pontifex adornari curauit.

9. Hoc tamen argumentum nihil probat. Non enim valet hæc conſequentia: Hic Pontifex non cognouit in Romana Sede priuilegium

Digitized by Google

infallibilitatis: ergo illa hoc priuilegium non habet. Solùm probat argumentum, Adrianum Sextum erraſſe vt Doctorem particularem, dum ita aſſeruit, ſi eius intentio fuit aſſerere Romanum Pontificem poſſe vt Pontificem errare, dum reſoluit dubia fidei, obligando totam Eccleſiam ad credendum id, quod ipſe aſſerit, & nimium credulum fuiſſe in aſſerendo illud, quod vulgus falsò ſparſerat de Ioanne XXII. nimirum illum definijſſe errorem, & mandaſſe, vt ab omnibus teneretur. Nec mirum eſt, quod Pontifex factus, tot negotijs & curis diſtractus non curauerit emendari id, quod ſcripſerat de Ioanne XXII. commendauit enim alijs operum ſuorum reuiſionem, qui de hoc errore emendando ſoliciti non fuerunt, forſan quia eandem vulgi fabulam crediderant, vel quia non erant in Hiſtoria Eccleſiaſtica verſati.

10. Dixi, ſi eius intentio fuit loqui de Pontifice, vt Pontifice definiente, & intendente obligare totam Eccleſiam; quia non fuiſſe hanc Adriani mentem teſtatur Ioannes Malderus ad 2.2. quęſt.1.art.10. tract. de Romano Pontifice diſput. 5. vbi ait: „ iſtam doctrinam non eſſe accipiendam de Pontificia definitione ex cathedra. Neque enim omnia, „ quæ Pontifex etiam conſultus, vt Iudex ſcribit, aut reſcribit, tamquam vir doctus, & poteſtatem habens, mox habenda ſunt pro definitione Sedis Apoſtolicæ. Ratio eſt, (monet Wiggers ad 2. 2. qu. 1. art. 10. dub. 5. de Pontifice num. 203.) quia multa referuntur ad Summum Pontificem tamquam ſupremum Iudicem, non quidem ſemper, vt ipſe tamquam Eccleſiæ vniuerſalis Doctor ex infallibili Spiritus Sancti aſſiſtentia illa diiudicet, ſed ſæpius tantùm, vt authoritate ſuprema ſecundùm ſuam ſapientiam, & prudentiam particularem deſuper dicat iudicium,& difficultatibus, quæ in facto ſic occurrunt, finem aliquem imponat, ſaltem donec pleniori examine præmiſſo, ſi res ſit grauior, & ad fidem, vel bonos mores tendens, ex cathedra à Pontificibus definiatur. Hanc autem, & non aliam fuiſſe Adriani mentem, liquet tum ex facto Gregorij concedentis Sardinię Presbyteris, vt Sacramentum Confirmationis conferre valerent, ad quod reſpondet Adrianus contrariæ exiſtens opinionis. Illa enim Gregorij conceſſio non iuris, ſed ſolius facti erat, de quo adhuc ſub Iudice lis eſt, neque res illa ab ipſo Gregorio tanquam de fide definita, vel Eccleſiæ propoſita fuit. Tum ex ipſis Adriani verbis; nam aſſerit: *certum eſſe, quod poſſit errare.* Hoc ſi intelligeret de Pontifice, vt ſupremo vniuerſalis Eccleſiæ Paſtore definiente, & proponente toti Eccleſiæ aliquid fide credendum, neutiquam eſt certum. Quin è contra eſt id manifeſtè falſum, eiuſque oppoſitum adeò certum, vt ab aliquibus habeatur de fide. Tum ex probatione quam ſubijcit, dicens. Plures enim fuerunt Pontifices Romani hæretici; vt nouiſſimè fertur de Ioanne XXII. &c. Item patet hoc de errore quorundam Pontificum circa Matrimonium, de quo in cap. *licet* de deſpon. duor.

„ Item

„ Item de errore Cæleſtini circa Matrimonium fidelium, quorum alter
„ labitur in hæreſim &c. Siquidem de fide eſt, nullum omnino Ponti-
„ ficem Summum, vt talem, & vt caput Eccleſiæ erraſſe, definiendo ali-
„ quid contra fidem. Igitur non loquitur Adrianus de Pontifice Ro-
„ mano, vt Paſtore vniuerſalis Eccleſiæ, definiente aliquid ad fidem
„ pertinens, ſed ad ſummum de Pontifice reſoluente, & reſcribente
„ ſecundùm priuatam ſuam opinionem & ſententiam, in qua eum poſ-
„ ſe errare, ac hæreticum fieri, & de facto erraſſe Ioannem XXII. cir-
„ ca animas purgatas ante diem iudicij, Cæleſtinum, alioſque Pontifi-
„ ces circa Matrimonium, ſuſtinet Adrianus. Proinde immeritò addu-
„ citur vt oppoſitum docens.

11. Quæ doctrina apprime confirmat ſolutionem à nobis datam. Non enim omnes, qui in aliquo dubio recurrunt pro reſponſo ad Romanam Sedem, ſibi perſuadent, omne eius reſponſum eſſe omnino infallibile, quamuis vtcumque proponatur in aliqua Decretali, ſed ſolum id certum eſſe credunt, quando rem definit authenticè, & toti Eccleſię *ſic intimat, & mandat, vt imponat obligationem recipiendi tanquam veritatem certam, id quod definit.*

12. Non habetur autem quidquam ex illis verbis: *ab omnibus teneri mandauit.* Cùm enim Adrianus ſolùm aſſeruiſſet, poſſe errorem in materia fidei tradi à Pontifice in ſua Decretali, nil referebat ad ſcopum Adriani, mandauerit Ioannes, necne: adeoque ex illis verbis non habetur, quod Adrianus approbauerit poſſibilitatem talis mandati, & veritatem relationis quoad hanc partem. Verùm quidquid ipſe Doctor Louanienſis ſcripſerit; dedit iam Pontifex ann. 1522. vt videre eſt apud Labbè tom. 14. Concil. pag. 402. Breue ad Fridericum Saxoniæ Ducem aduerſus Lutherum, cuius hæreſes extra Concilium generale damnauerat Leo X. Adriani Prędeceſſor. Conſideret ea, quæ ibi ab Adriano dicuntur, veritatis amicus Lector, & agnitam fuiſſe ab Adriano VI. infallibilitatem Romani Pontificis in rebus fidei, & morum, profectò non dubitabit. Adducit enim ibi inter alia priuilegium veteri Legi conceſſum, & expreſſum in Deuteronomio capite 17. *Si difficile, & ambiguum apud te iudicium eſſe proſpexeris inter ſanguinem & ſanguinem, lepram & lepram &c.* de quo dixi diſputatione prima ſect. 9. §. 7. atque à fortiori inde arguit pro Summo Pontifice legis nouæ.

13. Denique Dupin reijcit infallibilitatem Romani Pontificis ea diſſert. 5. cap. 1. §. 5. ex Concilio Baſileenſi, quod in epiſtola Synodica ſic ſanciuit: *Si Eccleſia errare poſſit, cùm certum ſit Papam errare poſſe, tunc & Papa, & reliquo corpore errantibus, tota Eccleſia erraret, quod eſſe non poteſt.* Verùm quàm inane ſit hoc argumentum, ſatis conſtat ex diſput. 14. vbi oſtendimus, Concilium Baſileenſe, non Concilium, ſed Conciliabulum fuiſſe, poſtquam diſceſſit ab Eugenio, nec ab ipſo confirma-

firma-

Digitized by Google

firmatam fuiſſe Conſtitutionem illam Synodalem. Et quidem cùm à D. Dupin adducatur illa Conſtitutio ad probandum Papam poſſe errare errore iudiciali, & in definiendo: & Concilium Baſileenſe dicat, *certum eſſe, quod Papa errare poſſit*, inde conficeretur certum omnino eſſe, quod Papa poſſit errare in definiendo; quod à nemine ſanæ mentis affirmari poteſt.

14. Conſulantur quæ de hoc Concilio diximus diſput. 14. ſect. 4. ex Duuallio. Et quamuis Nicolaus V. Succeſſor Eugenij pro bono pacis aliqua approbauerit, quæ ſancita fuerant in Conuentu Baſileenſi circa Beneficia & Annatas; certiſſimum tamen eſt, non approbaſſe ea, quæ Conciliabulum illud contra authoritatem Romani Pontificis declarauerat. Nam, vt inquit Duuallius, Baſileenſis Concilij Acta, demptis Beneficiorum Pragmaticis, reciſa, damnataque ſemper ab Eccleſia fuerant. Vnde D. Dupin fruſtra ex approbatione facta à Nicolao V. quoad hęc puncta, conatur quoad reliqua authoritatem conciliare Baſileenſi conciliabulo.

Digitized by

DISPVTATIO XVI.

Demonſtratur nil probari contra infallibilitatem Romani Pontificis epiſtola, & Conſtituto Vigilij, neque ex facto Cypriani cum Stephano Papa.

SECTIO I.

Ex ijs, quæ geſta ſunt à Vigilio Papa in negotio trium Capitulorum, probari non poteſt, Papam in iudicio fidei errare poſſe, obligando ſua conſtitutione totam Eccleſiam ad credendum aliquod dogma falſum.

VIGILIVM etiam in materia Fidei erraſſe contendit Maimburgus. Verum quia fuſiori ad eius falſitatem demonſtrandam diſſertatione opus erit, viſum eſt ſeorſim ab alijs Pontificibus de illo agere in præſenti Diſputatione.

§. I.

Quænam fuerint hæc tria Capitula; & quæ origo diſſenſionum & ſchiſmatis.

1. REm hanc dilucidè, & breuiter exponit Illuſtriſſimus Marca in Diſſertatione de Vigilij Decreto, quæ inſerta eſt quinto tomo
„ Conciliorum editionis Patris Philippi Labbè, col.603. Tria illa (in-
„ quit) capitula hæc erant. I. Ibæ Epiſcopi Edeſſeni epiſtola ad Ma-
„ rim Perſam. II. Theodori Epiſcopi Mopſueſteni perſona, & eius
„ ſcripta. III. Theodoreti diſputationes aduerſus duodecim capita
„ Cy-

„ Cyrilli Alexandrini. Ex his tribus Capitulis Acephali, propago
„ quædam Eutychianorum, occaſionem arripiebant non admittendi
„ Concilij Chalcedonenſis, quaſi Neſtorium aliquo pacto foueret. Id
„ ex eo colligebant, quod epiſtolam Ibæ Synodus approbaſſet; quæ
„ tamen Cyrillum carpebat, in Theodori Mopſueſteni Neſtorianæ hæ-
„ reſeos authoris laudes efferebatur, & vtebatur blaſphemis Neſtorij
„ verbis, quem non ſeruato iudiciorum ordine damnatum quoque
„ fuiſſe dicebat in Synodo Epheſina. Tum vero, quod Theodoreto in
„ communionem ſuſcepto, eius tamen ſcripta aduerſus duodecim capi-
„ ta Cyrilli, quibus Neſtorij hæreſis proſcribebatur, Synodus Chalce-
„ donenſis non damnaret. Ex iiſdem quoque capitibus Neſtoriani hę-
„ reſim ſuam inſtaurare nitebantur, prolatis ex Theodoro Mopſueſte-
„ no teſtimonijs, & ex Theodoreti aduerſus Cyrillum diſſertationi-
„ bus. Cum autem in id vnum Iuſtinianus incumberet, vt Acephalos,
„ qui graues in Ægypto, & in Oriente motus excitabant, legibus ſuis
„ inſectaretur, Theodorus Cæſareæ Cappadociæ Epiſcopus, Acepha-
„ lorum fautor, & ſectator Origenis à paucis annis proſcripti, ad vl-
„ tionem eorum, quæ contra Origenem geſta erant, & vt imminens A-
„ cephalis periculum auerteret, controuerſiam de tribus capitulis ex-
„ citauit, vt Eccleſiæ pacem perturbaret. Pro ea itaque, quâ valebat
„ gratiâ apud Principem, pacis Eccleſiaſticæ alioqui ſtudioſum, per
„ cuniculos rem aggreſſus eſt. Spem Iuſtiniano fecit ineundæ cum
„ Acephalis concordiæ, ſi præter Theodoreti ſcripta aduerſus Cyril-
„ lum, epiſtola Ibæ Edeſſeni recitata in Concilio Chalcedonenſi, tam-
„ quam impia reijceretur, & Theodorus quoque illa epiſtola laudatus,
„ tamquam Neſtorij parens damnaretur; cuius famæ, Cæſareæ Epiſco-
„ pus ex eo quoque infeſtus erat, quod Origenis deliramenta olim
„ refutaſſet.

„ 2. Iuſtinianus vtilitate publica, vt ſibi quidem videbatur, excita-
„ tus, libello ſatis copioſo tria illa Capitula proſcripſit, & ab Epiſcopis
„ Orientis damnari procurauit. Enimuerò, quia trium Capitulorum
„ negotium nullius Synodi iudicio erat præiudicatum, imò verò Syno-
„ di Chalcedonenſis dignitatem aliquo pacto violare videbatur; Orien-
„ tis Patriarchæ, qui Iuſtiniani Decreto ſubſcripſerant, ſe vi adactos
„ fuiſſe Stephano reſponſali Romanæ Sedis profeſſi ſunt. Mennas verò
„ Conſtantinopolitanus Epiſcopus eam conditionem adiecit, ſi hæc Ro-
„ mano Epiſcopo non probarentur, ſuum ſibi Chirographum reſtitutum
„ iri; quod ſub iuriſiurandi fide illi promiſſum eſt. Atque adeò Iuſti-
„ nianus ſentiens nihil in hoc negotio, quod Eccleſiarum ſtatum reſpi-
„ ciebat, tentari vtiliter poſſe ſine ſententia Romani Pontificis, Vigi-
„ lium Româ euocat. Pontificem Roma abeuntem Eccleſia Romana,
„ Prouinciæ quoque Africanæ, Sardiniæ, Hellados, & Illyrici obteſta-
„ tæ ſunt, teſte Facundo, ne vllatenus nouitati acquieſceret. Hactenus
„ ille.

3. Has

3. Has notitias, ſe accepiſſe fatetur Illuſtriſſimus Marca à Facundo Harmianenſi Epiſcopo in Africa, qui tunc temporis ſcriptũ edidit volumen pro trium capitulorum defenſione aduerſus Imperatorem Iuſtinianum, qui edicto ſuo capitula illa damnauerat; in quo Iuſtinianum vt imprudentem ſugillat; eò quòd, cùm vndique ingruerent bella & ſeditiones, ipſe tamen totus eſſet intentus diſputationibus diuinæ ſcripturæ. Item hauſit ex Liberato Diacono Carthaginenſi, qui eo tempore Breuiarium cauſæ Neſtorianorum, & Eutychianorum compoſuit; quod adducit Labbè tom. 5. Conciliorum à col. 74. ad 779.

4. Pro maiori autem claritate notandum eſt, poſt damnatum in Concilio Epheſino anno 431. impium Neſtorium, qui perſonam Chriſti à perſona Verbi Diuini diſtinguens, Chriſtum purum hominem faciebat, & Mariam Virginem Dei Matrem eſſe negabat, multos Neſtorij ſtudioſos eius doctrinam propagare curaſſe. Vnde quia Theodoſius Imperator anno 435. Neſtorij libros cremari iuſſerat, Neſtorij diſcipuli illius doctrinam in libris Theodori Mopſueſteni Epiſcopi, celeberrimi nominis viri, contentam, licet verborum inuolucris tectam, propagari ſatagentes, Theodori libros in varijs alijs linguis, nimirum, Siriacâ, Perſicâ, & Armenica, ſpargi curarunt. Fuerat Theodorus olim S. Ioannis Chryſoſtomi in Monaſterio Collega, & ex eius libris Neſtorius venenũ hauſerat. Serpebat peſtis illa Neſtorianiſmi, ſub ſpecioſo nomine Theodori Mopſueſteni latens; varia erant partiũ ſtudia, alijs laudantibus ſcripta, illa alijs deteſtãtibus. Inter laudatores Theodori pręcipuus erat Ioannes Patriarcha Antiochenus, commotus famâ viri, quæ magna fuit, dum viueret. Inter deteſtatores præcipuus erat Rabula Epiſcopus Edeſſenus, qui hæreſim Neſtorij in libris Theodori ſpecioſis verbis compoſitã cernebat. Mortuo Rabula, ei ſucceſſit in Epiſcopatu Ibas, qui ſui Deceſſoris contrariam carpens viam, epiſtolã ſcripſit ad Marim Perſam hæreticum Neſtorianum, in qua cùm valdè laudaſset Theodorum, acriter inuehitur in Cyrillum Alexandrinum, Neſtorianiſmi flagellum, qui Concilio Epheſino præſederat; & quem Deus ſpeciali prouidentiâ Neſtorio oppoſuit, ſicut Athanaſium oppoſuerat Arrio.

5. Inter Theodori Mopſueſteni laudatores, & Neſtorij cultores Theodoretus fuit, Epiſcopus Cypri, vir doctrina inſignis, ſed Cyrilli aduerſarius, cuius ſcripta inſtinctu Ioannis Antiocheni acriter impugnauerat, in quibus Cyrillus Neſtorij doctrinam, vt hæreticam inſectabatur; ſed tandem veritati ceſſit, & Cyrillo reconciliatus eſt, & in Concilio Chalcedonenſi Actione 8. hæc verba coram Patribus dixit: *Anathema Neſtorio, & ei, qui non dicit Dei Genitricem Virginem Mariam, & qui in duos filios partitur vnum filium Dei vnigenitum*. Nec Patres Concilij illum ad ſeſſiones Concilij admittere voluerunt, quin prius anathematizaret Neſtorium, eiuſque ſententiam hæreticam eſse palàm profiteretur; ſicut fecit; & ideo Vigilius Papa apud Baronium tom. 7.

ad annum 553. pag. mihi 424. Theodoreti pœnitentiam laudat.

6. Ioannes etiam Patriarcha Antiochenus cum Cyrillo reconciliatus eſt, poſtquam intellexit, illum nomine perſonæ, quam in Chriſto vnicam eſse aſserebat, non intelligere naturam, ſed ſuppoſitum, & & hypoſtaſim Verbi habentis ſibi vnitam, & copulatam per phyſicam vnionem naturam humanam ſingularem, & indiuiduam; nec enim priùs voluit cum Cyrillo reconciliari, quam ille damnaret has propoſitiones *Diuinitas paſſa eſt*: *&*, *vna eſt natura Diuinitatis*, *& humanitatis*. Tota enim errandi occaſio Ioanni fuit, quia non ſatis diſtinguebat inter naturam, & perſonam; & ideo Cyrillo tribuebat ſententiam, quæ longè erat ab eius mente.

7. Ibas quoque, qui erranti Patriarchæ comes fuerat, pęnitentem quoque ſecutus eſt, & Catholicam Cyrilli doctrinam de duplici natura, & vnica Chriſti perſona amplexus eſt. Vt enim inquit Baronius tom. 7. pag. mihi 428. *Ibas Epiſcopus, qui per errorem vnam putans in ijs prædicari naturam, priùs vituperauit capitula; poſt declaratum ſibi intellectum eorum, communicatorem ſe Beati Cyrilli cum omnibus Orientalibus eſſe profeſſus eſt, & in Catholica fidei rectitudine à Chalcedonenſi Synodo iudicatus eſt permanſiſſe*.

§. II.

Proponitur, & ſoluitur argumentum deſumptum ex Epiſtola Vigilij ad Theodoram.

1. HIs ſuppoſitis arguitur primò ad probandum Vigilium erraſſe in iudicio fidei: nam vt refert Liberatus in Breuiario cap. 22. epiſtolam ſcripſit ad Theodoram Imperatricem, & ad alios hæreticos, quâ confirmabat hæreſim ipſorum, & anathema dicebat ijs, qui confitentur duas in Chriſto naturas. Verum Cardinalis Bellar. lib. 4. de Romano Pontifice cap. 10. ſuſpicatur epiſtolam illam Vigilij, cuius meminit Liberatus, confictam fuiſſe ab hæreticis, Liberatum verò credidiſſe falſo rumori, quem ſparſerant hæretici. Idque inde colligit: quòd in ſexta Synodo actione 14. deprehenſum eſt, hæreticos confinxiſſe epiſtolam quandam Vigilij Papæ nomine ad Theodoram, & Iuſtinianum. Deinde Cardinalis Baronius tom. 7. ad ann. 538. pag. 277. multis argumentis contendit hanc epiſtolam eſſe commentitiam. Verùm quamuis eſſet legitima; nihil contra nos probaret; ſiquidem illa ſcripta fuiſſet ab ipſo, anno 538. viuente vero Pontifice Silucrio, qui obijt 20. Iunij anno 540. in Inſula Palmaria, & ſecundùm alios in Inſula Pontia, exul, & multis vexationibus exagitatus, ac proinde tunc temporis

non

non verus Papa, ſed Antipapa Vigilius erat; quo tempore, & hæreticus eſſe, & hæreſim docere poterat.

„ 2. Sciendum eſt enim (inquit Bellarminus loco citato) Anthe-
„ mium hæreticum depoſitum fuiſſe ab Agapeto Romano Pontifice de
„ Epiſcopatu Conſtantinopolitano: deinde Imperatricem petiuiſſe à
„ Syluerio Agapeti Succeſſore, vt Anthemium reſtitueret, quo recu-
„ ſante, Vigilium tunc Archidiaconum, promiſiſſe Imperatrici, ſe An-
„ themium reuocaturum, ſi poſset Romanus Pontifex fieri: continuo
„ autem, iuſsu Imperatricis, operâ Beliſarij fuiſse ſanctum Syluerium
„ expulſum de ſua ſede in exilium, & Vigilium creatum Papam, ſeu
„ potius Antipapam. Quo tempore non eſset mirum, ſi errare in fide,
„ & etiam hæreticus planè eſse potuiſset. Quanquam ne tunc quidem
„ definiuit aliquid contra fidem tanquam Pontifex, neque animo hæ-
„ reticus fuit. Siquidem epiſtolam ſcripſit nefariam quidem, & Chri-
„ ſtiano homine indignam; tamen in ea Catholicam fidem non damna-
„ uit palàm, neque hæretico animo, ſed occultè, propter cupiditatem
„ præſidendi, vt Liberatus ibidem dicit, & ex epiſtolâ ipſa Vigilij appa-
„ ret. Scribit enim vt caueant, ne epiſtolam illam vllus videat, & vt ſint
„ omnia occulta vſque ad tempus. Erat enim Vigilius tunc in anguſtijs
„ ſummis, in quas eum ambitio ſua coniecerat. Nam ſi palàm ſe hęreti-
„ cum profiteretur, metuebat Romanos, qui ſedere ſe in Petri Cathedra
„ nunquã paſſuri videbantur, ſi è contrario Catholicum ſe profiteretur,
„ metuebat Imperatricem hæreticam, cuius opera Pontificatum adeptus
„ fuerat. Itaque rationem illam excogitauit, vt Romæ Catholicum age-
„ ret, & interim per literas apud Imperatricem hæreticum ſimularet.

„ 3. Contigit autem paulò poſt, vt Syluerius moreretur; & Vigilius,
„ qui eo vſque in ſchiſmate ſederat, inciperet iam ſolus, & legitimus
„ Pontifex eſſe, nimirum confirmante, & accipiente eum Clero, & po-
„ pulo Romano. Ab hoc verò tempore nullus inuentus eſt in Vigilio,
„ aut error, aut erroris ſimulatio, ſed ſumma conſtantia in fide vſque
„ ad mortem; vt appareat, cum ipſo Pontificatu, firmitatem fidei eum
„ accepiſſe, & de leui palea in ſolidiſſimam petram commutatum fuiſſe.
„ Nam cùm Imperatrix Theodora hęretica, freta occultis literis, & pro-
„ miſsione Vigilij, peteret ab eo, vt Anthemium Patriarcham prædi-
„ ctum, ſicut promiſerat, reſtitueret, ille reſcripſit, ſe temerè promiſiſ-
„ ſe, grauiterque ea promiſſione peccaſſe, & ideo non poſſe, nec velle
„ implere, quæ promiſerat, ne peccata peccatis adderet. Quocirca ab
„ irata Imperatrice in exilium miſſus fuit, & miſerè vexatus vſque ad
„ mortem. Id quod non ſolum ſcribitur in Pontificali, ſed etiam an-
„ notarunt Paulus Diaconus in Vita Iuſtiniani, & Aimoinus libr. 2.
„ cap. 32. de geſtis Francorum, & ipſi etiam Magdeburgenſes Centu-
„ ria 6. cap. 10. in vita Vigilij, & idem etiam indicat breuiſſimè Li-

" beratus, in fine capitis 21. vbi dicit: Vigilium ab illa ipsâ hæreſi,
" quam initio occultè fouerat, miſerè afflictum poſtea fuiſſe.

§. III.

Diſſoluitur argumentum deſumptum ex Conſtituto, ſeu Conſtitutione Vigilij.

1. SEd arguit Maimburgus ad probandum Vigilium in iudicio fidei erraſſe, ſiquidem libellum compoſuit, quem Conſtitutum appellauit, in quo tria illa capitula probauit, vetuitque, ne à quoquam mortalium damnarentur. Hunc libellum nactus eſt Cardinalis Baronius in Bibliotheca Vaticana, vbi antiquitus ſcriptum aſſeruatur, & illud primus omnium impreſſit, & tomo ſeptimo ſuorum annalium inſeruit ſcribens ad annum 553. habeturque in illo tomo ſecundum impreſſionem Romanam anni 1596. à pag. 404. ad 432. & in eo libello non ſolum perſonam Ibæ, ſed & eius epiſtolam, quamuis blaſphemijs, & erroribus plenam, idque obtentâ Concilij Chalcedonenſis authoritate: ſic enim conſtitutum ſuum abſoluit: *Si quid verò de ijſdem tribus Capitulis contra hæc, quæ hic aſſerimus, vel ſtatuimus, factum, dictum atque conſcriptum fuerit, hoc modis omnibus ex authoritate Sedis Apoſtolicæ refutamus.* In Vigilium ex Cathedra decidentem, & tamen Concilium œcumenicum Conſtantinopolitanum à tota Eccleſia receptum cultumque, contrarium omnino decidit, ſic enim loquitur: Concil. Oecum. 5. Collat. 3. cap. 14. *Si quis defendit epiſtolam Ibæ, quam ad Marim Perſam hæreticum dicitur Ibas ſcripſiſſe, quæ abnegat Deum verbum ex Virgine Maria incarnatum, & eam non anathematizat, & qui præſumit eam defendere, vel inſertam ei impietatem, nomine Sanctorum Patrum, vel Concilij Chalcedonenſis, anathema ſit.* Concilium ergò non damnat ſolùm, ſed etiam anathemate punit Vigilium eiuſque conſtitutum.

2. Nec ſolum Synodus V. illa Capitula damnauit, ſed etiam ipſemet Vigilius in epiſtola Decretali, qua quintam Synodum confirmauit, ſexto Idus Decembris anni 553. quam ex manuſcripto antiquo Bibliothecæ Regiæ Pariſienſis erutam, euulgauit Illuſtriſſimus Petrus de Marca, & habetur tom. 5. Conciliorum Patris Labbè à col. 601. ſimul cum eruditiſſima eiuſdem diſſertatione de hac decretali; in cuius proœmio
" hæc ſcribit prædictus author, Commodum (inquit) accidit nuper, vt
" quo tempore acta quintæ Synodi œcumenicæ prælo Regio excude-
" bantur, obtulerit ſeſe mihi fato quodam vetus collectio, χρήσεων
" ex antiquis Patribus, & Concilijs petitarum, à veteri Theologo ad-
" uerſus Acephalos, & Monothelitas hæreticos olim adornata. Volu-

" men

„ men illud manuſcriptum Græcum extat in Bibliotheca Regia, accu-
„ ratè deſcriptum à Leone Cinnomo, & ab eo repoſitum Conſtantino-
„ poli in Bibliotheca Imperatoria, temporibus Michaelis Palæologi,
„ anno Mundi 6784. ſeu anno Chriſti 1276. Amanuenſis vero teſtatur,
„ à ſe tranſcriptum ex autographo, quod in veteri Bibliotheca Eccle-
„ ſiæ Romanæ aſſeruabatur, calamo exaratum, anno Mundi 6267. ſeu
„ anno Chriſti 753. quod ideo annotaui, vt de manuſcripti codicis an-
„ tiquitate, & fide nullus eſſet dubitandi locus. Hucuſque Petrus de Marca, in illa etiam Decretali, Vigilius reuocat, & retractat, quæ dixerat in fauorem trium Capitulorum. Conſequenter ad hæc Pelagius Secundus epiſtola 7. quæſt. 3. ad Epiſcopos Iſtriæ, ac Gregorius Magnus lib. 3. epiſt. 2. 3. 4. & 37. & lib. 7. epiſt. 10. & 53. Vigilium ex ignorantia erraſſe profitentur, ac poſtea ſapientiorem factum, ſententiam Concilij amplexum eſſe, & reuocaſſe ſententiam, quam prius in Conſtituto docuerat. Patet ergo tot Pontificum conſenſu, qui poſt Vigilium ſederunt, & totius Eccleſiæ conſenſu, quæ tria Capitula damnauit; Vigilium erraſſe in approbatione trium Capitulorum; & fuiſſe à Concilio correctum. Ergo & Papa in iudicio Fidei errare poteſt, eiuſq; iudicium per iudicium Concilij reformari poteſt: ex quo ſequitur Concilium eſſe ſupra Papam, etiam in rebus fidei determinandis.

3. Verùm hoc argumentum inefficax eſt ad probandum id, quod Maimburgus intendit, & quod præſentis tractatus ſcopus eſt; ex illo namque non ſuadetur, poſſe Pontificem in quæſtione inter Catholicos aliquo pacto controuerſa, partem falſam definire, & determinare, & toti Eccleſiæ credendam proponere edendo Conſtitutionem, quæ toti Eccleſiæ intimet obligationem ſuſcipiendi pro dogmate vero, & catholico aliquem errorem contrarium ijs, quæ à Deo reuelata ſunt, vel ex reuelatis neceſſario inferuntur. Id enim hoc argumento non probatur: & dum hoc non probatur, nihil contra infallibilitatem Romani Pontificis Maimburgus concludere poteſt.

4. Ratio autem eſt, quia in controuerſia illa trium Capitulorum non agebatur quæſtio ſpectans ad fidem, vt ſtatim probabimus. Error namque Neſtorij damnatus fuerat in Concilio Epheſino; error verò Eutychetis in Concilio Chalcedonenſi; nec vllus Catholicus illos errores tuebatur: qui tamen erant errores quibus ne aliquid tribueretur timeri poterat, capitula illa approbando, vel refutando. Id vnum agebatur, vt iudicaretur, expediret ne ſolemni cenſurâ damnare hæc capitula, aut perſonas eorum authores; quæ res magis ad prudentiam, quàm ad fidem ſpectabat. Validæ erant vtrimque rationes, nec mirum, quod vario modo ſe geſſerit Vigilius Papa varijs temporibus, etiam poſtquam legitimus Pontifex, & verus Chriſti Vicarius fuit, cum prudentia exigat varium agendi modum pro diuerſitate temporum, & rerum.

5. Re-

5. Reſpondeo ergo falſiſſimum eſſe, quod Vigilius in illo ſuo Conſtituto approbauerit, & multo minus, quod credendam fidelibus propoſuerit doctrinam illorum trium Capitulorum, quam poſtea quinta Synodus, & ipſemet Vigilius damnauit. Id patet; quia Vigilius Papa nihil aliud approbauit, niſi illud ipſum, quod Patres Chalcedonenſes approbauerant. Patres autem Concilij Chalcedonenſis non approbarunt doctrinam illorum trium Capitulorum; ſed ſolùm Theodoretum, & Ibam pro Catholicis agnouerunt, poſtquam mentem ſuam expoſuerunt. Id conſtat primò ex ipſo Vigilio in illa Decretali, in qua confirmauit Concilium. Poſtquam enim enumerauit errores, & blaſphemias contentas in ſcriptis Theodori Mopſueſteni, & errores contentos in ſcripto, quod Theodoretus confecit contra duodecim capitula Sancti Cyrilli, & in epiſtola Ibæ ad Marim, poſtquam (inquam) hæc praua dogmata anathematizauit, concludit in ſua Decretali. *Abſit enim, vt aliquis dicat, omnes ſuperius comprehenſas blaſphemias, à prædictis quatuor Synodis, aut ab vna ipſarum ſuſceptas fuiſſe, vel eos, qui ſimilia ſentiunt, & ſequuntur. Apertiſſimum autem eſt quòd à memoratis ſanctis Patribus, & maximè à Sancta Synodo Chalcedonenſi, nullus, de quo aliqua eſſet ſuſpicio, admiſſus eſt, niſi qui reieciſſet ſuperius comprehenſas blaſphemias, aut illis ſimilia, vel hæreſim, de qua fuit ſuſpectus, vel blaſphemias denegauiſſet, & condemnaſſet, in quarum ſuſpicionem venit.*

6. Probatur ſecundò, quia Cardinalis Baronius ad annum 553. tom.7.pag.mihi 426.dum expendit iudicium Synodi Chalcedonenſis ad epiſtolam Ibæ, & poſtquam attulit ea, quæ Vigilius ex eadem Synodo Chalcedonenſi in commendationem Ibæ Epiſcopi dixerat in ſuo Con-
„ ſtituto, ſapienter admonet, non eo ſpectare ſententiam Patrum
„ Chalcedonenſis Concilij, ſuis ipſorum recitatis interlocutionibus, vt
„ voluerint probaſſe epiſtolam Ibæ refertam erroribus recipiendam eſ-
„ ſe vt orthodoxam, cum in ea eſſent complures aſſertæ blaſphemiæ,
„ neque id Vigilium aſſerere voluiſſe, ſed tantum ex ea eſſe recipien-
„ dum Ibam, in qua nimirum teſtetur ipſe ſe iam amplecti pacem Ec-
„ cleſiæ; qua recepta, neceſſe fuerit eundem probare Catholicum.
„ Quod igitur ex dicta epiſtola complures viderentur aſſertæ blaſphe-
„ miæ, ex quibus idem Ibas poſſet in ſuſpicionem adduci Neſtorianæ
„ hæreſis: ad hanc ſuſpicionem perpurgandam (licet antea in eadem
„ Actione demonſtrauerit ſe poſt pacem initam pleniſſimè Orthodo-
„ xum, atque cum Cyrillo communicaſſe) vt ab illis omnibus idem
„ ipſe poſt pacem acceptam redderetur omnino liber, Patres Sanctiſſi-
„ mi eiuſdem Chalcedonenſis Concilij addiderunt hęc in fine eiuſdem
„ actionis decimæ: omnes Reuerendiſſimi Epiſcopi clamauerunt: omnes
„ eadem dicimus: Neſtorium modo anathematizet, & Eutychetem, &
„ eius dogma modo anathematizet. Ibas Reuerendiſſimus Epiſcopus
„ dixit: Etiam in ſcripto anathematizaui Neſtorium, & nunc anathe-

„ mati-

„ matizo eum decem millies: Quod enim ſemel cum ſatisfactione fit,
„ ſi fiat decem millies, non contriſtat: anathema, & Neſtorio, & Eu-
„ tycheti, & vnam dicenti naturam: & omnem eum, qui non ſapit, ſicut
„ hæc Sancta Synodus, anathematizo, hæc ad finem decimæ Actionis
„ Chalcedonenſis Concilij Ibas. Quòd igitur (vt dictum eſt) non
„ propter errores, quibus antea fuerat Ibas implicitus, in eadem epi-
„ ſtola recenſitos, Patres dixerunt, eam epiſtolam vt catholicam reci-
„ piendam, ſed quòd ex illa ipſe Ibas profiteretur ſe paci inter Ioan-
„ nem, atque Cyrillum initæ conſentire; hac ex parte ijdem Sanctiſſi-
„ mi Patres pronunciarunt recipiendam eſſe: prout declarat his verbis
„ idem Vigilius inferiùs, cum iſta ſubiungit.
„ 7. Propter illam prædicationem fidei, per quam venerandæ recor-
„ dationis Cyrillus Alexandrinus Epiſcopus, & Reuerendiſſimus Ioan-
„ nes Antiochenus Antiſtes, atque omnes Orientales Epiſcopi per
„ Paulum Emeſenæ Ciuitatis Epiſcopum ad concordiam redierunt,
„ quam Ibas quoque in eadem epiſtola laudans, libenter amplectitur,
„ Orthodoxa eſt Ibæ Epiſcopi à Patribus pronunciata dictatio. Illa ve-
„ rò quæ in ipſa Ibæ Sacerdotis epiſtola iniurijs beatæ recordationis
„ Cyrilli per errorem intelligentiæ dicta ſunt, Patres in Sancta Chal-
„ cedonenſi Synodo epiſtolam pronunciantes Orthodoxam, nullatenus
„ receperunt; quippe quæ etiam ipſe Venerabilis Epiſcopus, intelle-
„ ctu capitulorum eius meliore recepto, mutando refutauit, ſicut inter-
„ locutione venerandæ memoriæ Eunomij Nicomedienſis Epiſcopi, in
„ eadem ſancta Chalcedonenſi Synodo reſidentis euidentiſſimè decla-
„ ratur: quod ita ſe habet: Eunomius Epiſcopus Nicomediæ dixit: Iam
„ quidem ex his, quæ relecta ſunt, innoxius approbatus eſt beatus Ibas:
„ in quibus etiam dicendo malè culpare viſus eſt beatiſſimum Cyril-
„ lum; & in poſtremis rectè confeſſus, illa quæ culpauerat, refutauit.
„ Vnde & ego anathematizantem eum Neſtorium, & Eutychetem &
„ impia eorum dogmata, & conſentientem his, quæ à Sanctiſſimo Ar-
chiepiſcopo Leone ſcripta ſunt, & in hac vniuerſali Synodo, dignum
„ eſſe Epiſcopatu decerno. Sic vides, non alia ex parte probari à Pa-
„ tribus illis Ibæ epiſtolam, niſi quantum ad id ſpectat, quod ſignifi-
„ cauit in poſtrema eius epiſtolæ parte, ſe in omnibus pactis, conuentis
„ inter Ioannem atque Cyrillum de vnione catholica faciendi præ-
„ buiſſe conſenſum: nec aliud quidem ſenſiſſe cæteros, qui interlocu-
„ ti ſunt Patres, ex eorundem ſententijs, quas mox addit, ſatis apertè
„ demonſtrat. Hucuſque Baronius; qui ex eodem Vigilio idipſum
ibi latiùs confirmat.

8. Probatur tertiò ex Pelagio I. in epiſtola ad Childebertum Re-
gem Franciæ, & S. Gregorio in epiſtola ad Epiſcopos Hiberniæ, & Pe-
lagio Secundo in epiſtola ad Epiſcopos Iſtriæ. Vbi teſtantur, in hac
controuerſia trium capitulorum, non diſputatum fuiſſe de fide, ſed
de

Digitized by Google

de perſonis. Pelagius enim ait, *tunc in Oriente capitula quædam extra fidem agitata fuiſſe.* Gregorius verò inquit: in ea Synodo, nempe Chalcedonenſi, quando actum eſt de Theodoreto, & Iba. *de quibuſdam ſolummodo perſonis actitatum.* Demum Pelagius Secundus affirmat, *nihil aliud de perſonis actum.*

9. Quartò probatur ex diuerſo modo, quo in ſua Decretali loquitur Vigilius de Theodoro Mopſueſteno, & de Theodoreto, atque Iba: nam Theodori perſonam, & non ſolum ſcripta damnat; at licet ſcripta illa Theodoreti, & epiſtolam Ibæ reprobet, perſonas abſoluit: *ſic enim ait: vnde condemnamus, & anathematizamus, vna cum alijs omnibus hæreticis, qui (vt manifeſtum eſt) damnati, & anathematizati ſunt à prædictis quatuor Synodis, & ab Eccleſia Catholica, Theodorum olim Mopſueſtiæ Epiſcopum, & impia eius ſcripta: nihilominus ea quoque, quæ à Theodoreto ſcripta ſunt contra rectam fidem, & contra duodecim capitula Sancti Cyrilli, & contra Synodum Epheſinam primam, quæque ab eo ſcripta ſunt pro defenſione Theodori, & Neſtorij. Præterea anathematizamus, & condemnamus epiſtolam ad Marim Perſam hæreticum, quæ ab Iba ſcripta dicitur: quæ Chriſtum verbum ex Sancta Deipara, & ſemper Virgine Maria incarnatum, hominem factum fuiſſe negat, nudum vero hominem ex ea natum: quem templum vocat, ita vt ex hoc intelligitur; alium eſſe Deum Verbum, & alium Chriſtum: Sanctum verò Cyrillum rectæ fidei Magiſtrum & præconem, vt hæreticum, & ſimilia Apollinario ſcribentem calumniatur: & reprehendit primam Epheſinam Synodum, quaſi abſque iudicio, & inquiſitione Neſtorium damnauerit; tum capita duodecim Sancti Cyrilli impia, & recta fidei contraria appellat eadem epiſtola; defendit autem Theodorum, & Neſtorium, & impia eorum dogmata, atque ſcripta. Prædicta itaque tria impia capitula anathematizamus, & condemnamus, ſcilicet impium Theodorum Mopſueſtiæ, vna cum impijs eius ſcriptis. Et quæcumque impie Theodoretus ſcripſit: atque etiam Epiſtolam, quæ dicitur ab Iba ſcripta fuiſſe: quâ ſuperius dictæ profanæ blaſphemiæ comprehenduntur.*

10. Quem diuerſum loquendi modum obſeruauit ipſa Synodus 5. nam collatione 8. cap. 12. de Theodoro inquit: *Si quis defendit impium Theodorum Mopſueſtenum, qui dixit, alium eſſe Deum Verbum, & alium Chriſtum à paſſionibus animæ & deſiderijs carnis moleſtias patientem .... anathema ſit.* Cap. vero 13. & 14. ſcripta quædam Theodoreti, & Ibæ damnat, perſonas vero non tangit. *Sic enim ait* cap. 13. *ſiquis defendit impia Theodoreti conſcripta, quæ contra rectam fidem & contra primam Epheſinam ſanctam Synodum, Sanctum Cyrillum & duodecim eius Capitula expoſuit, & omnia, quæ conſcripſit pro Theodoro & Neſtorio impijs, anathema ſit.* Capite vero 14. *Siquis defendit Epiſtolam, quam dicitur Ibas ad Marim-Perſam hæreticum ſcripſiſſe, quæ abnegat quidem Deum Verbum de Sancta Dei genitrice ſemper Virgine Maria incarnatum, hominem factum*

eſſe, dicit autem purum hominem ex ipſa natum eſſe, quem templum vocat, vt alius ſit Deus Verbum, & alius homo; anathema ſit.

§. IV.

Ex eo ipſo loco Conſtituti, quem pro ſe citat, idem conficitur contra Maimburgum.

1. QVintò probatur ex ipſo conſtituto in illo ipſo loco, quem pro ſe citat Maimburgus; qui eſt tribus paginis ante finem, & habetur apud Baronium ad finem pag.428.& initium ſequentis: „ ſic enim ibi loquitur Vigilius, Et quia nobis de Ezechielis Prophetæ verbis objicitur illud,quod ad Sacerdotes Hieruſalē,malum à bono non diſcernentes, ex perſona Domini dicebat: Sacerdotes eius ſpernentes legem meam, coinquinauerunt ſancta mea, inter ſanctum & pollutum non diſtinguebant, & inter medium mundi & immundi non ſecernebant: debet veſtra pietas pariter nobiſcum, & vniuerſorum corda Fidelium ex his verbis aduertere, ideo nos non audere Chalcedonenſis Synodi retractare iudicium, ne ibidem conſidentibus Sacerdotibus iſta (quod abſit) ab hæreticorum inſidijs macula inuratur: vt eos inter ſanctum & pollutum; & inter medium mundi & immundi non potuiſſe diſcernere criminentur, ſi nos modo cauſas eiuſdem ſanctæ Synodi cum conſenſu Sedis Apoſtolicæ iudicio terminatas, ſub qualibet occaſione, viderint retractare. Propterea ergo diſcretionem, atque iudicium Sanctorum Patrum nos in omnibus conſeruantes, & rerum omnium diſpoſitionem, ſecundum eam,quam reddimus rationem, ex Chalcedonenſis Synodi iudicio declaratam, cum ſatis apertiſſima luceat veritate, ex verbis epiſtolæ viri Venerabilis Ibæ, rectiſſimo ac pijſſimo intellectu perſpectis, & ex geſtis apud Photium, & Euſtathium habitis, & ex ipſius Ibæ Epiſcopi præſentis à præſentibus intentione diſcuſſa, Patres noſtros in Chalcedone reſidentes iuſtiſſimè Orthodoxam eiuſdem viri Venerabilis Ibæ Epiſcopi pronunciaſſe fidem, & reprehenſionem Beati Cyrilli, quam humanitus per errorem intelligentię eueniſſe cognouerant, congrua ſatisfactione purgatam: præſentis ſententiæ noſtrę authoritate, ſtatuimus, atque decernimus, cùm in omnibus, tum etiam in ſæpius memorata venerabilis Ibæ epiſtola intemeratum Patrum in Chalcedone reſidentium manere iudicium.

„ 2. Quæ Vigilij verba poſtquam retulit Baronius ſubdit:Quo nempe declararunt ex ea Ibam comprobatum eſſe Catholicum, non autem quòd, qui in ea recitantur errores,aliquo modo recipiendos eſſe

,, putarint, quos iam antea ab iiſdem Patribus, & ab ipſo Iba in eadem
,, Synodo liquet fuiſſe damnatos. Quamobrem ne ob eam cauſam ab
,, occaſionem quærentibus ex ea Epiſtola aliquid derogaretur integri-
,, tati ipſius Synodi Chalcedonenſis, idem Vigilius non pro defenſio-
,, ne epiſtolę, ſed pro firmitate eiuſdem Synodi conſeruanda hęc
,, addit.

,, 3. Nec quemquam ad ordines, & dignitates Eccleſiaſticas perti-
,, nentem hoc conſtituto noſtro permittimus aliquando prę ſumere, vel
,, ſuper eiuſdem epiſtolæ negotium, vel alijs in Chalcedonenſi Conci-
,, lio conſenſu Vicariorum Sedis Apoſtolicę iudicatis, ordinatis, defi-
,, nitis atque diſpoſitis, tamquam imperfectis, atque reprehenſibilibus,
,, ſiue per additamentum, ſiue per diminutionem, ſiue per immutatio-
,, nem, vel quoquo modo aliquid temerariæ nouitatis inferre. Hęc ipſe
,, pro defenſione, atque integritate Actorum Synodi Chalcedonenſis:
,, adeò vt duplex de ea epiſtola eſſet iudicium faciendum: alterum,
,, cùm epiſtola illa conſideratur in eiuſdem Synodi Actis inſerta, & ad
,, hoc poſita, vt qualis tunc eſſet Ibas, qui iam antea hęreticus fuerat,
,, intelligeretur: hac habita ratione, nequaquam detrahendum quis
,, iure dixerit Apoſtolicę Sedis Legatis, vel alijs, quia ex ea compro-
,, barunt Ibam eſſe Catholicum, cùm ex ea intelligeretur, ipſum eſſe,
,, iam pace facta, redditum vnitati, ob idque non eſſe explodendam epi-
,, ſtolam, ſed ad hoc, quod diximus, probandum ſe recipiendam: Alte-
,, rum verò iudicium faciendum, ſi ea ratio auferatur, atque ſeorſum
,, poſita extra Acta epiſtola illa conſideretur: tunc quidem iure, me-
,, ritoque nemo non dixerit (quod pariter à Sancta Synodo, & à San-
,, ctiſſimorum Pontificum decretis definitum poſtea fuit) eam epiſto-
,, lam ob blaſphemias in ipſa poſitas penitus reſpuendam.

4. Denique conſtat ſcopum Vigilij Papæ in illo Monitorio non fuiſſe approbare errores contentos in ſcriptis Theodori Mopſueſteni, vel Theodoreti, vel Ibæ; ſed dumtaxat ſaluare reuerentiam debitam Decretis Concilij Chalcedonenſis, quod tanquam Catholicos agnouit Theodoretum, & Ibam; nec vnquam illos errores Vigilium approbaſſe, & multo minus credendos propoſuiſſe; conſtat, inquam, ex concluſione illius Conſtituti: ſic enim concludit:

,, Ecce Venerabilis Imperator luce clarius demonſtratur, hanc nos ha-
,, buiſſe ſemper in ſanctarum quatuor Synodorum reuerentia volunta-
,, tem, & quęcumque à Sanctis Patribus in eiſdem conſidentibus defi-
,, nita, vel ſtatuta, ſiue iudicata ſunt, intemerata permanere. Manenti-
,, bus ergo omnibus, quę de epiſtola Ibę, perſonaque eius in Sancto-
,, rum Patrum, & Sedis Apoſtolicæ Vicariorum interlocutionibus
,, continetur, illud nobis, omnibuſque Catholicis æquali volun-
,, tate ſufficiat, quod illic ſibi ſancta Synodus ſufficere poſſe clamauit,
,, dicendo: Neſtorium & eius dogmata modo anathematizet: quo

ana-

„ anathemate nefandiſſimorum Neſtorij,& Eutychetis ab Iba Epiſcopo „ toties iterato, totius ſatisfactum eſſe Synodi voluntati. His igitur à „ nobis cum omni vndique cautela atque diligentia propter ſeruan- „ dam inuiolabilem reuerentiam prædictarum Synodorum, & earun- „ dem venerabilia conſtituta diſpoſitis: memores ſcriptum eſſe, ter- „ minos patrum noſtrorum nos tranſcendere non debere: ſtatuimus, „ & decernimus, nulli ad ordines, & dignitates Eccleſiaſticas perti- „ nenti, licere quicquam contrarium his, quæ præſenti aſſeruimus, vel „ ſtatuimus Conſtituto, de ſæpe dictis tribus capitulis, aut con- „ ſcribere, vel proferre, aut componere, vel docere, aut aliquam poſt „ præſentem definitionem mouere vlteriùs quæſtionem. Si quid verò „ de ijſdem tribus capitulis contra hæc, quę hic aſſeruimus, vel ſtatui- „ mus, nomine cuiuſcumque ad ordines, & dignitates Eccleſiaſticas „ pertinentis factum, dictum, atque conſcriptum eſt, vel fuerit, & à „ quolibet vbicumque repertum; hoc modis omnibus ex auctoritate „ Sedis Apoſtolicæ, cui per gratiam Dei pręſidemus, refutamus.

5. Huic libello ſubſcripſerunt ſimul cum Vigilio multi alij Epiſcopi, quorum Catalogum habes apud Baronium pag. 432. & ſimul alij viri graues, inter quos fuit Pelagius, tunc Sanctę Romanę Eccleſię Diaconus, qui Conſtantinopoli fuit Apocriſarius trium Romanorum Pontificum, Agapeti primùm, deinde Eleutherij, atque demum Vigilij, (vt inquit Baronius ad ann. 536.) cui in ſummo Pontificatu immediatè ſucceſſit. Iſte autem tractatus Vigilij, *conſtituti* nomine nuncupatus, datus dicitur pridie Idus Maij, imperante Iuſtiniano Auguſto anno 27. poſt conſulatum Baſilij XII. nimirum anno Chriſti 553. in eodem autem anno ſexto Idus Decembris confirmauit Vigilius Synodum illam quintam. Quamuis autem tunc fuerit datum, antea fuerat ſcriptum, vt notat Baronius illo tom. 7. pag. mihi 403. vbi loquens de hoc libello, inquit: „ hunc ipſum eſſe ſcias, quem de ſua ſententia ab Imperatore interpel- „ latus idem Vigilius pollicitus fuit ſe miſſurum ſuo tempore ad ipſum „ Imperatorem, atque ad Synodum, quod & ingenuè præſtit. Scripſe- „ rat autem illud ipſum Conſtitutum iam antea: nam eius ipſe memi- „ nit in epiſtola ad Valentinianum Epiſcopum Tomitanum in Scythia: „ nec quidem illud elaborauit vt ipſi dumtaxat innoteſceret Imperato- „ ri, vel Synodo, ſed vt vniuerſo Orbi Catholico, cunctiſque Chriſti „ Fidelibus palàm fieret, nec ob aliam cauſam (vt ex ipſo patet) niſi vt „ omnia, quæ à Sanctis Patribus in Chalcedonenſi Concilio definita „ eſſent, firma conſiſterent, nec vllâ quouis prætextu poſſent calumniâ „ labefactari. Conſtat autem illam epiſtolam ad Valentinianum ſcrip- „ tam fuiſſe à Vigilio anno vigeſimo tertio Imperij Iuſtiniani, quatuor „ ſcilicet annis antequam illud conſtitutum traderet Imperatori, nimi- „ rum anno Chriſti 549. vt conſtabit legenti eius ſubſcriptionem.

6. Veriſimile eſt, Vigilium confeciſſe illum libellum cùm primum

ſciuit Iuſtinianum Imperatorem Edicto ſuo damnaſſe illa tria Capitula ; & ab ipſo iuſſus eſt comparere Conſtantinopoli . Hoc ſane conſtat , Vigilium, cùm proficiſceretur ex vrbe Conſtantinopolim, in ipſo itinere litteras dediſſe ad Menam Patriarcham Conſtantinopolitanum , in quibus reprehendit damnationem trium Capitulorum ab ipſo factam ad inſtantiã Imperatoris: conſtat inſuper, cùm primum peruenit Conſtatinopolim octauo Kalendas Februarij anni 547. Menam & alios capitulorum damnatores à communione ſuſpendiſſe: eamque ipſis poſt quinque menſes rogatu Theodoræ Imperatricis reſtituiſſe . Ratio autem potiſſima,cur damnationi trium capitulorum refragaretur Vigilius, hæc erat, quod exiſtimaret , nihil eorum , quæ in Concilio Chalcedonenſi geſta erant, retractari poſſe , eo quod ea ſit generalium Conciliorum authoritas , vt de ijs , quæ illorum iudicio ſemel iudicata ſunt , iterum diſceptari non debeat .

8. Ex dictis ſatis conſtat in controuerſia trium capitulorum , quæ tot diſſenſionum ſeminarium fuit , non fuiſſe agitatam vllam quæſtionem ſpectantem ad fidem : nec Vigilium vllum errorem definijſſe , dum illa capitula protexit : Vt enim inquit Baronius ad ann. 547. pag. mihi
„ 357. Non inter Catholicos & hæreticos eiuſmodi certamen extitit ,
„ ſed inter Catholicos tantum ipſos , qui omnes ſaluum vellent Chal-
„ cedonenſe Concilium ; neque ex diuerſa cauſa conflatum , ſed plane
„ eadem : ſiquidem tam qui iſta tria volebant damnari capitula, quam
„ qui defendi , id ſe facere dictitabant , vt in omnibus conſultum eſſet
„ Concilio Chalcedonenſi , ne illorum occaſione ipſum labefactari ab
„ hæreticis poſſet . Sic igitur eorum negatio, vel aſſertio pro tuendo
„ Chalcedonenſi Concilio facta vel prætenſa , niſi aliud quippiam er-
„ roris admiſcuiſſet , non conſtituebat quemquam hæreticum ; ſed
„ eſſe ſchiſmatici conuicti ſunt , qui diuerſam à Romano Pontifice in
„ his decernendis ſententiam ſectati eſſent : nam de perſonis & non
„ de fide quæſtionem fuiſſe , Gregorius Magnus affirmat . Magna fuit
„ iſta in Eccleſia Dei tentatio , cum miſerando modo inter ſe Catho-
„ lici ita confligerent , non ſecus, ac cum in caſtris contingit oriri tu-
„ multus , & inter ſe arma collidere ac vibrare iacula milites ſub eo-
„ dem Principe conſtitutos .

§. V.

Quamuis Vigilius mutauerit ſententiam, quam in Conſtituto ſuo ſtabilierat, inde non probatur, illum in fide erraſſe.

1. Fateor, poſtea Vigilium mutaſſe ſententiam, & capitula illa damnaſſe. Sed hinc argui non poteſt, illum vel in fide erraſſe, vel aliquod falſum dogma credendum Eccleſiæ propoſuiſſe: ſed ad ſummum poſſet de inconſtantia, & leuitate notari. Ab hac tamen nota„ illum liberat eruditiſſimus Marca in illa diſſertatione numer. 5. A ſu„ ſpicione tamen (inquit) leuitatis abeſſe tantum debet, vt potius ſin„ gularis prudentię laudem ex ijs, quę in hac cauſa geſſit, conſequi „ poſſe videatur. Ratio eſt, quia in ijs, quæ ad diſciplinam, & non ad fidem pertinent, prudentia ſæpe dictat, vt Summi Pontifices non ſemper ſummo iure ſe gerant, ſed aliquando rigorem Canonum, & legum remittant, per diſpenſationem. Huic temperamento, & Canonum remiſſioni locus eſt, quando ob bonum vnitatis, & pro reſarcienda Ec„ cleſiæ pace, neceſſarium videtur clementia vti. Vtroque agendi mo„ do (inquit Marca) vſus eſt in hac controuerſia Vigilius, nunc iuris, „ & Canonum rigore, nunc eorum remiſſione, fidei & pacis Eccleſiæ „ ſtudioſiſſimum ſe præbens.

2. Primò quidem ſtatim poſt ſuum ab vrbe diſceſſum, votis occidentalium fauendo, ſe vetuſtatis vindicem præſtitit; damnationem trium capitulorum à Iuſtiniano cum Epiſcopis orientalibus ſtatutam, reprehendendo, & totis viribus contendendo, vt reſcinderetur ab Imperatore edictum illud; exiſtimans hunc rigorem eſſe neceſſarium ad conſeruandam authoritatem Concilij Chalcedonenſis, incommodum reputans, vt ea, quæ ſtatuta fuerant in Concilio Chalcedonenſi, retractarentur, & infirmarentur; & merito ponderabat Vigilius, incommodum magnum eſſe, vt retractatio trium Capitulorum aduerſus Synodum vniuerſalem, totius orbis conſenſu firmatam, poſt centum annos vrgeretur: quandoquidem legibus Principum cautum erat, vt retractatio aduerſus ſententias Præfectorum intra duos ſolum annos peragi deberet.

3. Quamuis vero Vigilius nulla vi adigi potuerit ad ſubſcribendum damnationi trium capitulorum, conſenſit tandem anno 548. vt in Conuentu ſeptuaginta Epiſcoporum hæc cauſa Conſtantinopoli diſcuteretur; & ſingulorum ſuffragijs ad ſe ſcripto delatis, neceſſarium iudicauit ad pacem orientalium retinendam, in rigore canonum diſpenſare; & ideo *Iudicatum* dedit ad Menam Patriarcham Conſtantinopolitanum, quo

quo tria Capitula damnabat. Quam rationem ipſe Vigilius reddit in Epiſtola encyclica aduerſus Theodorum Cæſareæ Epiſcopum, qui totius ſchiſmatis, & diuiſionis origo fuerat, in qua ſic loquitur: *Primum quidem in eo, quod pro ſcandalo refrenando condeſcendentes quorundam animis, quos aliqua diſpenſatione credidimus temperandos: quia tu iam eos pluribus annis inquietiſſimus ſtimulator accenderas, quædam pro tempore medicinaliter exiſtimauimus ordinanda, tali ſcilicet conditione, vt omni in poſterum perturbatione ſopita, nihil vltra nec verbo, nec literis quiſquam facere ex eadem cauſa præſumeret.*

4. Verùm obtinere non potuit Vigilius ab Afris, Illyricianis, & Dalmatis Epiſcopis vt iudicio ſuo cederent, quin potiùs ab eius ſe communione ſuſpenderunt. Occidentales etiam maximè offendit, quòd crederent, vnam eandemque eſſe trium Capitulorum, & Concilij cauſam. Tunc Vigilius ſchiſma veritus, & ne maius excitaretur incendium, egit cum Imperatore coram Mena Patriarcha, pluribuſque Epiſcopis, & Senatu, vt reſciſſis, quæ in hac cauſa vtrinque geſta fuerant, indiceretur Synodus, in qua adeſſent Africanarum & Illyricanarum Prouinciarum Epiſcopi, quorum fuerat ſcandalizata Fraternitas, vt ipſe loquitur, vt ea, quæ ibi ſuffragijs probarentur, cum pace Eccleſiæ locum haberent. Euocauit Imperator Epiſcopos ex Africa, & Illyrico; & agnoſcens, Epiſcopos Occidentales recuſaturos Conſtantinopolim venire, vrgebatque Vigilium, vt ſi nollent occidentales Epiſcopi venire, ipſe ſolus cum Græcis tria capitula damnaret. Huic Imperatoris prætenſioni cùm Vigilius fortiter ſe oppoſuiſſet, multas vexationes, & iniurias paſſus eſt, quas recenſet Illuſtriſſimus de Marca in illa Diſſertatione: inter quas tamen dignam Romano Pontifice conſtantiam oſtendit, & depoſitionis ſententiam protulit in Theodorum Cæſareenſem, Imperatori familiarem; & Menam Patriarcham à comunione ſua ſuſpendit: qua ſeueritate effecit, vt Theodorus, & Menas ab ipſo veniam peterent. Mortuus eſt interim anno 552. Menas; eique in Patriarchatu ſucceſſit Eutychius; qui ſub initium anni 553. oblato ſupplici libello petiuit à Vigilio, vt communi tractatu controuerſiæ motæ definirentur in Synodo generali: acquieuit ille; ſed volebat, vt Synodus in Italia cougregaretur; refragante autem Imperatore de loco, tandem inter ipſos conuenit, vt Conſtantinopoli Synodus celebraretur, ita tamen vt Epiſcopi Latini numerum exæquarent Græcorum. Sed moræ impatiens Iuſtinianus, & non expectatis Epiſcopis Latinis, Synodum conuocauit nonis Maij anni 553. Eutychius Patriarcha ſolemni legatione miſſa ad Vigilium, ſemel, & iterum petiuit vt intereſſe vellet Concilio. Ille verò intereſſe noluit, cauſatus inualetudinem; ſed reuera motiuum fuit, quia ibi plurimi Epiſcopi Orientales erant, pauci verò occidentales. Vnde Illuſtriſſimns Marca meritò impugnat eos, qui abſentiæ Vigilij à Synodo eam cauſam reddunt, *quòd Summi Pontifices adeſſe*

non

non ſolebant Concilijs generalibus ; cùm vera cauſa petenda ſit (inquit) *ex eo, quòd conuentum imperfectum noluerit præſentia ſua Oecumenicum reddere , in offenſionem occidentalium* : atque adeò abſente Vigilio Synodus cognitionem ſuam de tribus capitulis inſtituit , quæ tandem definitione ſua damnauit .

5. Interim Vigilius intra viginti dierum inducias Conſtitutum ſuum ad Iuſtinianum dedit, quo ſententiam ſuam de tribus Capitulis copioſè explicuit . Probat autem rectè Marca , Imperatorem non miſiſſe ad Synodum conſtitutum illud, vt authores aliqui grauiſſimi volunt : quia id non iuuare, ſed potiùs retardare poterat condemnationem trium capitulorum, quam Imperator tantopere deſiderabat; ſed potius apud ſe retento illo libello , miſiſſe ad Synodum epiſtolas aliquas , aliaque ſcripta Vigilij ; in quibus Capitula illa reprobabat . Quod cum multis argumentis probaſſet Marca, ſic concludit apud Labbè tom.5.col.607. Itaque „ Iuſtinianus , ne prætermiſſa , videretur in hoc negotio Vigilij authoritas, conſtitutum quidem ſuppreſſit, ſed alias Vigilij priores ſententias, quæ annis ſuperioribus ab eo latæ erant ...... Synodo exhibuit, „ vt in actis omnia rite & ſolenniter geſta fuiſſe viderentur. Quare Synodus quoque ipſa magnum decreti ſui momentum in eo poſuit , „ quòd Vigilius tria capitula ſæpius & ſcripto & ſine ſcripto condemnaſſet ; etſi conqueratur, quòd conuentui , licet illuſtri legatione inuitatus, intereſſe noluerit, ſatiùſque duxerit polliceri, ſe ſuam ipſius „ ſententiam ad Principem miſſurum ? Cæterùm an promiſſis ſteterit „ Pontifex , omnino Synodus reticuit , officio ſe ſuo ſatisfeciſſe rata , ſi „ ſententijs à Vigilio latis , & in iudicio ex mandato Principis exhibitis inniteretur : præcipuè cum de Pontificis contrario voto ſolemniter & iuxta cognitionum ordinem non conſtaret . Ceterum id valde „ angebat Vigilium , quòd reſtitutionem pacis Occidentalium , quam „ vnice expetebat , his Iuſtiniani artibus peſſumdatam videret . Non „ ſolùm enim numerus Occidentalium Epiſcoporum exæquatus non „ fuerat in Synodo, ſecundùm pacta conuenta, de quibus egimus ſupra; „ ſed etiam Vigilij decretum à Principe retentum , in Synodo promulgatum non fuerat; quod ad maioris ſcandali occaſionem tendere , ſi „ tale quid accideret, Vigilius in Conſtituto diſertiſſimè profeſſus fuerat. Quare in ea rerum omnium perturbatione conſenſum ſuum præſtare noluit Epiſcoporum definitioni, ideoque à Principe pulſus eſt „ in exilium, vnà cum aliquot Epiſcopis, & Clericis Synodo refragantibus, teſte Anaſtaſio. Hactenus ibi Marca; qui poſtea num. 14. ſuæ diſſertationis notat definitionem quintæ Synodi , in qua damnata ſunt tria illa Capitula , editam fuiſſe anno 553. quarto nonas Iunias anno vigeſimo ſeptimo Imperij Iuſtiniani, poſt conſulatum Baſilij anno duodecimo ; vt conſtat ex collatione octaua : ante vero ſextum Idus Decembris eiuſdem anni , id eſt, poſt ſex menſes à ſolutione Synodi , Vi-

gilium

gilium Decretalem epiſtolam dediſſe ad Eutychium, quâ tria Capitula condemnat.

5. Ex dictis conſtat, nunquam aliquem errorem contra fidem è Sede Petri approbaſse Vigilium: ſed potiùs conatum fuiſse totis viribus defendere authoritatem ſtatutorum Concilij Chalcedonenſis; non quia approbaret doctrinam contentam in ſcriptis Theodoreti contra S. Cyrillum, & in epiſtola Ibæ; ſed quia cum non ageretur de fide, ſed de perſonis, nolebat damnari illos tractatus, ne viderentur damnari perſonæ, & ne quæ ſemel ſtatuta fuerant in Concilio Generali Chalcedonenſi, retractarentur, & reuocarentur. Sed poſtquam agnouit Patres quintæ Synodi, dum damnarunt tria illa Capitula, eandem omnino doctrinam fidei definiſſe, quæ contra Neſtorium, & Eutychetem ſtabilita fuerat in Concilio Epheſino & Chalcedonenſi; & per illam definitionem non fuiſſe damnatas perſonas Theodoreti, & Ibæ, quæ abſolutæ fuerant in Concilio Chalcedonenſi; tandem confirmauit quintam Synodum, ne videretur erroribus Neſtorij fauere. Quod poſtea etiam præſtiterunt Pelagius, & Gregorius Magnus; qui magnis laboribus effecerunt, vt hæc quinta Synodus tanquam legitima in tota Eccleſia reciperetur, planè oſtendentes, nihil in rebus ad fidem ſpectantibus à quinta Synodo definitum, quod decretis Concilij Chalcedonenſis aduerſaretur; multi enim nolebant quintam Synodum recipere, exiſtimantes illius decreta opponi in rebus ad fidem ſpectantibus decretis Synodi Chalcedonenſis; vbi autem veritatem cognouerunt; manus dedere; & Eccleſia Latina cum Græca conuenit in recipienda quinta Synodo.

§. VI.

Ex ijs, quæ geſta ſunt in cauſa trium Capitulorum, validè firmatur excellentia Summi Pontificis ſupra omnia Concilia, eiuſque infallibilitas in definiendo è Cathedra.

1. STephanus Baluzius in vita Illuſtriſſimi Petri de Marca præfixa libris de concordia pag. 10. loquens de epiſtola Decretali Vigilij Papæ, quâ quintam Synodum confirmauit; & quam è tenebris eruit Illuſtriſſimus de Marca, & publica luce donauit; inquit: „ Explicari non poteſt quantùm huius epiſtolæ publicatio profuerit ad firmandam Apoſtolicæ Sedis authoritatem erga Concilia generalia, quæ apud Gallicanos Academiarum Magiſtros, maiorum ſuorum decretis inhærentes nutabat. Ipſeque Illuſtriſſimus de Marca in prolegomenis

Digitized by Google

„ menis ad libros de concordia pag. 80. ita ſcribit: Priſtino colendæ „ Romanæ Eccleſiæ ſtudio non deſtiti, publicata elegante illa Vigilij „ Summi Pontificis Epiſtola Decretali hactenus inedita, imo verò „ etiam incognita, pro confirmatione Quintæ ſynodi, de qua tanto- „ pere Eruditi laborabant. Eam verò Epiſtolam non ſolùm ex arca- „ nis Bibliothecæ Regiæ penetralibus erutam in lucem edidi; ſed diſ- „ ſertatione quoque ſatis accurata, & illius Epiſtolæ fidem ex vetu- „ ſtiſſimo codice Græco deſcriptę, & Vigilij inſtitutum in perplexa „ trium Capitulorum diſputatione aſſerui: incautamque Eminentiſſimi „ Cardinalis Barónij narrationem, quæ Romanæ Eccleſiæ poteſtatem „ peſſumdabat, ex genuino Actorum Quintæ Synodi ſenſu diſpunxi, „ gratiam à pijs tanti viri manibus conſecuturus, ob pietatem, eius „ exemplo, à me omnium fidelium matri hac in parte ſtudiosè exhibi- „ tam. Sanè explicari non poteſt, quantum huius Epiſtolæ publica- „ tio profuerit, ad firmandam Apoſtolicæ Sedis authoritatem erga „ Concilia Generalia, quæ apud Gallicanos Academiarum Magiſtros, „ maiorum ſuorum Decretis inhærentes valde nutabat.

2. Hæc ibi Illuſtriſſimus Marca, qui in Diſſertatione de Vigilij Papæ Decretali expendens verba quibus Vigilius Papa quintam Synodum confirmauit, vt ingentem diſcordiam, quæ inter Catholicos verſabatur propter illa tria Capitula, vitaret; & ſchiſma impediret, quod imminebat, niſi hoc feciſſet expendens, inquam, verba illius de- „ cretalis num. 14. ſuæ diſſertationis ſic loquitur. Eſt autem operæ „ pretium expendere, quænam ille verba in re adeo implicata adhi- „ beat, quibus dignitatem ſuam tueri poſſit aduerſus Synodum Con- „ ſtantinopolitanam, ſine vlla Principis & Epiſcoporum offenſa. Pla- „ ne ſi verum amamus, omnino fateri neceſſe eſt, altas in mentibus „ hominum tunc temporis egiſſe radices traditam à maioribus ſenten- „ tiam de ſumma Sedis Apoſtolicæ authoritate. Cum enim de ceteris „ Synodis Oecumenicis ea reuerentia loqui ſoliti eſſent Summi Ponti- „ fices, ipſeque adeo Vigilius in hoc Decreto, ſcilicet vt ſe eas ſuſci- „ pere, amplecti, & deuota mente venerari profiterentur; vtpote quæ „ Sedis Apoſtolicæ ſuffragio & vniuerſalis Eccleſiæ conſenſione firma- „ tæ eſſent: hanc quintam Synodum Vigilius ne quidem Synodi nomi- „ ne cohoneſtat: nempe illa ratione motus, quod eius celebrationi, ijs „ conditionibus, quibus facta eſt, conſenſum non præbuiſſet, vt anno- „ tauimus num. 10. Deinde vero, quod etſi vitium illius ex poſtfacto „ diſſimulaſſet, à conſtituti ſui promulgatione ceſſatum fuerat, vt mo- „ nui. Quod verò ad rem ipſam attinet, ipſe ſua authoritate, ſuoque „ decreto tria capitula damnat: quoſcumque vero, qui iam illa con- „ demnauerunt (his verbis Synodum Conſtantinopolitanam ſignificat) „ fidem à quatuor Synodis prædicatam amplectentes eos fratres & „ conſacerdotes eſſe definit, id eſt, eos communioni ſuæ adiungit, co-

Ggggg „ rum-

„ rumque ſententiæ robur illud impertitur, quod ex conſenſione cum „ ipſius decreto trahere debent. Eandem ſententiam ſuperioribus „ epiſtolæ verbis ſic expreſſerat: Quæ à nobis definiri debent, reue- „ lante Domino, & inueſtigata veritate, ſalubriter impleta ſunt. Quaſi „ diceret, hanc quæſtionem licet ab Epiſcopis diſcuſſam in Synodo, & „ eorum ſoffragijs deciſam, Sedis Apoſtolicæ decreto eſſe perempto- „ rio definiendam. Vnde hoc ſuum decretum Diatypoſin, appellat, ad „ Principum exemplum.

„ 3. Itaque Græci, ne dubitari poſſet in poſterum de quintę Syno- „ di authoritate, decretum iſtud Vigilij in acta retulerunt continenter „ poſt definitionem Synodi: quemadmodum colligere licet, ex eo quod „ exſcriptor antiquus eius exempli, quod proferimus, hac Epiſtola „ finem actis Synodi impoſitum teſtatur. Hucuſque Marca. Qui n. 16. probat, poſt Vigilij Decretum, quintam Synodum velut vniuerſalem admiſſam eſſe, non ſolum in oriente, ſed etiam in occidente: quod probat teſtimonio Pelagij Primi, qui immediate ſucceſſit Vigilio, & Pelagij ſecundi, & Gregorij Magni: additque ſolos Iſtriæ, Venetię, & Ligurię Epiſcopos, qui ſub dominio Longobardorum degebant, pertinaci animo ſchiſma fouiſſe propter damnationem trium capitulorum à Vigilio confirmatam, vſque ad Gregorij Magni tempora, qui virus illud apud iſtos, & etiam apud Hibernos ſanauit.

4. Authoritas ſuprema Romani Pontificis, & eius excellentia ſupra omnia Concilia ex ijs, quę in hac cauſa geſta ſunt ſatis apparet, Maieſtaſque Romanę Sedis: Primò quia Iuſtinianus Imperator probe cognoſcens, quod non poſſent ritè tria capitula illa damnari niſi interueniret authoritas Romani Pontificis, illum euocauit Conſtantinopolim, & tùm precibus, tum moleſtijs & vexationibus conatus eſt in hunc ſenſum trahere. Secundò quia vt refert Illuſtriſſimus de Marca in illa diſſert. num. 10. Synodus ipſa quinta, iuſſu Imperatoris congregata, antequam quidquam in cauſa trium Capitulorum decernere auderet, illuſtri legatione Eutychij Conſtantinopolitani, & aliorum Patriarcharum, atque ſexdecim Metropolitanorum, Vigilium conuenit, ab eo poſtulans, vt Concilio intereſſe vellet, & cauſam trium Capitulorum cum cæteris Epiſcopis diſceptare. Quo facto authoritatem Romanæ Sedis reuerita eſt; Tertiò quia quamuis Vigilius Papa huic Synodo intereſſe noluit: tamen ipſe Eutychius Patriarcha Conſtantinopolitanus profeſſus eſt, præſidentiam totius Synodi illi debitam eſſe, ſi intereſſe vellet, prout nomine ſuo & totius Synodi rogabat, vt patet ex epiſtola eiuſdem Eutychij ad Siluerium, quæ in fine primæ collationis quintæ Synodi habetur; in qua ad finem ſic loquitur: *Suſcipimus autem & amplectimur & Epiſtolas Præſulum Romanæ Sedis Apoſtolicæ, tam aliorum, quam Leonis ſanctæ memoriæ de recta fide ſcriptas, & de quatuor Sanctis Concilijs, vel vno eorum. Cum igitur prædicta omnia & ſeruauimus & ſer-*

ſeruamus, & in his nobis ipſis inuicem conſentimus, neceſſarium eſt conferri de tribus Capitulis, vnde quibuſdam quæſtio nata eſt. Et ideo petimus, præſidente nobis veſtra beatitudine, ſub tranquillitate & ſacerdotali manſuetudine propoſitis Sanctis Euangelijs, communi tractatu eadem capitula in medio proponenda, quæri, & conſeruari, & finem quæſtioni imponi Deo placitum, & conuenientem his, quæ à ſanctis quatuor Concilijs definita ſunt: quoniam ad augmentum pacis & concordiam Eccleſiarum pertinet, vt omni de medio diſſenſione ſublata, quæ à prædictis quatuor ſanctis Concilijs definita ſunt, inconcuſſa ſeruentur, ſanctarum Synodorum reuerentia in omnibus cuſtodita.

5. Denique probatur; quia ſolum ob authoritatem Romanorum Pontificum, qui hanc Synodum confirmarunt, illa inter generales & legitimas Synodos locum obtinere meruit. Vt patet ex hiſtoria huius Synodi; quæ ante primam eius collationem habetur; quæ his verbis concluditur: *Hanc porro quintam Synodum grauiſſimis ſententijs approbauerunt Romani Pontifices, primum Vigilius (cuius authoritate celebrata fuit:) deinde Pelagius, qui inſignem epiſtolam in eius defenſionem ſcripſit: tum S. Gregorius Magnus, Nicolaus Primus, Leo nonus, cæterique: Synodi quoque Oecumenicæ ſexta & ſeptima, & reliquæ. Illam tamen Apoſtolica authoritate confirmatam, Iuſtiniani etiam Imperatoris armatam præſidijs non veriti ſunt plerique varijs inceſſere calumnijs, quod à Chalcedonenſi Synodo diſſenſiſſet: quod innoxios aliquot Epiſcopos, etiam vita functos vexaſſet immerito: quod tria capitula longo vſu recepta ſuſtuliſſet. Itaque tam late diſſeminatum hoc malum fuit, vt non modo aliquot Epiſcopi ſeorſim illam repudiarent, ſed etiam priuata quædam Synodus ex Iſtriæ, Liguriæ, Venetiarum, aliarumque Italiæ Vrbium Epiſcopis, atque in primis Paulinus Aquileienſis, & Honoratus Mediolanenſis, auſi fuerint eam Synodum decretis publicis execrari, non modo inconſulto Romano Pontifice, ſed etiam palam aduerſante. Quare coactus fuit Pelagius agere cum Narſete patricio, & totius Italiæ moderatore, vt tam perditam hominum peruicaciam Principis authoritate compeſceret: Paulinum vero & Honoratum nefarij ſchiſmatis authores militum cuſtodiæ traditos Conſtantinopolim mitteret. Ea res plus adhuc excitauit incendij, donec poſtea beatorum Pontificum Gregorij & Sergij Sanctiſſimis monitis atque decretis ita ſedata res eſt, vt quintam Synodum, qui reijciebant Epiſcopi, venerarentur.*

6. Ex dictis manifeſte conſtat, fruſtra Maimburgum adduxiſſe exemplum Vigilij in cauſa trium Capitulorum, vt probaret excellentiam Concilij ſupra Papam, & oſtenderet, hunc poſſe è Cathedra errorem docere; cùm potius ex ſerie huius cauſæ oppoſitum dilucide colligatur. Vnde Illuſtriſſimus Marca in illa ſua erudita diſſertatione num. 12. poſtquam probauit, Iuſtinianum Imperatorem non miſiſſe ad Concilium Libellum illum Vigilij, qui Conſtitutum appellatur, in quo ille condemnationem trium Capitulorum reprehendebat, ſolumque coram

Concilio ea ſcripta Vigilij protuliſſe, quæ ad excitandos & concitandos Patres ad condemnationem illorum Capitulorum deſeruiebant, non autem ea, quæ ab hoc retardare poterant, & ſolum deſeruire poterant ad probandum, Pontificem in hac cauſa ſibi conſtantem non fuiſſe, & in illo Conſtituto approbaſſe capitula, quæ alibi reprobauerat: Poſtquam, inquam, hæc probauit, ſequentia ſubiungit verba:
„ Sane ſi quis ordinem, qui in Concilijs Oecumenicis obtinebat, dili-
„ gentius expendere velit, quam longiſſime recedet ab illa opinione,
„ qua dignitas Sedis Apoſtolicæ violatur, mecumque facile conſen-
„ tiet, adhibitum Vigilij nomen, vt gradus inde ad definitionem Syno-
„ di contra capitula ſtrueretur. Prima enim ſemper fuit in Synodis
„ Oecumenicis ſententia Romani Pontificis, qua non expectata, nihil
„ decerni moris erat.

7. Prius Vigilius tàm operosè reſiſtebat damnationi illorum trium Capitulorum, quia exiſtimabat, nihil eorum, quæ quoquomodo diſpoſita fuerant in Concilio Chalcedonenſi; poſſe in quæſtionem deduci, & retractari. Poſtea vero cognouit ſolam Fidei cauſam, quæ definita eſt in Concilio, irretractabilem eſſe: cætera vero omnia, quæ diſcuſſa ſunt in illa Synodo ad negotia particularia pertinentia, retractari poſſe; & licentiam tribui, *vt quod illic extra Fidei cauſam de perſonis geſtum eſt, retractetur*. Vnde meritò intulit: *de Ibæ Epiſtola, etiamſi probata* fuiſſet in Synodo Chalcedonenſi, iterum diſceptari poſſe; poſſeque prohiberi propoſitiones contentas in illa Epiſtola, quamuis Concilium Chalcedonenſe Ibam abſoluerit, propter Catholicę veritatis profeſſionem, quam contra Neſtorium coram Concilio fecit, & eius Epiſtolam non damnauerit, quia ipſius doctrinam non ſatis examinauit; & propter honorem Ibæ ad illius Epiſtolę condemnationem noluit procedere.

8. Prærerea prius in ſuo Conſtituto Vigilius exiſtimauit, eos, qui in Communione, & pace Eccleſiæ mortui ſunt, non poſſe poſtea ſubijci anathemati; Ex quo ſequebatur, Theodorum poſt mortem damnari non poſſe, vtpote qui in vita in communione Sedis Apoſtolicæ ſemper fuit: poſtea autem deprehendit ex doctrina Auguſtini, poſt mortem quoque eos rectè damnari, qui hæreſim profeſſi ſunt; *cùm culpa in Fide perpetrata, nec morte interueniente laxetur*, nempe ad exemplum perduellionis, quorum memoria poſt mortem damnatur, & bona addicuntur Fiſco, licet cætera omnia crimina mortalitate extinguantur, vt loquitur Papinianus. Theodori quidem Mopſueſteni dogmata tanquam impia, & blaſphema in ſuo Conſtituto Vigilius anathemate damnauit; ita tamen, vt ſignificauerit, non ſatis liquere, an ea reuera Theodorus ſcripſerit. At poſtea in Decretali, qua quintam Synodum confirmauit, palam docet; ſibi manifeſtiſſimè patuiſſe *liquida veritate*, Theodorum blaſphemijs quamplurimis ſuos Libros fœdaſſe.

9. Vnde ipſe Vigilius in ſua Decretali rationem reddens, cur tunc repro-

reprobaret capitula illa, quæ prius cenſuerat non eſſe reprobanda, & narrans ea, quæ ab ipſo in hac cauſa geſta fuerant; ſic loquitur cum Eutychio, & Patribus quintæ Synodi, quorum iudicium probabat: *Quapropter deſiderantes ea ſcire Fraternitatem veſtram, quæ à nobis facta ſunt, his noſtris literis ipſi manifeſtum facimus. Quoniam nulli dubium eſt, quot quantaque mota ſunt, ob tria capitula, hoc eſt de Theodoro olim Mopſueſtiæ Epiſcopo, eiuſque ſcriptis, quin etiam de ſcriptis Theodoreti, & de Epiſtola, quæ dicitur ſcripta ab Iba ad Marim Perſam; & quam diuerſa de tribus illis capitulis dicta, atque conſcripta ſunt: Ideo ſi in omni negotio ſapientiæ ratio poſtulat, vt id de quo quæritur, retractetur; neque pudori eſſe debet, cum ea quæ ab initio omiſſa, ſtudio deinde veritatis inueniuntur, in publicum eduntur; quanto magis Eccleſiaſticis diſceptationibus conuenit, eandem rationem in illis quoque obſeruari? Præcipue cum manifeſtum ſit Patres noſtros, & maxime beatiſſimum Auguſtinum, qui in diuinis ſcripturis claruit, Romanæ eloquentiæ magiſtrum, propria ſcripta retractaſſe, dictaque ſua correxiſſe, atque illa quæ omiſerat, ac deinde inuenerat, addidiſſe. Nos quoque ſimiliter illis exemplis incitati, in controuerſia trium capitulorum ſupra memoratorum, nunquam deſtitimus, quin inueſtigaremus, quid de prædictis tribus capitulis, in Patrum noſtrorum literis verius inueniri poſſet. Vnde patuit reuera, dictis Theodori Mopſueſtiæ ſermonibus, qui vbique redarguuntur, pleraque contraria rectæ Fidei, & doctrinis Sanctorum Patrum contineri: quare ipſi Sancti Patres aduerſus eum ſcribentes, tractatus ſuos ad Sanctæ Eccleſiæ eruditionem reliquerunt.*

10. Et immediatè enumerat blaſphemias, & manifeſtos errores, qui reperiuntur in ſcriptis Theodori. Et poſtea ſubiungit errores contentos in ſcriptis, quæ Theodoretus confecit contra duodecim Capitula S. Cyrilli, & contra Synodum Epheſinam primam; & demum detegit errores contentos in Epiſtola Ibæ ad Marim, & tandem concludit: *Prædicta itaque tria impia capitula anathematizamus, & condemnamus, ſcilicet impium Theodorum Mopſueſtiæ, vna cum impijs eius ſcriptis. Et quæcumque impie Theodoretus ſcripſit: atque etiam Epiſtolam quæ dicitur ab Iba ſcripta fuiſſe: qua ſuperius dictæ profanæ blaſphemiæ comprehenduntur.*

11. Vnde Pelagius ſecundus ſcribens ad Eliam Aquileienſem, & alios Iſtriæ Epiſcopos Schiſmaticos, qui damnationi trium Capitulorum non conſentiebant, in Epiſtola, quæ incipit, *Virtutum mater charitas*, late probat, damnationem trium capitulorum non eſſe contra authoritatem Concilij Chalcedonenſis, quia licet ea, quæ in Concilio generali circa Fidem determinantur, & credenda proponuntur, retractari, & reformari non poſſint; ea tamen quæ circa factum, & circa perſonas verſantur, poſſunt denuò diſcuti, & reformari. Vnde c. 19. illius Epiſtolæ inquit Pelagius: *Aperte nobis licentia tribuitur, vt quidquid ibi extra Fidei cauſas de perſonis geſtum eſt, retractetur. Specialis quippe*

Syno-

Synodalium Conciliorum cauſa eſt Fides. Quidquid igitur præter Fidem agitur, Leone docente, oſtenditur, quia nihil obſtat, ſi ad iudicium reuocetur. Et in hoc ſenſu aiebat Auguſtinus lib. 3. de Baptiſmo cap. 3. *Ipſa plenaria Concilia ſæpe priora à poſterioribus emendantur, cùm aliquo experimento rerum aperitur, quod clauſum erat, & cognoſcitur quod latebat.* Vt latè alibi expono.

12. Sed quæres, cur Epiſtola illa decretalis quâ Vigilius approbauit quintam Synodum, non inueniatur in Actis Latinis, ſed ſolum in Græcis? Illuſtriſſimus Marca hanc putat eſſe cauſam: quod Acta Græca ſtatim poſt damnata Capitula, verſa ſunt in Latinam Linguam, & Vigilio tradita, vt deliberare poſſet de illorum approbatione, vel reiectione. Nemini verò curę fuiſſe Actis Latinis Epiſtolam Vigilij adijcere; cum ſatis videretur, ad exemplum cæterarum Epiſtolarum Pontificiarũm, hanc regeſtis Vigilij contineri: quorum tamen cum ſit facta iactura, iſtam quoque Epiſtolam intercidere neceſſe fuiſſe. De quo videndus eſt Illuſtriſſimus Marca latè huic difficultati occurrens in ea diſſertatione à numero 21. & 22.

SECTIO II.

Quod Sanctus Cyprianus in multis Synodis Prouincialibus Africæ contra ſententiam Sancti Stephani Primi Papæ ſtatuerit, omnes baptizatos ab Hæreticis eſſe in Eccleſia Catholica iterum baptizandos, nihil officit infallibilitati Romani Pontificis; imo hinc pro illa validum conficitur argumentum.

§. I.

Exponitur ſententia S. Cypriani.

1. QVod Cyprianus cum multis Epiſcopis Africanis tenaciter defenderit, Baptiſmum adminiſtratum ab hæreticis quibuſcumque eſſe omninò nullum, ac proinde omnes, qui ab hæreſi conuertuntur ad Fidem Catholicam, eſſe in Eccleſia Catholica iterum, imo

imo vnicè, & verè baptizandos; conſtat ex epiſtola Synodica (quæ eſt ſeptuageſima inter epiſtolas Cypriani) quam cum alijs Epiſcopis, in Synodum Carthagine congregatis, dedit ad Ianuarium, & alios Epiſcopos Numidiæ, qui ſuper hac re Synodum illam Carthaginenſem conſuluerant; in qua ſic Patres Concilij Cypriano reſcripſerunt. *Quoniam conſulendos nos pro communi dilectione exiſtimatis; ſententiam noſtram non nouam proponimus; ſed iam pridem anteceſſoribus noſtris ſtatutam, & à nobis obſeruatam; cenſentes ſcilicet & pro certo tenentes, neminem foris baptizari extra Eccleſiam poſſe. Quamquam plenè.*

2. Conſtat ſecundo ex epiſtola 74. quam contra epiſtolam Stephani Papæ dedit ad Pompeium Epiſcopum, in qua ſic loquitur. *Obſeruatur itaque à nobis, & tenetur, frater chariſſime, explorata & perſpecta veritate, vt omnes, qui ex quacumque hæreſi ad Eccleſiam conuertuntur, Eccleſiæ vnico Baptiſmo baptizentur, exceptis ijs, qui baptizati in Eccleſia prius fuerant, & ſic ad hæreticos tranſierant: hos enim oportet cum redierint per manus impoſitionem ſolam recipi, & in ouile, vnde errauerant à paſtore, reſtitui.* Et hanc ſententiam, quam in alijs duabus Synodis iam ſtatuerat, tandem in Synodo octoginta Epiſcoporum declarauit Cyprianus. Non tamen propterea voluit hoc haberi tanquam de fide, ſed diſertè proteſtatus eſt, non idcircò velle ſe ſeparari ab ijs, qui contrarium ſentiebant, nec eos obligare ad ſecum ſentiendum; vt ex ipſo demonſtrat Baronius ad annum 258. num. 31. vt enim inquit Cyprianus epiſt. 72. *Scimus, quoſdam quod ſemel imbiberint nolle deponere, nec propoſitum ſuum facile mutare, ſed ſaluo inter collegas pacis, ac concordiæ vinculo, quædam propria, quæ apud ſe ſemel ſint vſurpata retinere.* Quibus planè ſignificat, omnes has mutuas inter Epiſcopos Catholicos contentiones ſic agitatas eſſe, vt nunquam tamen inter eos Catholicæ communicationis vinculum fuerit diſſolutum.

§. II.

Proponitur, & ſoluitur ratio dubitandi, oſtendendo S. Cypriani ſententiam non fuiſſe eo tempore hæreticam.

1. HOc ſuppoſito conficitur argumentum contra noſtram communemque ſententiam. Nam *ſi infallibile eſſet* Pontificis de fide iudicium, eſsent hæretici, vel ſaltem pernicioſo errore tenerentur, & grauiter peccarent, qui pertinaciter contra definitionem Pontificis aliquid aſsererent; at hoc eſt falſum; nam Cyprianus pertinaciter reſtitit Stephano Pontifici definienti hæreticos non rebaptizandos, vt patet ex

Digitized by Google

ex Epiſtola eiuſdem Cypriani ad Pompeium, & tamen non ſolum non fuit hæreticus, ſed neque mortaliter peccauit. Nam mortalia peccata non delentur, niſi per pœnitentiam, etiam ſi quis pro fide moriatur, & tamen Eccleſia Cyprianum vt ſanctum colit, qui non videtur vnquam reſipuiſſe ab illo ſuo errore. Reſpondeo tamen, negando ſequelam; quia licet ſemper Romanus Pontifex habuerit hoc priuilegium, non tamen ita eſt ſemper in Eccleſia propoſitum, vt ſine hæreſi negari non poſſet. Quandoquidem neque hoc tempore, in quo iſta prærogatiua ita eſt explorata, vt cum probabilitate vera negari non poſſit, contraria ſententia cenſuratur vt hæretica, neque ab illis Doctoribus, qui cenſent oppoſitam eſſe de fide: quæ duo benè cohærere inter ſe explicaui diſput.11. ſect.5. §.5.

2. Deinde falſum eſt, Stephanum Papam hanc veritatem de non rebaptizandis ijs, qui ab hæreticis eſſent baptizati ſub ea materia & forma, quibus vtitur Eccleſia Catholica, definijſſe, & credendam propoſuiſſe tanquam articulum fidei: vt enim Auguſtinus teſtatur lib. 2. de Baptiſmo contra Donatiſtas cap.7. & 9. *Agrippinus & Cyprianus non viderunt vllam abſolutam Eccleſiæ definitionem de hoc puncto*. Imo vt ait idem Auguſtinus lib.1. de Baptiſmo contra Donatiſtas cap.7. *Quæſtionis huius obſcuritas, prioribus Eccleſiæ temporibus ante ſchiſma Donati magnos viros, & magna charitate præditos Patres Epiſcopos ita inter ſe compulit, ſalua pace, diſceptare, & fluctuare, vt diu Conciliorum in ſuis quiſque regionibus diuerſa ſtatuta nutauerint, donec plenario totius orbis Concilio, quod ſaluberrime ſentiebatur, etiam remotis dubitationibus, firmaretur*.

3. Stephanus ſolum mandauit ſeruari antiquum morem. Vt enim refert Cyprianus initio illius Epiſtolæ ad Pompeium, Stephanus in Epiſtola quam ſcripſit improbans illud quod Epiſcopi in Africana Synodo circa Baptiſmum ſtatuerant, ſic concluſit: *Si quis ergo à quacumque hæreſi venerit ad nos, nihil innouetur, niſi quod traditum eſt, vt manus illi imponatur in pœnitentiam*. Vt autem probauimus diſp. 17. ſect. 9. Stephanus loquitur ſolum de quacumque hæreſi, in qua retinetur forma & materia Baptiſmi, quæ eſt in Eccleſia Catholica, in qua ſcilicet baptizantur homines in nomine Patris & Filij & Spiritus Sancti cum aqua elementari, & naturali: & cum intentione adminiſtrandi Baptiſmum illum, quem Chriſtus inſtituit.

4. An vero, licet Cyprianus hæreticus non fuerit, ſaltem peccauerit mortaliter adeo tenaciter reſiſtendo præcepto Stephani Papæ, quo iubebat, nihil innouari; ſed antiquum morem ſeruari; eiuſque ſententiam tam acriter impugnando, agitat Cardinalis Bellarminus lib.4. de Romano Pontifice cap.7. & pro vtraque parte rationes adducit, non ferens tamen ibi ſuam ipſe ſententiam.

5. Ego hoc ſolum, tanquam certum, ſtatuo, vel ſcilicet Cyprianum non peccaſſe mortaliter (vt ſenſiſſe Auguſtinum lib. 1. contra Dona-

tiſtas

tiſtas cap.18. & 19. affirmat loco citato Bellarminus) ſed ſolum venialiter ex non penitus inculpabili errore, ac ardore nimio, & nimia iudicij proprij tenacitate; vel ſi peccauit mortaliter, errorem ſuum agnouiſſe, & pœnitentiam egiſſe ante Martyrium; vel ſaltem ab hac macula per ardentem Dei amorem fuiſſe purgatum, obtinendo à Deo, vt ab occultis ſuis peccatis illum emundaret, quod inſinuat Bellarminus lib. 2. de Pœnit. cap.9.

6. Quod vir tantus doctrina pariter & ſanctitate inſignis ac Martirij gloria poſtea inclitus in hoc negotio re ipſa Cyprianus exceſſerit, dubitari non poteſt: vt enim habet textus Canonicus in cap. Nolite errare diſt.11. *Satis indignum eſt, quemquam vel Pontificum, vel Ordinum ſubſequentium hanc regulam refutare, quam B. Petri Sedem, & ſequi videat, & docere. Multum enim conuenit, vt totum corpus Eccleſiæ in hac ſibimet obſeruatione concordet, quæ inde authoritatem habet, vbi Dominus Eccleſiæ totius poſuit principatum.*

§. III.

An S. Cyprianus tandem ſuum errorem de rebaptizandis omnibus baptizatis ab hæreticis agnouerit, & adhæſerit ſententiæ S. Stephani Papæ.

1. QVia Donatiſtæ ſuum erorem protegere volebant authoritate S. Cypriani, S. Auguſtinus Epiſtola 48. ad Vincentium, illos ex multiplici capite impugnat. Primò dicit authoritatem Cypriani, & aliorum non ita eſſe ſuſpiciendam, vt ab eius ſententijs diſcedere non liceat. *Quia hoc genus literarum*, inquit, *ab authoritate Canonis diſtinguendum eſt. Non enim ſic leguntur, tanquam ex eis teſtimonium proferatur, vt contra ſentire non liceat vbi fortè aliter ſapuerint, quam veritas poſtulat.*

2. Secundò in Donatiſtas inuehitur, quia ita pertinaciter adhærebant ſuæ ſententiæ, vt ab oppoſitam tenentibus tanquam ab immundis ſe ſepararent, vinculum pacis rumpentes, quod longe fuit à Cypriano. *Deinde ſi S.Cypriani* (ſubdit Auguſtinus) *Epiſcopi & glorioſi martyris te delectat authoritas, quam quidem, ſicut dixi, à Canonica authoritate diſtinguimus; cur in eo non te delectat; quod vnitatem Orbis terræ atque omnium gentium, & diligendo tenuit, & diſputando defendit: quod eos, qui ſe tanquam iuſtos ab ea ſeparare voluiſſent, arrogantiſſimos & ſuperbiſſimos iudicauit, irridens eos, hoc ſibi aſſumere, quod nec Apoſtolis conceſſit Dominus,*

Hhhhh *vt*

Digitized by Google

vt ante tempus zizania colligerent, aut tanquam ipſis palam ferre, & àream purgare conceſſum ſit, paleas à tritico conarentur ſeparare.

3. Tertio reſpondet, vel Cyprianum hoc non dixiſſe, ſed eius ſcripta fuiſſe vitiata à Donatiſtis, vel poſtea correxiſſe; vel hunc errorem, quem ipſe reuerenter vocat *quaſi næuum candidiſſimi pectoris*, cooperuiſſe vbere charitatis. *Cyprianus autem ſenſiſſe aliter de Baptiſmo quàm forma, & conſuetudo habebat Eccleſia, non in Canonicis, ſed in ſuis, & in Concilij literis inuenietur. Correxiſſe autem iſtam ſententiam non inuenitur; non incongruenter tamen de tali viro exiſtimandum eſt, quòd correxerit, & fortaſſe ſuppreſſum ſit ab eis, qui hoc errore nimium delectati ſunt, & tanto velut patrocinio carere noluerunt: quanquam non deſint, qui hoc Cyprianum prorſus non ſenſiſſe contendant, ſed ſub eius nomine à præſumptoribus atque mendacibus fuiſſe confictum. Neque enim ſic potuit integritas atque notitia literarum, vnius quamlibet illuſtris Epiſcopi cuſtodiri, quemadmodum ſcriptura canonica, tot linguarum literis, & ordine, & ſucceſſione celebrationis Eccleſiaſticæ cuſtoditur, contra quam tamen non defuerunt, qui ſub nominibus Apoſtolorum multa confingerent.* & alijs additis, tandem concludit. *Porrò autem Cyprianus, aut non ſenſit omnino quod eum ſenſiſſe recitatis: aut hoc poſtea correxit in regula veritatis: aut hunc quaſi næuum ſui candidiſſimi pectoris cooperuit vbere charitatis, dum vnitatem Eccleſiæ toto orbe creſcentis, & copioſiſſimè defendit, & perſeuerantiſſimè tenuit vinculum pacis. Scriptum eſt enim, Charitas cooperit multitudinem peccatorum. Acceſſit huc etiam, quod tanquam ſarmentum fructuoſiſſimum ſiquid in eo fuerat emendandum, purgauit pater falce paſſionis. Sarmentum autem, ait Dominus, quod in me facit fructum, purgat illud Pater meus, vt maiorem fructum afferat. Vnde? niſi quia hærens in diffuſione vitis, radicem non diſeruit vnitatis? Nam etſi traderet corpus ſuum vt arderet, charitatem autem non haberet, nihil ei prodeſſet.* Hæc Auguſtinus.

4. Et quidem Cyprianum correxiſſe errorem ſuum, probat Baronius ad annum 259. nam Epiſcopos qui antea pugnaciter defenderent, rebaptizando, eos, qui ab hæreticis fuerant baptizati, tandem anno 259. Stephano conſenſiſſe, probat Euſebius lib. 7. hiſtoriæ Eccleſiaſticæ cap. 3. & 4. ex litteris Dionyſij Epiſcopi Alexandrini qui hoc teſtatur. *Cyprianus* (inquit Euſebius) *Eccleſiæ Carthaginenſis Paſtor, primus inter homines eius ætatis, non aliter quam per lauacrum baptiſmatis hæreticos erroris maculis ante ablutos, in Eccleſiam admittendos exiſtimauit. Verum Stephanus nihil noui aut alieni à traditione ex Apoſtolorum temporibus deriuata moliendum arbitratus, hac de re animo vehementer commotus eſt. Dionyſius igitur vbi longum ſermonem cum Stephano per litteras de hac controuerſia contulit; tandem declarat quo pacto perturbationis fluctibus ſedatis, omnes vbique Eccleſiæ, noua ac peruerſa Nouati hæreſis prauitate repudiata, pacem inter ſe conciliaſſent.* Appellat Euſebius ſententiam de

reba-

Digitized by Google

rebaptizatione, prauitatem Nouati, ſeu potius Nouatiani hæreſim; ea nimirum ex cauſa, quod Nouatianus id temporis rebaptizare aggreſſus eſſet, nec (vt dictum eſt) reciperet quempiam apud alios baptizatum, abſque ſecundo à ſe adminiſtrato baptiſmate. Sed qui hi fuerint, qui, exploſa nouitate Nouatianorum, inierint concordiam, idem mox ex Dionyſio recitat, dicens: *Iam ſcito, frater, omnes orientales Eccleſias, quæ antea fuerant propter errorum peruerſitatem nonnulla diſſenſione diſtractæ, ad concordiam denuo eſſe reductas. Omnes etiam Eccleſiarum Præſides, quæ vbique locorum ſunt, ſummo animorum conſenſu conſpirare, & ob pacem hanc, præter omnium expectationem conſtitutam, incredibili lætitia*
„ *affici*. Hæc quidem à Dionyſio ad Stephanum ſcripta, non de alia
„ diſſenſione, quàm de ea, quæ de rebaptizatione excitata totum pla-
„ ne orientem commouerat; non de Nouatiani ſchiſmate, quod non
„ niſi Antiochenam Eccleſiam exagitauit, eſſe intelligenda, nemo
„ non videt.

5. Idque ibi latius proſequitur Baronius, qui poſtquam probauit, omnes Orientales Eccleſias tandem conſenſiſſe Stephano, ſic num. 4.
„ concludit: Si igitur (vt vidimus) omnes Orientales Eccleſiæ in vnam
„ eandemque conſpirantes ſententiam (vt ait Dionyſius) ſunt pacis
„ vinculo copulatæ; quis tam vecors & emotæ mentis poterit vel leui-
„ ter ſuſpicari, vnum Cyprianum pertinacem in ſententia obſtinatius
„ perſtitiſſe, & non potius (quod ſæpe eſt ſuis litteris conteſtatus, ſic
„ ſe de quæſtione propoſita altercari, vt in omnibus voluerit mutuæ
„ paci ac concordiæ eſſe conſultum) Romanę Eccleſię & totius Orien-
„ tis Epiſcoporum veſtigijs inſtitiſſe? Quod vero nullum exiſtat de
„ eiuſdem Cypriani mutata ſententia à ſe editum teſtimonium; quæ
„ mox ſecuta eſt perſecutio, illud, ſicut multa alia vetuſtatis monu-
„ menta, potuit euertiſſe, ac omnem eius rei memoriam penitus de-
„ leuiſſe.

6. Idque ipſum ſentiunt viri eruditiſſimi huius ætatis, inter quos Illuſtriſſimus D. Scheleſtrate in ſua antiquitate illuſtrata par. 2. diſſer. 1. art. 3. pag. 199. probat, Auguſtinum non ſolum ſuſpicatum eſſe, & veriſimile putaſse, quod Cyprianus retractauerit ſuum errorem, ſed verum cenſuiſse; licet retractationem Cypriani non auſus ſit obijcere Donatiſtis confugientibus ad eius authoritatem tanquam ad aſylum, quia teſtimonium authenticum non habebat, quo eam retractationem perſuadere poſset. Id autem colligit ex alio fundamento Auguſtini, quod habet lib. 2. contra Donatiſtas cap. 7. *Ex inuicto enim D. Cypriani pro concordia & vnitate propoſito concludit Auguſtinus: illum patefacta veritate & conſentiente per Orbem Catholicum Epiſcoporum ſocietate facilè correcturum fuiſſe ſententiam. At tempore Xiſti Papæ Orientalis Eccleſia cum Dionyſio Alexandrino, vt patet ex Auguſtino & Euſebio, & Africanæ Eccleſiæ Præſules, qui cum ipſo Cypriano ſtatuerant, teſte D. Hierony-*

ronymo, ſententiam mutarant, quo tempore D. Cyprianus adhuc ſuperuiuebat in exilium truſus, & martyrio coronatus anno duntaxat 258. 14. *Sept. cum iam Xiſtus* 6. *Auguſti obierat. Igitur rectè ad mentem Auguſtini concluditur, ipſum Cyprianum, vnitatis & concordiæ amantem ab errore priori reſipuiſſe.* Hactenus eruditiſſimus author. Idem ſenſit Seuerinus in notis ad Concilium 3. Carthaginenſe. Et nouiſſimè D. Bail in Summa Conciliorum tom. 2. in notis ad Synodum Romanam ſub Stephano Papa.

§. IV.

An & quomodo tenacitas illa, qua Cyprianus exiſtimauit, erraſſe Stephanum Papam præcipiendo, ne rebaptizarentur illi qui fuerant baptizati ab Hæreticis, cohæreat cum eo, quod prius docuerat, ſcilicet non poſſe Sedem Romanam errare in iudicio Fidei.

1. DIſput. 3. ſect. 5. §. 8. & diſput. 7. ſect. 1. §. 2. à num. 3. authoritatem infallibilem Romani Pontificis in determinandis fidei controuerſijs comprobaui teſtimonijs S. Cypriani, qui ſatis clarè docuit, Romanam Sedem in fidei iudicio errare non poſſe, nec poſſe intra Eccleſiam Catholicam manere, qui Cathedram Petri deſerit, negando doctrinam, quam illa credendam proponit. Cum hac autem doctrina non videtur cohærere poſſe ea, quam tenuit contra Stephanum Papam; nam hoc ipſo, quod tenaciter iudicauit eſſe inualidum Baptiſmum adminiſtratum ab hæreticis, & eſſe corruptelam & abuſum conſuetudinem illam, quam Stephanus non immutari præcipiebat, non rebaptizandi eos, qui ab hæreticis erant baptizati ſub legitima materia & forma; hoc ipſo iudicauit, Stephanum erraſſe in imponendo illo præcepto; quod vtique vniuerſam reſpiciebat Eccleſiam, quia præcipere vt non adminiſtretur Baptiſmus, ijs, qui verè baptizati non ſunt, & qui illo indigent ad æternam ſuam ſalutem, eſt error manifeſtus. At baptizati ab hæreticis in ſententia Cypriani vere baptizati non erant: ergo in ſententia Cypriani errauit Stephanus imponendo illud præceptum. Ergo Cyprianus iudicauit Romanum Pontificem poſse errare: imo de facto erraſse in præcepto morum, præcipiendo ſcilicet aliquid intrinſecè malum. Quomodo ergo potuit iudicare, Romanum Pontificem non poſse errare in iudicio fidei?

2. Con-

2. Confirmatur; quia ſi Pontifex poteſt errare in præceptis morum, poteſt errare in iudicio fidei: Nam Pontifex præcipiens, vt fiat aliquid, hoc ipſo virtualiter affirmat illud eſſe licitum & honeſtum: Si ergo poteſt errare in præceptis morum, præcipiendo Eccleſiæ aliquid intrinſece malum, poteſt errare in iudicio fidei, declarando eſſe licitum id, quod reuera eſt illicitum. Ergo Cyprianus iudicans Romanum Pontificem erraſſe in præcepto morum, non potuit iudicare, eſſe incapacem errandi in iudicio fidei.

3. Author Galliæ vindicatæ diſſertat. 4. §. 3. pag. 284. cenſet, Cyprianum ſententiam mutaſſe: „ Cyprianus, inquit, cum tranquillo ani„ mo eſſet, nec indignatione agitato, egregiè pro Romanæ Cathedræ „ infallibili authoritate ſcripſit, ſic enim epiſt. 55. ad Cornelium loquitur: *Nauigare audent & ad Petri Cathedram, vſque ad Eccleſiam principalem, vnde vnitas Sacerdotalis exorta eſt, nec cogitare eos eſſe Romanos, ad quos perfidia non poſſit habere acceſſum. Hæc Cyprianus ſerena facie; at perturbatâ contrarium ſcripſit*. Hactenus author ille.

4. Sed non iudico neceſſarium hoc aſſerere; nam in prioribus locis Cyprianus docuit Romanam Sedem non poſſe errare in ijs, quæ credenda proponit tanquam articulos fidei, ac proinde cenſet, fieri non poſſe vt Romanus Pontifex hæreſim doceat; quia cum Pontifex ſit Paſtor, & Doctor totius Eccleſię; ſi ille in quæſtione inter Catholicos controuerſâ, an veritas aliqua ſit reuelata, vel non ſit reuelata, an ſit de fide, vel non ſit de fide? vnam partem determinat, & illam definit, & credendam toti Eccleſiæ proponit, & oppoſitam damnat vt hæreticam, (qui eſt caſus, in quo Cyprianus cenſuit, hæreſim, & perfidiam non poſſe habere acceſſum ad Sedem Romanam, ac proinde Sedem Romanam in iudicio fidei non poſſe errare) tota Eccleſia tenetur illum audire; vnde ſi ille erret in definiendo, tota Eccleſia errabit in credendo; quod tamen eſt impoſſibile. Nec reſponderi poteſt, Eccleſiam ſolum teneri audire Pontificem quando rectè docet, id eſt verá dogmata proponit. Quamuis enim hoc ſit verum, tamen Eccleſia debet credere, Pontificem verum dogma credendum proponere, quando in re controuerſâ vnam partem determinat & definit, & præcipit ab omnibus teneri; ac proinde obligatio Eccleſiæ ad credendum quæ definiuntur à Pontifice, non eſt conditionata, ſub conditione ſcilicet quod ille rectè & vera definiat; ſed abſoluta; nam ferre iudicium, an verum vel falſum ſit dogma, de quo controuertitur, non attinet ad corpus Eccleſiæ, ſed ad caput ipſius; non ad diſcipulos, ſed ad Magiſtrum, non ad oues, ſed ad paſtorem, cui Chriſtus ſuas oues paſcendas commiſit. Non enim eſt ouium iudicare, an paſtor erret, necne; vnde cùm non habeant oues Chriſtianæ alium maiorem iudicem, vel doctorem, ad quem recurrant in dubijs fidei; debent abſolute ſubijcere ſuum iudicium iudicio Summi Paſtoris ſui, nec poſtquam dubium fidei reſoluit, & vnam

Partem

partem credendem proponit, fas eſt illis dubitare, an ſit vera, vel non; an ſit conformis ſcripturæ, vel non.

5. Ex eo autem quod Cyprianus hanc doctrinam antea docuiſſet, non ſequitur, quod non potuerit poſtea iudicare, errauiſſe Stephanum in illo præcepto, quod intimauit Epiſcopis Africæ: tùm quia illud præceptum non intimabatur toti Eccleſiæ; quando autem communiter Doctores docent, Papam non poſſe errare in præceptis morum, loquuntur de præceptis, quæ toti Eccleſiæ præſcribuntur, non autem de præceptis particularibus, vt notat Bellarminus lib. 4. de Rom.Pontiſ. cap. 5. Tum quia loquuntur Doctores de definitionibus morum ex Cathedra; quæ in hoc decreto Stephani non reperitur; cùm tantum ſtatuerit obſeruari debere antiquam conſuetudinem de non rebaptizandis hæreticis, nihilque innouari à quopiam poſse: ſicut nunc præcipitur retineri conſuetudo Eccleſiæ celebrandi feſtum Conceptionis B. Virginis, abſque eo quod myſterium immaculatæ Conceptionis ab Eccleſiâ, aut Sede Apoſtolica definitum ſit.

6. Præterea ex eo quod Cyprianus iudicauerit, Stephanum erraſſe in imponendo præcepto de non rebaptizandis ijs, qui fuerant ab hæreticis baptizati, minime deduci poteſt, Cyprianum iudicaſse, Romanum Pontificem errare poſse in determinandis fidei, & morum controuerſijs, ſeu in reſoluendis dubijs fidei: Nam Cyprianus conſiderans præceptum Stephani, quo iubebat vt nihil innouaretur circa Baptiſmum, ſed ſeruaretur mos antiquus; exiſtimauit, Stephanum non præcepiſse rem de qua merito dubitari poſset inter Catholicos, an eſset licita, necne; ſed rem manifeſte ſuo iudicio illicitam; quia apud ſe certum iudicabat, conſuetudinem non baptizandi in Eccleſia Catholica eos, qui fuerant baptizati ab hæreticis, non eſse traditionem Apoſtolicam, ſed abuſum, & corruptelam manifeſtam; ac proinde non potuiſse Stephanum rem hanc præcipere. Quis autem non videat, cum hoc iudicio rectè componi, quod Cyprianus veriſſimum iudicauerit, Romanum Pontificem habere authoritatem infallibilem ad reſoluenda dubia fidei? vnde ſolum ex hoc poteſt argui, quod Cyprianus eſset iudicaturus Pontificem erraſse, ſi definiſset rem, quam ipſe iudicaſset manifeſte hæreticam.

7. Errauit tamen abſque dubio Cyprianus in illo iudicio, quod fecit de illa conſuetudine: potuit enim ac debuit iudicare, non eſſe corruptelam, ſed legitimam traditionem illam conſuetudinem, quam in re tanti momenti, nempe in re neceſſaria ad ſalutem, Vicarius Chriſti iubebat retineri, poſt rem attente diſcuſſam in Concilio Romano. Vt enim ſcribunt Dionyſius Alexandrinus apud Euſebium lib. 7. hiſt. cap. 4. & Auguſtinus lib. de vnico Baptiſmo cap. 14. *Stephanus* Papa congregato quodam Concilio particulari, iuſſit non rebaptizari, & excommunicandos cenſuit eos, qui rebaptizarent, quod Cyprianus non ignorauit,

ergo

ergo potuit ac debuit cenſere, ſaltem dubium eſſe, an hæc eſſet traditio Apoſtolica, an abuſus & corruptela. Et in hoc dubio debuit Summi Pontificis iudicio ſuum iudicium ſubijcere.

8. Vnde ſicut ex eo quod ſubditus non teneatur obedire ſuperiori præcipienti rem manifeſtè malam, non ſequitur, quod non teneatur obedire ſuperiori præcipienti rem, de qua ipſe ſubditus dubitat, an ſit mala, vel honeſta: Ita ex eo, quod Cyprianus cenſuerit non eſſe obediendum Stephano, præcipienti retineri conſuetudinem, quam ipſe indubitanter iudicabat eſſe corruptelam; non ſequitur, Cyprianum cenſuiſſe; non eſſe obediendum Pontifici reſoluenti dubia fidei, & tanquam ſupremo Eccleſiæ Magiſtro proponenti omnibus fidelibus, quid tenendum ſit; ac proinde non ſequitur, Cyprianum cenſuiſſe Romanum Pontificem poſſe errare in determinandis fidei & morum controuerſijs.

§. V.

Quod Cyprianus cum Synodis Africanis manifeſtè deprehendatur erraſſe, dum impugnauit Stephanum Papam, qui vnicè conſuetudine innixus prohibuit ſeuerè, vt non baptizarentur in Eccleſia Catholica, qui fuerant baptizati ab Hæreticis, eſt validiſſimum argumentum pro infallibilitate Pontificis in iudicio fidei, & morum.

1. ANnalium Eccleſiaſticorum parens Cardinalis Baronius ad annum 258. num. 13. merito ponderat periculum magnum, in quo fuit Eccleſia Africana, eo quod in doctrina de Baptiſmo adminiſtrato ab hæreticis, per aliquod tempus duce Cypriano reſtiterit Vicario Chriſti Stephano. *Tam magna* (inquit) *tamque potens ac valida fuit tentatio hæc in Eccleſia, vt veluti quodam vehementiſſimo turbine, etſi non proſtratæ omnino, magnopere certe exagitatæ & quaſſatæ fuerint altiſſimæ atque firmiſſimæ Eccleſiæ turres, quæ inconcuſſæ olim tot perſecutionum impetus pertuliſſent, & ad ſe confugientium factæ cauſa ſalutis eſſent: tunc enim toto Catholico orbe ſubita ac improuiſa quadam tempeſtate concuſſo, de Eccleſiæ Africanæ ruina potiſſimum mirum in modum trepidatum eſt.* Propter hanc ergo doctrinam in magnum periculum coniecta eſt Eccleſia Africana; *quippe tantum, quem intrepide* ſequeretur haberet

Anti-

Antiſtitem Cyprianum, qui ſua authoritate, ſua eloquentia, & Sacræ Scripturæ teſtimonijs, tot Epiſcopos in ſuam ſententiam traxit, quam ipſe acceperat à ſuo mediato anteceſſore Agrippino, & iam nimis radicatam inuenerat, quam Tertullianus etiam & alij à Montaniſtis hauſerant incaute.

2. *Sed his non obſtantibus*, vt inquit Baronius ad ann. 258. num. 19. „ tam diro exagitata Eccleſia terræmotu, illaque ſupra firmam petram „ à Chriſto fundata, de promiſſione ipſius ſolidam ſtabilemque firmi„ tatem accepit, remanſit penitus inconcuſſa. Tunc plane enituit, „ quanta in Petri ſucceſſore eſſet authoritas; cum nullis alijs ferme ar„ mis quam maiorum traditione vallatus; omnem Orientalium & Occi„ dentalium impetum ſuſtinuerit Epiſcoporum, vndique valida con„ fertim iacula ex Diuinis ſcripturis petita vibrantium: quorum „ fortiſſimos ictus vnus ille ſemper obiectus clypeus traditionum „ excepit, atque adamantina firmitate reiecit, reddiditque prorſus „ inanes.

3. Quod hic narrat Baronius de vnico ſcuto, quo vſus eſt Stephanus Papa ad retundenda tot aduerſariorum iacula, teſtatur Auguſtinus „ lib.2. de Baptiſmo cap.9. his verbis: Conſuetudinis robore tenebatur „ orbis terrarum, & hæc ſola opponebatur inducere volentibus noui„ tatem, quia non poterant apprehendere veritatem. Poſtea tamen „ dum inter multos ex vtraqe parte tractatur & quæritur, non ſolùm „ inuenta eſt, ſed etiam ad plenarij Concilij authoritatem roburque „ perducta, poſt Cypriani quidem Paſſionem, ſed antequam nos nati „ eſſemus. Hanc autem fuiſſe conſuetudinem Eccleſiæ, quæ poſtea „ multis diſcuſſis ambagibus perſpecta veritate plenario Concilio „ confirmata eſt, ſatis oſtenditur & ipſius beati Cypriani verbis in ea„ dem ad Iubaianum epiſtola, quæ in Concilio lecta commemoratur.

4. Concilium illud plenarium, de quo hic loquitur Auguſtinus, fuiſſe Nicænum, euincit Bellarm. tom.3. libr. 1. de Sacrament. cap. 26. multis argumentis; & inter alia hoc euidentiſſimo; nam eo cap.9. teſtatur Auguſtinus, Concilium plenarium, in quo hæc veritas de non rebaptizandis ijs, qui ſub verâ forma,& materia fuerant ab hæreticis baptizati, definita eſt, ante celebratum fuiſſe, quàm ipſe naſceretur. Conſtat autem ſolum Concilium Nicænum celebratum eſſe ante Auguſtini natiuitatem; nam Concilium Nicænum celebratum eſt, anno 325. Auguſtinus autem natus eſt anno 357. Concilium vero Conſtantinopolitanum primum, celebratum eſt anno 383. & quamuis Concilium Sardicenſe generale fuerit, & celebratum anno 347. à Catholicis Epiſcopis; hoc tamen Concilium nihil de hac quæſtione tractauit, nec cognitum fuit Auguſtino, ſed aliud, quod eodem tempore Epiſcopi Arriani celebrarunt Philippis in Macedonia, vt ſe opponerent Catholicis Sardis congregatis, vt probat idem Bellar. in diſputatione de appellationibus.

5. Ex

5. Ex adductis conficitur iam ratio probans, Cypriani exemplum nihil officere infallibilitati Pontificis, in determinandis fidei, & morum controuerſijs; quia hanc infallibilitatem nòn negauit, ſed potius ſtabiliuit; & licet negauiſſet, dum affirmauit, Stephanum erraſſe in præcipiendo, ne rebaptizarentur illi, qui fuerant ab hæreticis baptizati, hoc ipſum potius confirmaſſet noſtram, & communem Eccleſiæ ſententiam. Nam ſicut certiſſimum eſt erraſſe in condemnanda ſententia Stephani, quam Concilium poſtea Nicænum definiuit, & tota Eccleſia amplexa eſt: ita certiſſimum eſt erraſſe, dum cenſuit, Pontificem Romanum poſſe errare in præceptis morum, quæ vel toti Eccleſię præſcribuntur, vel ſaltem materiam reſpiciunt, quę toti Eccleſiæ communis eſt, & quę in rebus neceſſarijs ad ſalutem verſantur, quale fuit pręceptum, quo Stephanus iuſſiſſet, ne rebaptizarentur illi, qui erant baptizati ab hęreticis ſeruantibus veram formam Baptiſmi: nam cum baptiſmus ſit neceſſarius ad ſalutem; ſanè, ſi baptiſmus adminiſtratus ab hęreticis foret inualidus, vt contendebat Cyprianus, foret error intolerabilis, prohibere, ne illis in Eccleſia Catholica adminiſtraretur baptiſmus. Tũc enim Deus deeſſet Eccleſię ſuę in neceſsarijs; quandoquidem ex vna parte pręcipit illi, vt ſequatur Pontificem; & ex alia permitteret, vt Pontifex erraret in re neceſſaria ad ſalutem.

6. Error iſte Cypriani admonere debet omnes Catholicos, ne ſequãtur doctrinas à Romano Pontifice reprobatas, & quàm ſit periculoſum contra eius mandatum alicui ſententiæ tenaciter adhęrere, quamuis illa defenſoribus ſuis appareat pia, & ſaluti animarum valdè neceſſaria, ac videatur illis in ſcripturis contenta, vt in cauſa Cypriani de cõferendo intra Eccleſiam Catholicam baptiſmo ijs, qui extra illam fuerant baptizati, ne exponerentur periculo carendi Sacramento ad ſalutem neceſſario. Totius etiam huius controuerſiæ exitus, iudicium & præceptum Romani Pontificis in rebus ad fidẽ, & mores pertinentibus apprime commendat, vt grauiſſimè ponderat Vincentius Lirinenſis aduerſus hæreſes cap. 10. *Quis enim*, ait ille, *tunc vniuerſi negotij exitus? quis vtique niſi vſitatus & ſolitus? Retenta eſt ſcilicet antiquitas, & exploſa nouitas. Sed fortè tunc ipſi nouitiæ adinuentioni patrocinia defuerunt. Immo verò tanta vis ingenij adfuit, tanta eloquentiæ flumina, tantus aſſertorum numerus, tanta veri ſimilitudo, tanta diuinæ legis Oracula, ſed planè nouo, ac malo more intellecta; vt mihi omnis illa conſpiratio nullo modo deſtrui potuiſſe videatur, niſi illam tanti moliminis cauſa ipſa illa ſuſcepta, ipſa defenſa, ipſa laudata nouitatis profeſſio deſtituiſſet. Poſtremò ipſius Africani Concilij ſiue decreti quæ vires? donante Deo, nullæ: ſed vniuerſa tanquam ſomnia, tanquam fabulæ, tanquam ſuperflua, abolita, antiquata, calcata ſunt.*

Digitized by Google

§. VI.

Infertur ex dictis, hæreticos huius temporis contrarium ſpiritum habere ei, quem habuit vetus & vera Chriſti Eccleſia circa conſuetudinem, & traditionem.

EX dictis conſtat, tantum valuiſſe apud Eccleſiam Catholicam argumentum ductum à traditione & conſuetudine Eccleſiæ, vt hoc vno ſuperata fuerit cauſa Cypriani, qui ſumma eloquentia, & frequentiſſimo Sanctorum Epiſcoporum Concilio, & multis diuinæ Scripturę teſtimonijs contra veritatem pugnabat, vt loquitur Vincentius Lirinenſis in Commonitorio. *Siquidem conſuetudinis robore tenebatur Orbis terrarum, & hæc ſola opponebatur inducere volentibus nouitatem*, vt dicebat Auguſtinus lib. 2. de Bapt. cap. 9. nuper citato, vnde conſtat hæreticos huius temporis Lutheranos, & Caluiniſtas contrarium ſpiritum habere ei, quem habuit vetus, & vera Chriſti Eccleſia. Nam illi propter vnum ſcripturę teſtimonium ſiniſtrè explicatum contemnunt *æternam Eccleſiæ conſuetudinem*; vt loquitur Lutherus de abroganda Miſsa, & in libro de inſtituendis Miniſtris ad Pragenſes. At vetus Eccleſia ex conſuetudine ducentorum, vel trecentorum annorum explicabat cum Stephano Papa omnia teſtimonia, quę Cyprianus cum ſuis afferebat; & merito, vt ponderat Bellarminus. Nam cum certum ſit, conſuetudinem vniuerſę Eccleſiæ perpetuę non poſſe cum Dei verbo pugnare, & clarior ſit conſuetudo quàm ipſum verbum, rectè iudicabant illi, ex conſuetudine verbum Dei eſse interpretandum, non ob verbum Dei obſcurum & ambiguum, conſuetudinem abrogandam, vt Lutherani & alij huius temporis hęretici faciendum eſse contendunt.

§. VII.

Aperitur cauſa erroris Cypriani, & fallacia argumentorum, quibus ductus eſt.

1. SEd forſan deſiderabit Lector ſcire, quęnam fuerunt illa tam apparentia fundamenta, quibus Cyprianus inductus eſt, vt illum errorem tanta cum tenacitate defenderet contra Stephanum Papam? Huic quæſito breuiter ſatisfaciam.

2. Cau-

Digitized by Google

2. Cauſa præcipua erroris Cypriani, vt notat Auguſtinus lib. 6. de Baptiſmo cap. 1. fuit, *quia non ſatis* (inquit) *diſtinguebatur ſacramentum, ab effectu, vel vſu Sacramenti; & quia eius effectus atque vſus, in liberatione à peccato, & cordis rectitudine apud hæreticos non inuenitur, ipſum quoque Baptiſmum non ibi eſſe putabatur*. Ex eo quod Eccleſia ſit vna, vnumque Baptiſma, vnuſque Spiritus Sanctus, inferebat Cyprianus epiſt. 74. ad Pompeium, & alibi, vt ex illo refert Auguſtinus lib. 5. de Baptiſmo cap. 23. *Eccleſiam, Spiritum Sanctum, & Baptiſma ab inuicem non poſſe ſeparari*; & ideò exiſtimabat, eos qui ab Eccleſia, & ab Spiritu Sancto ſeparati ſunt, etiam à Baptiſmo eſſe ſeparatos. Quam rationem acutè, & validè retorquet Auguſtinus, quia ex illa fieret, eos, qui in Eccleſia Catholica ſunt baptizati, & poſtea per hæreſim ab illa, & ab Spiritu Sancto ſeparantur, ſeparari quoque à baptiſmo; ac proinde, ſi iterum ad Eccleſiam Catholicam redeant, eſſe iterum baptizandos; quod tamen Cyprianus non admittebat, eiuſque argumenta pariter probarent non poſſe valide intra ipſam Eccleſiam Catholicam adminiſtrari Baptiſmum à peccatoribus, qui per peccatum mortale ſeparati ſunt ab Spiritu Sancto, animas purificante, & ſanctificante.

3. Ratio autem cur Baptiſmus adminiſtratus ab hæreticis vel à gentili non Baptizato ſit validus, & communicet ſuos effuctus non ponentibus obicem eſt, quia vt inquit S. Thomas 3. par. quæſt. 67. art. 5. ad 1. homo baptizans adhibet tantummodo miniſterium exterius; ſed Chriſtus eſt, qui interius baptizat, qui poteſt vti omnibus hominibus ad quodcumque voluerit. Et vt ibi ad 2. notat; *non baptizatus, quamuis non attineat ad Eccleſiam re vel Sacramento; poteſt tamen ad eam pertinere intentione & ſimilitudine actus, in quantum ſcilicet intendit facere id quod facit Eccleſia, & formam Eccleſiæ ſeruat in baptizando; & ſic baptizat vt miniſter Chriſti*. Vnde in Florentino declaratum eſt, *in caſu neceſſitatis licere laico ſiue viro, ſiue feminæ, ſiue Chriſtiano, ſiue Pagano baptizare, modo adſint materia, forma, & intentio vera*, nimirum intentio faciendi id quod Chriſtus inſtituit & intendit eius Eccleſia, quæ vnica tantum eſt. Si Baptiſmus adminiſtretur infanti, qui nullum obicem habet; ibi infunditur non ſolum character, ſed gratia ſanctificans, & habitus fidei, cum reliquis, qui gratiam comitantur. Et infans ille ſic baptizatus pertineret ad Eccleſiam Catholicam, quouſque per peccatum mortale hæreſis fidem non amitteret in ætate adulta. Si baptizetur hęreticus, qui hæreſim retinere vult, & ſimul intendit baptizari; ille recipiet characterem, non tamen gratiam ſanctificantem, nec habitum fidei, nec reliquos gratiam comitantes; vnde adhuc poſt baptiſmum manet extra Eccleſiam Catholicam.

4. Hinc deducitur fallacem eſſe aliam rationem, qua Cyprianus contendebat, Baptiſmum adminiſtratum ab hæreticis eſſe nullum, quia videlicet cum ſola Eccleſia Catholica ſit ſponſa Chriſti, ex illa ſola

ſibi poteſt Chriſtus ſibi filios generare, non autem ex hæreſi, quæ eſt adultera. Deducitur, inquam, eſſe fallacem: tum quia hinc ſequeretur; ſolos iuſtos intra Eccleſiam poſſe validè adminiſtrare baptiſmum: quia ſolum ratione iuſtorum Eccleſia Catholica eſt ſponſa Chriſti: ideoque ſola Eccleſia Catholica, & nulla alia Eccleſia poteſt eſſe ſponſa Chriſti, quia intra ſolam Eccleſiam Catholicam eſt vera ſanctitas, veraque iuſtitia: tum quia cùm Miniſter Baptiſmi ſit merum inſtrumentum Chriſti interne abluentis animam, poteſt ipſe vti tanquam inſtrumento non ſolum homine Catholico, ſed etiam hæretico & gentili. Inſtatque argumentum Auguſtinus lib. 4. de baptiſmo cap. 1. quia Chriſtus poteſt, ſibi gignere filios, non ſolum de ſponſa; ſed de ancillis, id eſt vti tanquam inſtrumento non ſolum ſponſa ſeu Eccleſia Catholica, ſed ancillis, id eſt hæreticorum & gentilium ſectis: quicumque enim adhibuerit materiam & formam inſtitutas ab ipſo cum vera intentione, generabit in filium Dei hominem baptizatum non ponentem obicem. Et quamuis homo baptizans ſit peccator, imo ſit extra Eccleſiam, homo ſuſcipiens baptiſmum ſine obice, non ſolum manebit intra Eccleſiam, ſed conſtituetur iuſtus, & Filius Dei.

Teſtimonium ex D. Auguſtino, dum agit de hoc errore Cypriani, quod videtur negotium faceſſere, proponetur, & exponetur infra.

DI-

DISPVTATIO XVII.

Soluuntur argumenta contra Infallibilitatem Romani Pontificis deſumpta ex vtilitate Conciliorum, nouitate & incertitudine falsò tributa noſtræ ſententiæ, & ex Diui Auguſtini teſtimonio.

PLura argumenta oppoſitę ſententiæ à ratione atque authoritate petita contra Infallibilitatem Romani Pontificis ſunt iam ſparſim indicata, & diluta: quare non eſt opus illa repetere: ſequentia ſolum hic fuſiùs exponere viſum eſt.

SECTIO I.

Ex eo quod Papa ſit in definiendo infallibilis, perperam arguit Dupin, fore vt Concilia generalia fruſtra cogerentur ad terminandas fidei & morum controuerſias.

1. HOc argumentum appellat *ineluctabile* D. Dupin diſſert. 5. cap. 1.
„ §. 2. Nam poſito quòd infallibile ſit aliquod iudicium, abſur-
„ dum eſt (inquit) cauſam in eo terminatam iterum examinare, & iudicare. Quid ergo neceſſe erat totius orbis Epiſcopos fatigari? quid opus Eccleſias Paſtoribus orbari ad cogenda Concilia?

2. Verum hoc argumentum etiam ab ipſis defenſoribus declarationis Cleri Gallicani ſoluendum eſt. Illi enim licet ad hoc vt definitio Pontificis ſit abſolutè infallibilis, requirant, quod iſti accedat Eccleſiæ conſenſus; non tamen poſtulant quod confirmetur à Concilio generali. Rurſus apud omnes Catholicos certum eſt, quod poſtquam aliqua veritas à tota Eccleſia credita eſt vt dogma fidei, illa veritas eſt omnino infallibilis; & tamen ſuperfluum non fuit, quod in Concilio generali rurſus

rurſus illa veritas ſtabiliretur. Aſſumptum probatur: nam vt conſtat ex Tertulliano libro de præſcriptionibus hæreticorum, quem contra Marcioniſtas, Valentinianos, & Apollinianos edidit, omnes iſti à fidelibus pro hæreticis habebantur ante Concilium Nicænum, quod fuit primum generale in Eccleſia celebratum: & tamen horum hæreſes damnatę ſunt in Concilijs. Ad idque confirmandum ſufficit commemorare celebre illud dictum S. Polycarpi ad Marcionem, quem Romæ fortuitò offendit, cui cùm exprobraret Marcion, quod ſibi occurrenti non aſſurgeret, eumque tanquam incognitum non ſalutaret, reſpondit Polycarpus, *Agnoſco te primogenitum Sathanæ*, nimirum propter hęreſes, quibus Marcion infectus erat. Agnoſcebat ergo Marcionem tanquam hæreticum, quamuis eius hæreſis nondum fuiſſet ab vllo Concilio generali damnata: quia nimirum docebat doctrinam oppoſitam doctrinæ, quam omnes fideles credebant.

3. Quare ex eo, quod Summus Pontifex habeat authoritatem infallibilem ad determinandas fidei, & morum controuerſias, non infertur fruſtra eſſe Concilia: quia interdum expedit, vt Pontifex conuocet Concilia generalia ad damnandas hæreſes; quamuis poſſet cum ſolo Concilio nationali damnare, vel ſine Concilio, poſt diligentem Theologorum, & Canoniſtarum diſcuſſionem, & auditis prius multorum virorum ſapientum, & proborum iudicijs, & ſententijs. Nec enim aſſiſtentia Spiritus Sancti promiſſa Pontifici ad non errandum, eſt promiſſa illi ſolùm pro caſu, in quo definiat cum Concilio generali congregato ex omni natione. Si enim dixit Chriſtus, *vbi fuerint duo vel tres congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum*: Cur non erit in Concilio Prouinciali, & in cœtu Sanctorum, & ſapientum virorum, quos conuocat Papa ad examinandam rem, quam vult definire; & poſt exactum examen, & inuocato Spiritu Sancto rem definit, & proponit toti Eccleſiæ? Rationem reddit eximius D. Suarez diſp. 5. de fide, ſect. 5. num. 10. (& indicaui in fine primæ diſp.) cur interdum expediat, vt Pontifex non definiat ſine Concilio generali; *nimirum ad maiorem Eccleſiæ ſatisfactionem, vtque magis conſtet de communi conſenſu eius, & ad maiorem confuſionem hæreticorum, vel quorumque contradicentium, vt rectè nobis declararunt Apoſtoli exemplo ſuo Act. 15. & ad Galat. 2.* Quamuis enim Petrus haberet authoritatem infallibilem ad determinandas illas controuerſias, & fidelibus proponendum, quid tenere deberent, obligando ad id tanquam caput Eccleſiæ viſibile, & Vicarius Chriſti, noluit tamen hoc facere ſine Concilio: & in hoc reliquit exemplum ſuis Succeſſoribus, vt quando commodè poſſunt conuocare Concilium generale ad damnandas hęreſes, id faciant: cæterùm quando eſt periculum in mora, & neceſſitas, vel vtilitas Eccleſiæ id poſtulat, poteſt & ſolet Papa ſine Concilio generali res fidei definire, & toti Eccleſiæ proponere.

4. Quare quamuis Pontifex in definiendo ſit infallibilis; non propterea fruſtra inſtituuntur Concilia. Vt enim inquit optimè P. Valentia tom. 3. diſp. 1. quæſt. 1. punct. 7. §. 45. colum. 307. ſoluens argumentum illud centies propoſitum ab alijs ante Dupin, & centies ſolutum: „ Quò maior in illis, inquit, inquiſitio firmamentorum veritatis fit, „ ea pluriumque ſententia decernitur, eò in ijs rebus, quas cum Concilio definit Pontifex, plus eſt momenti ac ponderis, vt ipſi certè „ homines ſibi perſuadere poſſint, verum atque ratum id eſſe, quod „ tanto ſtudio atque diligentia adhibita, tantoque conſenſu definitur. „ Quare omninò eſt ſaluberrima in Eccleſia (vt præclarè D. Auguſtinus inquit epiſt. 118.) Conciliorum authoritas, ſapienterque facit Pontifex, ſi cùm ita vel hæreticorum pertinacia, vel alia grauis „ cauſa poſtulare videtur, non niſi conuocato Concilio rem eſſe definiendam exiſtimat.

5. Alias rationes addit Bellarminus lib. 4. de de Romano Pontifice „ cap. 7. Nam definitiones fidei, inquit, pendent præcipuè ex traditione Apoſtolica, & conſenſu Eccleſiarum. Vt autem cognoſcatur „ de orta aliqua quæſtione, quæ ſit totius Ecccleſiæ ſententia, & quam „ traditionem ſeruent Eccleſiæ Chriſti, non eſt alia melior ratio, quàm „ ſi in vnum conueniant Epiſcopi ex omnibus prouincijs, & quiſque „ referat Eccleſiæ ſuæ conſuetudinem.

„ 6. Preterea; vtiliſſima ſunt, & ſæpe neceſſaria Concilia, vt finis „ reuera imponatur controuerſijs, & decreta de fide non ſolùm fiant, „ ſed etiam ſeruentur. Quando enim ſit generale Concilium, omnes „ Epiſcopi ſubſcribunt, & profitentur ſe amplecti illud decretum, & „ ſic deinceps in ſuis Eccleſijs prædicaturos: quando autem non ſit generale Concilium, non eſt tam facile reducere ad praxim decretum „ de fide factum. Siquidem nonnulli ignorantiam decreti prætexunt, „ alij conqueruntur ſe non fuiſſe vocatos, alij etiam apertè dicunt, Pontificem potuiſſe errare.

7. Aliam rationem ego ſubiungo; quia cum *carnalis homo non percipiat ea quæ ſunt ſpiritus*; hæretici non habent oculos ad agnoſcendam infallibilem aſſiſtentiam Spiritus Sancti in Romano Pontifice, imò nec in Concilio generali, ſolùm in illis conſiderant authoritatem quandam humanam fallibilem; & quia inter authoritates humanas nulla maior eſſe poteſt, quàm illa, quę componitur ex Prælatis probis, & ſapientibus totius orbis, & ex Theologis inſignioribus, quos Prælati conſulunt, & quorum ſententias exquirunt, antequam in Concilio ſententiam ferant: ideo ad confundendos hæreticos, maior eſt authoritas humana in Concilio generali, quàm in ſolo Pontifice; quia difficilius eſt falli tot viros probos, & ſapientes poſt exactam rei diſcuſſionem, quàm vnum.

8. Apud Catholicos autem penetrantes Scripturas, & doctrinam

Patrum

Patrum, & perpetuam praxim Eccleſię, omninò certa eſt authoritas infallibilis Pontificis in definiendo, ac proinde non eſt maior intenſiuè authoritas infallibilis in Papa, & Concilio ſolo, quàm in ſolo Papa; eſt tamen quodammodò maior extenſiuè; quia Patres Concilij legitimè congregati, & manentes ſub obedientia Pontificis, habent ſecundùm ſententiam valde probabilem grauium Theologorum aſſiſtentiam infallibilem Spiritus Sancti, ne errent quando omnes vel ferè omnes conueniunt in eandem ſententiam, neque Deus permittere poteſt, vt omnes Patres Concilij errent, & ſolus Papa veritatem attingat. Vnde licèt Papa non teneatur ſequi maiorem partem, ſed meliorem ſuffragiorum, tamen tenetur ſequi maiorem, & meliorem: in cumulo autem omnium Patrum diſtinctorum à Pontifice includitur maior, & melior pars. Vnde ſi omnes conueniant, & aliunde Papa Concilium confirmet, habent definitiones Coucilij ex duplici capite infallibilitatem.

9. Ponamus ad Concilium conuenire omnes Epiſcopos Catholicos, & inter illos Epiſcopum Romanum, & omnes conuenire in eandem ſententiam. In hoc caſu quamuis Romanus Epiſcopus non eſſet Summus Pontifex, & Paſtor Paſtorum, & nullam ſuperioritatem haberet in reliquos Epiſcopos, ſed eſſet præcisè Epiſcopus Romanus, definitio Concilij eſſet infallibilis, quia eſſet edita à Concilio Generali repræſentante totam Eccleſiam, quæ incapax eſt errandi ſecundùm ſe totam in credendo. At cùm certum ſit Romanum Pontificem non ſolùm eſſe Epiſcopum Romanum, ſed Summum Pontificem, & Paſtorem vniuerſalem totius Eccleſiæ; quando Concilio accedit confirmatio Romani Pontificis, definitio eſt infallibilis, non ſolùm quia edita à toto Concilio, sed quia confirmata à Pontifice infallibili in definiendo. Sed de hoc latius nobis diſputandum eſt in alio tractatu de excellentia Papæ ſupra omnia Concilia.

SE-

SECTIO II.

Soluitur obiectio Illuſtriſſimi Epiſcopi Tornacenſis contendentis, ſententiam noſtram de infallibilitate Romani Pontificis manere intra limites opinionis merè probabilis, & nouiter certè à paucis ſæculis exortam in Eccleſia.

ILluſtriſſimus Gilbertus Choyſeul Epiſcopus Tornacenſis in Epiſtola, cuius ſupra mentionem feci de Poteſtate Eccleſiaſtica, quam hoc anno 1688. in lucem edidit, pag. 25. contendit Romanum Pontificem non eſſe in definiendo infallibilem; & ad hoc probandum ſequentem conficit diſcurſum, quem ipſius authoris formalibus verbis proponam.

§. I.

Proponitur obiectio.

„ 1. SI Chriſtus, (inquit) Dominus infallibiles conſtituit Petri Succeſſores, eos profectò conſtituit, vt noſtræ fidei ſint cuſtodes, eamque certò determinent. Vſque adeonè ergò ſuã deinceps deſeruit Eccleſiam, vt fidei infallibilis regula, ſemel ab ipſo conſtituta, per ſeptendecim ſæcula, dubia remanſerit? Sed quid dico per ſeptendecim ſæcula? Errore vulgi abripior: neque enim apertè innotuit error, quem iam inſectamur, niſi vndecimo exeunte ſæculo. Ab eo autem tempore dubiam reddere tentarunt eam opinionem Aulici Romani: nec enim certam eſſe vnquam auſi ſunt docere, nec docuit ipſe Bellarminus pijſſimus quidem, & inter Eccleſię Prælatos ac Principes longè doctiſſimus; ſed Romanæ infallibilitatis Doctorum anteſignanus: qui negauit, hoc ad fidem pertinere, eumque eſſe hęreticũ, qui Concilium Papæ anteire aſſeruerit, & Pontificem Maximum errori eſſe obnoxium.

„ 2. Quandoquidem ergò fide diuinâ Papę infallibilitatem credere non tenemur, hoc ad opinionum dumtaxat probabilium ordinem deuolui fatebuntur aduerſarij: nec aliter te ſentire poſſe exiſtimem.

Digitized by Google

„ Vide, cui periculo exponatur Chriſtiana Religio? Nemo docuerit
„ Papam eſſe infallibilem, & eius decreta eſſe irreformabilia; quin
„ continuò dixerit, quando de fide agitur; Papæ iudicium eſse noſtrę
„ fidei regulam. Pro ſuperùm fidem! Ergonè Religio Chriſtiana,
„ quę ſupra firmam petram fundata eſt: & fides, in qua hæſitare ve-
„ tat Iacobus Apoſtolus: per quam in nobis habitat Chriſtus: quæ eſt
„ ſperandarum ſubſtantia rerum: incerta demùm fluctuabit, & fiet
„ duntaxat probabilis?

§. II.

Oſtenditur infallibilitatem Romani Pontificis non manſiſſe dubiam per ſeptemdecim ſæcula.

1. VErùm hoc argumentum ſtylo oratorio propoſitum, inefficax eſt; multaque vel ſupponit, vel affirmat, quæ omnino falſa ſunt. In primis falſum planè eſt, ſupremam, & infallibilem Romani Pontificis authoritatem dubiam manſiſſe per ſeptemdecim ſæcula. quamuis enim poſt Gerſonem aliqui authores Galli dubitauerint de hac infallibilitate, eamque negauerint; tamen totus ferè orbis eam agnouit, & tanquam quid certum aſſeruit multis retro ſęculis. vt fatetur Illuſtriſſimus Petrus de Marca Archiepiſcopus Pariſienſis in obſeruationibus ſupra theſes Claromontanas, in quibus anno 1660. Patres Societatis Pariſijs in Collegio Claromontano propugnarunt publicè, Romanum Pontificem eſse controuerſiarum fidei iudicem infallibilem extra Concilium generale: quod opus, teſte Stephano Baluzio fuit poſtremum huius eruditiſſimi viri. In illis namque obſeruationibus nu. 22. 33. & 34. loquens de ſententia noſtra, quę infallibilitatem Romano Pontifici aſserit, inquit: *Hæc opinio eſt illa, quam vnicè Hiſpania, Italia, aliæque omnes Chriſtianitatis Prouinciæ docent; ita vt illa, quam ſententiam Pariſienſium vocant, ad claſſem earum opinionum reuocanda ſit, quæ tolerantur .... Authoritas infallibilem ſententiam in cauſis fidei pronuntiandi, eſt ſummis Pontificibus conſenſu omnium vniuerſitatum conſenſu acquiſita, excepta tamen antiqua Sorbona*. Nomine autem antiquæ Sorbonę intelligit vniuerſitatem Pariſienſem, prout erat tempore Concilij Conſtantienſis, & Baſileenſis, quando Ioannes Gerſon eiuſque diſcipuli inceperunt exaltare Concilium ſupra Papam. Addit ibi Marca num. 34. *Pars maior non ſolùm Theologiæ, ſed etiam iuris Doctorum communi opinioni adhæret, vtpote fundamentis nixæ ſolutu difficillimis, ridetque antiquæ Sorbonæ opiniones.*

2. Conſtat id etiam ex Concilio Generali Lugdunenſi ſecundo

celebrato

celebrato anno 1274. in quo Græci ipſi in Profeſſione fidei contenta in Epiſtola Imperatoris Palęologi ad Gregorium X. hanc veritatẽ de iudicio ſupremo & irreformabili Romanæ Sedis in quæſtionibus Fidei, ſatis apertè profeſſi ſunt. In illo recepta eſt à Patribus, communique aſſenſu probata Profeſſio fidei orthodoxæ facta à Græcis ſub hac verborum formula: *Ipſa quoque Sancta Romana Eccleſia ſummum & plenum Primatum & Principatum ſuper vniuerſam Eccleſiam Catholicam obtinet, quem ſe ab ipſo Domino in B. Petro Apoſtolorum Principe, ſiue vertice, cuius Romanus Pontifex eſt ſucceſſor cum poteſtatis plenitudine, recepiſſe veraciter, & humiliter recognoſcit, & ſicut præ cæteris veritatem Fidei tenetur defendere, ſic & ſi quæ de fide ſubortæ fuerint quæſtiones, ſuo debent iudicio definiri.*

3. Hanc infallibilitatem in Romano Pontifice agnouit & profeſſa eſt vniuerſitas Pariſienſis anno 1387. in quo Petrus Alliacenſis vniuerſitatis Cancellarius Clementem VI. Papam ſuo & vniuerſitatis nomine ſic allocutus eſt: *Emendari à te cupimus, qui Petri Sedem, & fidem tenes; non ignoramus enim, ſed firmiſſimè tenemus, & nullatenus dubitamus, quòd Sancta Sedes Apoſtolica eſt illa Cathedra Petri, ſuper quam, Hieronymo teſte, Eccleſia eſt fundata, & de qua ſede in perſona Petri Apoſtoli, in ea ſedentis, dictum eſt,* Petre rogaui pro te, vt non deficiat fides tua. *Hæc eſt igitur, ad quam determinatio fidei, & approbatio veritatis Catholicæ, ac hæreticæ impietatis deteſtatio maximè pertinet.*

4. Hanc doctrinam expreſsè tradiderunt luminaria illa primaria ſcholæ Pariſienſis, S. Thomas, S. Bonauentura, non Romani Aulici, ſed SS. Catholicæ Eccleſiæ Doctores, & quotquot ante Concilium Conſtantienſe in illa vniuerſitate Doctores floruerunt, vt abunde oſtendi diſput. 9. ſect. 1. 2. & 3. ſatis nunc ſit repetere verba Angelici Doctoris 2.2. quæſt. 11. art. 2. ad 3. dicentis: *Poſtquam autem eſſent aliqua Eccleſiæ authoritate determinata, hæreticus eſſet, ſiquis tali ordinationi pertinaciter repugnaret, hæreticus cenſeretur: quæ quidem authoritas principaliter reſidet in Summo Pontifice ... contra cuius authoritatem nec Hieronymus, nec Auguſtinus, nec aliquis ſacrorum Doctorum ſuam ſententiam defendit.*

5. Floruit ad initium anni 1300. vt teſtatur Bellarminus, Auguſtinus Triumphus, Pariſienſis vniuerſitatis Doctor & Profeſſor, qui ſcripſit egregiam Summam de poteſtate Eccleſiaſtica, in qua quæſtione 10. hanc infallibilitatem Romani Pontificis tanquam quid indubitatum ſtatuit his verbis: *Si aliqua ſint dubia & obſcura in fide, ad Papam pertinet interpretari, & determinare, poſt cuius determinationem, hæreticum eſſet, contrarium pertinaciter aſſerere.*

Digitized by Google

§. III.

Oſtenditur ſententiam de infallibilitate Papæ non cœpiſſe innoteſcere exeunte vndecimo ſæculo.

1. NEque ſubſiſtit, quod hic author affirmat, vndecimo exeunte ſæculo incepiſſe innoteſcere ſententiam de infallibilitate Pontificis, quam ipſe errorem appellat; *neque apertè innotuit* (inquit) *error, quem iam inſectamur, niſi vndecimo exeunte ſæculo*; id eſt ſub initium anni 1100. Conſtat namque ex teſtimonijs ſummorum Pontificum, & antiquorum Patrum, quæ adduximus diſp. 5. 6. & 7. & ex perpetua praxi Eccleſiæ, a primis ſæculis Eccleſiæ cognitum fuiſſe.

2. Nunc ad reuincendum pronuntiatum illud Illuſtriſſimi Tornacenſis, breuiter aliquas antiquorum Patrum ſententias ex alibi dictis hic recolentes in medium proferamus. Non exeunte vndecimo ſæculo, ſed ad finem ſecundi floruit S. Irenæus Epiſcopus Lugdunenſis, qui anno 205. martyrio coronatus eſt; ſupremam Eccleſiæ Dei authoritatem agnouit in Romana Eccleſia, quatenus eſt Eccleſia particularis, in qua ſedet Romanus Pontifex ſucceſſor D. Petri: ac proinde agnoſcit iudicium Romanæ Eccleſiæ loquentis per os ſui Epiſcopi, eſſe vltimum, & irreformabile. Sic enim loquitur lib. 3. contra hæreſes cap. 3. *Ad Romanam Eccleſiam propter potentiorem principalitatem neceſſe eſt omnes conuenire Eccleſias, hoc eſt, omnes, qui ſunt vndique fideles, in qua ſemper ab his, qui ſunt vndique, ſeruata eſt ea, quæ ab Apoſtolo eſt, traditio.*

3. Non eſſet autem neceſſe omnes fideles conuenire ad Romanam Eccleſiam, ſi Romanus Pontifex loquens è cathedra, & aliquid credendum proponens, poſſet errare; ſed potiùs tenerentur ab eo recedere: Ergo ex mente Irenæi Romanus Pontifex, vt Pontifex, nequit in iudicio fidei errare.

4. Non exeunte vndecimo ſæculo Eccleſiæ, ſed prope medium ſeculi tertij floruit S. Cyprianus Epiſcopus Carthaginenſis & Martyr; qui lib. de Vnitate Eccleſiæ ſcripſit. *Qui cathedram Petri, ſupra quam fundata eſt Eccleſia, deſerit, in Eccleſia ſe eſſe confidit?* Certum eſt autem Cathedram Petri deſerturum illum, qui auſus fuerit defendere, vt dogma verum, aliquam propoſitionem damnatam à Sede Apoſtolica tanquam hæreticam; ſicut abſq; dubio deſereret Cathedram Petri, qui poſt Bullam Innocentij X. contra Ianſenium, auderet dicere, veras eſſe omnes, vel aliquam ex illis quinque propoſitionibus damnatis tanquam hæreticis. Ergo ex mente Cypriani intra Eccleſiam Catholicam eſſe non poteſt ille, qui defenderit obſtinatè doctrinam damnatam à Sede Romana tan-

quam

Digitized by Google

quam hæreticam. Ergo iuxta Cyprianum Romanus Pontifex eſt iudex infallibilis controuerſiarum fidei. Et eſt planè hæreticus, qui contumaciter defendit doctrinam damnatam vt hæreticam à Sede Apoſtolica, & vt talem propoſitam toti Eccleſiæ.

5. Non exeunte vndecimo ſæculo, ſed initio quinti ſæculi creatus eſt Pontifex S. Innoc. I. Hic in epiſt. ad Concilium Mileuitanum: *Scientes*, inquit, *quòd per omnes Prouincias de Apoſtolico fonte petentibus reſponſa ſemper emanent: præſertim quoties Fidei ratio ventilatur, arbitror omnes Fratres, & Epiſcopos noſtros, non niſi ad Petrum, ideſt ſui nominis, & honoris Auctorem referre debere, velut nunc retulit veſtra dilectio, quod per totum Mundum poſſit Eccleſijs omnibus in commune prodeſſe*. Fuit ergo antiquiſſima Eccleſiæ conſuetudo in materia Fidei ad Romanum Pontificem recurſum habere, & credendo tanquam infallibilia acceptare, quæ ab ipſo, vt ſupremo Eccleſiæ Magiſtro eſſent definita.

6. Non exeunte vndecimo ſæculo, ſed ad extremum quarti, & ſub initium V. floruit S. Hieronymus, qui in expoſitione Symboli loquens cum S. Damaſo Papa aiebat: *Si hæc noſtra confeſſio Apoſtolatus tui iudicio comprobatur, quicumque me culpare voluerit, ſe imperitum, vel maleuolum, vel etiam non Catholicum, non me hæreticum comprobabit*. Ergo ex mente Hieronymi Catholicus eſſe non poteſt ille, qui ſcienter repudiauerit vt falſam doctrinam illam, quam ſciuerit à Romano Pontifice eſſe definitam, & toti Eccleſiæ propoſitam: nec hæreticus eſſe poterit, qui illam doctrinam vt veriſſimam amplexus fuerit: ſentit ergo clariſſimè Hieronymus, Romanum Pontificem loquentem è Cathedra eſſe iudicem infallibilem controuerſiarum fidei, nec poſſe hæreſim docere, & toti Eccleſiæ credendam proponere.

7. Eodem ferme tempore, quo Hieronymus, floruit Auguſtinus, qui epiſt. 157. dicebat: *In verbis Apoſtolicæ ſedis tam antiqua atque fundata, certa & clara eſt Catholica Fides, vt nefas ſit dubitare Chriſtianis*. Non eſſet autem nefas dubitare, ſi Apoſtolica Sedes non haberet priuilegium infallibilitatis; vt nihil ſcilicet poſſet credendum proponere Chriſtianis, niſi dogmata vera. Idem Aug. lib. 4. contra duas Epiſtolas Pelag. cap. 12. *An verò Congregatione Synodi opus erat, vt aperta pernicies damnaretur? quaſi nulla hæreſis aliquando, niſi Synodi congregtione damnata ſit; cùm potiùs rariſſimæ inueniantur, propter quas damnandas neceſſitas talis extiterit*. Et lib. 2. de verbis Apoſtoli. *Iam de hac cauſa* (nempe de hæreſi Pelagiana) *miſſa ſunt ad Sedem Apoſtolicam duo Concilia*; (Africana Prouincialia:) *inde etiam reſcripta venerunt; cauſa finita eſt*. Ergo iuxta Auguſtinum nec Concilio opus eſt ad damnandas hæreſes; nec quando Concilium celebratur, eius iudicium vltimum eſt; ſed debet recurri ad Romanum Pontificem, cuius iudicium tanquam vltimum & ſupremum cauſam debet finire. Vnde eius diſcipulus S. Proſper in chronico meritò pronuntiauit: *Tunc Pelagianorum machi-*

næ

Digitized by Google

næ fractæ ſunt, quando Beatæ memoriæ Innocentius nefandi erroris capita Apoſtolico mucrone percuſſit.

8. Circa idem tempus, S. Celeſtinus Papa, qui euectus eſt ad Pontificatum anno 423. & obijt anno.432. in Epiſtola ad Epiſcopos Galliæ dicebat: *Ad confitendum gratiam Dei ſatis ſufficere credimus, quidquid ſecundum prædictas regulas, Apoſtolicæ Sedis ſcripta docuerunt, vt prorſus non opinemur Catholicum, quod apparuerit prædictis ſententijs eſſe contrarium.* Mitto alia teſtimonia PP. ſingillatim per omnia ferè ſæcula expenſa diſp.7.

9. Non exeunte vndecimo ſæculo, ſed in quinto floruit S. Gelaſius I. Papa ad Pontificatum euectus anno 492. qui tamen in epiſtola ad Epiſcopos Dardaniæ tanquam quid inconcuſſum ſupponit, iudicium Romani Pontificis eſſe vltimum in Eccleſia Dei, ac proinde eſſe irreformabile & infallibile; ſiquidem conſtanter aſſerit; *ad Sedem Apoſtolicam de quacumque Mundi parte appellandum eſt: ab illa autem nemo eſt appellare permiſſus.*

10. Non exeunte vndecimo ſęculo; nam obijt anno 604. Gregorius magnus, in epiſtola ad Epiſcopos Galliæ, quæ eſt 52. libri quarti, ſcripſit: *Si quam verò contentionem, quod longè faciat diuina potentia, de Fidei cauſa euenire contigerit, aut negotium emerſerit, cuius vehemens ſit fortaſſis dubietas, & pro ſua magnitudine iudicio Sedis Apoſtolicæ indigeat: examinata diligentiùs veritate, relatione ſua ad noſtram ſtudeat perducere notionem, quatenus à nobis valeat congrua ſine dubio ſententia terminari.* Aſſeruit ergo Gregorius, quæcunque in materia fidei dubia emergunt, terminanda eſſe, & terminanda ſine dubio à Romano Pontifice. Aſſeruit igitur non aliud eſſe tribunal, cuius illa iam à Romano Pontifice vltimò definita, tanquam eſſent errori obnoxia, iterum iudicio proponi debeant & à quo reformari poſſint.

11. Eodem ſæculo floruit Theodorus Papa, exaltatus anno 642. in Epiſt. ad ipſum Africæ Epiſcopi ſic loquuntur: *Magnum, & indeficientem Fidei omnibus Chriſtianis fluenta redundantem apud Apoſtolicam Sedem conſiſtere Fontem nullus ambigere poſſit; de quo riuuli prodeunt affluenter, vniuerſum largiſſimè irrigantes Orbem Chriſtianorum. Antiquis enim regulis ſancitum eſt, vt quicquid, quamuis in remotis ageretur Prouincijs, non priùs tractandum, vel accipiendum ſit, niſi ad notitiam almæ Sedis veſtræ fuiſſet deductum, vt huius authoritate, iuſta quæ fuiſſet pronunciatio, firmaretur.*

12. Non exeunte vndecimo ſæculo floruit S. Agatho Papa, vtpote electus Pontifex ann.676. qui in Epiſt. ad Conſtantinum, authoritatem Romanæ Sedis falli neſciam ſtatuit.

13. Non exeunte vndecimo ſæculo, ſed anno 863. celebrata eſt quarta Synodus Romana ſub Nicolao I. contra Photium, à qua Romanus Pontifex appellatur, *iudex omnes iudicans, ipſe à nemine iudicandus.*

Ex

Ex quo manifeſtè ſequitur, Romanum Pontificem eſſe ſupremum controuerſiarum Fidei iudicem, ac proinde eius iudicium in quæſtionibus fidei eſſe irreformabile, ac per conſequens infallibile.

14. Ex his etiam conſtat eſſe manifeſtè falſum, quod doctor Dupin diſſertatione 5. cap. 1. §. 2. pag. 343. affirmat, nempe per decem & amplius ſęcula ignotum fuiſſe non errandi priuilegium, quod Romano tribuitur Epiſcopo; nec hunc habitum fuiſſe ſummum controuerſiarum Iudicem in rebus Fidei.

§. IV.

Falſum eſt ſententiam aſſerentem Papam eſſe infallibilem, non eſſe omnino certam, ſed manere intra limites opinionis.

1. Miror Illuſtriſſimum Epiſcopum Tornacenſem rotundè pronuntiare, defenſores authoritatis infallibilis Pontificis nunquam auſos fuiſſe aſſerere ſuam ſententiam eſſe certam. Conſtat enim manifeſte oppoſitum: nam P. Theophilus Raynaudus in opuſculo, cui titulus αὐτὸς ἔφα, ideſt, *Ipſe dixit*, poſtquam allegauit quamplurimos ex Schola Pariſienſi Doctores pro ſententia aſſerente Romano Pontifici „ authoritatem, ſubdit: Quotquot ante Concilium Conſtantienſe flo„ruerunt, poſſent omnes Theologi produci, nam non niſi à tempore „ Concilij Conſtantienſis & Baſileenſis reuocata eſt in controuerſiam „ hæc veritas apud Catholicos, ſed omnes anteriores vnanimiter do„cuerunt: definitiones Pontificias etiam abſque Concilio generali „ editas facere rem de fide. Et ita expreſsè aſſerit P. Suarez diſp. 5. de fide ſect. 8. num. 4. & alij citati diſput. 12.

2. Imò Academia Louanienſis anno 1519. edidit 32. articulos veluti totidem amuleta ad imbuendos, præmuniendoſque populorum animos contra ingruentem tunc hæreſis Lutheranæ peſtem, quos omnes refert Ruardus Tapper ad finem ſui primi tomi, ſub hoc titulo; Confeſſio Catholica Academiæ Louanienſis. Inter hos articulos 25. eſt „ iſte: Certa fide tenenda ſunt, non ſolùm quæ Scripturis expreſsè ſunt „ prodita; ſed etiam quæ per traditionem Eccleſiæ Catholicæ creden„da accepimus, & quæ definita ſunt ſuper fidei & morum negotijs, „ per Cathedram Petri, vel per Concilia generalia legitimè congregata. Ergo iudicio Vniuerſitatis Louanienſis certa fide credenda ſunt, quæcumque in Fidei, morumue materijs fuerint definita; ſiue per ſolam

Ca-

Digitized by Google

Cathedram Petri (quæ eſt Sedes Romana) ſine Concilio generali, ſiue per ipſam vnà cum Concilio generali legitimè congregato. Ergo iudicio Vniuerſitatis Louanienſis non merè opinio ſed doctrina omnino certa eſt, definitiones Romani Pontificis in materia fidei & morum eſſe infallibiles, ſicut ſunt infallibilis definitiones Concilij generalis approbatæ à Sede Apoſtolica.

3. Omnino etiam eſt inefficax ratio, qua probat Bellarminum non aſſeruiſſe infallibilitatem Romani Pontificis vt rem certam, quia „ negauit (inquit,) hoc ad fidem pertinere, eumque eſſe hæreti„ cum, qui Concilium Papæ anteire aſſeruerit, & Pontificem Ma„ ximum errori eſſe obnoxium: Ex eo enim, quòd aliqua veritas non ſit de fide, non ſequitur, quòd non ſit certa. Siquidem certa eſt reſurrectio Beatæ Virginis, eiuſque aſſumptio in cælum in corpore, & anima: certa eius præſentatio in templo; certa ſanctitas natiuitatis eius; & tamen nihil horum eſt de fide. Præterea concluſio Theologica deducta ex vna præmiſſa de fide, & ex altera lumine naturæ nota, eſt certa, & tamen non eſt de fide. Et ideo propoſitio ei contradictoriè oppoſita, non poteſt dici hæretica, ſed tantùm erronea; eſtque omnibus notum, eſſe certam illam doctrinam, cuius contradictoria meretur cenſuram Theologicam erroneæ, & proximæ hæreſi, qualem iuxta Bellarminum meretur ſententia Gerſonis; nam vt vidimus diſput. 12. §. 4. de illa ſententia loquens, inquit: *Non audemus dicere, eſſe propriè hæreticam; nam adhuc vidimus ab Eccleſia tolerari, qui illam ſententiam ſequuntur; tamen videtur omnino erronea, & hæreſi proxima, vt meritò poſſit iudicio Eccleſiæ hæretica declarari*. Vnde ſtatim de doctrina communi illi ſententiæ Gerſonis oppoſita, dicit, *eſſe certiſſimam, & aſſerendam*. Non ergo vera eſſe poteſt illa Illuſtriſſimi Tornacenſis propoſitio: *Nec certam eſſe vſquam auſi ſunt docere, nec docuit ipſe Bellarminus*. Conſtat enim aſſertores ſententiæ communis illam defendere, vt omnino certam; ſiquidem, vt vidimus diſput. 12. doctrinam oppoſitam graui cenſura Theologica perſtringunt.

4. Imo ex eo, quòd ſententiæ communis aſſertores non audeant aſſerere ſententiam oppoſitam eſſe propriè hæreticam, non ſequitur, eos non audere aſſerere ſuam ſententiam eſſe de fide. Nam multi, grauiſſimique Theologi affirmant de fide eſſe, Sanctos canonizatos eſſe in cælo; & tamen nullus eorum auſus eſt vnquam aſſerere, hæreticos eſſe authores negantes hoc eſſe de fide. Ratio eſt, quia vt quis poſſit affirmare aliquam propoſitionem eſſe de fide, ſatis eſt, quod habeat argumenta efficacia ad probandum, illam propoſitionem eſſe reuelatam; vt autem poſſet affirmare, oppoſitam propoſitionem eſſe hæreticam, amplius requiritur, nimirum, quod inſuper poſſit affirmare, illam reuelationem ita diſtinctè, & clarè eſſe propoſitam, vt Eccleſia non toleret negantes

veri-

veritatis talis propoſitionis. Vnde poteſt primum ſeparari à ſecundo, vt fuſius dixi ſupra.

5. Ratio eſt: nam vt rectè probat P. Suarez diſp.9. de fide, ſect. 2. num. 13. vt propoſitio ſit hæretica duo requiruntur, vnum eſt, vt propoſitio contraria ſit certiſſimè, & indubitanter de fide; aliud eſt, vt altera propoſitio contraria ſit certiſſimè & indubitanter illi repugnet: vnde fit, vt deficiente certitudine in altero ex his duobus, propoſitio hæretica non ſit: quia propoſitio hæretica habet ſupremum gradum propoſitionis falſæ contra fidem, qui gradus non conſurgit, niſi ex omnibus conditionibus ſimul ſumptis: Vnde ſi propoſitio, cui propoſitio *A* opponitur, non ſit omnino indubitanter de fide, quamuis magna authoritate, & quaſi communi conſenſu talis reputetur, propoſitio *A* erit quidem erronea; non tamen hæretica. Apponit exemplum ſecundum opinionem aliquorum in illo dogmate, quod dentur habitus per ſe infuſi; quamuis enim probabilius ſit illud eſſe de fide; fortaſſe tamen hoc non eſt ita certum, vt contrarium ſit hæreſis, erit tamen error. Hæc P. Suarez.

6. Quapropter non eſt tantum probabile, ſed Theologice certum, Papam eſſe infallibilem in determinandis fidei & morum controuerſijs; quia vel hoc eſt immediate reuelatum, vel ſaltem ex reuelatiſque, per neceſſariam conſequentiam deducitur; vt euincunt argumenta à nobis in toto hoc opere confecta. Fateor, hanc veritatem de infallibilitate Romani Pontificis clarius propoſitam exeunte vndecimo ſæculo Eccleſiæ, quam antea, quia Doctores Catholici expendentes textus Scripturæ illis poſterioribus ſæculis, clariſſimè probarunt Chriſtum reliquiſſe ſuo Vicario hanc prærogatiuam; & hanc contineri in verbis Euangelij; quia de fide inconcuſſa eſt apud omnes, Chriſtum reliquiſſe in ſua Eccleſia authoritatem infallibilem ad determinandas fidei & morum controuerſias: & aliunde inuictis argumentis probatur, ideo illam reliquiſſe in Eccleſia, quia reliquit in capite Eccleſiæ pro bono totius Eccleſiæ: vt vel per ſe immediatè determinet, præcedenti diligenti examine & diſcuſſione; vel mediante Concilio generali à ſe approbato, & confirmato; Vnde licet ſemper fuerit verum, & in ſcripturis reuelatum, Romanum Pontificem habere hanc infallibilitatem; tamen non ſemper fuit ita clarè propoſitum, ſicut propoſitum fuit poſterioribus ſæculis. Quod multis exemplis patet.

7. Nihil enim poteſt Eccleſia de nouo definire & declarare, quod non fuerit ſemper verum, & à Deo reuelatum vel immediate & formaliter, vel ſaltem mediate & virtualiter: tamen poteſt definire, & declarare aliquid, de quo ante definitionem dubitabatur inter Catholicos, & quod impunè ſine hæreſi poterat negari; & poſt definitionem non poteſt. Vt enim ſapienter dixit Bellarmin. lib. 3. de verbo Dei cap. 8. *ante definitionem licet de rebus dubijs ſine vitio hæreſis vtram-*

vis partem tenere, at poſt definitionem, qui non obtemperant, fiunt hæretici.

8. Quod multis exemplis patet. Nam quamuis ſemper fuerit verum Beatam Virginem non peccaſſe venialiter, & Eccleſiæ eſſet à Deo reuelatum: tamen id non erat de fide quoad obligationem credendi ante Vrbanum ſecundum, qui (vt refert Vega lib. 14. in Trident cap. 18.) id definiuit in Concilio Claromontano anno 1095. & poſtea Concilium Tridentinum ſeſs. 6. can. 23. id ſuppoſuit, dum docuit, Eccleſiam tenere, Beatam Virginem ex ſpeciali Dei priuilegio omnia peccata venialia vitaſſe. Similiter licet ſemper verum fuerit, & à Deo reuelatum, animas Sanctorum videre Deum prout eſt in ſe ante diem generalis iudicij, poſtquam ſcilicet fuerint ſufficienter purgatæ; tamen id non erat de fide quoad obligationem credendi ante tempus Benedicti XII. qui electus eſt Pontifex anno 1334. & veritatem hanc definiuit, cum tamen tempore immediatè anteceſſoris ſui Ioannis XXII. fuerit tam acriter diſputata & ante illa tempora à multis defendebatur ſine nota hæreſis, aut manifeſti erroris; imo multa teſtimonia Patrum apud Bellar. lib. 1. de Sanctorum Beatitudine cap. 1. citantur pro illa ſententia negante animas Sanctorum ante diem iudicij vniuerſalis videre Deum, quæ teſtimonia ab ipſo explicantur cap. 4. in bono ſenſu. Pariter licet ante Bullam Innocentij X. ſemper fuit verum, & à Deo reuelatum, ad merendum & demerendum in ſtatu naturæ lapſæ requiri libertatem à neceſſitate, & non ſufficere libertatem à coactione; non tamen erat de fide quoad obligationem credendi, ſicut eſt poſt Bullam Innocentij; poſt quam eſt manifeſta hæreſis hoc negare.

9. Quapropter vt bene explicat Cardinalis de Lugo diſp. 1. de Fide num 271. poteſt aliquid eſſe de fide in ratione obiecti, quod tamen adhuc non ſit de fide quoad obligationem, poteſt enim eſſe iam reuelatum à Deo: quia tamen nondum propoſita eſt ſufficienter reuelatio quoad omnia obiecta in ea contenta, diſtinctè, non obligantur fideles ad illa obiecta determinatè credenda, quando tamen incipit ſufficienter proponi, & euolui diſtinctè reuelatio illa, ita vt in particulari appareat, de quibus obiectis locutus fuerit Deus; iam incipit tunc illud obiectum in particulari eſſe de fide quoad obligationem, licet non reueletur tunc de nouo, nec Deus tunc loquatur; ſed ſolùm appareat tunc, de quo obiecto locutus fuerit olim Deus.

10. Deinde vt rectè obſeruat P. Suarez tom 2. in 3. part. diſp. 3. ſect. 6. vt Eccleſia aliquam veritatem definiat, non eſt neceſſe, vt illa ſit expreſsè reuelata; ſed ſatis eſt, quod ſit reuelata implicitè & ex reuelatis neceſſariò inferatur. Vbi enim veritas eſt ſupernaturalis, & multum referens ad Eccleſiæ vtilitatem atque pietatem; poteſt res peruenire ad eum ſtatum, in quo abſque noua & explicata reuelatione habeat Eccleſia ſufficientia motiua ad veritatem illam definiendam ex implicita

cita, & tacita reuelatione ſibi ſufficienter propoſita. Sæpe enim Eccleſia ſua authoritate, aſſiſtente ſibi Spiritu Sancto, ſimiles controuerſias definiuit abſque noua reuelatione expreſſa; vt illam de habitibus infuſis in iuſtificatione; de Canonica authoritate aliquorum librorum Scripturæ, & de immunitate Deiparæ ab omni peccato veniali, de beatitudine animarum ante diem iudicij vniuerſalis;& nemini dubium eſt,quod poſſet nunc Eccleſia definire reſurrectionem Beatę Virginis,eiuſque in corpore ad gloriam Aſſumptionem, & Sanctitatem Natiuitatis eius.Ad aliquam ergo veritatem definiendam, ſatis eſt, quod illa in traditione, vel ſcripturâ implicitè contenta ſit,vt creſcente conſenſu Eccleſię,per quam ſæpe Spiritus Sanctus traditiones, vel Scripturas declarat, poſſit tandem Eccleſia difinitionem ſuam adhibere: quâ poſitâ poſſumus rem definitam fide diuina credere; quia illa definitio *vim habet* (inquit Pater Suarez) *cuiuſdam reuelationis reſpectu noſtri, propter infallibilem Spiritus Sancti aſſiſtentiam*.

11. Itaque infallibilitas Romani Pontificis licet non ſit expreſsè definita ab Eccleſia,eſt tamen proximè definibilis,quia eſt veritas Theologica omnino certa, contenta in Scripturis, & perpetua Eccleſiæ traditione, & communi conſenſu Patrum, ac Doctorum firmata, & vt aiebat Bellarminus, oppoſita doctrina, *videtur omnino erronea, & hæreſi proxima, vt meritò poſſit iudicio Eccleſiæ hæretica declarari*. Et licet non ſit de fide, quoad obligationem credendi intimatam omnibus ab Eccleſia; eſt tamen de fide quoad obiectum, & quoad obligationem reſpectu eorum, qui certi ſunt, hanc veritatem eſſe reuelatam, ob argumenta, quibus conuincuntur: hanc autem certitudinem habent omnes ferè Doctores Catholici,exceptis paucis nonnullis exGalliâ.Omnes autem in re tanti momenti tenentur fundamenta expendere,quibus probatur Romanũ Pontificem definientem è Cathedra non poſſe errare;nam ſi quis negaret Romano Pontifici priuilegiũ infallibilitatis ipſi à Chriſto conceſſum, vel quia controuerſiam hanc diligenter non examinauit; vel quia aliqua paſſione humana abreptus, errauit in iudicio ferendo, is apud Deum excuſationem non haberet; quia eius error eſſet culpabilis, & eius ignorantia vincibilis; ignorantia autem vincibilis non excuſat à culpa actionem, quæ ex illa ignorantia contra legem diuinam fit, licet culpam minuat, quando non eſt affectata & directè volita; ſed eſt indirectè tantùm volita, & craſſa atque ſupina, proueniens ſcilicet ex negligentia culpabili inquirendi veritatem, vel ex paſſione aliqua obcæcante, quæ eſt in cauſa vt repræſentetur tanquam verum id, quod alias repræſentaretur vt falſum, ſi animus paſſione vacuus accederet ad inquirendum veritatem. Et propterea Apoſtolus ad Epheſ.5. aiebat; *Nolite fieri imprudentes, ſed intelligentes quæ ſit voluntas Dei*. Et Eccl.6. *Cogitatum tuum habe in præceptis Dei, & in mandatis illius maximè aſſiduus eſto*. Et iterum Apoſtolus 1. ad Corinth.14. *ignorans ignorabitur*. Conſula-

ſulatur D. Thomas 1.2. quæſt.6.art.8. corpore, vbi diſtinguit duplicem ignorantiam; alteram directè voluntariam, quæ tunc contingit, quando *actus voluntatis fertur in ignorantiam, ſicut cùm quis ignorare vult, vt excuſationem peccati habeat, vel vt non retrahatur à peccato*, ſecundum illud Iob.21. *ſcientiam viarum tuarum nolumus: & hæc dicitur ignorantia affectata*; de qua dicimus non minuere culpam; quia non minuit voluntarium. Aliam indirectè voluntariam, quæ tunc datur, quando quis propter negligentiam inquirendi, vel propter paſſionem ignorat ea, quæ iure tenetur, & culpabiliter exiſtimat eſſe licitum, quod licitum non eſt; & hæc ignorantia minuit quidem culpam, qua minuit voluntarium, non tamen excuſat à culpa, quia actio, quæ ex hoc errore fit contra legem, ſimpliciter eſt voluntaria, nimirum indirectè, & in cauſa. Vt enim inquit idem S. Thomas 1.2. quæſt. 76. art. 2. corpore. *Manifeſtum eſt, quod quicumque negligit habere vel facere, quod tenetur habere vel facere, peccat peccato omiſſionis. Vnde propter negligentiam ignorantia eorum, quæ aliquis ſcire tenetur, eſt peccatum.* Quod autem ignorantia indirectè tantum voluntaria, minuat culpam, quia minuit voluntarium, docet expreſsè idem S. Thomas 1.2. quæſt.76. art.3. corpore ijs verbis; *Ipſa ignorantia eſt voluntaria vel directè, ſicut cum quis ſtudioſe vult neſcire, vt liberiùs peccet. Vel indirectè; ſicut cum aliquis propter laborem, vel propter alias occupationes negligit addiſcere id, per quod à peccato retraheretur: talis enim negligentia facit ignorantiam ipſam eſſe voluntariam & peccatum; dummodo ſit eorum, quæ quis ſcire tenetur & poteſt: Et ideo talis ignorantia non totaliter excuſat à peccato.* Minuit tamen peccatum, vt ibidem art. 4. probat Sanctus Doctor, quia minuit voluntarium.

SECTIO III.

Soluitur argumentum, quo Aduerſarij authoritatibus Auguſtini probare contendunt requiri Concilium generale vt definitio fidei ſit omnino infallibilis, & rem reddat de fide certam.

§. I.

Expenditur authoritas ex Epiſt. 162.

1. DOctor Ellies Dupin diſſert. 6. pag. 391. probat, ſupremum Eccleſiæ iudicium in cauſis fidei eſſe penes Concilium generale, ab illoque non poſſe vllam eſſe ad Pontificem prouocationem; cum tamen è contra à iudicio Pontificis poſſit in cauſis fidei ad Concilium plenarium prouocari; probat, inquam ex epiſt. 162. in qua Auguſtinus, Donatiſtis, à Pontifice Synodoque nationali proſcriptis, adhuc dicit ſupereſſe confugium, ad plenariam ſcilicet Synodum: *Ecce putemus*, inquit, *illos Epiſcopos, qui Romæ iudicarunt, non bonos fuiſſe iudices, reſtabat adhuc plenarium Eccleſiæ vniuerſæ Concilium, vbi etiam cum ipſis iudicibus, cauſa poſſet agitari, vt ſi malè, iudicaſſe conuicti eſſent, eorum ſententiæ ſoluerentur*. Ergo non dubitauit Auguſtinus, maiorem eſſe Concilij generalis & plenarij authoritatem, quam Concilij particularis, & Romani Pontificis ſimul; quandoquidem cenſuit ſententiam & iudicium Pontificis & Synodi particularis, poſſe reformari per Concilium generale. Ergo cenſuit, ſententiam Romani Pontificis in rebus fidei & morum non eſſe infallibilem: quandoquidem exploratum eſt, ſententiam infallibilem non poſſe reuocari, nec iudicium ſupremi iudicis controuerſiarum fidei poſſe reformari.

2. Reſpondeo tamen; falſiſſimum eſſe, quod à ſententia Summi Pontificis ſit appellatio ad Concilium generale; vt enim, inquit, S. Gelaſius Papa in Epiſt. ad Epiſcopos Dardaniæ. *Cuncta per mundum nouit Eccleſia, quòd Sacroſancta Romana Eccleſia fas de omnibus habet iudicandi, nec cuiquam liceat de eius iudicio iudicare*. Et rurſus. *Ad Sedem Apoſtolicam de qualibet mundi parte appellandum eſt, ab illa autem nemo eſt appellare permiſſus*. Idque ipſum teſtantur S. Leo Epiſt. 84. ad Anaſtaſium in fine. S. Gregorius lib. 9. epiſt. 39. ad Theotiſtam Patriciam; Nicolaus I. Epiſt. ad Michaelem. Paſchalis Papa in cap. *Significaſti* extrauag.

Digitized by Google

uag. de elect. Innocentius III. ſer. 2. de conſecrat. Pontificis, & Bonifacius 8. in extrauag. *vnam ſanctam* titulo de maioritate & obedientia. Conſtatque ex decurſu iſtius operis; diſp. 7. ſect. 1. §. 3. & 4. & ſect. 4. & 5. ſanctiſſimos Prælatos appellaſſe à ſententia Concilij ad Romanum
„ Pontificem. Nam (inquit Bellarminus) Athanaſius Epiſcopus Alè-
„ xandrinus, & Paulus Epiſcopus Conſtantinopolitanus, à Concilio
„ depoſiti, ad Iulium Papam appellauerunt, & ab eo in ſuas ſedès re-
„ ſtituti ſunt, vt author eſt Sozomenus lib. 3. *hiſt.* cap. 7. Similiter
„ Flauianus Epiſcopus Conſtantinopolitanus appellauit à Concilio
„ Epheſino 2. generali ad Leonem Papam, vt teſtatur Leo epiſt. 25.
„ ad Theodoſium Auguſtum. Item Theodoretus Epiſcopus Cyri
„ appellauit à Concilio eodem Epheſino 2. ad eundem Leonem,
„ vt patet ex Liberato in Breuiario, capit. 12. & ex ipſa epiſtola
„ Theodoreti, quæ extat ad finem operum Leonis. Denique Ioan-
„ nes Chryſoſtomus à Concilio depoſitus appellauit ad Innocen-
„ tium Papam, vt teſtatur Gelaſius, vbi ſupra, & idem colligi-
„ tur ex epiſtolis Chryſoſtomi ad Innocentium. Idque agnouerunt ipſi Imperatores Romani, vt probaui diſp.8. ſect. 4. ſed præter exempla ibi adducta, aliud egregium reſtat Conſtantini Imperatoris ſtatim referendum: E contra vero non eſt exemplum alicuius Epiſcopi Sancti, qui damnatus à Papa appellauerit ad Synodum, nec eſt exemplum in hiſtoria Eccleſiaſtica; quod iudicium publicum Romani Pontificis in quæſtione fidei intimatum toti Eccleſiæ, reuocatum fuerit per Concicilium generale; cum tamen iudicium Concilij generalis ſæpe ſit reuocatum à Romanis Pontificibus; vt oſtendi ſæpe in hoc opere, præſertim diſp.5. ſect.4.

3. Antequam verbi Auguſtini explicemus, ſciendum eſt, qua occaſione dicta ſint. Notitiam hanc hauriemus ex Actis Concilij Romani habiti ſub Melchiade Papa anno 313. quæ habentur apud Philippum Labbè tom.1. columna 1401. Vt autem, ea, quæ ex Concilio Romano narrabimus, melius intelligantur, ſciendum eſt, mortuo *Menſurio* Epiſcopo Carthaginenſi, vicinos Epiſcopos Carthaginem conuenientes, in locum defuncti *Menſurij* totius Cleri, populique ſuffragio *Cæcilianum* eius olim Diaconum, Epiſcopum Carthaginenſem ordinaſſe, anno 306. repulſis Botro & Cæleſio, qui eundem Epiſcopatum ambiebant; cùm autem creatus *Cæcilianus* à ſenioribus repeteret Eccleſiæ vaſa aurea, & argentea, quæ, ne raperentur à perſecutoribus, Menſurius prædeceſſor eis commendauerat; ijdem, ne reddere cogerentur, iungentes ſe ambitoribus Botro & Cæleſio, in conſortium adhibita Lucilla, factioſiſſima & ditiſſima fæmina (quæ *Cæciliano* maximè erat infenſa, eo quod anno 302. ab ipſo ex mandato *Menſurij* fuerat acriter reprehenſa ob culpam quandam commiſſam contra diſciplinam Eccleſiaſticam) ab eiuſdem *Cæciliani* communione ſe ſubduxerunt; ſicque ingens

con-

Digitized by Google

conflatum eſt ſchiſma, vt narrat Baronius ad ann. 306. Vt autem vitioſa *Cæciliani* ordinatio diceretur, ei opponebant, ipſum olim martyribus in carcere conſtitutis victum afferri prohibuiſſe, & à Traditoribus ordinatum fuiſſe. (Traditores appellabant Epiſcopos illos, qui codices ſacros ex imperatorum edicto comburendos tradidiſſent.) Ab ipſis „ ſchiſmaticis accerſitus eſt Carthaginem ipſorum Traditorum prin- „ ceps ſecundus Tigiſitanus Numidiæ primas, cum alijs Traditoribus „ Epiſcopis. Qui omnes Carthaginem aduenientes, ac ſeorſim à *Cæ-* „ *ciliano* coëuntes, aduerſus eum crearunt pſeudo Epiſcopum *Maiori-* „ *num*, qui Lector Diaconus Cæciliani fuerat, domeſticum Lucillæ, „ ipſaque ſuffragante: eoque impudentiæ progreſſi ſunt, vt ijdem ipſi „ Traditores manifeſtiſſimi, eiuſmodi traditionis crimen in Cæcilia- „ num, eiuſque ordinatores ſcriptis per vniuerſam Africam litteris „ falſiſſimè deriuarint.

4. His præmiſſis, iam referamus, quæ narrant Acta Concilij Romani ſub Melchiade Papa. Cum Donatiſtæ (inquiunt) indignè ferrent, „ Cæcilianum Epiſcopum nihil Schiſmaticorum omnium factionibus, „ Concilijs, ac contumelijs, quibus eum afficiebant, commoueri, atq; „ vno dumtaxat vnius Apoſtolicæ Sedis præſidio, ac communicatione „ fulciri; ſuos verò potius vniuerſos conatus in ſchiſmate promouendo „ irritos fieri, ſummo ſtudio laborant, vt Cæcilianum, quem aliter „ Carthag. Eccleſiæ Sede exturbare non poſſent, Anulino Africæ Pro- „ conſuli, ipſique Conſtantino Imperatori, Cæciliani amantiſſimo, ac „ ſtudioſiſſimo, exoſum reddant. Rogant igitur ipſum Anulinum Pro- „ conſulem, vt ſuum libellum, quem aduerſus Cæcilianum ſcripſerant, „ additis ad Conſtantinum in Gallijs agentem promotorialibus lite- „ ris, tranſmittat: petitioni eorum Proconſul acquieſcit. Literas Pro- „ conſulis ad Imperatorem ſcriptas, ſchiſmatici ipſi vna cum ſuo adiun- „ cto libello in Gallias deferunt, ijſque Conſtantino Imperatori obla- „ tis, quoſdam Galliæ Epiſcopos, ſuæ cauſæ Iudices, & arbitros con- „ ſtitui poſtulant. Imperator quamquam principio indignum eſſe re- „ ſponderit, vt eorum, qui vice Chriſti funguntur, cauſam Iudex ſæcu- „ laris, & inferior cognoſcat, aut dijudicet; tamen, cùm adhuc in fide „ rudis eſſet, & formam Eccleſiaſticorum iudiciorum ignoraret, tres „ Galliæ Epiſcopos, Maternum Agrippinenſem, Rheticium Auguſto- „ dunenſem, & Marinum Arelatenſem, iudices allegatæ cauſæ conſti- „ tuit, ea lege, vt citra ſcitum, conſenſum, & authoritatem Romani „ Pontificis conſtituti iudices nihil definiant. Sciebat enim *ex diuinæ legis præſcripto in cauſa & accuſatione Epiſcoporum, abſque primariæ Sedis antiſtite aliquid ſtatuere, aut cognoſcere nefas & illicitum eſſe.*

„ 5. Inter ea dum hæc Imperator decerneret, ſecundas ab Anulino „ proconſule literas accepit; quibus ille ad ſchiſma tollendum ac com- „ ponendum, neceſſium eſſe indicat, vt ſeruata legitima iudicij forma,

„ præ-

„ præſentibus accuſatoribus, Cæcilianus de traditionis crimine accu-
„ ſatus, præſens ſuam ipſus cauſam defendat. Concilium proconſulis
„ Imperatori placuit: qui deinde præcepit, vt præter conſtitutos iudi-
„ ces tres quidam alij Galliæ aut vicinorum locorum Epiſcopi conuo-
„ centur & Romæ in præſentia Melchiadis Romani Pontificis cauſam
„ definiant. Accuſato Cæciliano, ſicut & accuſantibus Donatiſtis,
„ præcipitur, vt ad præſtitutum diem Romæ huic iudicio Eccleſiaſtico
„ præſentes interſint; plures vero, quam X. accuſatores, aut Cæciliani
„ defenſores non admittantur. Denique his ita conſtitutis Imperator, ad
„ Melchiadem Pontificem Romanum literas futuri ibidem Romæ iudi-
„ cij, præmiſit (quas adducit Labbè ibidem col. 1402.) Cùm citati
„ omnes Romam veniſſent... anno Chriſti 313. *in Laterano in domum Fauſtæ cum Melchiade 19. Epiſcopi conuenerunt, in quorum conſenſu cauſa indicti Concilij proponitur, qua Cæcilianus à Donatiſtis accuſabatur; & contra à Catholicis, qui ſtabant à partibus illius, defendebatur: ipſe vero Donatus à caſis nigris ſchiſmati originem dediſſe redarguitur, & ſuorum à ſe contra Cæcilianum productorum teſtium confeſſione & teſtimonio de calumnia illata conuincitur. Pontifex igitur cum Concilio, hac inquiſitione præuia, Cæcilianum, tanquam innocenter, & calumnioſè accuſatum, abſoluit, eumque in communione Eccleſiæ retinendum eſſe iuſte dijudicat. Donatum vero, eo quod lapſos, non per ſolam manus impoſitionem, ſed potius rebaptizando Eccleſiæ reconciliaſſet, Cæcilianum Calumniatus fuiſſet, iuxta propriam confeſſionem & teſtium depoſitionem, iuſto iudicio condemnat, vt patet ex opt. lib. 1. contra Parm. & ex act. Synodi, quæ extant apud Auguſt. in breuic. coll. die 3. cap. 12. A ſententia Pontificis & Concilij definitiua Donatiſtæ condemnati, ad Imperatorem appellant.* Hactenus Acta illius Concilij.

6. Ad hanc hiſtoriam alludit S. Auguſtinus in illa epiſtola, in qua oſtendit Epiſcopis Donatiſtarum, quanta impudentia perſiſtant in ſuo ſchiſmate tot iudicijs conuicti. Et poſt multa fusè explicata colum. 7. illius epiſtolæ pag. mihi 280. ſic de Donatiſtis loquitur: *Sed poſtea quam ipſis rebus experti ſunt cum Cæciliano permanere communionem orbis terrarum, & ad eum tranſmarinis Eccleſijs communicatorias literas mitti, non ad illum, quem ſibi ſceleratè ordinauerant, puduit eos ſemper tacere: quia poſſet eis obijci, cur paterentur ignaram per tot gentes Eccleſiam communicare damnatis: & cur ſe ipſi ab innocentis orbis terrarum communione præciderent, cum tacendo ſinerent Epiſcopo, quem Carthaginenſibus ordinaſſent, à toto orbe non communicari: elegerunt, ſicut dicitur, ad duas agere cauſam cum Cæciliano apud Eccleſias tranſmarinas, parati ad vtrunque, vt ſi eum potuiſſent quacunque verſutia falſæ criminationis euincere, ſatiarent pleniſſimè cupiditatem ſuam: ſi autem non poſſent, in eadem quidem peruerſitate durarent, ſed iam tamen quaſi haberent, quod dicerent, malos iudices ſe eſſe perpeſſos, quæ vox eſt omnium malorum litigatorum, cum fue-*

rint

rint etiam manifeſtiſſima veritate ſuperati: quaſi non eis ad hoc dici poſſet & iuſtiſſimè dici, Ecce putemus illos Epiſcopos qui Romæ iudicarunt, non bonos iudices fuiſſe: reſtabat adhuc plenarium Eccleſiæ vniuerſæ Concilium, vbi etiam cum ipſis iudicibus cauſa poſſet agitari, vt ſi male iudicaſſe conuicti eſſent, eorum ſententiæ ſoluerentur. Quod vtrum fecerint, probent: nos enim non factum eſſe facilè probamus, ex eo, quod totus orbis non eis communicat: aut ſi factum eſt, etiam ibi ſunt victi, quod ipſa eorum ſeparatio manifeſtat. Sed tamen quid poſtea fecerint, Imperatoris literis ſufficientiſſimè oſtenditur. Iudices enim Eccleſiaſticos tantæ authoritatis Epiſcopos, quorum iudicio & Cæciliani innocentia & eorum improbitas declarata eſt, non apud alios collegas, ſed apud Imperatorem accuſare auſi ſunt quod male iudicarint. Dedit ille aliud Arelatenſe iudicium, aliorum ſcilicet Epiſcoporum, non quia iam neceſſe erat, ſed eorum peruerſitatibus cedens, & omni modo cupiens tantam impudentiam cohibere. Neque enim auſus eſt Chriſtianus Imperator ſic eorum tumultuoſas & fallaces querelas ſuſcipere, vt de iudicio Epiſcoporum qui Romæ ſederant ipſe iudicaret, ſed alios (vt dixi) Epiſcopos dedit, à quibus tamen illi ad ipſum rurſum Imperatorem prouocare maluerunt. Hactenus Auguſtinus.

7. Ex quibus verbis conſtat, eo loci non tam diſputare S. Auguſtinum de authoritate iudicij à Romano Pontifice prolati, quam de eius iuſtitia, idque ad mentem Donatiſtarum, conquerentium malos iudices ſe eſſe perpeſſos; cui querelæ reſpondet Sanctus Doctor, *reſtare adhuc plenarium vniuerſæ Eccleſiæ Concilium, vbi etiam cum ipſis iudicibus cauſa poſſet agitari: vt ſi male iudicaſſe conuicti eſſent, eorum ſententiæ ſoluerentur.* Sufficiebat id S. Auguſtino, vt probaret vanam eſſe Donatiſtarum excuſationem, ſchiſma ob iniquitatem ſuorum iudicum falsò excuſantium, quæ certè excuſatio vana comprobatur, ex eo, quod, ſicut à Romano Pontifice ad Concilium Arelatenſe cauſa delata fuerat, ita potuiſſet ad Concilium vniuerſale perferri, vt adhuc diligentius negotium diſcuteretur, ac omnis tolleretur ſchiſmatis occaſio, ſeu prætextus.

8. Ex ijs promptum eſt oſtendere, argumentum illud deſumptum ex epiſtola 162. Auguſtini, importunè adduci ad impugnandam infallibilitatem Pontificis in determinandis fidei, & morum controuerſijs; & eſſe omnino inefficax ad intentum. Id autem oſtenditur 1. quia, vt conſtat ex hiſtoria adducta, appellatio illa interpoſita ab Epiſcopis Donatiſtis, non fuit appellatio à ſententia Romani Pontificis, lata ab ipſo in materia fidei & morum, & intimata toti Eccleſiæ per conſtitutionem ſuam Decretalem; ſed fuit appellatio à ſententia lata à Melchiade Papa in quæſtione facti, quæ pendet ex informationibus teſtium: nos autem ſolum defendimus, Romanum Pontificem non poſſe errare in determinandis fidei & morum controuerſijs, definiendo errorem, illumque toti Eccleſiæ proponendo, vel præcipiendo toti Eccleſiæ rem intrinſe-

Digitized by Google

cè malam; ac proinde dicimus nefas eſſe appellare à definitione Pontificis in materia fidei & morum, non dicimus autem, non poſſe errare, in quæſtione facti, ferendo ex allegatis & probatis ſententiam reipſa falſam, & materialiter iniuſtam: nam hoc pacto poteſt etiam Concilium generale errare in quæſtionibus facti.

9. Deinde ad probandum, validam & licitam eſſe appellationem à ſententia Pontificis ad Concilium generale, importune obtruditur exemplum Donatiſtarum, qui importunis inſtantijs impetrarunt à Conſtantino imperatore, non ſatis perito diſciplinæ Eccleſiaſticæ, vt cauſam iam iudicatam à Romano Pontifice, remitteret ad Synodum particularem. Exemplum namque iſtud, probaret, validam, & licitam eſſe appellationem à ſententia Pontificis ad Synodum Prouincialem: quod nec ipſe Dupin, nec vllus author catholicus affirmare audebit, nec vnquam in Gallia Doctores Catholici affirmarunt: quamquam aliqui dixerint, validam, & licitam eſſe appellationem à ſententia Pontificis ad Concilium generale. Tertiò illud exemplum non eſt ad rem; quia, vt dicit Auguſtinus loco nuper citato, cauſa illa iam iudicata à Melchiade Papa, iterum iudicata eſt, *non quia oporteret*, ſed quia voluit Imperator acquieſcere Donatiſtis petentibus aliud iudicium, ad experiendum, an forte in duobus iudicijs condemnati ſanarentur, vt conſtat ex illis verbis; *Dedit ille aliud Arelatenſe iudicium, aliorum ſcilicet Epiſcoporum, non quia iam neceſſe erat, ſed eorum peruerſitatibus cedens, & omni modo cupiens tantam impudentiam cohibere. Sed reuera non ſunt ſanati.*

10. Neque ex illis verbis Auguſtini: *Ecce putemus, illos Epiſcopos qui Romæ iudicarunt, non bonos iudices fuiſſe, reſtabat adhuc plenarium vniuerſæ Eccleſiæ iudicium* &c. poteſt cum probabilitate colligi, validam, & licitam eſſe appellationem à Sententia Pontificis ad Concilium generale, quatenus diſtinctum à Pontifice, ſeu quatenus non includit Pontificem; quo ſenſu Galli accipiunt Concilium quando dicunt eſſe ſupra Papam; & quando dicunt validam atque licitam eſſe appellationem à ſententia Papæ ad Concilium. Non, inquam, poteſt cum probabilitate colligi; quia planum eſt, Auguſtinum ibi non conferre Papam definientem vel ſententiam ferentem ſine Concilio, cum Concilio ſiue Papa; vt in præſenti controuerſia confertur, quando dicimus iudicium Romani Pontificis non poſſe reformari à Concilio generali; ac proinde iu quęſtionibus fidei & morum, tangentium totam Eccleſiam, iudicium Pontificis eſſe infallibile; ne alioqui cogamur aſſerere, totam Eccleſiam poſſe errare in materia fidei. Sed conferre Concilium particulare cui præſit Papa, cum Concilio generali, cui etiam præſit Papa. Vt autem, inquit ſapienter Bellar. lib. 2. de Conciliorum authoritate
„ cap. 19. Poteſt ſine dubio cauſa iudicata à Pontifice in Concilio par-
„ ticulari, iterum ab eodem iudicari in Concilio generali, præſertim
„ in quæſtione facti, quæ pendet ex informationibus, & in qua errare

„ poteſt

„ poteſt Eccleſia, qualis erat quæſtio, de qua tunc agebatur. Imo „ etiam ordinariè indicto Concilio generali, olim fiebant Concilia „ particularia prius in ſingulis prouincijs, & etiam Romæ; & deinde res „ definitæ in illis Concilijs particularibus, iterum tractabantur in Con„ cilio generali, & tunc dabatur vltima, & definitiua ſententia à Pon„ tifice, Concilio aſſentiente.

§. II.

Infertur ex dictis, An & quomodo ſententia vnius Concilij poſſit reformari & emendari ab alio.

1. EX dictis explicandus venit idem Auguſtinus lib. 2. de Baptiſmo cap. 3. vbi reſpondens Donatiſtis, qui ſuum errorem authoritate Cypriani tegebant, probat, quemlibet Doctorem particularem, etſi Epiſcopum & ſanctum poſſe errare in ijs quæ docet, ac proinde *Epiſcoporum litteras, atque ſcripta per ſapientiorem cuiuslibet in ea re peritioris, & per aliorum Epiſcoporum grauiorem authoritatem, doctioremque prudentiam, & per Concilia licere reprehendi, ſi quid in eis forte à veritate deuiatum eſt*. Et immediatè ſubiungit: *Et ipſa Concilia, quæ per ſingulas regiones vel prouincias fiunt, plenariorum Conciliorum authoritati, quæ fiunt ex vniuerſo orbe Chriſtiano, ſine vllis ambagibus cedere: ipſaque plenaria ſæpè priora poſterioribus emendari, cum aliquo experimento rerum aperitur quod clauſum erat, & cognoſcitur quod latebat, ſine vllo typho ſacrilegæ ſuperbiæ, ſine vlla inflata ceruice arrogantiæ, ſine vlla contentione liuoris inuidiæ, cum ſancta humilitate, cum pace Catholica, cum charitate Chriſtiana.*

2. Explicandus, inquam, eſt locus iſte Auguſtini: nam vel loquitur de Concilijs illegitimis, quæ per poſteriora legitima emendantur; ſicut emendatum eſt Concilium Epheſinum ſecundum per Chalcedonenſe; vel ſi loquitur de Concilijs legitimis, loquitur de illis in quæſtionibus facti, in quibus dubium non eſt poſſe Concilia generalia errare. Et quòd in hoc ſenſu loquatur, inde colligitur: quod præcipua quæſtio Donatiſtarum, quos ibi impugnat Auguſtinus, erat de Cæciliano, libroſne ſacros tradidiſſet hoſtibus fidei, vt contendebant ipſi, & idcirco fuiſſet rectè ab illis damnatus, vel non; vt contendebant iuſtè Catholici. Quod ſi aduerſarij contendant, Auguſtinum loqui etiam de vniuerſalibus quæſtionibus, & in his aſſerere, poſſe Concilia priora emendari per poſteriora; reſpondeo, id intelligi debere quoad ritus & diſciplinam, non autem quoad dogmata fidei. Dogmata enim fidei ſunt inuariabi-

lia; fierique non poteſt, vt Concilium aliquod generale approbatum à Romano Pontifice, proponat Eccleſiæ aliquod dogma tanquam articulum fidei; & poſtea Concilium poſterius declaret, illud dogma eſſe falſum: idque aſſerere eſt manifeſta hæreſis; ac proinde in mentem Auguſtini non venit. At cum ritus & diſciplina ſint variabiles, præcepta illorum mutari nonnumquam poſſunt, iuxta temporum, locorum, & perſonarum mutationes; ac proinde poſſunt poſteriora Concilia abrogare præcepta priorum, vel limitare, & coarctare: quæ mutationes dicuntur emendationes, non quod mala eſſet res pro eo tempore, quo erat inſtituta; ſed quod mala eſſe cępit mutatis circumſtantijs.

3. Et vtraque ſolutio confirmatur ex Auguſtini verbis, ſiquidem dicit, *tunc emendari Concilia, quando experimento aliquo aperitur, quod clauſum erat*. Experimento namque ſolum aperiuntur quæſtiones *de facto*, vel *de moribus*; non vero quęſtiones iuris vniuerſalis, quæ reſpiciunt materiam inuariabilem, quæ vel ſemper eſt vera, vel ſemper eſt falſa.

§. III.

Expenduntur reliqua Auguſtini teſtimonia, quibus aduerſarij contendunt, ad definitionem fidei neceſſarium eſſe Concilium generale.

1. SEd vlteriùs, & validius arguere poſſunt aduerſarij ex libr. 2. de Baptiſmo cap. 4. vbi ſic loquitur Auguſtinus: *Sanctus Cyprianus, tanto excellentior, quanto humilior . . . ſatis oſtendit facillimè ſe correcturum fuiſſe ſententiam ſuam, ſi quis ei demonſtraret, baptiſmum Chriſti ſic dari poſſe ab eis, qui foras exierunt, quemadmodum amitti non potuit, cùm foras exirent: vnde multa iam diximus: nec nos ipſi tale aliquid auderemus aſſerere, niſi vniuerſæ Eccleſiæ concordiſſima authoritate firmati: cui & ipſe ſine dubio cederet, ſi iam illo tempore quæſtionis huius veritas eliquata, & declarata per plenarium Concilium ſolidaretur*. Arguent etiam ex lib. 1. cap. 7. vbi loquens de quęſtione illa circa baptiſmum adminiſtratum ab hæreticis, in qua tantopere diſſidebant Stephanus Papa, & Cyprianus, inquit: *Quæſtionis huius obſcuritas, prioribus Eccleſiæ temporibus ante ſchiſma Donati, magnos viros, & magna charitate præditos Patres, Epiſcopos ita inter ſe compulit ſaluâ pace diſceptare, atque fluctuare; vt diu Conciliorum in ſuis quibuſque regionibus diuerſa ſtatuta nutauerint; donec plenario totius Orbis Concilio, quod ſaluberrimè ſentiebatur, etiam remotis dubitationibus firmaretur*. Denique arguent ex cap. 18. eiuſdem primi libri, vbi inquit: *Reſtat, vt hoc de baptiſmo piè credamus, quod vniuer-*

vniuerſa Eccleſia à ſacrilegio ſchiſmatis remota cuſtodit. In qua tamen ſi aliud alij, & aliud alij adhuc de iſta quæſtione ſaluâ pace ſentirent, donec vniuerſali Concilio vnum aliquid eliquatum, ſincerumque placuiſſet, humanæ infirmitatis errorem cooperiret charitas vnitatis, ſicut ſcriptum eſt, quia charitas cooperit multitudinem peccatorum.

2. Verùm de mente Auguſtini nos dubitare non ſinunt ea, quæ ex ipſo produximus Diſp.5. Sect.1. & Diſput.7. Sect.1.§.7. ex quibus conſtat, apud Auguſtinum non eſſe abſolutè neceſſaria Concilia generalia, ad damnandas, & ſuperandas hęreſes; ſiquidem lib.4. contra duas epiſtolas Pelagianorum cap. 12. affirmat, paucas quaſdam hęreſes fuiſſe, ad quas ſuperandas neceſſarium fuerit Concilium plenarium Occidentis, & Orientis. Et ſerm.2. de Verbis Apoſtoli diſertè pronuntiat, cauſam hęreſis Pelagianę finitam fuiſſe per ſententiam Romani Pontificis: idemque teſtatur lib.2. retract. cap.50.

3. In locis ergo nuper citatis non loquitur Auguſtinus de neceſſitate *ſimpliciter tali*, quaſi ad conſeruandam fidem Catholicam ſint ſimpliciter neceſſaria Concilia generalia; conſtat enim id eſſe falſum, tum quia ſicut conſeruata eſt, per trecentos & amplius annos inter ſæuas Imperatorum Romanorum perſecutiones, & inter multas hæreſes, & ſchiſmata, quæ illis tribus ſæculis ſuborta ſunt, abſque vllo Concilio generali: ita potuit conſeruari in poſterioribus ſæculis: tum quia licet ad deſtruendas ſeptem hæreſes congregata ſint ſeptem prima Concilia generalia; conſtat tamen pluſquam centum hæreſes damnatas fuiſſe à ſola Apoſtolica Sede cooperantibus Concilijs particularibus; vt oſtendimus ea Diſp.5. loquitur ergo Auguſtinus de neceſſitate ſecundum quid tali ad certos quoſdam alios fines, & præcipuè ad claudenda ora hæreticorum; qui cùm in Eccleſia non agnoſcant tribunal aliquod viſibile falli neſcium in rebus fidei determinandis ob aſſiſtentiam infallibilem Spiritus Sancti, ſed duntaxat agnoſcant authoritatem quandam humanam, & cùm hæc maior ſit in Concilio multorum Epiſcoporum, quam in vno ſolo, & in Concilio plenario totius Orbis ſit omnium maxima; ideo Eccleſia ad debellandas hæreſes, & comprimendos hæreticos, & ad ſuauius, & maturius reddendam pacem fidelibus, ſæpe cenſuit expedire, vt congregarentur Concilia generalia; quæ licet ſimpliciter nôn fuerint neceſſaria ad faciendam rem certam de fide, fuerunt tamen neceſſaria ad illos fines. Et ideo aiebat Auguſtinus verbis ſupra citatis ex epiſt.162 Conſtantinum Imperatorem deſignaſſe Donatiſtis *aliud Arelatenſe iudicium, aliorum ſcilicet Epiſcoporum, non quia iam neceſſe erat, ſed eorum peruerſitatibus cedens, & omni modo cupiens tantam impudentiam cohibere.*

4. In hunc finem reprimendi hæreticos Arianos, neceſſarium fuit congregare primum Concilium generale, nempe Nicænum Magnum tempore Conſtantini Imperatoris: hæreſis enim Ariana multos Epi-

ſcopos

ſcopos patronos ab ipſo ſuo exordio habere cœpit, qui non videbantur facilè quieturi, niſi ſumma totius Eccleſiæ authoritate obruerentur. Et ſimiliter ad comprimendos hæreticos Neſtorianos, Eutychianos, & Monothelitas, & hæreticos Lutheranos. Atque adeò hæc eſt cauſa præcipua & principalis congregandi Concilia generalia, videlicet quando noua hæreſis oritur, & Eccleſia cenſet non aliter poſſe reſiſti, quàm ſi omnes, aut certè permulti Principes Eccleſiarum, coniunctis viribus, & quaſi agmine facto irruant in hoſtes fidei. Quando vero noua ſuboritur hæreſis, & Epiſcopi in Synodis Prouincialibus illi reſiſtunt; nec illa habet pro ſe potentes fautores, nec Epiſcopos magnæ authoritatis, ad illam extinguendam non iudicatur neceſſarium Concilium generale; vt patet in hæreſi Pelagiana, cui ſe oppoſuerunt Epiſcopi Africæ, & pro cuius extinctione recurrerunt ad Innocentium primum; & in hæreſi Ianſeniana, ad quam penitus debellandam ſatis habuerunt Epiſcopi Galliæ recurrere ad Innocentium X. vt ſua conſtitutione illam damnaret; prout fecit.

5. Inter alias cauſas, ob quas maxime vtile,& quodammodo neceſſarium eſt conuocare Concilium, eſt,quando ſuboritur aliquod dubium circa exiſtentiam, vel adminiſtrationem rectam,& validam alicuius Sacramenti neceſſarij ad ſalutem; & dubium non poteſt determinari, & reſolui ex verbo Dei ſcripto, ſed debet determinari ex conſuetudine,& traditione Eccleſiæ, quale fuit illud dubium, an baptizati ab hęreticis eſſent rebaptizandi in Eccleſia Catholica. Tunc enim maxime vtile eſt Concilium generale; vt de veritate conſtet; quia Pontifex Romanus conuocatis Theologis inſignibus ad inueſtigandum legitimum ſenſum Scripturarum, non poteſt prudenter dubium determinare, quando ex Scripturis Theologi nihil poſſunt certi colligere. Vnde tunc recurrendum eſt ad examen conſuetudinis, quæ in Prouincijs orbis Chriſtiani viget, vt inde colligatur,an illa conſuetudo ſit traditio Apoſtolica, necne. Talis autem fuit quæſtio de reiteratione Baptiſmi; in qua ad ſtabiliendam ſuam ſententiam Stephanus Papa non nitebatur teſtimonijs Scripturæ, ſed ſola conſuetudine; vt patet ex epiſtola 74. Cypriani, vbi nihil aliud Stephanus dicit, quàm, *Nihil ab antiquis traditionibus quod hæreticos, qui reſipiſcunt, redeuntque ad Eccleſiam, innouandum eſſe*. Et teſtatur S. Auguſtinus lib. 2. de Baptiſmo cap. 9. cuius verba retulimus ſectione præcedenti §. 11. num. 2. & 3. Vnde Euſebius lib. 7. hiſtoriæ cap. 3. dixit: *Stephanus nihil noui, aut alieni à traditione ex temporibus Apoſtolorum deriuata moliendum ratus, hac de re vehementer commotus eſt*, quando nimirum ſciuit Cyprianum cum Synodo 71. Epiſcoporum declaraſſe rebaptizandos omnes, qui ab hæreticis quibuſcumque eſſent baptizati.

6. Quamuis autem in hoc caſu ſit valde vtile Concilium generale; non tamen eſt ſimpliciter & abſolute neceſſarium, nam Pontifex Romanus

nus poteſt ſufficienter inquirere ſine Concilio generali, an detur de hoc traditio Apoſtolica; & re bene examinata, quæſtionem determinare, & veritatem definire, & toti Eccleſiæ credendam proponere; ſiquidem ſi re diligenter inſpecta, comperiat, in Eccleſia Romæ à Petro Apoſtolo fundata, ſemper viguiſſe illam conſuetudinem, prudenter iudicare poteſt, illam deriuatam fuiſſe ab Apoſtolis Petro & Paulo, qui Eccleſiam Romanam fundarunt. Vt enim pronuntiat ſupracitatus textus Canonicus in capite. *Nolite errare Diſt. 11. Satis indignum eſt, quenquam vel Pontificem, vel Ordinum ſubſequentium hanc regulam refutare, quam Beati Petri Sedem & ſequi videt & docere. Multum enim conuenit, vt totum corpus Eccleſiæ in hac ſibimet obſeruatione concordet, quæ inde authoritatem habet, vbi Dominus Eccleſiæ totius poſuit principatum.*

7. Sed quamquam Stephanus Papa potuiſſet hanc quæſtionem definire; & è Cathedra Petri declarare, & toti Eccleſiæ credendum proponere idipſum, quod poſtea definiuit Concilium Nicænum, & tota Eccleſia, vt veritatem Catholicam modo credit, nihilominus, quia vidit, Cyprianum, & alios magnos viros in Africa oppoſitum tenere; noluit ad definitionem procedere; ne Eccleſiam Africanam in periculum ſchiſmatis conijceret, & tot viros magnos cogeretur ab Eccleſia ſeparare, ſed ſatiùs duxit hoc reſeruare ad alicuius plenarij Concilij determinationem, vbi res ſuauiùs, & cum minore mortificatione tot Epiſcoporum, contrariam ſententiam tenentium, determinaretur; ſatiſque pro tunc iudicauit præcipere, *vt nihil innouaretur*; abſolutam eius quæſtionis determinationem in tempus aliud magis opportunum differendo.



DI-

DISPVTATIO XVIII.

An Papa ſit infallibilis in Canonizatione SANCTORVM.

HVcuſque in hoc tractatu omni genere argumentorum oſtendimus Papam eſſe infallibilem in definiendis fidei & morum controuerſijs, ſeu errare non poſſe in decretis fidei & morum, quibus totam Eccleſiam obligare intendit. Nunc examinandum conſectariè ad dicta, an etiam ſit infallibilis in Canonizatione Sanctorum; ita vt non poſſit errare in Decreto Canonizationis, proponendo toti Eccleſiæ vt ſanctum, hominem; qui ſanctus non ſit. Hanc diſputationem præcedentibus annecto, tum quia ex principijs ſtabilitis decidenda eſt, tum quia maxime conducit ad dignoſcendam authoritatem Romani Pontificis: tum quia licet inter Theologos certius ſit Papam eſſe infallibilem in determinandis fidei & mòrum controuerſijs, quam in Sanctis Canonizandis: (ſiquidem graues aliqui Doctores ex ijs, qui cum communi Theologorum cenſent, eſſe omnino certum, quod Papa non poſſit errare adhuc materialiter in decretis fidei & morum, ſiue quia iudicant eſſe formaliter reuelatum, ſiue quia iudicant, ex reuelatis neceſſario inſerri: nihilominus dicunt, poſſe materialiter errare in Decreto Canonizationis; quia exiſtimant, contingere phyſice poſſe, vt Papa ob argumenta humana valde veriſimilia, fallacia tamen, ſibi perſuadeat, deceſſiſſe in gratia hominem, qui reuera obijt in peccato; & hoc errore ſpeculatiuo & materiali deceptus, iubeat ſcribi in catalogo Sanctorum, & tanquam ſanctum coli hominem qui reipſa eſt in inferno; Inter hos Doctores præcipui ſunt Cardinalis Caietanus, & M. Cano; qui quamuis tanquam quid omnino certum ſtatuant, Papam non poſſe errare in Decreto Fidei & morum, nihilominus certum non putant, non poſſe ſpeculatiuè errare in Canonizatione Sanctorum, vt videbimus ſect.2. & ſect.6. in fine) nihilominus dubitari non poteſt, eum, qui diceret Papam non eſſe infallibilem in Sanctis Canonizandis, arma præbere aduerſarijs, quibus oppugnare poſſint infallibilitatem eius in Decretis fidei & morum. Et ideo vt hęc infallibilitas ex omni parte maneat circumuallata, vtiliſſimum eſt, efficaciter probare, infallibilitatem in Decretis Canonizationis.

Digitized by Google

SECTIO I.

PRAEAMBVLA AD DISPVTATIONEM

Quid ſit Canonizatio, & in quo à Beatificatione differat; & ad quem ſpectet Sanctos Canonizare.

1. PRæmittendum eſt primò, quid ſit Canonizatio? Hæc (inquit Bellarminus tom. 2. lib. 1. de Beatitud. ſanctor. cap. 7.) nihil aliud eſt, quàm publicum teſtimonium de vera Sanctitate, & gloria alicuius hominis iam defuncti, & ſimul iudicium ac ſententia, qua decernuntur illi honores, qui debentur his, qui cum Chriſto feliciter regnant. Quare, qui Canonizantur, ſcribuntur in Catalogo Sanctorum, id eſt, ſtatuitur & iubetur, vt ab omnibus publicè habeantur, & dicantur ſancti.

2. Differunt autem Canonizatio, & Beatificatio, quòd illa eſt per modum definitionis & vltimæ ſententiæ, latæ de ſanctitate & gloria canonizati toti Eccleſiæ propoſiti: Beatificatio autem eſt indulgentia, ſeu conceſſio Pontificis, facta alicui Prouinciæ, vel Religioni, vt poſſit aliquis defunctus Beatus appellari, eique cultus aliquis exhiberi, vt conſtat ex Bulla Beatificationis Sancti Franciſci Borgia, in qua Vrbanus VIII. inquit: *Apoſtolica authoritate, tenore præſentium perpetuò concedimus & indulgemus, vt Dei ſeruus Franciſcus Borgia Beatus nuncupari, deque eo ab omnibus Societatis Ieſu Sacerdotibus, nec non in ditionibus familiæ illorum de Borgia, ab omnibus Sacerdotibus, Kalendis Octobris, ipſo nempe die ſui obitus, Miſſa celebrari, ac Officium de Communi Confeſſoris non Pontificis liberè ac licitè valeat.*

3. Quod Canonizatio ſit definitio Pontificis de glorificatione defuncti, conſtat primò ex verbis, quibus Romanus Pontifex vtitur in Canonizatione Sanctorum, quæ ex libro ſacrarum Eccleſiæ ceremoniarum tranſcribit Caſtro lib. 1. de iuſta hæreticorum punitione, cap. 6. *Ad honorem Sanctæ & indiuiduæ Trinitatis, & exaltationem Fidei Catholicæ, ac Chriſtianæ Religionis augmentum, authoritate eiuſdem Dei Omnipotentis, Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, & Beatorum Apoſtolorum Petri, & Pauli &c. Decernimus, & definimus bonæ memoriæ N. Sanctum eſſe, & Sanctorum Catalogo adſcribendum, ipſumq; Catalogo huiuſmodi adſcribimus.*

4. Conſtat ſecundò ex Bullis Pontificum in Canonizatione Sanctorum, quas refert Diana tract. 2. de infallibilitate Decretorum Romani Pontificis: nam Pius II. in Bulla Canonizationis Sanctæ Catharinæ Senenſis, inquit: *Authoritate, &c. Catharinam Senenſem in Cæleſtem Hieru-*

Digitized by Google

ſalem fuiſſe receptam, & æternæ gloriæ corona donatam declaramus, eamque tanquam Sanctam, publicè, priuateque colendam decernimus, & definimus. Leo X. in Bulla 38. *Decernimus, & definimus bonæ memoriæ Franciſcum de Paula in Cæleſti Hieruſalem inter beatorum choros receptum, æternæque gloriæ condonatum fuiſſe.* Et Vrbanus VIII. de Sancto Ignatio Parente noſtro, quem eius prędeceſſor vna cum alijs quatuor canonizauerat, inquit: *Decreuit, & definiuit, dictum Ignatium de Loyola Sanctum, & Sanctorum Catalogo adſcribendum & aggregandam eſſe, prout adſcripſit & aggregauit.*

5. Secundò præmittendum, ad ſolum Romanum Pontificem attinere Sanctos Beatificare, & Canonizare, vt probant Caſtro, & Bellarminus locis ſupra citatis: etſi enim olim Epiſcopi ſoliti fuerint in ſuis Diœceſibus, & Prouincijs Sanctos Canonizare, vt conſtat ex Cypriano lib.3. Epiſt.6. monente, ſcribi, & annotari eos, qui pro defenſione Fidei moriebantur, vt ita poſſet eorum memoria ſingulis annis celebrari; nullus tamen Epiſcopus vnquam vllum Sanctum pro tota Eccleſia canonizauit: cum enim ſolùm iuriſdictionem haberent in ſibi ſubditos, eos duntaxat obligare poterant ad deferendum honorem Sanctis à ſe Canonizatis; ab vno tamen Epiſcopatu & prouincia, extendebatur cultus & veneratio ad alias, & ſic canonizatio fiebat vniuerſalis ex conſenſu Epiſcoporum, & populorum. Nunc autem nec pro ſua duntaxat Diœceſi poteſt Epiſcopus vllus particularis Sanctum canonizare: quia ob multos abuſus accidere ſolitos in his Canonizationibus, Alexander III. in cap. *Audiuimus*, & Innocentius III. cum Concilio Generali citato in cap. *Cùm ex eo*. De reliquijs, & veneratione Sanctorum: ſeuerè prohibuerunt, ne vllus in poſterum abſque Romani Pontificis authoritate & conſenſu, audeat aliquem pro ſancto declarare, & venerari. Idque iure merito decretum eſt: nam ad eum ſolùm ſpectat toti Eccleſiæ proponere, quid ſit credendum, & quid agendum in his quæ ſunt Religionis, qui toti Eccleſiæ præeſt: is autem eſt ſolus Romanus Pontifex, cui Chriſtus in Petro totum ſuum commiſit ouile per illa verba *Paſce oues meas*; Ergo ad ſolum Romanum Pontificem ſpectat definire, & declarare, quis ſit verè ſanctus, illumque omnibus colendum proponere: ſicut ad ipſum ſolum pertinet declarare, quænam ſit verè Diuina Scriptura, ſeu quinam ſint verè libri Canonici, & verum Scripturæ ſenſum fidelibus proponere. Nec ad Canonizationem Sanctorum expectandum eſt Concilium generale: tum quia illa frequens eſt; Conciliorum autem generalium conuocatio frequens eſſe non poteſt; tum quia vt ritè inquiratur in vitam, & miracula Sanctorum, & Summus Pontifex rectum iudicium de ipſorum ſanctitate formet, omnino de materiali ſe habet congregatio Epiſcoporum ex omnibus Orbis Chriſtiani partibus, quæ tamen ad damnandas hæreſes de nouo inſurgentes, & comperiendas traditiones Apoſtolicas, atque Eccleſiam reformandam vtiliſſima eſt.

6. Si

6. Si autem quæras, quinam fuerit Romanus Pontifex, qui primus ſolemni ritu Sanctum aliquem Canonizauit? Reſpondet Bellarminus lib. 1. de Sanctorum Beatitudine cap. 8. fuiſſe Leonem III. qui iuxta Baronium ann. Chriſti 804. Caroli Magni Imperatoris precibus, ſolemni pompa rituque, poſt examinatam vitam, & miracula Beati Suiberti, & poſt actas preces, & ieiunia indicta, & habita, de conſenſu Cardinalium inter ſacra Miſſæ ſolemnia in Sanctorum Confeſſorum numerum illum retulit nonis Septembris. Vide tamen illa quæ habent Acta Sanctorum Bollandi in Commentario præuio ad vitam S. Lugderi die 23. Martij. §. 4. & 5. & Papebrochius in Propylæo pag. 125. Hoc ritu poſtea Innocentius II. canonizauit S. Hugonem Epiſcopum Gratianopolitanum, vt patet ex epiſtola eiuſdem Pontificis ad Priorem Carthuſiæ adductam à Surio tom. 2. Deinde hoc ſolemni ritu Alexander III. canonizauit S. Bernardum, & Pontifices poſteriores alios Sanctos; reliqui autem qui inſtitutionem huiuſmodi ritus præceſſerunt, tacito Eccleſiæ conſenſu Canonizati, hoc ipſo, quod tota Eccleſia illos vt ſanctos venerata eſt.

SECTIO II.

Doctorum ſententiæ.

1. HIs ſuppoſitis, hæretici affirmant Romanum Pontificem non ſolùm poſſe, ſed frequenter errare in Sanctorum Canonizatione; imò Ioannes Wicleph aiebat nimis præſumptuoſum eſſe, quod Papa vel Eccleſia abſque ſpeciali reuelatione aliquem Sanctum eſſe, atque Beatum iudicaret, etiamſi facta miracula comprobarentur: quia illa non ſunt certa indicia ſanctitatis, cùm poſſint eſſe præſtigiæ dæmonum. Contra hunc errorem ſcribit eleganter Waldenſis in tom. 2. de Sacramentalibus à cap. 122. Lutherus etiam, vt refert Coclęus ann. 1524. furijs inuectus contra Adrianum VI. quod in Sanctorum Catalogum retuliſſet Bennonem Miſnenſem Epiſcopum, libellum edidit lingua vulgari Teutonica ſub hoc titulo: *Aduerſus nouum idolum & antiquum Diabolum*, in quo impudenter ait officium Papæ non eſſe aliud, quàm veros ſanctos interficere, & falſos exaltare. Hic eſt hæreticorum ſpiritus: quia totus eorum conatus tendit ad labefactandam Romanæ Sedis authoritatem, à qua eorum errores damnantur.

2. Cardinalis Bellarminus vbi ſupra cap. 9. ponit tanquam ſententiam omnium Catholicorum, *Certum eſſe Eccleſiam non errare in Sanctorum Canonizatione, ita vt ſine vlla dubitatione Sancti ab Eccleſia Canonizati venerandi ſint*. Verùm licet omnes Catholici affirment Eccleſiam non errare, exhibendo cultum Sanctis canonizatis à Romano Pontifice; non tamen omnes affirmant, certum eſſe, illum nunquam errare in

Digitized by Google

Sanctorum Canonizatione: nam aliqui videntur docere abſolutè poſſe Papam errare in Sanctis Canonizandis, videlicet Caietanus, & Canus; quamuis neuter eorum affirmarit, aliquando Pontificem aliquem in hoc erraſſe. Ne autem videamur tantis Doctoribus imponere, operæ pretium erit eorum verba afferre, ob quæ multi authores eos citant pro ea ſententia, vt patebit ſect. *6.* in fine de Cardinali Caietano citato à Catharino. Cardinalis ergo Caietanus id videtur docere to.1. opuſculor. tract.15. qui eſt de Indulgentijs, cap.8. nam ad vltimum, reddens rationem, cur Eccleſia non erret in prædicandis Indulgentijs,
„ inquit: Præſumitur enim de iure pro iudice ſemper, niſi manifeſtè
„ appareat error, & ſupponens ex cauſa legitima datam tantam indul-
„ gentiam veritatem prędicat, ſicut abſque falſitate prædicat talem
„ Sanctum, ſupponens illum ritè canonizatum. Ita quod iſte canoni-
„ zatus non eſſet Sanctus, ſed damnatus, Eccleſiæ doctrina, aut prædi-
„ catio non eſſet mendax, aut falſa: quia hic non pertinentia ad finem
„ (ad fidem forſan debebat dicere) non intelliguntur affirmari, & præ-
„ dicari, niſi cum grano ſalis, hoc eſt, ſtantibus communiter præſum-
„ ptis. præſumit enim Eccleſia Canonizationem ritè factam, & ſimili-
„ ter indulgentiam ritè datam, & ſic prædicat Indulgentias valere
„ quantùm ſonant: ſed ſicut poteſt interuenire error humanus in Ca-
„ nonizatione alicuius Sancti (vt Sanctus Thomas dicit) ita poteſt
„ interuenire error humanus in collatione indulgentiæ: ſi quis autem
„ putet Romanum Pontificem non poſse errare in iſtis particularibus
„ actionibus, putet quoque ipſum non eſſe hominem. Hæc ille, cuius mens plana eſt, non errare Eccleſiam in colendo tanquam Sanctum illum, quem Romanus Pontifex Canonizauit: quia pręſumere debet ritè Canonizaſſe. Cæterùm abſolutè videtur pronuntiare, Papam in Canonizando poſſe errare, nimirum quatenus ob probationes humanas valde veriſimiles, quæ ipſi apparebant moraliter certæ, concipit iudicium ſpeculatiuum reipſa falſum, quo iudicat in gratia deceſſiſſe hominem, qui reuera in gratia non deceſſit. Et ex hoc iudicio progreditur ad Decretum Canonizationis, quo hominem illum, quem Sanctum exiſtimat, toti Eccleſiæ proponit colendum tanquam Sanctum.

3. Sententiam tamen Caietani ſectatus eſt Magiſter Canus lib. 5. de locis cap. 5. in 3. concluſione ad finem capitis, vbi hęc habet: cer-
„ ta, & firma Eccleſiæ decreta eſſe non poſſunt, quæ non certis, ac
„ firmis principijs & fundamentis innitantur. Quocirca, ſi vel vnum
„ ex his à quibus Eccleſiæ iudicium pendet, incertum eſt, certum Ec-
„ cleſiæ decretum eſſe non poteſt, ſiue quæſtio ſpeculatiua ſit, ſiue
„ practica: concluſio quippe, vt in Dialecticorum prouerbio eſt, de-
„ biliorem partem ſequitur; & ſi vnum quodlibet principiorum clau-
„ dicat, eam quoque ex illa parte debilitari neceſſe eſt. Qua ex re fa-
„ cilè intelligitur, Eccleſiæ iudicia, quę ab incertis hominum teſti-

„ monijs

„ monijs proficiſcuntur, infirma eſſe ad certam & exploratam faciendam fidem. Quale illud eſt, quo Sanctum aliquem, Diuorum Catalogo adſcribendum cenſet. Nec tamen impunè licèt huiuſmodi decreta in dubium reuocare; quin temerarium, & irreligioſum eſt in Diuis conſecrandis Eccleſiæ abrogare fidem. Quod poſtquam latè probauit, concludit, Eos, qui negarent Sanctum Canonizatum eſſe in gloria, non hæreticos quidem; ſed temerarios, impudentes, & irreligioſos eſſe credendum. Vndè patet Canum idem ſentire, quod Caietanus. Caietanum, & Canum ſecutus eſt Vincentius Baronius parte 2. Manuductionis ad moralem Theologiam diſp. 2. ſect. 2. §. 2. & parte 4. lib. 1. ſect. 2. §. 2. „ vbi non ſolùm negat, de fide, eſſe quod Sancti ſint, qui Pontificis decreto in Sanctorum Album referuntur, ſed addit, id non pertinere ad certam ſpeculatiuam veritatem; Sed ad practicam tantùm, & ad effectum pietatis: ad quem ſatis eſt probabilis, & prudens ratio, licet euidentia, & omnimoda certitudo deſit.

4. Secunda ſententia aſſerit, Pontificem Romanum errare non poſſe in Canonizatione Sanctorum, idque eſſe omnino certum; non tamen de fide, ita forſan aliqui Mag. Canum explicabunt, & tenet Magiſter Bañez 2.2. quæſt. 1. art. 10. dub. 7. in ſecunda concluſione dicens: *Temerarium eſſe valdè, & ſcandaloſum, & hæreſim ſapere dicere, quod Papa, aut Concilium poſſit errare in Canonizatione Sanctorum*. Additque ſe in hac cenſura ſequi communem Theologorum ſententiam, præſertim D.Thomæ quodlib.9.art.vlt. aſſerentis Canonizationem Sanctorum medium eſſe inter duo, ſcilicet inter iudicium infallibile Papæ de rebus fidei, & iudicium fallibile eiuſdem in cauſis ciuilibus, & criminalibus. Ex quo ſequitur, ex mente D. Thomæ, iudicium Pontificis in Canonizatione Sanctorum eſſe quidem infallibile; cæterùm infallibilitate inferiori ad infallibilitatem fidei. Vt infra in ſpeciali ſectione oſtendemus.

5. Hanc Sententiam è noſtris ſectantur Eximius Doctor P. Franciſcus Suarez in defenſione fidei aduerſus Regem Angliæ lib. 2. cap. 8. his verbis: „ Cultus quem Eccleſia præbet alicui Sancto, in Scriptura non fundatur, nec fundatur in quauis humana hiſtoria etiam graui, ſed fundatur vel in antiqua traditione cum vniuerſalis totius Eccleſiæ conſenſu, vel in authentica Pontificis declaratione, quam Canonizationem vocamus, quæ tanto morum, & miraculorum examine, & tam graui inquiſitione, ac diligentia fit, vt ipſa per ſe poſſit moralem quandam certitudinem, ac ſecuritatem conferre: adiuncta verò Spiritus Sancti aſſiſtentia, & gubernatione, quam credimus à Chriſto eſſe promiſſam, fit certitudo longè maior, quæ omne morale periculum, omnemque prudentem dubitationem excludit. In primo autem tractatu de fide diſp. 5. ſect. 8. num. 8. ex dictis à ſede infallibili

li regula fidei, quę eſt Summus Pontifex, etiam ſine Concilio, deducit hoc Corollarium: *Secundò infertur, non poſſe errare Pontificem in Sanctorum Canonizatione, vt rectè docuit D.Thomas quodlib.9.S.Antonin. &c. Ratio verò eſt, quia hæc eſt pars quædam materiæ moralis, & valde neceſſaria, vt Eccleſia non erret, in cultu, & adoratione religionis: aliàs contingere poſſet, vt coleret hominem damnatum, & ad illum preces funderet; quod eſt etiam contra puritatem, & ſanctitatem Eccleſiæ; Item non licet fidelibus dubitare de gloria Sancti Canonizati: id enim ſub præciſa obligatione præcipiunt Pontifices in ipſa Canonizatione: ergo oportet, vt illi præcepto non poſſit ſubeſſe error; aliàs deficeret Deus in re maximè neceſſaria Eccleſiæ, quod eſt contra prouidentiam, & promiſſiones eius, & ideo quamuis hæc illatio non ſit de fide, cenſeo eſſe ſatis certam, & contrariam eſſe impiam, ac temerariam.* Hæc Suarez, qui tamen tom. 4. de Relig.lib.3.c.4.coroll.2. putat de fide eſſe tria vota ſimplicia Societatis noſtræ, eſſe ſubſtantialia Religioni.

6. Idem docet P. Gabriel Vazquez tom. 2. in prim. 2. S. Thomæ diſp. 165. cap. 9. vbi poſtquam dixerat Gregorium XIII. in extrauagante *Aſcendente Domino* definiuiſſe tria vota ſimplicia, quæ in noſtra Societate nuncupant poſt biennium nouitiatus Scholares, & ſuo tempore Coadiutores formati, ſufficere, vt ſint verè, & propriè Religioſi, eoſque improbauerat, qui negabant eſſe id de fide, putantes Pontificem eodem modo ſe habere in hac definitione, ſicut in approbatione Religionis; ſubiungit num. 94. hanc diſparitatem. „ Quis enim „ non videat diuerſam eſſe definitionem, qua Pontifex declarat aliquem eſſe ſanctum, & ſanctè vixiſſe in Eccleſia Dei, ſeu approbat „ regulam Religionis, tanquam conuenientem præſenti tempore; & „ qua declarat definitque; doctrinam ad ſtatum Religionis, aut ad mores in vniuerſum pertinentem? Nam, vt definiat hunc hominem, aut „ illum ſanctè vixiſſe, non habet principium aliquod de fide, nempe aut „ Scripturam, aut Traditionem, ſed ſolum humanum teſtimonium, & „ ideo Pontifex non cenſetur de fide definire, quamuis habeat aſſiſtentiam Spiritus Sancti, ne erret, ac proinde temerarium eſt negare, id, „ quod ipſe in Canonizatione decernit. Et poſt pauca addit. Tamen definitio Pontificis, qua decernit doctrinam morum, non poteſt non ad „ fidem pertinere: æqua enim poteſtas definiendi conuenit Pontifici „ in rebus morum, & in myſterijs noſtræ Religionis; alioquin poſſet „ Pontifex proponere populo, vt bonum, id quod ex genere ſuo peccatum eſſet, qui eſt manifeſtus error. Eodem modo Pontifex definire poteſt ex principijs fidei eſſe in Eccleſia ſtatum Religioſum, & „ ea, quæ ad ipſum eſſentialiter pertinent. Idem etiam docet Cardinalis Bellar.lib.1. de ſanct. Beatitudine cap.9.

7. Eandem ſectati ſunt P. Henricus Henriquez in ſummam lib. 5. cap. 16. in gloſſa, P. Ludouicus Turrianus diſp. 16. de fide ſect. 5. P.

Iacobus

Iacobus Granadus de fide tract.7. diſp.3. ſect. 3. à num. 5. ad 24. P. Serarius lib.2. *Litaneuticon* qu.11.

8. Ex alienis hanc eandem ſententiam ſequuntur Iacobus Caſtellinus de Canonizatione Sanctorum quæſt. 9. art. 3. Angelus Roccha de Canonizatione Sanctorum cap. 39. & 40. Malderus in ſecunda ſecundę dub. 6. prop. 4. & diſp. 4. de Pontif. prop. 4. Ioannes de S. Thoma in ſecunda ſecundæ diſp. 9. ar 2. Bañez ibi qu. 1. num. 10. dub.7. Ludouicus Paramo lib. 4. de Origine Inquiſitionis qu. 5. num. 184. Franciſcus de Caſtillo lib.3.ſent. tomo 2.in qu.8. num.25. Io: Baptiſta Signius de Reliquijs cap. 4. Iſidorus de Iſolanis lib. 2. de Imperio militantis Eccleſiæ tit. 6. qu. 3. Baptiſta Fragoſus tom. 2. de Regim. Chriſtianæ Reipub. d. 1. num.29.

9. Eandem priùs docuerunt Ioannes Gerſon in fine opuſculorum, tractatu de admirabili victoria cuiuſdam puellæ pugnantis pro Francis contra Anglos. Thomas Waldenſis in Doctrinali Fidei tom.3. titulo 14. cap. 122. & Fr. Antonius Cordubenſis lib. 4. Quæſtionarij Theologici qu. 12. vbi inquit: „ Mihi autem dicendum videtur, quòd neque Papa, „ neque Concilium generale in Canonizando aliquem Sanctum, ſi fa- „ ciat quod in ſe eſt, errare poteſt: & oppoſitum dicere certè temera- „ rium, & impium eſt, quamuis non hæreticum, nec hæreſim ſapiens ſit. Et in reſponſione ad ſecundum, vtrum aliquis Sanctus Canonizatus ſit, aut eſſe poſſit in inferno, reſpondet. „ Quòd non, imò, & id „ dicere temerarium, & impium inſuper, & ſapiens hæreſim, non ta- „ men hæreticum cenſeo. In ſolutione autem obiectionum, inquit. Li- „ cet per teſtimonia hominum inquirat Eccleſia de Sanctitate, & mira- „ culis, vt ita faciat, quod in ſe eſt: non tamen illis tantùm innititur, „ ſed præcipuè illuminationi diuinæ interiori, eiuſque aſſiſtentiæ ſpe- „ ciali, & ita non certum de fide, ſed de pietate, & probabilitate „ magna fidei eſt, quòd Eccleſia in Canonizatione Sanctorum errare „ non poteſt.

10. Tertia ſententia docet, eſſe fidei, quòd non poſſit Papa errare in Sanctorum Canonizatione. Ita P. Amicus diſp. 7. de fide num. 93. pro hac ſententia citans Patrem Luiſium Turrianum, qui 2.2. diſp. 17. dub. 6. eam vt probabilem defendit, & P. Valentiam, qui firmiter illam tuetur qu. 1. de fide punct. 7. §.41. Eandem ſententiam defendunt P. Arriaga diſp. 9. de fide num. 28. & P. Caſtro Palao tom. 1. tract. 4. diſp. 1. punct. 5. §.4. num. 2. tenet eandem P. Adamus Tannerus tom. 3. diſp. 1. de fide qu. 4. dub.7. num.290. ijs verbis *Firmiter credendum Canonizationem Sanctorum, à Pontifice factam, eſſe infallibilem; ita vt ſit de fide, verè Sanctos ac Beatos eſſe eos, qui à Summo Pontifice Canonizati ſunt*. Item ex alienis Verricelli in quæſtionibus moralibus tract. 8. qu.24. num. 2. Diana tom.11. tract.2. reſol.18. Leander à Sacramento tom.6.tract.7. qu.27.

11. Quibus

Digitized by Google

11. Quibus addendi ſunt è Sacra Prædicatorum familia Illuſtriſſimus Araujo in Deciſionibus moralibus tract. 3. qu. 23. num. 2. vbi in-
„ quit: In Canonizatione Sanctorum Papam errare non poſſe eſt cer-
„ tum de fide, quia procedit vt caput totius Eccleſiæ. Item M. Domi-
„ nicus Baltanas in Margarita Confeſſorum fol. 184. vbi ita ſcribit.
„ Ioannes de Neapoli quodlibeto 11. & plures alij tenent ſimpliciter,
„ quod aſſerere Papam poſſe errare in Canonizatione Sanctorum, eſt
„ hæreticum, & hęc eſt mens Diui Thomæ 2.2. quia in ſpectantibus ad
„ fidem & bonos mores, aſſerere poſſe Papam errare, eſt hæreticum;
„ ſed Canonizatio Sanctorum eſt huiuſmodi; quia per eam ponuntur,
„ vt exemplar fidei, & ſanctæ vitæ, vt inuocandi ab omnibus &c. Ergo
„ Papa in hoc non poteſt errare, & oppoſitum ſimpliciter eſt hæreti-
„ cum, cum ſit directè contra articulum fidei, ſcilicet: Credo ſanctam
„ Eccleſiam, &c. Denique M. Zanardus par. 2. verbo *hæreſis*, vbi ait, hanc eſſe contra hæreticos Catholicorum ſententiam, habentem certitudinem infallibilis veritatis.

12. Hanc ſententiam valde promouet P. Ioannes Baptiſta Ricciolus noſtræ ſocietatis in ſpeciali tractatu dicato Clementi Nono Pontifici maximo anno 1668. cui titulus, *Immunitas ab errore tam ſpeculatiuo quam practico definitionum S.Sedis Apoſtolicæ in Canonizatione Sanctorum; in feſtorum Eccleſiaſticorum inſtitutione, & in Deciſione Dogmatum, Quæ in Verbo Dei ſcripto, traditione implicitè tantum continentur; aut ex alterutro ſufficienter deducuntur*. In hoc tractatu lib. 1. cap. 1. citat pro ea vigintiquinque authores.

SECTIO III.

Certum eſt certitudine ſaltem Theologica, Papam non poſſe errare in Canonizatione Sanctorum.

ASſero primo, non ſolum eſſe moraliter certum, ſed omnino infallibile, ſaltem certitudine Theologica, Papam non poſſe errare in Canonizatione Sanctorum, & omnes Canonizatos eſſe in Cœlo.

§. I.

§. I.

Primum caput id probandi; quia alioqui tota Eccleſia teneretur errare in re grauiſſima.

1. PRobatur primò aſſertio: quia dum Pontifex ſolemni ritu aliquem Sanctum Canonizat, obligat fideles omnes ad ſentiendum hominem illum frui cæleſti Beatitudine: nam, vt inquit P. Suarez diſp. 5. ſect.8. num.8. *Non licet fidelibus dubitare de gloria Sancti Canonizati, id enim ſub præciſa obligatione præcipiunt Pontifices in Sanctorum Canonizatione.* Idque probat Bellarminus lib. 1. de Sanctorum Beatitudine cap. 9. quia ſi liceret dubitare, an Sanctus Canonizatus ſit Sanctus, liceret etiam dubitare, an ſit colendus; at hoc eſt falſum: ſiquidem Diuus Auguſtinus epiſt. 118. dicit, *Inſolentiſſimæ inſaniæ eſſe diſputare, an ſit faciendum, quod tota Eccleſia facit.* Item Bernardus Epiſt. 174. loquens de colendis feſtis in honorem Sanctorum, inquit: *Ego quæ accepi ab Eccleſia ſecurus teneo, & trado.* Secundò: quia omnes veteres, Sanctos colendos eſſe aſſeruerunt. Denique quia tenemur obedire Pontifici indicenti diem feſtum alicuius Sancti, nec tamen poſſumus contra conſcientiam aliquid agere: ergo non poſſumus dubitare, an ſit colendus ille, qui ab Eccleſia eſt canonizatus: ergo nec poſſumus dubitare an ſit in Cælo, ac proinde tenemur firmiter iudicare, illum cæleſti gloria donatum fuiſſe. Tum ſic, ergo tota Eccleſia tenetur iudicare Sanctum Canonizatum eſſe in Cælo. At impoſſibile eſt, vt tota Eccleſia teneatur pro vero accipere aliquid reipſa falſum: ergo impoſſibile eſt, quòd Sanctus Canonizatus non ſit in Cęlo, ac proinde certum omnino eſt, non poſſe Pontificem errare in Sanctorum Canonizatione.

2. Cætera conſtant; probatur minor ſubſumpta: nam, cum iuxta Apoſtolum 1. ad Timotheum 3. *Eccleſia ſit columna, & firmamentum veritatis,* impoſſibile eſt, quòd tota erret, & quod peius eſt, quòd tota teneatur ex graui obligatione errare: dicitur enim columna veritatis, quia errorem, aut falſitatem ſuſtentare non poteſt; ſed firmitate ac ſtabilitate ſua ſinceram, ac puram veritatem conſeruare, & vt inquit Bellarminus lib. 3. de Eccleſia militante cap. 14. dum Apoſtolus vocat Eccleſiam *Columnam veritatis* vult ſignificare, veritatem fidei quoad nos niti Eccleſiæ authoritate, & verum eſſe, quidquid Eccleſia probat, & falſum, quidquid illa improbat.

„ 3. Quare, vt inquit P. Valentia tom.3. columna 253. quamuis te-
„ ſtimonia, quæ pro alicuius hominis ſanctitate afferuntur, ſint huma-
„ na, ideoque natura ſua fallibilia: tamen poſito, quòd Pontifex il-
„ lis inducatur ad pronuntiandum, quendam ſanctum ac Beatum

Digitized by Google

„ iam eſſe, certa fide credendum eſt teſtimonia illa (quatenus in ge-
„ nere ſaltem probant, piè ac ſanctè quemquam ex hac vita exceſſiſſe)
„ vera eſſe, & hominem eiuſmodi ex eorum eſſe numero, quos per re-
„ uelationes generales in communi conſtat, diuinæ gratiæ beneficio
„ conſequi æternæ vitæ beatitudinem. Quę ſanè certitudo iiſdem il-
„ lis Dei promiſſionibus nititur, ex quibus compertum habemus, nun-
„ quam eſſe futurum, vt vniuerſa Eccleſia in rebus Religionis fallatur.
„ Falleretur autem grauiter in negotio Religionis, ſi ſanctum putaret,
„ ac pro tali veneraretur eum, qui talis non eſt. Hactenus Pater Va-
lentia.

4. Dices, non poſſe quidem totam Eccleſiam errare in aliquo articulo ad ſalutem neceſſario: quia de his non poteſt habere ignorantiam inuincibilem, ac proinde inculpabilem; nec etiam poſſe errare in his rebus, quas Romanus Pontifex, vel Concilium Generale proponit, vt certas ex fide, declarando oppoſitum eſſe hæreticum; nihil tamen eſſe incommodi, quòd poſſit errare inculpabiliter per ignorantiam inuincibilem in alijs rebus, quæ nec ſunt articuli fidei ad ſalutem neceſſarij, nec à Pontifice proponuntur tanquam certæ de fide. Sed contra: quia ſi ſemel Papa, vel Concilium Generale poſſet errare etiam per ignorantiam inuincibilem, & ex illa obligare totam Eccleſiam ad accipiendum tanquam verum aliquid re ipſa falſum, nihil firmum haberemus in noſtrâ fide, & poſſemus dubitare, an decepta fuerit Eccleſia, dum definiuit, animas Sanctorum videre Deum ante diem iudicij; habitus ſupernaturales infundi in baptiſmo; Patrem, & Filium producere Spiritum Sanctum per modum vnius principij; & ſimilia. Quia iſti non ſunt articuli, quorum fides explicita ſit neceſſaria ad ſalutem, nec Eccleſia definiuit, quaſi reflexè has res eſse de fide; ſed ſolùm directè declarauit eſse veras in ſeipſis.

§. II.

Confirmatur aſſertio ex multiplici argumento ad hominem contra Mag. Cano.

1. AD hominem arguo contra iſtum authorem primò: nam ille, lib. 4. de locis cap. 4. pag. 137. inde probat, non poſse Eccleſiam dogma falſum credere: *Quia, ſi dogma falſum* (inquit) *Eccleſia crederet, aut credendum proponeret, quamlibet ex ignorantia id faceret, quomodo columna, & firmamentum eſſet veritatis? certè ſi veritas in Eccleſia humeris innixa eſt, deeſſe illi omnino non poteſt, niſi & Eccleſia ſua Chriſtus, & Chriſto ipſa veritas deſit.* Hæc autem ratio pariter euincit,

non

non fore Eccleſiam columnam veritatis, ſi poſset canonizare hominem exiſtentem in inferno.

2. Secundò: nam hic author, lib. 5. de locis cap. 5. quæſt. 5. concluſ. 3. §. *Mox etiam*, habet hęc. Turpiter errabit Eccleſia in doctrina morum, ſi legem ferat de colendo Diuo, quem colere, ſi Diuus non eſt, & cum ratione, & cum Euangelio pugnat. Tum ſic: At impoſſibile eſt Eccleſiam turpiter errare in doctrina morum: ergo impoſſibile eſt, vt erret in Canonizatione Sanctorum. Probatur hæc conſequentia: nam ſi tunc erraret, legem ferret de colendo Diuo, quem colere, ſi Diuus non eſt, & cum ratione, & cum Euangelio pugnat. Minor ſubſumpta latè poſtea probanda; nunc ſuadetur breuiter: quia vt ſapienter inquit M. Grauina in præſcriptione de infallibilitate Romani Pontificis, quæſt. 4. art. 1. fol. 290. Qui diceret, legem Eccleſiaſticam repugnare Euangelio, vel lumini naturæ, vel traditionibus Apoſtolicis, meritò, vt hæreticus habendus, tanquam cum Lutheranis, & Caluiniſtis conſpirans. Quod antea docuerat Syluester, verbo *Fides*, numer. 2. his verbis: Ad fidem pertinet inhærere determinationi Pontificis ſummi in his, quæ ſunt fidei, imò etiam in his, quæ ſpectant ad bonos mores, quia in eiuſmodi Eccleſia etiam errare non poteſt, & conſequenter, nec caput eius in quantum caput, ſeu in quantum Pontifex.

3. Confirmatur: nam vt ibidem ſubiungit Canus: Ne igitur tantus error in Eccleſia ſit, Deus peculiariter prouidere credendus eſt, ne Eccleſia, quamlibet hominum teſtimonia ſequatur, in Sanctorum Canonizatione erret. Ergo fateri debet Cano, Spiritum Sanctum aſſiſtere Pontifici, ne erret in Sanctorum Canonizatione, ſicut ei aſſiſtit ex ſententia huius Doctoris cum communi Theologorum, ne erret in determinandis fidei, & morum controuerſijs.

4. Arguo tertiò ad hominem: Nam, vt ait idem Author ibidem, concluſione 2. §. *Deinde* per illa Chriſti verba: *Quæcumque dixerint vobis, facite, & qui vos audit, me audit, præcipimur Eccleſiæ legibus obtemperare, atque ita, ſi errat illa, Chriſtus nobis erroris cauſa eſt*; At impoſſibile eſt, vt Chriſtus nobis erroris cauſa ſit: ergo impoſſibile eſt vt erret Eccleſia nobis præcipiens, vt aliquem pro ſancto habeamus, ſeu illum ſanctum eſſe iudicemus, & pro ſancto colamus; at dum aliquem canonizat, hoc nobis præcipit: ergo impoſſibile eſt, vt Eccleſia erret in Sanctorum Canonizatione: ergo M. Cano cum Caietano docens, Papam hac in re errare poſſe, non ſolùm contradicit Diuo Thomæ, & alijs ſapientiſſimis Doctoribus ſuæ ſacræ familiæ; ſed etiam ſibi ipſi.

5. Arguo quartò ad hominem: quia Cano, lib. 12. cap. 7. in 8. præceptione, pag. 418. ſtatuit: Vniuerſos ſcholæ Theologos in Theologiæ certis, conſtantibuſque decretis præfiniendis errare non poſſe, ſicut ne in fide quidem. Et reddit rationem, quòd eorum error, er-

„ ror eſſet Eccleſiæ, vtpote cum ad cernendum huius generis res non „ alios Eccleſia, quam Theologorum oculos habet, qui ſi fallerentur, „ totum Eccleſiæ corpus in ſuo facerent errore verſari. Id quod etiam docent P. Valentia, vbi nuper, & §. 45. & 46. & Bellarminus de Eccleſia militante, cap. 14. ad finem. Hinc quia Chriſti animam ſtatim, vt eſt in corpore incluſa, Deum apertè vidiſſe Scholaſtici ad vnum omnes fidentiſſimè docent, ideo illam doctrinam certiſſimam eſſe deducit. At hæc ratio à fortiori euincit, non poſſe Romanum Pontificem errare in Sanctorum Canonizatione, ſicut ne in fide quidem: quia eius error, error eſſet totius Eccleſiæ, vtpote quæ ipſi definienti & declaranti aliquem eſſe Sanctum, & præcipienti, vt pro tali habeatur atque colatur, obedire tenetur, ipſumque audire tanquam ſupremum Paſtorem & Magiſtrum, ad quem ſpectat paſcua ſalutaria à noxijs, & doctrinam ſanam à falſa diſcernere.

SECTIO IV.

Secundum caput probandi eandem veritatem ad hominem contra Caietanum & Cano, ex eo, quòd Romanus Pontifex non poſſit errare in decretis fidei.

1. NOn poſſe Papam errare in determinandis fidei controuerſijs, tanquam certum ſtatuunt Card. Caietanus in opuſculo de authoritate Pontificis, & Concilij, c. 9. præſertim, §. *Ad rationem*, vbi inquit, *quòd non plus poteſt Papa, & Eccleſia, quam Papa ſolus*. Et 2. 2. quæſt. 1. art. 10. atque M. Canus, lib. 6. de locis, cap. 7. & 8. & lib. 5. cap. 5. vbi docet, eandem prorſus authoritatem infallibilem ad definiendum eſſe illam, quæ Pontifici Summo, & quæ Eccleſiæ Catholicæ, & quæ Concilijs tribuitur, vt cum ipſo explicat P. Valentia, quæſt. 1. de obiecto fidei, punct. 7. §. 45. Eccleſia enim habet ſupremam, & conſequenter infallibilem authoritatem ad decidendas fidei, & morum controuerſias, non quia illam habeat collectio omnium fidelium, ſed quia illam habet ipſius caput, nempe Romanus Pontifex: eius enim regimen non eſt Democraticum, id eſt populare, ſed Monarchicum, id eſt vnius: vt dixi diſp. 1. ſect. 3. & ſect. 8.

2. Idque docent reliqui omnes Thomiſtæ cum D. Thoma 2. 2. quæſt. 1. art. 10. vbi probat *explicationem, & editionem Symboli fidei, id eſt, eorum, quæ à fidelibus credi debent, ad ſolum Romanum Pontificem pertinere: quia ad illum ſolum pertinet finaliter determinare quæ ſunt fidei,* „ *vt ab omnibus inconcuſſa fide tenetur*. Quæ veritas (inquit P. Valen-

„ tia

„ tia eo punct.7. colum. 114.) vſque adeo continet ſummam, & caput
„ totius Chriſtianæ Religionis, vt nemo Catholicus eſſe poſſit, qui
„ illam non amplectatur, nec vllus ſit hæreticus, qui illam non neget.
„ Et M. Bañez 2. 2. quæſt.1. art.10. dub. 2. concluſione 4. ait, tan-
„ quam Apoſtolicam traditionem eſſe tenendam. Et quidem, vt talis
„ haberetur (inquit) ab omnibus fidelibus, niſi à tempore Concilij
„ Conſtantienſis in agro Domini inimicus homo, id eſt, diabolus zi-
„ zaniam ſuperſeminaſſet: etenim vſque ad illa tempora ſoli Græci
„ errabant in hac parte, atque ita D. Thomas in Opuſculo contra er-
„ rores Græcorum, hunc errorem tanquam ſingularem Græcorum
„ narrat: & proculdubio, ſi quæſtio hæc ad Concilium legitimum de-
„ ferretur, non dubito quin prædicta concluſio definiretur tanquam
„ vera fides, & contraria anathematizaretur. Hæc Bañez.

3. Hoc ſuppoſito, videamus, quibus rationibus probent Caietanus, & Canus, non poſſe Papam errare in Decretis fidei, vt eiſdem contra ipſos probemus non poſſe errare in Sanctorum Canonizatione. Igitur Caietanus 2. 2. quæſt.1. art.10. §. *Ad horum* Papam in iudicando, &
„ definiendo quid tenendum ſit de fide, errare non poſse: Ex eo, in-
„ quit, conuincitur, quod omnes fatemur, quòd tota Eccleſia errare
„ non poteſt propter verbum Chriſti Mathæi vltimo: *Ecce ego vobiſcum*
„ *ſum omnibus diebus vſque ad conſummationem ſaculi*, & Papa definien-
„ te, & determinante iudicialiter, & definitiuè aliquid eſse hæreticum,
„ & pro hæretico ab Eccleſia habendum, conſtat, quòd omnes tene-
„ rentur acceptare, & hæreticus cenſeretur, quicunque de cætero tene-
„ ret oppoſitum pertinaciter. Tota igitur Eccleſia poſset errare, ſe-
„ quendo determinationem Papę, ſi Papa in tali definitione poſset er-
„ rare: credendum eſt igitur quòd promiſſionem Eccleſiæ factam à
„ Chriſto, ſcilicet: Spiritus Sanctus docebit vos omnem veritatem
„ (Ioannis 14.) ipſe, cui non eſt difficilius per vnum, quàm per multi-
„ tudinem adimplere, per vnum caput totius Eccleſiæ adimpleat, vt
„ lex Diuinitatis ſeruetur, quæ inferiora per media, & media per ſum-
„ ma gubernat: & qua ratione dedit Eccleſiæ Principatum Monarchi-
„ cum ſupra totius Eccleſiæ vires, eâdem ratione Monarchię illi po-
„ teſtatem definiendi quæ opportuna ſunt dedit abſque defectu: Deum
„ enim minus quàm naturam decet deficere in neceſsarijs. Hęc ille.

4. Hęc ratio Caietani, quę profectò ſolida, & elegans eſt, probat pariter, Papam errare non poſse in Canonizatione Sanctorum; nam, vt conſtat ex dictis Sect.1. dum Papa Sanctum canonizat, definit, & determinat iudicialiter, & definitiuè, Sanctum illum eſse in gloriâ cęleſti, & ſtrictè pręcipit, vt ab omnibus tanquam Sanctus colatur: ergo tenentur omnes acceptare hanc definitionem, & credere, ſin minùs vt articulum, & dogma fidei, ſaltem vt omnino verum, hominem illum canonizatum San-

Sanctum eſse, & pro ſancto ipſum colere: tota igitur Eccleſia poſset errare ſequens determinationem Papæ, ſi ille in tali definitione poſſet errare. At impoſſibile eſt totam Eccleſiam errare: quia hoc opponitur illi Chriſti promiſſioni: *Ecce ego vobiſcum ſum*, &c. Ergo impoſſibile eſt, Papam errare in Sanctorum Canonizatione; ſed credendum eſt Deum, qui dedit illi Principatum Monarchicum ſupra totam Eccleſiam, dediſſe eidem poteſtatem definiendi abſque defectu, quæ opportuna ſunt ad Eccleſiæ vtilitatem; Canonizatio autem Sanctorum vtiliſſima eſt Eccleſiæ: deſeruit enim ad confirmationem Chriſtianæ Religionis, & fidelium exhortationem, dum illis Sanctorum exempla proponuntur, quorum animæ iam in gloria eſſe firmiter iudicantur.

5. Canus verò lib.4. de locis cap.4. in 2. Concluſione, §. *At reuera.* probat non poſſe eſſe falſum, quod Eccleſia credit: quia, *Eccleſia eſt corpus Chriſti*, *vt docet Apoſtolus* ad Epheſ. 5. *A ſuo ergo capite mouetur, & regitur: Eccleſiæ igitur error ad Chriſtum referetur. Nullo itaque pacto errare in fide poteſt.* Hæc autem ratio probat, non poſſe totam Eccleſiam credere, ſeu ſibi perſuadere, aliquem hominem damnatum, in Cœlo cum Chriſto regnare, & dignum eſſe, vt eius precibus ſe commendet Eccleſia: quomodo enim à Chriſto corpus hoc moueretur & regeretur, ſi Pontifici dediſſet poteſtatem ad proponendum tanquam Sanctum aliquem hominem defunctum, quem ob famam Sanctitatis, & alia indicia moraliter euidentia iudicaret in gratia deceſſiſſe; & ſimul permitteret, vt omnia illa iudicia ſanctitatis reperirentur in homine ad infernum damnato? Secundò id probat: *Nam Spiritus veritatis eſt huius corporis anima, vt enim inquit Apoſtolus ad Epheſ.4. Vnus ſpiritus, & vnum corpus. Quòd ſi ſpiritu veritatis Eccleſia regitur, ad nullum errorem, ne inſciens quidem, moueri poterit.* Quæ ratio, etiam probat, non poſſe totam Eccleſiam per ignorantiam inuincibilem moueri ad hunc enormiſſimum, & pernicioſiſſimum errorem adorandi vt ſanctum, hominem iniquum in inferno commorantem. Tertiò probat non poſſe eſſe falſum quod Eccleſia credit, ex promiſſionibus ipſi à Chriſto factis Ioannis 14. & 16. quibus communiter probatur, Eccleſiam ob aſſiſtentem ſibi Spiritum Sanctum non poſſe totam errare, vt videre eſt apud P. Valentiam quæſt.1. punct. 7. §. 16. in ſeptima Eccleſiæ proprietate, præſertim ex illa: *Cum autem venerit Paraclitus, docebit vos omnem veritatem*: nam, vt contra hæreticos ibi demonſtrat Canus, verba hæc non ſunt intelligenda de ſolis Apoſtolis; ſed etiam ad poſteros pertinent, vt autem ibidem ſubiungit: *Si quid falſum haberet Eccleſia tanquam fidei dogma, nec Spiritus Chriſti æternum cum fidelibus permaneret, nec eos omnem veritatem doceret.* Hæc autem ratio non minùs probat, non poſſe Eccleſiam totam habere aliquid falſi pro vero indubitato, ſicut pro vero indubitato habet omnem Sanctum Canoni-

nonizatum in æternum beatum fore, quam pro dogmate fidei: non minus enim opponitur Spiritui veritatis; accipere pro vero aliquid re ipſa falſum, quam accipere pro dogmate Catholico aliquem errorem: nec illa Chriſti promiſſio limitari poteſt ad ſolas veritates, quarum fides explicita eſt ad ſalutem neceſſaria; alioqui poſſet errrare Eccleſia in definiendis alijs veritatibus, quas nou omnes tenentur explicitè credere, quales in Concilijs paſſim occurrunt, v.g. iuſtificationem fieri per formam inhærentem, & animas Sanctorum beatificari ante diem iudicij vniuerſalis: Ergo extenditur ad omnem veritatem vtilem Eccleſiæ vniuerſali, & quæ neceſſaria eſt ad excludendum errorem ipſi pernicioſum, qualis foret error, quòd à tota Eccleſia colatur vt ſanctus, homo nequam in Inferno exiſtens: tunc enim Eccleſia peteret ſibi maledictionem pro benedictione, ſiquidem in Orationibus Sanctorum poſtulat, vt ſicut Deus illos glorificauit in Cælis, ſic nobis etiam gratiam largiatur in terris.

„ 6. Poſtrema ratio à Cano adducta eſt. Quia ſi Eccleſia poteſt in fidei quæſtionibus errare, librum quoque, vt Diuinum, recipere poſſet, qui tamen à Deo uon fuiſſet: cum ſit eadem ratio de vno libro ac de vno quolibet dogmate. Quare non valeret argumentum: Eccleſia habet Euangelium Mathæi pro Canonico: ergo Canonicum eſt: quod quoniam impijſſimè, & abſurdiſſimè diceretur, illud nos dicamus potius, rectè fideles Eccleſiam Catholicam credere, non ſolum in eo ſenſu, vt Eccleſiæ Catholicæ fides deficiat nunquam, ſed in eo etiam, vt nihil ipſa credere aut docere poſſit, quod ſit veræ fidei contrarium. Hæc ille.

7. Contra quem ad hominem ſic vltimò argumentor: quia ſi Eccleſia poſſet in Sanctorum Canonizatione falli, declarando & definiendo Sanctum eſſe, qui Sanctus non eſt, ſed potius in inferno torquetur; poſſet etiam falli in Canonizandis libris, id eſt, in declarando talem, vt talem librum eſſe Canonicum, quia Eccleſiam hoc declarare eſt veluti librum illum Canonizare, obligando omnes fideles, vt illum ſuſcipiant tanquam à Deo dictatum: quam enim ſecuritatem poſſemus habere, quod Eccleſia non fallitur, dum declarat talem librum eſſe Canonicum, ſi ſemel non haberemus omnimodam ſecuritatem, quod non fallitur, dum declarat talem hominem eſſe in gloria? Nec dixeris, propterea, Eccleſiam non poſſe falli, dum declarat, aliquem librum eſſe Canonicum, quia id ipſi conſtat ex traditione Apoſtolica: Vndenam enim nos certi eſse poſsumus, hanc traditionem reipſa extitiſse, niſi quia Eccleſia illam proponit, & definit? At pariter definit, & credendum proponit S. Ignatium de Loyola, v.g. eſse in gloria: & ſicut primum non declarauit, niſi ex impulſu, & aſſiſtentia Spiritus Sancti, præcedentibus vrgentiſſimis fundamentis, ita nec definiuit, nec declarauit ſecundum, niſi ex impulſu Spiritus Sancti, & niſi præcedentibus vrgen-

vrgentiſſimis fundamentis facientibus moralem certitudinem, à quibus non permitteret Deus, Pontificem moueri ad Canonizandum Sanctum, ſi cum veritate coniuncta non forent.

8. Nec hoc argumentum: *Eccleſia habet pro Canonico Euangelium Mathæi: ergo canonicum eſt*; maiorem vim videtur præſeferre, quàm iſtud: *Eccleſia habet pro Sancto Auguſtinum: ergo Sanctus eſt*: ſicut enim à Deo accepit authoritatem declarandi, quinam libri ſint Canonici, ſeu Diuini, ita & declarandi, quinam homines ſint Sancti, & tanquam Sancti colendi: vt enim probabimus infrà, de fide eſt, Chriſtum reliquiſſe in Eccleſia ſua authoritatem canonizandi Sanctos. Certum ergo omnino eſt, non poſſe Papam errare in Sanctorum Canonizatione: & hæc certitudo, vt inquit Pater Valentia, quæſt. 1. punct. 7. §. 41. *Eiſdem promiſſionibus nititur, ex quibus compertum habemus nunquam eſſe futurum, vt vniuerſa Eccleſia in rebus Religionis fallatur.*

SECTIO V.

Tertium caput probandi eandem veritatem: ex eo, quòd non poſſit Papa errare in præceptis morum, quæ toti imponit Eccleſiæ.

1. NOn poſſe Eccleſiam errare in decretis morum, vel declarando eſſe neceſſarium ad ſalutem, quod neceſſarium non eſt, aut è contra non eſſe neceſſarium, quod neceſſarium eſt, vel declarando eſſe licitum id, quod eſt intrinſecè malum, aut è contra, eſſe malum, quod eſt licitum, vel præcipiendo vitia, & prohibendo virtutes, eſt aſſertio adeò communis; vt P. Amicus diſp. 7. num. 56. dicat in ea omnes Catholicos conuenire. Ita M. Cano lib. 5. cap. 5. Bellarminus lib. 4. de Romano Pontifice cap. 5. Bañez 2. 2. quæſt. 1. art. 10. dub. 6. Valentia, quæſt. 1. de obiecto fidei punct. 7. §. 39. Molina de Iuſtitiâ, diſp. 225. & Eximius Doctor diſp. 5. de fide, ſect. 8. apud quem Sanctus Antoninus dicit *id eſſe de fide*, & Cano, *parum diſtare*. Vnde ipſe Suarius lib. 4. de immunitate Eccleſiæ cap. 30. dixit, Eccleſiam non poſſe errare in præceptis morum, quæ vniuerſali authoritate Pontificum, aut Conciliorum generalium obſeruari præcipiuntur: & hinc infert, de fide eſſe, priuilegium immunitatis Clericorum eſſe iuſtum, & validum.

2. Hanc veritatem colligunt Doctores ex articulo, quo credimus, Eccleſiam eſſe ſanctam: nam, vt inquit Bellarminus, *Sancta dicitur potiſſimùm ob ſanctam profeſſionem, quia ſcilicet legem, & profeſſionem ſanctam profitetur, quæ nihil docet falſum, nihil præcipit malum.* Et ideo, vt inquit P. Suarez, approbare turpia pro honeſtis, & è contra damnare ho-

honeſta tanquam turpia repugnat veritati, & Sanctitati Eccleſiæ. Præterea, vt ait Bellarminus, tunc neceſſariò etiam erraret Eccleſia circa fidem: nam fides Catholica docet omnem virtutem eſſe bonam; omne vitium eſſe malum; ſi autem Papa errare poſſet præcipiendo vitia, & prohibendo virtutes, teneretur Eccleſia credere, virtutes vitia eſſe, & virtutes malas, niſi vellet contra conſcientiam peccare. Quam rationem attigit etiam Magiſter Cano, vbi ſupra concluſ. 2. pag. mihi 193.
„ Si enim Eccleſia (inquit) vel expreſſo iudicio, vel lege latâ turpia
„ probaret; aut reprobaret honeſta, hic error non ſolùm fidelibus per-
„ niciem afferret; ſed fidei etiam aduerſaretur, quæ omnem virtutem
„ probat; vniuerſa vitia damnat. Ipſaque ratio dictat Paſtorem vniuerſalem totius Eccleſiæ errare non poſſe in legibus, & præceptis vniuerſalibus morum: quia, vt idem Author inquit ibidem concluſ. 1. ſi erraret in moribus, non paſceret ſalubriter oues: non enim moralis doctrina minùs exigitur ad paſtum ouium Chriſti Saluatoris, quàm fideî diſciplina.

3. Hoc ſuppoſito, iam oſtenditur, non poſſe Papam errare in Sanctorum Canonizatione: nam, vt ait D. Thomas quodlibet. 9. art. 16. *Cultus, quem Sanctis exhibemus quædam profeſſio fidei eſt, quà Sanctorum gloriam credimus*, ac proinde decretum, quo Romanus Pontifex obligat omnes fideles ad ſentiendum hominem canonizatum eſſe Sanctum, & vt talem colendum,, eſt decretum ad mores ſpectans, & totam Eccleſiam reſpiciens: expedit enim ad ſanctitatem Eccleſiæ promouendam, ad fidem, & ſpem excitandam, quod Sancti canonizentur, & ideò de fide eſt, Chriſtum reliquiſſe in ſua Eccleſia authoritatem ad Sanctos canonizandos, vt oſtendemus Sect. ſequenti: ergo, ſi certum eſt Eccleſiam non poſſe errare in decretis morum, certum eſt, non poſse errare in Sanctorum Canonizatione.

4. Confirmatur: quia hominem iniquum, qui in inferno eſt, pro Sancto colere, de ſe ex parte obiecti eſt intrinſecè illicitum, & turpe, & ſolùm per ignorantiam inuincibilem excuſari poteſt à culpa: ergo nequit Eccleſia præcipere, vt pro Sancto colamus hominem iniquum in inferno exiſtentem; at Eccleſia præcipit, vt pro Sancto colamus omnem hominem ab ipſa canonizatum: ergo nullus homo ab Eccleſia canonizatus poteſt eſſe iniquus, & in inferno exiſtens: ergo omninò certum eſt, non poſse Eccleſiam errare in Sanctorum Canonizatione. Et ſanè talis error redundaret in vilipendium Eccleſiæ, & Diuini honoris: irriderent enim etiam ipſi Dæmones Eccleſiam Chriſti, ſi viderent eos, quos ſecum in inferno detinent ab ipſa coli, & illam eorum precibus ſe commendare.

SECTIO VI.

De Fide eſt homines Canonizatos eſſe verè Sanctos, ac proinde non poſſe Papam errare in Sanctorum Canonizatione.

1. HAnc concluſionē pono cum Authoribus tertiæ ſententiæ citatis Sect.2. & vt illam probem ad hominem contra Magiſtrum Bañez, aſsero primo, de fide eſse, Chriſtum reliquiſse in Eccleſia ſua authoritatem ad canonizandos Sanctos. Hanc concluſionem veriſſimam cenſet ipſe Bañez: ſiquidem eo art.10. dub.7. pro deciſione dubij: *An Romanus Pontifex errare poſſit in Canonizatione Sanctorum*? ſtatuit hanc primam concluſionem: *Hæreticum eſt negare, eſſe authoritatem in Eccleſia, & Pontifice ad Sanctos canonizandos*. Eamque probat primò ex traditione, & perpetuo vſu Eccleſiæ, & communi conſenſu omnium Conciliorum & Patrum à principio naſcentis Eccleſiæ; ſemper enim huiuſmodi poteſtas Eccleſiæ, & Pontifici credita eſt: quod confirmat ex Concilio Florentino in decreto ſuper vnione Armenorum, vbi præcipitur Armenis, vt Beatiſſimum Leonem I. tanquam Sanctum, & Sanctorum Catalogo meritò deſcriptum de cætero venerentur.

2. Secundò probat eandem concluſionem: quia hæreticum eſt, negare Sanctos inuocandos eſse, vt patet ex multis Concilijs, & ex Decretalibus lib.6. & Clementinis, & Extrauagantibus de Reliquijs, & veneratione Sanctorum, & demum ex Concilio Tridentino ſeſs. 25. in decreto de inuocatione, & adoratione, & Reliquijs Sanctorum: ergo authoritas eſt in Eccleſia ad Sanctos canonizandos. Probat conſequentiam: quia alias non eſset hæreticum negare, inuocandos, adorandoſq; illos eſse, qui ab Eccleſia canonizati ſunt. Probat tertio concluſionem: quia conſtat ex ſacris litteris plurimos Sanctos eſse in cælo, tam veteris, quàm noui Teſtamenti, quorum Catalogus habetur Eccleſiaſtici 44. & ad Hebræos 11. & ſimiliter manifeſta hæreſis eſset negare, Beatam Virginem, & Apoſtolos, & D. Stephanum, & alios ſimiles, quorum in Sacra Scriptura fit mentio, eorumque Sanctitas celebratur, eſse in gloria: ergo huiuſmodi poteſtas debuit in Eccleſia permanere ad confirmationem Chriſtianæ Religionis, dum fidelibus Sanctorum exempla proponuntur, quorum animæ iam nunc eſse in gloria iudicantur. Hęc Bañez.

3. Vnde contra ipſum probo, de fide eſſe Sanctos canonizatos in æternum cum Chriſto regnaturos, ac proinde, de fide eſſe, quòd non poſſit Pontifex errare in eorum canonizatione: & ſic argumentor. Per

te

Digitized by Google

te hæreticum eſt negare inuocandos, adorandoſque illos eſſe, qui ab Eccleſiâ canonizati ſunt: ergo Catholicum, & de fide eſt illos inuocandos, & adorandos. Patet conſequentia: quia quoties propoſitio negatiua eſt hæretica, affirmatiua ipſi contradictoria eſt de fide. Tum ſic: ergo de fide eſt in æternum cum Chriſto regnaturos illos,qui ab Eccleſiâ ſunt canonizati. Probo hanc conſequentiam: quia ideò de fide eſt, inuocandos, & adorandos eſſe illos, qui ab Eccleſia ſunt canonizati, quia dum eos canonizat, declarat iuſtum, & ſanctum eſſe illos inuocare, & adorare, & iubet, vt ab omnibus publicè habeantur, & dicantur Sancti. At pariter, dum Eccleſia Sanctos canonizat, declarat, & definit,illos eſſe Sanctos, & in æternum cum Chriſto regnaturos, & ad ita iudicandum omnes obligat, vt conſtat ex dictis Sect. 1. Imò ideò definit illos eſſe inuocandos, & adorandos, quia definit eſſe Sanctos; & non è contra: ſicut enim prius eſt Eccleſiam iudicium ferre de illorum ſanctitate, quam iubere, vt pro Sanctis colantur, ita prius eſt, Eccleſiam declarare illos eſſe Sanctos, quàm declarare eſſe inuocandos, & adorandos.

4. Et ſane quis non videat, abſurdiſſimum eſſe aſſerere, de fide eſſe inuocandos, & colendos eſse omnes Sanctos canonizatos,ſi poſset contingere, vt aliquis eorum eſſet in inferno? Nequit enim eſſe de fide, inuocandum, & colendum tanquam Sanctum hominem exiſtentem in inferno, quia, quod de fide eſt, ab Eccleſia declaratur ex ſpeciali impulſu Spiritus Sancti: nequit autem Eccleſia ex hoc impulſu declarare eſſe ſanctum, & pro Sancto colendum hominem re ipſa iniquum,& in inferno commorantem, nam ſi Spiritus Sanctus nequit eſſe author errorum, etiam quando reſpectu noſtri ſunt inuincibiles: hoc enim non minus repugnat primæ veritati, quam ſuprėmæ rectitudini cauſam eſſe, quod homines tranſgrediantur legem diuinam, quam Deus vult obſeruari voluntate antecedenti, cui repugnat quod Deus moueat ad ipſius tranſgreſſionem, & multò minus poteſt Spiritus Sanctus eſſe author erroris tam pernicioſi reddentis Sponſam ſuam Eccleſiam contemptibilem,qualis eſt error colendi vt Sanctum hominem damnatum: meritò enim Dæmones irriderent Eccleſiam ſe commendantem precibus hominis, quem ipſi vident ſecum in inferno torqueri: ergo ſi de fide eſt colendos eſſe tanquam Sanctos omnes canonizatos ab Eccleſia, de fide erit, nullum eorum eſſe in inferno, vel ſaltem ita certum, vt oppoſitum contingere minimè poſſit.

5. Argumentor ſecundò: Non ſolum eſt Theologicè certum, ſed etiam de fide ſecundum multorum, grauiumque Theologorum ſententiam,non poſſe Romanum Pontificem errare in decretis morum totam Eccleſiam obligantibus, v. g. non poſſe declarare eſſe illicitum, & à Deo prohibitum id, quod Sanctum, & à Deo præceptum, vel ſaltem licitum, & à Deo permiſſum; vel eſse licitum id, quod lege æterna prohibitum eſt; at decretum Canonizationis Sanctorum eſt decretum morum,

rum, & totam Eccleſiam obligat, vt per ſe patet: ergo pariter non ſolum erit theologicè certum, ſed de fide, Papam non poſse errare in hoc decreto. Maior conſtat ex dictis in toto hoc Tractatu, præſertim Diſputat.9. & 11. & nunc breuiter probatur. Nam Martinus V. cum Concilio Conſtantienſi, poſtquam legitimum, & generale ſine controuerſia fuit, ſeſs. vltima in Bulla, quæ incipit. *Inter cunctas*, ſatis perſpicuè definiuit, Eccleſiam errare non poſse in decretis morum: nam in ea Bulla poſt damnatos errores Wiclephi, & Ioannis Hus, præcipit, vt omnes de fide ſuſpecti interrogentur: vtrum credant. *Quòd ſacrum Concilium Conſtantienſe vniuerſalem Eccleſiam repræſentans approbauit, & approbat in fauorem fidei, & ſalutis animarum, quòd hoc eſt ab omnibus Chriſtifidelibus approbandum, & tenendum; & quod condemnauit, & comdemnat, eſſe fidei, & bonis moribus contrarium, hoc ab eiſdem eſſe tenendum, & pro condemnato credendum, & aſſerendum.*

6. Ratio autem à priori eſt: quia de fide eſt, Chriſtum comittentem Petro, & Succeſſoribus eius totum ſuum ouile, eis tradidiſse omnem authoritatem neceſsariam ad rectè paſcendum gregem ſuum veritate, & virtute, id eſt, in doctrina, & moribus: quis enim Princeps ſapiens, eam omnem poteſtatem ſuo Vicario non confert, quæ neceſsaria eſt ad finem conſequendum, propter quem eum conſtituit? Atqui authoritas infallibilis ad determinandas fidei, & morum controuerſias, ideſt, ad declarandum, quid fidelibus tenendum eſt, vt verum, quid reſpuendum, vt falſum, quid amplectendum vt neceſſarium vel vtile ad ſalutem, quid reijciendum vt nociuum, vel inutile, neceſſaria eſt ad finem paſcendi debito modo gregem Chriſti, & conſeruandi in illo vnitatem fidei, & morum: quia ſine illa infallibili authoritate non poſſet eſſe infallibilis regula viſibilis nobis proponens veritates fidei: nam ſi Eccleſia erraret aliquando, etiam per ignorantiam inuincibilem, eius authoritas periret circa res fidei definiendas, & ad credendum proponendas: qui enim in vna re quam omnibus credendum proponit, fallitur & fallit, indignus eſt, cui certa fides adhibeatur in reliquis, quamuis aſſeueret eſſe certiſſimas: vnde non haberemus certam regulam circa ea, quæ à nobis tanquam certa proponuntur, vt eis firmiter adhæreamus, ſed meritò dubitare poſſemus, an etiam in hoc ipſo per ignorantiam inuincibilem falleretur Eccleſia, atque ex conſequenti nos falleret, quamuis nos excuſaremur à peccato propter eandem ignorantiam inuincibilem.

7. Quòd autem de fide ſit Chriſtum communicaſſe Petro, eiuſque Succeſſoribus Romanis Pontificibus neceſſariam ad paſcendum totum ipſius ouile veritate, & virtute poteſtatem, patet: nam Chriſtus Dominus ſupra Petrum determinatè, eiuſque ſucceſſores (quorum vnuſquiſq; communione eiuſdem authoritatis eſſet in Eccleſia futurus quaſi *alius Petrus*) voluit, vt inniteretur totum Eccleſiæ ædificium, dum

Mat-

Matthæi 16. ſingulariter Petrum alloquens, dixit: *Super te ædificabo Eccleſiam meam*: & Ioannis 21. *Paſce* (tu Petre) *oves meas*. Et Lucæ 22. *Tu aliquando converſus confirma fratres tuos*: harum enim ſententiarum ea vis eſt, vt intelligere debeamus, per neminem alium hominem ſingularem, niſi qui communione eiuſdem authoritatis re verà ſit tanquam ipſe Petrus, quique habet præceptum illud paſcendi oues Chriſti vniuerſas, Eccleſiam regi, ac proinde obligari ad recipiendum fidei, & morum inſtituta, quibus illius ædificium contineatur. Ideò enim cæteris Apoſtolis prætermiſſis, ſolum Petrum ex nomine toties, tamque ſingulariter Chriſtus compellavit, vt eâ re clarè ſignificaret per nullum alium hominem ſingularem velle ſe Spiritu ſancto ita inſtruere Eccleſiam, ſicut per Petrum, & eos, qui in eadem authoritate futuri eſſent tanquam ipſe Petrus: nec enim providere voluit Chriſtus Eccleſiæ ſuæ ad annos duntaxat 25. quibus Petrus victurus erat, ſed vſque ad conſumationem ſeculi.

8. Denique probatur, de fide eſſe, quod homo ab Eccleſia Canonizatus ſalvatus ſit, & in æternum cum Chriſto repugnaturus: ſiquidem vt conſtabit ex dicendis diſp. ſequenti vt credamus fide divina indiuiduum formaliter contentum ſub propoſitione vniuerſali revelatâ, ſufficit, quod moraliter certi ſimus illud indiuiduum contineri ſub illa ratione vniuerſali; at moraliter certi ſumus, hominem canonizatum contineri ſub hac vniuerſali reuelatâ, *Omnes, qui moriuntur in gratiâ ſaluantur, & in æternum cum Chriſto regnabunt*: nam publica fama Sanctitatis, teſtimonium iuratum multorum de ſanctitate alicuius defuncti, & miracula, præſertim poſt mortem ſequuta reddunt moraliter certam hanc particularem contingentem: *hic homo deceſſit in gratiâ*: quâmvis enim gratia ſit donum Dei internum, quod in ſe ipſo à nobis in hac vitâ videri non poteſt; illa tamen poteſt nobis per opera egregia virtutum, quæ ſunt fructus ipſius, innoteſcere, iuxta illud Chriſti Matth. 7. *Ex fructibus eorum cognoſcetis eos*. Vnde, cum Eccleſia in Canonizandis ſanctis vtatur his teſtimonijs, & argumentis ſanctitatis, redditur moraliter certa de ſalvatione hominis canonizandi, proindeque poteſt illius ſanctitatem credendam proponere: nec Deus permittere valet, vt hoc præſtet Summus Pontifex, niſi illa certitudo moralis coniuncta re ipſa ſit cum veritate.

9. Hæc ratio præciſè ſumpta non probat, Sanctum Canonizatum eſſe iam in gloria, ſed duntaxat, vel iam eſſe, vel poſteà futurum; coniuncta tamen cum illa alia propoſitione de fide, quod *animæ ſanctorum vident ſtatim Deum, ſi in corpore, vel extra corpus à reatu pœnæ purgatæ ſunt*: rectè probat, ſanctum illum eſſe in gloria quia moraliter certum eſt, hominem iuſtum tot virtutibus, & meritis à Deo decoratum, & miraculis inſignitum, vel purgatorium non intraſſe, vel citò ab illo exijſſe, & iam ante Canonizationis punctum in Cæleſti gloria fuiſſe receptum.

tum. Quòd ſi dicas: Ergo Pontifex ante quam ſanctum Canonizet,poteſt iam fide Divina credere, illum in æternum cum Chriſto regnaturum, ſiquidem per informationes authenticas, & miracula certus moraliter eſt, illum hominem decedentem cum gratia in æternum cum Chriſto regnaturum; ſi hoc, inquam, dicas, reſpondeo concedendo ſequelam.

10. Sed vrgebis, hanc ſequelam eſſe abſurdam: quia inde efficietur, antequam Pontifex definiat aliquam veritatem, iam illam credere fide Diuina. Reſpondeo: quando Pontifex definit aliquam veritatem reuelatam à Deo, & Eccleſiæ proponit illam reuelationem, & reflexè dicit, id eſſe de fide, poſſe credere ante definitionem illud eſſe de fide in ſe, ſeu quoad motiuum, quo nititur fides, licet non ſit de fide, quoad obligationem publicam credendi: quia non poteſt habere intentionem obligandi totam Eccleſiam ad credendum illud eſſe à Deo reuelatum, quin antecedenter ad hoc decretum ipſe apud ſe moraliter certus ſit,id eſse à Deo reuelatum; poſtquam autem ſic certus eſt, poteſt fide diuina priuata credere illud myſterium, quia reuelatum; hic tamen actus fidei elicitus ante definitionem non eſt neceſſarius ad illam edendam; ſed ſatis eſt iudicium fidei humanæ moraliter certæ, quo ſibi perſuadeat illud myſterium reuelatum eſſe à Deo, vt tranſeat immediatè ad definitionem.

11. At quando definitio Pontificis non eſt quaſi reflexa, & applicans reuelationem immediatam, & formalem antea factam; ſed eſt difinitio directa alicuius veritatis, ante difinitionem nequit Pontifex fide Diuina credere illam veritatem;ſed ſatis eſt, quod poſſit, ac debeat ante difinitionem elicere iudicium firmum de illa veritate; quod iudicium, quando res eſt definibilis, & definienda, eſt ſupernaturale, & eſſentialiter verum,elicitum ex aſſiſtentiâ Spiritus ſancti; qui hoc ipſo quod infallibiliter aſſiſtit Papæ, ne definiat rem falſam, aſſiſtit ipſi, ne ante definitionem erret in iudicio,quod format de veritate definiendâ. Poſt definitionem autem, poteſt ipſe, ſicut reliqui, credere rem illam, quia Deus per os ſui Vicarij eam manifeſtauit Eccleſiæ, & iam poſt definitionem eſt de fide, cum ante illam non eſſet, vt dicemus diſputatione ſequenti ſect.1.§.2.

12. Sed quæres, an alij fideles, qui ante canonizationem certi moraliter ſunt de ſanctitate illus hominis defuncti, poſſint fide Divinâ credere ipſum in æternum cum Chriſto regnaturum? Reſpondeo,ſi ante ſententiam Pontificis poſſunt eſſe certi moraliter de eo, quòd homo ille deceſſerit in gratiâ, poſſe credere Fide Divinâ, illum cum Chriſto regnaturum: quia per illam certitudinem applicatur ipſis ſufficienter reuelatio vniuerſalis, quod omnis homo decedens in gratiâ in æternum ſaluus eſt. Ceterùm communiter fideles nequeunt eſſe moraliter certi de deceſſu defuncti in gratiâ, niſi per ſententiam Pontificis declarantis

tis ſanctitatem illius eſſe ritè probatam, ac proinde poſſe illum ſcribi in Catalogo Sanctorum.

13. Advertendum tamen eſt, quòd quamuis Pontifex ante Canonizationem defuncti poſſit credere Fide Diuinâ, ex vi reuelationis vniuerſalis, aliquem hominem regnaturum cum Chriſto, quia ante Canonizationem certus moraliter eſt de deceſſu eius in gratia; neminem tamen poſſe ante Canonizationem, quòd homo ille deceſſerit in gratiâ, Fide Divinâ credere: quia hoc nullibi eſt reuelatum, nec in particulari, nec in communi; poſt Canonizationem verò iam illa veritas redditur omnino certa, & credibilis Fide Diuinâ: quia eſt reuelatum omnem definitionem Pontificis loquentis è cathedrâ cum intentione obligandi totam Eccleſiam eſſe veram, & certum eſt decretum canonizationis eſſe eiuſmodi.

14. At contra rationem factam objicies, poſſe quem Fide Diuinâ credere ſe eſſe in gratiâ: quia poteſt tot ſigna ſuæ contritionis videre, vt de illa moraliter certus ſit. Reſpondeo, negando ſequelam; quia, vt dicemus diſp. ſequenti ſec. 3. & ſect. 6. Deus non reuelauit illam vniuerſalem, *omnis contritus eſt in gratia*; vt vllus homo certus reddatur de ſuâ gratiâ; cum potiùs voluerit vt, ſecluſa ſpeciali reuelatione, nemo de hoc certus ſit; ſed ſolùm vt ſinguli excitentur ad actus contritionis eliciendos; At è contrà illam vniuerſalem *quicumque in gratiâ deceſſit ſaluus eſt*, eo fine reuelauit, vt fideles certi ſint de æternâ felicitate eorum hominum, quos ipſis Eccleſia colendos proponit, vt ita eos ſecurè inuocare, & imitari poſſint. Secundò: quia ſigna, quibus Eccleſia vtitur in Canonizatione Sanctorum, ſunt publica, plura, & certiora, ac proinde ſufficientia ad certitudinem moralem; ſigna autem, quibus homo conijcere poteſt ſe eſſe in gratiâ, ſunt pauciora, priuata, & incerta; Deus autem ſpeciali prouidentia tenetur aſſiſtere, ne falſum ſubſit ſignis publicis, quibus ſanctitas hominis Canonizandi comprobatur, ne alioqui tota Eccleſia teneatur ſemper errare in re tanti momenti, qualis eſt pro ſancto colere hominem damnatum: vnde ad Divinam providentiam ſpectat non permittere, vt homo decedens in peccato illis ſignis ornetur, quibus Romanus Pontifex meritò induci poſſit ad ipſum Canonizandum; non tenetur verò aſſiſtere, ne falſitas ſubſit illis ſignis, quibus homo prudenter induci poteſt ad iudicandum ſe eſſe in gratiâ: quia ex huiuſmodi errore non ſequeretur magnum aliquod incommodum.

15. Ex dictis patet falſam eſſe ſententiam Caietani, qui, vt vidimus ſect. 2. & vt teſtatur Catharinus in opuſc. de certâ ſanctorum gloriâ pag. 9. *in eâ fuit opinione* vt doceret ſanctos huiuſmodi, quos Eccleſia Canonizat, & recipit, non habere certitudinem apud nos ſuæ gloriæ, niſi humanam, id eſt, fallibilem, *& verè incertam*: & idem eſt iudicium de ſententiâ Cani, qui Caietanum ſequutus eſt.

SE-

SECTIO VII.

Soluuntur ex dictis fundamenta Caietani, & Cani.

1. EX dictis promptum eſt illa ſolvere: etſi enim argumenta quibus inducitur Pontifex ad Canonizandum aliquem hominem in ſe inſpecta, & vt præſcindentia ab aſſiſtentia Spiritus ſancti, fallibilia ſint; tamen vt ſubſunt illi aſſiſtentiæ, & prouidentiæ, qua Deus Romanum Pontificem dirigit, infallibilem habent connexionem cum veritate, nec fieri poteſt, vt Deus permittat Papam his argumentis induci ad Canonizandum defunctum, niſi quando illa in re coniuncta ſunt cum veritate; vt enim inquit D.Thomas de hac materia ſcribens quolibeto 9.art.16. *Aliquid poteſt indicari poſſibile ſecundùm ſe conſideratum* (*quod relatum ad aliquid extrinſecum impoſsibile inuenitur*) Sic ergo Papa, ſi præcisè conſideretur vt homo, poteſt errare; non tamen quatenus ſubeſt aſſiſtentiæ infallibili Spiritus ſancti, prout ſanè ſubeſt dum actu movetur ad proponendum tanquam ſanctum aliquem hominem toti Eccleſiæ, cum intentione obligandi omnes fideles ad ſentiendum, illum eſſe ſanctum, & tanquam ſanctum colendum.

2. Nec ſimile eſt, quod affertur de Indulgentijs, ad quarum valorem requiritur, quod cauſa, quæ Papam mouet ad ipſas concedendas re ipſa ſit legitima: nam ille, dum indulgentias concedit, non obligat fideles ad credendum ſubſiſtere in tali particulari conceſſione legitimã eius cauſam adeoque non obligat ad credendũ talem particularẽ conceſſionem eſſe validã.Sed præcipit,vel conſulit rem honeſtam, & vt fideles libentius, & diligentius eam exequantur,indulgentiam largitur. Nec vllum ſequitur abſurdum ex eo, quòd Pontifex exiſtimans adeſſe cauſam legitimam ad concedendam indulgentiam plenariam, re ipſa fallatur circa illam cauſam, & ſic indulgentia euadat nulla; quia nihilominus hortatur ad id, quod ex ſe honeſtum eſt, & quamvis fideles exequentes opera pia præſcripta à Pontifice ad lucrandã indulgentiam, hanc non lucrentur ex defectu legitimæ cauſæ in concedente, lucrantur tamen fructus alios eximios illorum operum. At ex eo,quòd poſſet errare in Sanctorum Canonizatione, ingens ſequitur abſurdum, nempè quod poſſet totam Eccleſiam obligare ad aliquid intrinſecè malum, nempè ad deferendum cultum homini damnato. Et ſanè cum ille non ſit Dominus Eccleſiaſtici Theſauri, nequit ſine rationabili cauſa illum diſpenſare pro libito: nec eſt inconueniens, quòd non habeat aſſiſtentiam infallibilem ad non errandum circa cauſam largiendi indulgentias, ſicut in Canonizatione Sanctorum.

3. Canus autem fallitur, dum arbitratur decreta Pontificum non

poſſe

poſſe eſſe firmiora, quam ſint principia quibus inducitur ad illa edenda: nam firmitas definitionis Pontificię non ſumitur ex firmitate principiorũ, quibus Papa inducitur ad definiendũ, ſicuti firmitas concluſionis ſumitur ex firmitate præmiſſarũ: Sed ſumitur ex aſſiſtentia infallibili Spiritus ſancti, qui permittere non poteſt, vt Papa inducatur re ipſa ad definiendũ, hominẽ defunctũ eſſe ſanctum, niſi teſtimonia illa in re ſint vera.

§. I.

Oſtenditur Caietanum falsò tribuiſſe D. Thomæ ſententiam aſſerentem Papam poſſe abſolutè errare in Canonizatione Sanctorum.

1. ASſumptum probatur: nam S. Thomas quodlibet q. 7. art. 16. inquirit: *Vtrum omnes Sancti, qui ſunt per Eccleſiam Canonizati, ſint in gloria, vel aliqui eorum in inferno?* Sub hoc titulo, propoſitis priùs ſecundum ſtylum ſuum argumentis, quæ videntur probare Eccleſiam poſſe errare in Canonizatione Sanctorum, reſoluit in contrarium dicendo: *Sed contra. in Eccleſia non poteſt eſſe error damnabilis; ſi veneraretur tanquam ſanctus, qui fuit peccator &c.* S. 2. addit. *Præterea Auguſti. dicit in Epiſtola ad Hieron. quod ſi in Scriptura canonica aliquod mendacium admittatur, nutabit fides noſtra, quæ ex Scriptura canonica dependet: ſed ſicut tenemur credere illud, quòd eſt in ſacra Scriptura, ita illud quod eſt communiter per Eccleſiam determinatum, vnde hæreticus iudicatur, qui ſentit contra determinationem Conciliorum. Ergo commune iudicium Eccleſiæ erroneum eſſe non poteſt.* Sentit ergo S. Thomas, omninò certum eſſe quod Eccleſia non poſſit errare in Canonizatione Sanctorum, quia hic eſſet error damnabilis; & quia commune iudicium Eccleſiæ erroneum eſſe non poſſit.

2. Idque magis confirmatur ex corpore articuli; vbi directè reſpondet quæſito, his verbis: *Reſpondeo. Dicendum, quòd aliquid poteſt iudicari poſſibile ſecundùm ſe conſideratum, quod relatum ad aliquod extrinſecum impoſſibile invenitur. Dico ergo, quod iudicium eorum, qui præſunt Eccleſiæ, poteſt errare in quibuslibet, ſi perſonæ earum tantum perſpiciantur. Si verò conſideretur diuina prouidentia, quæ Eccleſiam ſuam Spiritu ſancto dirigit, vt non erret, ſicut ipſe promiſit Ioan. 14. quod Spiritus adueniens doceret omnem veritatem, de neceſſarijs ſcilicet ad ſalutem; certum eſt, quòd iudicium Eccleſiæ vniuerſalis errare in his quæ ad fidem pertinent, impoſſibile eſt: vnde magis ſtandum ſententiæ Papæ, ad quem pertinet determinare de fide, quam in iudicio profert, quàm quorumlibet ſapien-*

Digitized by Google

pientum hominum in Scripturis opinioni. & poſt pauca addit. *In alijs verò ſententijs, quæ ad particularia facta pertinent, vt cum agitur de poſſeſſionibus, vel de criminibus, vel de huiuſmodi, poſsibile eſt iudicium Eccleſiæ errare propter falſos teſtes. Canonizatio verò Sanctorum medium eſt inter hæc duo; Quia tamen honor quem ſanctis exhibemus, quædam profeſsio fidei eſt, qua ſanctorum gloriam credimus, piè credendum eſt, quod nec etiam in his iudicium Eccleſiæ errare poſsit.*

3. Ergo iuxta D.Thomam, licet iudicium Pontificis Canonizantis Sanctos poſſet errare, ſi præciſe perſpiciamus eius perſonam, & probationes humanas, quibus nititur; non tamen ſi inſpiciamus divinam prouidentiam, quæ Spiritu ſancto dirigit Pontificem, ne in re tanti momenti erret, & nunquam permittere poteſt, vt toti Eccleſiæ proponat colendum tanquam ſanctum aliquem hominem, niſi probationes humanæ; quibus ſuadetur eius ſanctitas, ſint reipſa coniunctæ cum veritate; vt patet ex ijs, quæ S.Doctor dicit in ſolutione argumentorum. *Ad primum ergo dicendum, quod Pontifex, cuius eſt Canonizare ſanctos, poteſt certificari de ſtatu alicuius per inquiſitionem vitæ, & atteſtationem miraculorũ, & præcipuè per inſtinctum Spiritus ſancti, qui omnia ſcrutatur, etiam profunda Dei,* & mox ad 2. *Dicendum, quod Diuina prouidentia præſeruat Eccleſiam, ne in talibus per fallibile teſtimonium hominum fallatur.*

4. Idque confirmatur; quia cum in illo articulo S.Thomas non inquirat, an Eccleſia poſſit errare in decretis fidei, ſeu an veri ſint omnes articuli, & omnia dogmata, quæ Eccleſia credenda proponit; ſed, vtrum *Omnes ſancti qui ſunt per Eccleſiam canonizati; ſint in gloria*, ſuperuacaneè, & extra propoſitum adduxiſſet authoritatem S. Auguſtini, & paritatem de infallibilitate omnimoda ſcripturę canonicæ, niſi adduxiſſet ad probandum, gloriam Sancti Canonizati eſſe infallibilem & certam ſuppoſita canonizatione, non infallibilitate proveniente à teſtibus, ſed ab aſſiſtentia Spiritus ſancti, qui permittere non poteſt, vt Pontifex obliget totam Eccleſiam ad colendum tanquam ſanctum, hominem damnatum; quia hoc eſſet obligare ad errandum in materia morũ, quod non minus repugnat Deo, quam obligare ad errandum in materia Fidei.

5. Nec obſtat, quod D. Thomas ſolum dicat, *piè credendum eſſe, quod nec in his iudicium Eccleſiæ errare poſſit*: nam per hoc ſolum D.Thomas ſignificat; gloriam Sancti Canonizati non eſſe infallibilem infallibilitate fidei divinæ, ſed alia infallibilitate inferioris ordinis: quia dum Eccleſia canonizat aliquem ſanctum, non proponit eius glorificationem tanquam veritatem à Deo immediatè reuelatam; nec tamquam veritatem certò & infallibiliter deductam ex principijs fidei, & ex alijs lumine naturæ notis, ac proinde non proponit credendam, vt articulum, vel dogma fidei; ſed ſolum proponit tanquam rem omnino veram, cui negare aſſenſum eſſet impium, & erroneum.

6. Et in hunc ſenſum interpretatur S. Thomam D.Didacus Couarruuias

ruuias tom. 2. variarum reſolutionum lib. 1. cap. 10. §. 12. vbi cum vniuerſaliter docuiſſet *Pontificem in his, quæ ad fidem pertinent, vt perſonam publicam, & Eccleſiæ caput aliquid definientem minimè errare poſſe,* infert ex hac ſententia inter alia hoc: *Ex quo & illud deduci poteſt, Papam non poſſe in canonizatione ſanctorum errare, quam præuia diligenti examinatione, maturoque prudentum conſilio vti Eccleſiæ ſummus Præſes decreuerit.* Et pro ſe adducit S. Thomam ſupra; Florentinum, id eſt S. Antoninum, Turrecrematam, & alios; & reddit rationem. *Quia hoc iudicium canonizationis alicuius ſancti, etſi à peculiaris eius vitæ teſtimonio pēdeat, ad vniuerſalem tamen totius Chriſtianæ religionis ſtatum pertinet: cum ea ſit quædam confeſſio fidei; & ideò credendum piè eſt ſummum Pontificem in perſcrutandis eius qui in ſanctos eſt referendus, & miraculis, & geſtis, ab ipſo Spirituſancto, qui omnia ſcrutatur, inſtrui.*

7. In eundem ſenſum interpretatur Angelicum Doctorem M. Bañez 2. 2. qu. 1. art. 10. dub. 7. in ſecunda concluſione, vt vidimus ſect. 2. num. 4. Et in eandem ſenſum interpretatur S. Thomam cum P. Valentia, & P. Ludouico Turriano P. Tannerus t. 3. diſp. 1. de fide qu. 4. dub. 7. „ num. 289. vbi inquit: Licet non ſit apertè hæreticum dicere, Sanctorum Canonizationem non eſſe prorſus infallibilem; eſt tamen id ſcādaloſum, temerarium, & hæreſim ſapiens, præſertim ſiquis in particulari diceret, aliquem ſanctum ab Eccleſia, ſeu Summo Pontifice canonizatum, non eſſe in cælo. Ita ex mente S. Thomæ, & aliorum quos citauimus, ſpeciatim notarunt Gregorius de Valentia, Bañes, & Luiſius locis citatis ex communi.

SECTIO VIII.

Soluitur argumentum oſtendens non eſſe de fide Sanctos Canonizatos eſſe in Cœlo.

1 AT dices non eſſe de fide Sanctos canonizatos eſſe in cœlo: nam ſi hoc de fide eſt, oppoſita ſententia erit hæreſis; quod tamen, abſurdum apparet. Reſpondeo diſtinguendum eſſe inter ſenſum directum de gloria Sancti canonizati, & ſenſum reflexum de certitudine ſententiæ affirmantis, Sanctum Canonizatum eſſe in Cœlo: nam qui reflexè negat eam ſententiam habere certitudinem fidei, nec eſt hæreticus, nec hæreſi proximus, nec erroneus, neque temerarius; quia nec Deus reuelauit, illam ſententiam eſſe certam certitudine fidei, nec Eccleſia hoc definiuit: Pontifex enim definiens hominem à ſe Canonizatum receptum eſſe in Cœlo, nec directè definit, hoc eſſe credendum tanquam articulum, & dogma fidei, ſeu vt veritatem immediatè à Deo

reuelatam; ſed ſolùm iubet, vt fideles tanquam verum accipiant: nec definit reflexè, certam eſſe certitudine fidei ſententiam affirmantem Sanctum canonizatum eſſe in Cœlo.

2. Quamuis autem vbi inconcusſè apud omnes Catholicos aliquod myſterium eſt de fide, quia apud omnes conſtat eſſe à Deo reuelatum, propoſitio affirmans illud myſterium ſit exercitè de fide,nõ quidem per modum obiecti revelati; ſed per modum formalis propoſitionis talis obiecti; tamen quando non conſtat apud omnes,ſed apud aliquos,obiectum eſſe reuelatum, idque ab ipſis non probatur argumentis euidentibus, quæ omnes conuincant; ſed duntaxat probabilibus, quæ ipſos ſolum moraliter certos reddant de veritate obiecti: tunc licet obiectum illud ſit in ſe de fide; tamen non eſt de fide, ſententiam affirmatiuam illius obiecti eſſe de fide.

3. Si autem loquamur in ſenſu directo, dico, eum, qui negat ſanctum aliquem canonizatum eſſe in Cœlo, non fore hanc eius propoſitionem formalem hæreſim; ſed impiam, temerariam, & erroneam. Nam vt rectè probat Eximius Doctor diſput. 9. de fide ſect. 2. num. 13. vt propoſitio ſit hæretica duo requiruntur, vnum eſt, vt propoſitio contraria ſit certiſſimè, & indubitanter de fide; aliud eſt, vt altera propoſitio certiſſimè, & indubitanter illi repugnet: vnde ſit,vt deficiente certitudine in altero ex his duobus, propoſitio hæretica non ſit: quia propoſitio hæretica habet ſupremum gradum propoſitionis falſæ contra fidem, qui gradus non conſurgit, niſi ex omnibus conditionibus ſimul ſumptis: vnde ſi propoſitio,cui propoſitio *A* opponitur non ſit omnino indubitanter de fide, quamuis magna authoritate, & quaſi communi conſenſu talis reputetur, propoſitio *A* erit quidem erronea; non tamen hæretica. Apponit exemplum ſecundùm opinionem aliquorum in illo dogmate, quod dentur habitus per ſe infuſi; quamvis enim probabilius ſit illud eſſe de fide; fortaſſe tamen hoc non eſt ita certum, vt contrarium ſit hæreſis, erit tamen error. Hæc P. Suarez.

4. Similia habet P. Valentia tom.3.qu.1. de fide punct.7.§.41.verſ. *Illud autem* Ex hac doctrina à fortiori patet, non mereri cenſuram Theologicam *hæretici*, qui affirmaret Papam aliquando erraſſe in Canonizatione alicuius Sancti; eius tamen aſſertio foret impia,& erronea, vtpotè oppoſita concluſioni, quæ eſt omnino certa in Theologia, & ex reuelatis manifeſtè deducta,& quæ eſt de fide ſecundùm ſententiam valde probabilem, quam nos veram eſſe oſtendimus.

SE-

Digitized by Google

SECTIO VLTIMA.

An Papa poſſit errare in Sanctorum Beatificatione?

1. SEctionem iſtã breuiter abſoluemus ex dictis in præcedentibus. P. Caſtro Palao tom. 1. tract. 4. diſp. 1. p. 5. §. 5. num. 4. affirmat, eadem certitudine tenendum eſſe, Pontificem non errare in Beatificatione, ac in Canonizatione, & hanc ſententiam ſequuntur apud Dianam p. 11. tract. 11. reſol. 19. Megala, Verricelli; at P. Amicus diſp. 7. de fide meritò aliter diſcurrit de Beatificatione, quàm de Canonizatione: nam cum num. 93. aſſeruiſſet, de fide eſſe Pontificem errare non poſſe in Canonizatione; poſtea num 98. aſſerit non eſſe de fide errare non poſſe in Beatificatione, prout diſtinguitur à Canonizatione. Idque probat: quia ſi eſſet de fide Beatificatum eſſe in Cœlis, in eo Canonizando Pontifex non vlterius procederet, maiorem diligentiam, nouumque examen inſtituendo de Sanctitate Canonizandi: quia quod eſt de fide certum, non eget vlteriori certitudine; at Pontifex poſt Beatificationem, ſi ad Canonizationem procedat, non eſt contentus priori examine & diligentia pro Beatificatione factis; ſed inſtituit nouum examen, nouamque diligentiam, idque non ad externam duntaxat ſolemnitatem & pompam; ſed ad maiorem certitudinem canonizandi habendam, vt praxis, & ſtylus Curiæ docet.

2. Quòd ſi ei objicias: omnes honores, & cultus, qui canonizatis exhibentur, exhiberi poſſe Beatificatis: ergo eadem certitudine certum eſt Beatificatum eſſe in Cœlis, ac Canonizatum. Reſpondet primò negando conſequentiam: nam Canonizatis exhibentur vt debiti, & à Pontificia authoritate definiti; Beatificatis verò ſolùm vt permiſſi. Reſpondet ſecundò, negando antecedens: nam Canonizatis, in eorum cultum & honorem poſſunt erigi templa, & ab omnibus ſacrum offerri, & officium recitari; Beatis verò, nec templa erigi poſſunt, nec ab omnibus ſacrum offerri, & officium recitari, niſi tantùm ab illis, quibus in bulla expreſsè conceditur: Beatificatis enim poſſunt ſolùm erigi altaria, & quidem ab his tantùm, quibus conceditur, poſſe ſacrum offerri; non autem ab alijs. Præthereà ſacrum, & officium de Canonizato poteſt cum octaua celebrari; non autem de Beatificato, niſi de expreſſa licentia Pontificis: aliaſque differentias ibi aſſignat.

3. Nobis conſtanter aſſerendum eſt, non eſſe eadem certitudine certum, non poſſe errare Papam in Beatificatione, ac non poſſe in Canonizatione, pro vt modo hæc fiunt: idque alia ratione validiori, quàm ea quæ ab Amico adducta eſt, probandum nobis eſt: ea autem ſic ſe habet. Certum non eſt certitudine fidei, hominem Beatificatum deceſ-

ceſſiſſe in gratia, ſed potius, ſalua tota certitudine fidei, poſſet abſolutè contingere, vt homo Beatificatus non deceſſiſſet in gratia, ſed potiùs eſſet in inferno; at certum eſt certitudine fidei, Sanctum Canonizatum deceſſiſſe ingratia, vt probauimus cum multis Theologis, nec poteſt componi cum certitudine fidei, quod Canonizatus ſit in inferno: ergo non eſt eadem certitudine certum, Papam non poſſe errare in Beatificatione, qua certum eſt non poſſe errare in Canonizatione. Patet conſequentia, quia Papa erraret in Beatificatione hominis defuncti, ſi beatificaret exiſtentem in inferno: ergo ſi non eſt certum certitudine fidei Diuinæ hominem Beatificatum exceſſiſſe in gratia, atque adeo non eſſe in inferno, non eſt certum certitudine fidei Diuinæ, Papam non poſſe errare in Beatificatione. Minor conſtat ex dictis diſputatione antecedenti; quia Papa, dum Sanctum canonizat, definit illum deceſſiſſe in gratia, & præcipit omnibus, vt id tanquam verum accipiant, & illum tanquam Sanctum colant; At certum eſt certitudine fidei, Papam non poſſe errare, dum hoc definit: quia non poteſt tanquam Eccleſiæ Caput, nec ex ignorantia inuincibili, obligare totam Eccleſiam ad errandum in re tam graui, quæ contradicit legi naturali, & Euangelio, nempè quod omnes habeant, & pro ſancto colant hominem exiſtentem in inferno, vt probatum eſt in hac diſp. Iamprobatur maior primi Syllogiſmi: quia Papa ſanctum beatificans, nec definit illum deciſſiſſe in gratia ac proinde ſanctum eſſe, nec poſitiuè præcipit, vt tanquam ſanctus colatur à tota Eccleſia; immò nec ab aliqua Prouincia; ſed tantummodò cultum permittit, nempè quòd in eius honorem erigantur altaria, celebrentur Miſſæ, & recitetur Officium Diuinum; permiſſio autem iſtius cultus non reddit certam certitudine fidei Sanctitatem Beatificati.

4. Quare illud primum eſt certum certitudine inferiori ad certitudinem fidei. Aſſero ergo Secundò, id ſaltem eſſe certum certitudine morali, ac proinde temerarium fore, & errori proximum aſſerere hominem Beatificatum eſſe in inferno: cùm enim Beatificatio ſit via ad Canonizationem, & ad illam dirigatur; impoſibile, ſaltem moraliter eſt, vt Romanus Pontifex decretum Beatificationis edat, quin homo ille deceſſerit in gratia.

5. Aſſero tertiò. Quamuis vi ſolius Beatificationis non poſſimus fide Diuina credere beatificatum deceſſiſſe in gratia, poſſumus tamẽ abſolutè credere illum in æternum cum Chriſto regnaturum; non quidem vi definitionis Pontificiæ; ſed vi reuelationis: datur enim reuelatio, qua omnis decedens in gratia in æternum ſit cum Chriſto regnaturus, & aliunde vi Beatificationis moraliter certi ſumus hominem illum deceſſiſse in gratia; ergo poſsumus ob reuelationem vniuerſalem nobis ſic applicatam fide Diuina credere illam veritatem: ſicut quia fide diuina certum eſt verum eſse, quidquid Concilium generale legitimum definiuit,

Digitized by Google

niuit, & certi moraliter ſumus Tridentinum, v. g. definiſse iuſtificationem fieri per formam inhærentem, poſsumus hanc veritatem fide diuina credere; quæ patent ex dictis Sect. 1. ſic enim credimus fide Diuina hunc numero hominem eſse verum Chriſti Vicarium, quia reuelatum eſt, & à Florentino in litteris vnionis definitum, omnem hominem ritè electum in Pontificem Romanum eſse verum Chriſti Vicarium, & nobis certitudine morali, atque euidentia conſtat INNOCENTIVM XI. eſse ritè electum, & pro vero Chriſti Vicario à tota Eccleſia acceptatum, quæ certitudo, cum ſit de facto exteriori omnibus noto, eſt multò maior, quam certitudo de deceſsu in gratia hominis beatificati: & ſic fides illius veritatis magis aſſimilatur fidei de gloria canonizati, quam beatificati: quia cum impoſsibile ſit iuxta principia fidei, vt tota Eccleſia erret in accipiendo pro dogmate fidei aliquid falſum, ita impoſsibile eſt, vt tota erret in accipiendo pro capite ſuo hunc numero hominem, ac proinde poſtquam ille pacificè acceptatus eſt à tota Eccleſia, iam eſt certum certitudine fidei, fuiſse ritè electum, ac proinde ex omni parte eſt abſolutè de fide INNOCENTIVM XI. eſse verum Chriſti Vicarium: ſicut omninò certum eſt, Sanctum canonizatum eſse in gloria: non enim minus certum eſt, non poſse totam Eccleſiam errare circa regulam viuam fidei, quàm non poſse errare Papam in definiendo deceſsum in gratia hominis canonizati: quia vt inquit P. Suarez diſput. 10. de fide, ſect. 5. num. 6. *Deceptio in regula fidei credenda æquipararetur errori in fide*; imò eſset pernicioſior, quam error contra dogma particulare: nutaret enim noſtra fides, ſi vera regula viua fidei non foret ille, quem pro vero Papa tota Eccleſia agnoſcit: ſi enim certum omninò non foret hunc hominem eſse verum Chriſti Vicarium, quomodo firma fide amplecti poſsemus illa, quæ ipſe è Cathedra credenda proponit, dum aliquam doctrinam condemnat, vt hæreticam, vt fecit Innocentius I. contra Pelagium, & Innocentius X. contra Ianſenium, quando quinque eius propoſitiones tanquam hæreticas damnauit, ſed de hac re ex profeſſo in ſequenti diſp.

D I-

DISPVTATIO XIX.

An ſit de fide INNOCENTIVM XI. qui modo Eccleſiæ præeſt, eſſe verum Chriſti Vicarium, & legitimum Petri ſucceſſorem.

1. IVxta ea, quæ promiſi diſput. 1. ſect. 9. §. 12. huic tractatui hanc diſputationem vt coronidem impono. Poſtquam enim diſputauimus de infallibilitati Romani Pontificis in fidei definitionibus, operæ pretium eſt diſputare de infallibilitate & certitudine, quam habet eius ſuprema in Eccleſiam authoritas.

2. Quamuis autem alicui videri poſſet hanc diſputationem non iuuare ad ſtabiliendam infallibilitatem Romani Pontificis in determinandis fidei & morum controuerſijs, quia certius eſt Papam non poſſe errare in iudicio fidei, quàm hunc numero hominem eſſe verum Chriſti Vicarium: quandoquidem illud primum affirmant eſſe de fide, vel ſaltem theologicè certum omnes fere Theologi, vt vidimus Diſputatione IX. iſtud vero ſecundum, nec de fide eſſe, nec omninò Theologicè certum tenent graues Doctores, etiam ex ijs, qui docent omnes definitiones Papæ in materia fidei eſse infallibiles, & rem facere de fide certam. Quamuis, inquam, hoc alicui videri poſset: tamen, quia P. Suarez diſput. 10. de fide ſect. 5. & alij grauiſſimi Theologi cenſent, non poſse definitiones Pontificum, imò nec Conciliorum, facere rem de fide certam, niſi de fide ſit, hunc numero hominem pacifice habitum à tota Eccleſia pro legitimo Pontifice eſse verum Chriſti Vicarium, & legitimum Petri Succeſsorem, vt nos probabimus ſect. 6. & 7. ideò pro complemento huius tractatus vtiliſsimum eſt hoc punctum pro dignitate tractare.

SE-

SECTIO I.

PRAEAMBVLA AD DISPVTATIONEM:

§. I.

Quid ſit, propoſitionem eſſe de fide, quid eſſe hæreticam, quid eſſe erroneam.

EX alibi à me traditis in tractatu de fide, pauca huc transferam, quæ inſtituto noſtro ſufficiant.

1. Suppono ergo in præſenti cum vera & communiori ſententia, quam ſequitur P. Suarez diſp. 3. de fide ſect. 11. & eſt communis inter Modernos apud Ripaldam diſp. 8. de fide num. 38. & 39. nihil eſſe de fide propriè & ſtrictè, niſi ſit immediatè & formaliter in ſe reuelatũ, aut in obiecto reuelato formaliter cõtineatur; vel ſaltẽ niſi ſit veritas ab Eccleſia definita immediate in ſe ipſa. Vnde concluſio Theologica deducta ex vna particulari de fide, & altera lumine naturæ nota; v.g. iſta, *Chriſtus eſt riſibilis*, quæ neceſſario infertur ex his duabus præmiſſis: *Omnis homo eſt riſibilis; & Chriſtus eſt homo*, non eſt propriè de fide, ſed late: Quamuis enim illa propoſitio ſit certa, & inuidens, eius tamen certitudo eſt inferior certitudine fidei: ſiquidem non eſt magis certa, quam præmiſſa euidens; actus autem fidei certior eſt præmiſſa euidenti, propter imperium voluntatis illuſtratæ lumine fidei, quæ ob authoritatem Dei dicentis, imperat aſſenſum firmius adhærentem veritati reuelatæ, quam veritati euidenti. Hinc Pater Suarez diſp. 6. de Fide ſect. 3. num. 10. optime probat, concluſionem prædictam non eſſe actum fidei; quia vt aſſenſus aliquis ſit verè aſſenſus fidei, debet immediate fundari in diuina authoritate tanquam in vnica ratione aſſentiendi, ac proinde non poteſt eſſe verus actus fidei, qui non fuerit de re immediatè à Deo dicta; quod non habet illa concluſio, quæ non ſolum innititur in authoritate Dei dicentis, ſed inſuper in ratione repræſentata per alteram ex præmiſſis; ac proinde non eſt de re in ſe ipſa & immediate à Deo reuelata.

2. Hinc propoſitio oppoſita concluſioni Theologicę, licet ſit error, non tamen eſt hæreſis; niſi præſumptiuè, quatenus qui negat eiuſmodi concluſionem, præſumitur potius negare præmiſſam de fide, quæ eſt obſcura, quam præmiſſam alteram, quæ eſt euidens. Si tamen quis conſtanter fateretur, Chriſtum eſſe hominem, & negaret eſſe riſibi-

lem, non poſset vt hæreticus puniri; ſed præſupponeretur ignorare, an omnis homo ſit riſibilis, vel aliquo paralogiſmo deludi.

§. II.

Oſtenditur Eccleſiam ſua definitione poſſe efficere, vt ſit iam de fide veritas, quæ prius non erat de fide ſtrictè.

1. AN vero Eccleſia per ſuam definitionem poſſit facere, vt propoſitio, quæ ex ſe antecedenter ad definitionem Eccleſiæ ſolum erat concluſio Theologica, per ipſam definitionem eleuetur ad gradum altiorem certitudinis, & iam conſtituatur de fide, diſputant Theologi. Qua in quæſtione, P. Molina 1. par. quæſt. 1. art. 2. diſput. 1. & P. Valentia quæſtion. 1. de fide artic. 6. negant. Affirmant vero multi cum P. Suarez diſp. 3. ſect. 11. quibus ego ſubſcripſi. Et probo; quia vt fatetur P. Valentia quæſt. 1. de fide num. 3. ad 3. ad Eccleſiam non ſolum pertinet cum authoritate infallibili diſcernere, quid ſit à Deo reuelatum; nimirum proponendo reuelationem immediatam veritatis, factam Prophetis, & ſcriptoribus Canonicis, & ſic applicando motiuum fidei: ſed etiam ad ipſam ſpectat veritates ipſas ſecundum ſe aſſeuerare. Ergo non ſolum poteſt Eccleſia cum infallibilitate declarare, hanc concluſionem, *Chriſtus habet duplicem voluntatem*, virtualiter contineri in hac propoſitione de fide, *Chriſtus eſt Deus homo*, ſed etiam immediate, & formaliter eam in ſe definire, dicendo, *Chriſtus habet duplicẽ voluntatem.*

2. Hoc præſtitit ſexta Synodus actione 4. his verbis: *Duas dicimus vnum eumdemque D. N. Ieſum Chriſtum ſicut naturas, ita & naturales in ſe voluntates, & operationes habere, diuinam ſcilicet & humanam.* Et paulo antea. *Omnia duplicia, vnius eiuſdem Domini Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti ſecundum Euangelicam traditionem aſſerimus*; id eſt, *duas eius naturas prædicamus, diuinam ſcilicet, & humanam, ex quibus, & in quibus, etiam poſt admirabilem, atque inſeparabilem vnionem ſubſiſtit; & vnamquamque eius naturam, proprietatem naturalem habere confitemur; diuinam, omnia quæ diuina ſunt & humanam, omnia quæ humana ſunt, abſque vllo peccato.*

3. Similiter Florentinum in ſanctis vnionum literis, quæ habentur poſt ſeſs. 25. *Definiuimus*, inquit *illorum animas, qui poſt baptiſmum ſuſceptum nullam omnino maculam incurrerunt; illas etiam, quæ poſt contractam peccati maculam, vel in ſuis corporibus, vel eiſdem exutæ, ſunt purgatæ, in Cælum mox recipi, & intueri clarè ipſum Deum Trinum, & Vnum ſicuti eſt.* Quæ veritas antea dubia erat inter Catholicos, quibuſdam aſſerentibus, animas Sanctorum non videre Deum ante diem iudicij

vni-

vniuerſalis. Quare Concilium poſtquam rem diligenter diſcuſſit, & deprehendit, hanc veritatem ex alijs recte deduci, illam in ſe ipſa definiuit. Similiter tempore Clementis V. controuerſum erat inter Catholicos, an habitus ſupernaturales infunderentur in Baptiſmo; Conciliumque Viennenſe ſub hoc Pontifice ſolum definiuit, eſſe magis probabile habitus ſupernaturales tunc infundi, vt habes apud Ripaldam diſp. 120. ſect. 1. poſtea tamen Tridentinum veritatem huius infuſionis in ſe ipſa definiuit, eamque reddidit certam de fide. Vnde qui modo negaret, infundi habitus ſupernaturales in baptiſmo, foret formaliter hæreticus. Et hunc ſtylum paſsim obſeruant Concilia in ſuis definitionibus, quibus mos non eſt, declarare, talia, vel talia dogmata eſſe in ſe reuelata, ſed abſolute illorum veritatem definire, & credendam fidelibus proponere; ſic Tridentinum ſeſsione 6. cap. 7 definiendo aſſerit, *quod iuſtificatio non eſt ſola peccatorum remiſſio, ſed & ſanctificatio, & renouatio interioris hominis, per voluntariam ſuſceptionem gratiæ, & donorum*. Et cap. 5. *delarat, ipſius iuſtificationis exordium à Dei per Chriſtum Ieſum præueniente gratia ſumendum eſſe*.

4. Confirmatur, ſiquidem certum eſt, eſſe de fide omnia, quæ definita ſunt in Concilijs generalibus, quin vllus author Catholicus hoc negare audeat: idque patet ex profeſsione fidei, in qua profitemur, nos credere omnia à Concilijs generalibus definita, ſic enim iurat, qui profeſsionem fidei facit: *Cætera item omnia à ſacris Canonibus, & Oecumenicis Concilijs, ac præcipuè à ſacroſancta Tridentina Synodo tradita, definita, & declarata, indubitanter recipio, atque profiteor*. At certum non eſt, omnia tradita & definita à Concilijs generalibus fuiſſe immediate à Deo reuelata Apoſtolis vel Prophetis; ſed ſolum eſt certum, vel fuiſſe reuelata, vel ex reuelatis neceſſario inferri. Ergo Concluſio Theologica erit de fide per hoc præciſe, quod ab Eccleſia definiatur.

5. Qua propter falſum eſt, quod ſupra dicebat P. Molina, nimirum Spiritum Sanctum non aſsiſtere Eccleſiæ, vt aliquid de fide efficiat, quod ante non erat de fide, ſed ſolum ne erret in declarandis, quæ ad fidem mediate, vel immediate pertinent. Etenim, vt rectè contra ipſum arguit P. Suarez diſp. 3. ſect. 11. num. 11. Eccleſia non definit iſto modo, ſed abſolute, *hoc eſſe verum, & eſſe Catholicam doctrinam*, & ita eodem tenore huiuſmodi veritates definit, & errores contrarios damnat, vt conſtat ex Tridentino, & cæteris Concilijs. Non enim ſic ſe gerit Eccleſia: *declaramus vel definimus, hoc eſſe immediate reuelatum à Deo, vel, hoc deduci immediate ex reuelatis; ſed ſic: definimus, declaramus, vel aſſerimus, hoc eſſe verum*; vt nuper probauimus.

6. Dices, Eccleſiam poſſe quidem definire veritatem in ſe ipſa; cæterum non poſſe hoc facere, quin prius deprehendat, illam fuiſſe formaliter à Deo reuelatam in ſe ipſa. Verum hoc gratis, & ſine probatione aſſumitur: ſi enim ſemel Eccleſia ſua definitione poteſt veritates ipſas

definire, quas cognouit fuiſſe immediate à Deo reuelatas; cur ſimiliter non poterit veritates illas in ſe definire, quas deprehenderit euidenter inferri ex myſterijs reuelatis? Nam ſi primum poteſt facere, eius munus non eſt præciſe proponere reuelationem formalem antea factam, ſed inſuper veritates ipſas ſtabilire. Si autem hoc poteſt, etiam valebit ſua definitione ſtabilire Concluſionem Theologicam, quæ non erat antea immediate, & formaliter reuelata; ſed dumtaxat mediate, & in alio.

7. Quare Eccleſia bene poteſt facere, vt id quod non erat propriè, & ſtrictè de fide, quia non erat in ſe immediate reuelatum, ſed ſolum erat de fide latè, quatenus ex reuelatis, & alij principijs lumine naturæ notis per legitimam conſequentiam inferebatur; ſit iam de fide ſtrictè. Qui enim aſſentitur immediate alicui veritati, quia Deus per os Eccleſiæ illam teſtificatur, actum fidei diuinæ elicit, non minus, quam is, qui credit aliquod myſterium, quia Deus per os Prophetæ, vel alterius ſcriptoris Canonici illud teſtificatur: non enim minus repugnat Eccleſiam fallere, vel falli, dum aliquid credendum proponit omnibus fidelibus cum intentione eos obligandi, quam fallere, vel falli Prophetam, aut Euangeliſtam, qui Spiritu Sancto afflatus ſcribit. Etſi enim Eccleſia in definiendo, more humano procedat, prius diſputando, examinando, & conſulendo Sacræ Scripturæ, Conciliorum, & Sanctorum Patrum monumenta: dum tamen ad definiendum procedit per os Romani Pontificis cum Concilio Generali (vbi iuxta omnes Catholicos habet aſsiſtentiam infallibilem Spiritus Sancti ad non errandum) vel etiam extra Concilium generale iuxta ſententiam communem fere omnium, errare minime poteſt.

8. Quapropter, vt inquit, Bellarminus lib. 3. de Verbo Dei cap. vltimo, „ Verbum Eccleſiæ, id eſt Concilij generalis, vel Pontificis „ loquentis è Cathedra, non eſt omnino verbum hominis, ſed aliquo „ modo verbum Dei; ideſt prolatum aſſiſtente, & gubernante Spiritu „ Sancto. Et de Eccleſia aliquid definiente verificatur illud Pſal. 44. „ Lingua mea calamus ſcribæ velociter ſcribentis: quod Apoſtoli ſi„ gnificarunt Actorum 15. cùm dixerunt, Viſum eſt Spiritui Sancto, & nobis; Idque etiam ſignificant Concilia generalia, dum ante definitiones ſuas præmittunt, ſe eſſe in *Spiritu Sancto legitime congregata*: Et Sanctus Gregorius dum lib. 1. Ep. 24. dixit, quatuor prima Concilia generalia, quæ ante ipſum ſola præceſſerant, habenda eſſe ſicut quatuor Euangelia; quia videlicet non minore authoritate loquutus eſt in eis Spiritus Sanctus quoad definitiones fidei.

9. Idque confirmat P. Suarez, quia non eſt minor authoritas Eccleſiæ quando veritatem definit, quam ſit Scripturæ Sacræ in his, quæ continet. Atqui omnia, quæ ſunt in ſcriptura, ſunt propriè, & immediatè de fide: ergo etiam omnia, quæ Eccleſia immediate definit. Conſequen-

ized by Goog

ſequentia cum minori conſtat. Maior autem probatur 1. ex illo Pauli 1. ad Timotheum 3. *Eccleſia eſt columna, & firmamentum veritatis*. Secundò ex dicto Gregorij nuper citato. Tertiò ex illa celebri Auguſtini ſententia in libro contra Epiſtolam fundamenti cap. 5. *Euangelio non crederem, niſi Eccleſiæ authoritas me moueret*: id eſt authoritas Eccleſiæ teſtificantis hoc Euangelium eſſe verum Chriſti Euangelium, & inter libros Canonicos numerandum. Denique quia ſicut eſt de fide, *non poſſe ſolui ſcripturam* vt dicitur Ioannis 1. ita eſt de fide, Eccleſiam non poſſe errare in ſuis definitionibus.

10. Præterea argumentor: quia Eccleſia ſuis definitionibus aliquam certitudinem tribuit veritatibus à ſe definitis: quod enim ante definitionem impune, & quandoque cum probabilitate poterat negari; vt negabatur beatificatio Sanctorum ante diem iudicij generalis tempore Ioannis 22. iam poſt definitionem Eccleſiæ nequit negari ſine aperta hæreſi. At non communicat certitudinem euidentiæ, nec certitudinem ſolius fidei humanæ, ergo certitudinem fidei diuinæ: ergo quando definit veritatem, quæ ante definitionem erat ſolum concluſio Theologica, illam facit eſſe propriè & immediatè de fide. Idque confirmo ex P. Valentia, qui quæſt. 1. punct. 2. ad 3. ait, propoſitionem hanc, *Chriſtus habet duas voluntates*, & ſi quæ aliæ ſunt propoſitiones eiuſmodi, quæ in Eccleſia habentur de fide, non ſolum eſſe certas, quia concluduntur ex alijs de fide, ſed quia in ſe ſunt definitæ: definitæ autem ſunt propterea, quod conſentaneæ videbantur fidei; id quod diſcurſu Theologico compertum eſt: ergo poſt definitionem fiunt de fide; & illas negare erit hæreſis.

11. Hinc, quamuis Eccleſia non definiret immediate, & directè veritatem Concluſionis Theologicæ in ſe ipſa; ſed ſolum definiret, illam Concluſionem eſſe Theologicam; iam eſſet de fide eam eſſe concluſionem Theologicam, ideſt legitimè inferri ex vna præmiſſa de fide, & altera euidenti. Vnde qui poſt definitionem negaret, illam Concluſionem eſſe Theologicam, eſſet formaliter hæreticus. Similiter dum Eccleſia definit, Deum immediatè reuelaſſe aliquod myſterium, facit vt poſſimus reflexe credere fide Diuina, Deum reuelaſſe myſterium, ita vt reuelatio diuina ibi ſit præciſè myſterium creditum, motiuum autem credendi ſit definitio. Ergo definitio Eccleſiæ eſt motiuum fidei Diuinæ, non minus quàm reuelatio facta Prophetis, & Euangeliſtis. Vnde cum ex dictis in toto hoc Opere, definitio edita à Pontifice nõ minus ſit infallibilis, quam ſi ederetur à Concilio generali; per definitionem Romani Pontificis poteſt fieri de fide propoſitio, quæ antecedenter erat ſolum concluſio Theologica, nimirum ſi Romanus Pontifex definiat veritatem illius propoſitionis, & toti Eccleſiæ præcipiat, vt illam tanquam veram accipiat; ad eum modum, quo Benedictus XII. definiuit animas Sanctorum videre Deum prout eſt in ſe ante diem iudicij vniuerſalis; & prout

Digitized by Google

prout definitum eſt à Tridentino, iuſtificationem fieri per formam inhærentem.

12. Vnde licèt quando Eccleſia poſt tempora Apoſtolorũ aliquam veritatem definit, non accipiat aliquam nouam reuelationem, quam per ſuam definitionem proponat fidelibus tanquam motiuum credendi veritatem definitam; tamen per ipſam definitionem Deus reuelat fidelibus, verum eſſe quod Papa definit, quia ipſa eius definitio eſt quoddam Dei teſtimonium & reuelatio, per quam ipſe affirmat, rem illam eſſe veram. Sicut cum Deus patrat miraculum in confirmatione alicuius doctrinæ, per ipſam patrationem miraculi teſtatur, doctrinam illam eſſe veram: Vt enim inquit Auguſtinus, *ſicut humana conſuetudo loquitur verbis, ita diuina omnipotentia loquitur factis*. Etenim cum illa definitio habeat Spiritum Sanctum, vt ſpecialem authorem, per eam Deus nobis loquitur; dum autem Eccleſiæ definit aliquid eſſe immediate à Deo reuelatum in Scripturis & Prophetis; hæc eius definitio eſt quaſi reflexa Dei reuelatio, qua ille per os Eccleſiæ reuelat, ſe olim reuelaſſe myſteria per os Prophetarum. Sic Paulus ad Hebræos 1. teſtatur, *olim multifariam, multiſque modis Deum loquentem Patribus in Prophetis, nouiſſime loquutum eſſe nobis in Filio*: quæ verba conſtituunt quandam reuelationem reflexam, qua per os Pauli teſtatur, ſe olim loquutum fuiſſe Patribus per Prophetas; nouiſſimè vero loquutum eſſe per Filium ſuum Ieſum Chriſtum. Sicut autem verba Pauli conſtituunt reuelationem reflexam; ita definitio Eccleſiæ affirmans, Deum reuelaſſe immediate, & formaliter, conſtituit reuelationem reflexam.

13. Nec hinc ſequitur, vt aliqui arguunt, definitionem Eccleſiæ in Concilio, vel per Pontificem loquentem è Cathedra extra Concilium, eſse proprie Scripturam. Quia non quodlibet verbum Dei conſtituens rem ſub obiecto fidei, appellatur Scriptura; quia nomine Scripturæ ſolum intelligimus vetus, & nouum teſtamentum; non autem definitiones Conciliorum, & Summorum Pontificum: quamuis iſtę in quodam proprio ſenſu ſint verbum Dei infallibile. Non dicuntur autem in communi phraſi verbum Dei more humano prolatum, pręcedente diſcurſu, diſputatione, & conſultatione: Scriptura autem ſolum continet verbum Dei immediatè inſpiratum ab ipſo, ſine conſultatione hominum.

14. Et ſane vt probaretur, non poſſe Eccleſiam facere, vt aliqua concluſio Theologica ſit de fide, quæ antea non erat de fide; duo probanda erant, nimirum, Apoſtolos per ſcientiam infuſam cognouiſſe omnem veritatem deducibilem ex principijs reuelatis, & ex alijs lumine naturæ notis, & inſuper omnem illam veritatem vel verbo, vel ſcripto hominibus tradidiſſe. Quare cum hoc non probetur, nec probari poſſit, dicendum eſt, poſſe Eccleſiam definire aliquam veritatem, quæ non erat in ſe immediate hominibus reuelata, per Apoſtolos, nec per Prophetas. Sed ſolum ex iam reuelatis, & ex alijs principijs lumine naturæ notis legitimè inferebatur.

15. Ve-

15. Verum quidem eſt, quod ad hoc vt Eccleſia aliquid de nouo definiat, debet euoluere Scripturam, & Concilia, Traditiones examinare, & Patrum monumenta conſulere: hinc tamen non deducitur, non poſſe aliquid definire, quod non fuerit immediatè, & formaliter prius reuelatum à Deo: ſed ſolum ſequitur, non poſſe aliquid de nouo definire, quin illud, vel prius fuerit immediatè, & formaliter reuelatum à Deo, vel ſaltem ex reuelatis, & ex alijs principijs naturaliter notis legitimè deducatur à rectè penetrantibus principia illa.

16. Nec nobis contrarius eſt D. Thomas, dum 2.2. quæſt. 1. art. 7. docet, non augeri ſucceſſu temporum articulos fidei quoad ſubſtantiam, ſed ſolum quoad explicationem. Sanctus enim Doctor, non intendit, ſemper in ſe fuiſſe de fide id, quod nunc eſt de fide. Id enim eſſet planè falſum, vt notat Cardinalis de Lugo: quia in lege naturæ non erat de fide Chriſtum futurum ex ſemine Abrahæ, vel de progenie Dauid: quamuis enim ab initio Deus reuelauerit, Chriſtum venturum, non tamen reuelauit illam circunſtantiam, donec poſtea id promiſit. Multaque Deus per Patriarchas, & Prophetas de nouo reuelauit, quæ antea reuelata non fuerant, ac proinde in ſe non erant de fide; poſtea autem de fide fuerunt, & ab omnibus credi debebant. Solum ergo Diuus Thomas intendit, Eccleſiam ſimpliciter non tradere nouam fidem, ſed antiquam, à Chriſto, & ab Apoſtolis acceptam, ſemper ſtabilire, & explicare. Hoc autem non tollit, quod poſt Chriſti aduentum aliqua propoſitio ſit de fide proprie & immediate, quæ antea non erat de fide proprie & ſtricte, quamuis implicite contineretur in Doctrina antiqua. Nam poſt Chriſti aduentum, multæ propoſitiones definitæ ſunt ab Eccleſia, quæ antea non erant de fide; vt quod Chriſtus duas habuerit voluntates, quod Beata Virgo nunquam peccauerit venialiter, quod iuſtificatio fiat per formam inhærentem, quod paruulis in Baptiſmo infundantur habitus ſupernaturales, & quod animæ Sanctorum ante diem iudicij Deum, prout eſt in ſe videant; & aliæ huiuſmodi.

17. Itaque Eccleſia non indiget noua reuelatione, vt aliquid de nouo definiat, & credendum proponat, quæ reuelatio ſit ei motiuum definiendi; ſed ſufficit ipſi aſſiſtentia Spiritus Sancti, vt definiat, verum eſſe id, quod deprehenderit in reuelatis contineri, & ſic definiendo, certum faciat de fide. Hæc autem propoſitio, ſeu Concluſio Theologica, quæ fit de fide, cum antea de fide non eſſet, *nunquam eſt nouus articulus* (inquit P. Suarez diſp. 2. de fide num. 17.) quia non pertinet ad materiam veluti ſubſtantialem Fidei, explicite ab omnibus credendam; illa enim ſufficienter fuit ſemper explicata in Symbolo; ſed pertinet ſæpe ad doctrinam fidei, quam oportet ſciri à Doctoribus Eccleſiæ iuxta temporum varietatem, vel neceſſitatem.

18. Quod confirmo ex ipſo P. Valentia nobis in hac aſſertione

con-

contrario; nam ille tom. 3. diſp. 1. quæſt. 1. par. 7. §. 41. ad *ſecundum* expreſsè affirmat, cum *Theologi aiunt*, nullam fidei veritatem nouam in Eccleſia definiri, id intelligi de veritate dogmatum, quæ controuerti poſſint circa noſtræ Religionis capita, vt circa Deum, circa Sacramenta, & *ſimilia*: Ergo aliæ veritates ſecundariæ, & minus principales deductæ ex reuelatis, & principijs lumine naturæ notis, quamuis in ſe non ſint de fide, poſſunt definiri ab Eccleſia, ſi exurgant homines peruerſi, ſeminantes errores illis contrarios.

19. Addo ex P. Puente Hurtado diſp. 37. de fide §. 21. nouas Eccleſiæ definitiones eſſe nouas Dei reuelationes publicas, factas Eccleſię per os Pontificis Romani loquentis è Cathedra, vel in Concilio Generali, vel extra illud: licet enim Deus, inquit, de nouo non reuelet aliquid myſterium, cuius cognitio ſit neceſſaria ad ſalutem neceſſitate medij; multa tamen reuelat, quæ expediant ad communem vtilitatem: nam aliqui libri Canonici non fuerunt admiſſi in ipſis Eccleſiæ natalitijs pro Canonicis; poſtea tamen Pontifices definierunt illos eſſe Canonicos; hæc tamen reuelatio non fuerat facta prius; ſicut nec quod matrimonia Eunuchorum erant inualida, & alia huiuſmodi; ſaltem negari non poteſt, aliqua non fuiſſe olim tam expreſsè reuelata, vt non potuerint abſque infidelitate negari: poſtea vero tam expreſsè reuelantur, vt iam licitè negari non poſſint: illa ergo reuelatio expreſſior, eſt quæ fit à Pontifice. Negari ergo non poteſt, Deum per os Pontificis è Cathedra docentis totam Eccleſiam, aliquam nouam reuelationem facere.

20. Pro maiori, & clariori intelligentia huius doctrinæ, nota, Eccleſiam definientem directè veritatem concluſionis Theologicæ, non definire, nec declarare illam veritatem eſſe de fide, & propoſitionem oppoſitam eſſe hæreticam; ſed definiendo veritatem illius concluſionis, illam facere certam de fide formaliter per ſuam definitionem. Sicut Deus reuelans veritatem myſterij Trinitatis, non reuelat illud myſterium eſſe de fide; ſed illud de fide facit formliter per ipſam reuelationem. Vnde qui poſt definitionem Eccleſiæ pertinaciter negaret veritatem definitam, eſſet formaliter hæreticus, non minus quàm qui negaret veritatem ab Scriptura aſſertam, & ab Eccleſia propoſitam tamquam à Deo reuelatam. Nec ſolum foret hæreticus, quatenus diceret Eccleſiam in ſuis definitionibus errare, ſed quatenus negaret propoſitionem ab Eccleſia definitam: ſicut qui negaret myſterium Trinitatis non ſolum foret hæreticus, quatenus diceret, Deum in reuelatione fallere, vel falli, ſed quatenus immediate negaret veritatem à Deo reuelatam.

21. Ex dictis infero haud rectè Cardinalem de Lugo diſp. 3. de fide num. 72. aſſeruiſſe, nihil nunc explicitè credi poſſe per fidem, quod non fuerit immediate reuelatum Apoſtolis ſaltem in confuſo, & vniuerſali; haud rectè, inquam; nam per fidem poſſumus credere omnia, quæ

Eccle-

Eccleſia poteſt definire; illa autem definire valet concluſionem Theologicam, quæ non erat immediatè reuelata, nec in particulari, nec in communi, & in confuſo. Infero ſecundò; dum Eccleſia definit aliquam propoſitionem eſſe de fide, & oppoſitam eſſe hæreticam, illam definitionem eſſe reflexam, quia per illam Eccleſia declarat eiuſmodi propoſitionem à Deo fuiſſe immediatè reuelatam: & ex hac definitione nobis conſtat, propoſitionem illam antea fuiſſe de fide, quod nobis non conſtat, quando Eccleſia ſolùm directè veritatem definit in ſe ipſa.

§. III.

Illatio ex dictis: vbi exponitur, quid ſit propoſitio hæretica, quid hæreſis: & quid requiratur, vt quis cenſeatur hæreticus?

1. EX dictis infero, eum, qui affirmat aliquam propoſitionem eſſe hæreticam, vel affirmare propoſitionem contradictoriam eſſe formaliter reuelatam à Deo ſaltem in communi, & ſub terminis generalibus; vel affirmare, propoſitionem oppoſitam eſſe definitam ab Eccléſia, vel per os Concilij Generalis confirmati à Romano Pontifice, vel per os Romani Pontificis extra Concilium generale. Vnde quamuis quis exiſtimaret aliquam propoſitionem non eſſe formaliter reuelatam à Deo in Scripturis, ſed ſolùm neceſſariò inferri ex vna propoſitione reuelata, & ex alia lumine naturæ nota; ſi tamen videret, illam eſſe definitam ab Eccleſia in Concilio generali, vel à Pontifice Romano loquente ex Cathedra cum intentione obligandi totam Eccleſiam; poſſet veriſſimè pronuntiare, propoſitionem contradictoriam eſſe hæreticam; & eos, qui poſt illam definitionem adhuc illam propoſitionem pertinaciter defenderent, eſſe hæreticos. Ratio eſt, quia cùm Romanus Pontifex habeat aſſiſtentiam infallibilem Spiritus Sancti ad non errandum in ſententia, & iudicio publico fidei, ſiue rem definiat in Concilio generali, ſiue extra illud: quicumque poſt definitionem Pontificis negaret propoſitionem ab eo definitam, ſciens ab ipſo fuiſſe definitam, eſſet formaliter hæreticus. Sic poſtquam Innocentius X. definiuit, *ad merendum ac demerendum in ſtatu naturæ lapſæ requiri libertatem à neceſſitate*, ſeu libertatem indifferentiæ, & non *ſufficere libertatem à coactione*; foret formaliter hæreticus, qui ſcienter ſe opponeret huic definitioni, & iudicium ſuum præferret iudicio Romani Pontificis loquentis ex Cathedra ad totam Eccleſiam, & vtentis authoritate Vicarij Chriſti ad illam obligandam.

2. Iudicium enim huiuſmodi Romani Pontificis loquentis toti Ec-

Digitized by Google

cleſiæ quatenus eſt Summus Pontifex, & Vicarius Chriſti, & caput viſibile Eccleſiæ, eſt iudicium Eccleſiæ: qui autem negat propoſitionem, quam ſcit eſſe definitam ab Eccleſia, & propoſitam fidelibus vt dogma tenendum ab omnibus, errat in fide cum pertinacia, ac proinde hæreticus formaliter eſt. Vt enim rectè explicat Cardinalis Toletus in ſumma lib. 4. cap. 3. ex S. Thoma, & communi Theologorum „ dicitur „ eſſe pertinax, qui ſciens, eſſe illud quod affirmat, contra Eccleſiam, „ adhuc vult illud ſuſtinere. Vnde errare cum pertinacia non eſt (inquit) nimis adhærere ſuis dictis; ſed eſt perſiſtere in ſuſtinenda aliqua propoſitione, quamuis ſciat oppoſitam eſſe iudicio Eccleſiæ, „ contemnendo ſcilicet iudicium Eccleſiæ, & ſuum iudicium priuatum illi anteponendo.

3. Vnde ſiquis erret contra fidem, per ignorantiam craſſam & culpabilem, quia ſcilicet errat in ijs, quæ tenebatur ſcire; ſi tamen id faciat, quia neſcit, Eccleſiam tenere oppoſitum, & paratus eſt credere omne id, quod Eccleſia credendum propoſuerit; is non erit hæreticus; licet mortaliter peccet; vt rectè docet ibi Toletus. „ Vnde multi ruſtici (inquit) habentes errores contra articulos fidei, excuſantur ab „ hæreſi, quia licet ignorent articulos, ſunt parati obedire Eccleſiæ; „ ſed à peccato mortali non excuſantur; quia tenentur ſcire articulos, „ quod aduertere debent confeſſarij.

4. Hæc doctrina eſt S. Auguſtini epiſtol. 162. vbi ait: *Qui ſententiam ſuam quantumuis falſam atque peruerſam, nulla peruerſa animoſitate defendunt... corrigi parati, cùm inuenerint veritatem, nequaquam ſunt inter hæreticos computandi.*

5. Vnde Ianſenius, hæreticus non fuit, quamuis tradiderit propoſitiones reuera hæreticas; vt rectè probat Eminentiſſimus Cardinalis Aguirre in Defenſione Cathedræ S. Petri diſp. 18. ſect. 2. ex verbis, quæ Ianſenius protulit tom. 2. lib. 1. cap. 29. „ Mihi (aiebat) conſtitu- „ tum eſt, quam ab infantia ſecutus ſum, ſenſuum meorum ad extre- „ mum vſque ſpiritum ducem ſequi Romanam Eccleſiam, & Beatiſſi- „ mi Petri in Romana Sede Succeſſorem: ſuper illam petram ædificatam „ Eccleſiam ſcio. Quicumque cum illo colligit non ſpargit: apud „ eum ſolùm incorrupta Patrũ ſeruatur hęreditas. Quodcumque ab iſta „ Petri Cathedra, in cuius communione à teneris vixi, & porrò vi- „ uere ac mori fixum eſt, ab iſto Chriſti D.N. Vicario, ab iſto Eccle- „ ſiæ Chriſtianæ vniuerſæ capite, moderatore, Pontifice, præſcriptum „ fuerit, teneo: Quidquid improbatum, improbo; damnatum damno; „ anathematizatum, anathematizo. Quod luculentius teſtimonium „ Ianſenius ferre potuit de ſui animi ſummiſſione iudicio Apoſto- „ licæ Sedis, nulla facta Concilij alicuius mentione? Sed & præterea „ lib. 10. de Gratia Chriſti in Epilogo inquit: Quidquid de rebus tam „ multiplicibus, tam arduis, non iuxta meam mentem, ſed iuxta men-

„ tem

Digitized by Google

„ tem S. Auguſtini, pronunciaui, de Apoſtolicæ Sedis, Eccleſiæque „ Romanæ Matris meæ iudicio, ſententiaque ſuſpendo: vt illud iam nunc teneam, ſi tenendum, reuocem, ſi reuocandum; damnem, & „ anathematizem, ſi damnandum, & anathematizandum eſſe iudica„ uerit. Hactenus ille. Quin & octoginta quinque Galliarum Epiſco„ pi,in Epiſtola ad Innocentium X. ſcripta anno 1653. teſtantur, Ian„ ſenium ipſum inſtante iam morte, ſua ſcripta ſubieciſſe Apoſtolicæ „ Sedis iudicio. Subditus ergo permanſit in præparatione animi cui„ libet iudicio ſuperuenienti Sedis Apoſtolicæ, ſeu Romani Pontifi„ cis, nulla mentione facta Concilij, ne in ſpeciem quidem. Vnde conſtat Ianſenium agnouiſſe authoritatem infallibilem in Romano Pontifice,ad determinandas fidei, & morum controuerſias extra Concilium generale; & conſequenter iudicio Ianſenij contradicere Ianſeniſtas, qui adhuc poſt Bullam Innocentij X. cenſerent, ſanas Catholicaſque eſſe propoſitiones illas Ianſenij, quas Innocentius X. hæreticas eſſe declarauit.

6. Hinc deduco, eos authores, qui agentes de cenſuris Theologicis, dicunt, propoſitionem non mereri cenſuram Theologicam hæreticæ, niſi ſit aſſerta cum pertinacia à ſuis authoribus, non rectè explicare rem hanc: propoſitio namque non dicitur hæretica ex animo proferentis, ſed ex obiecto. Si enim oppoſita, ſit immediatè, & formaliter à Deo reuelata, vel ab Eccleſia definita; talis propoſitio erit hæretica; quamuis qui illam defendit non defenderit animo hæretico, ſed illam defenderit, quia per errorem ſiue culpabilem, ſiue inculpabilem, iudicabat, illam eſſe ſanam, ſicut defendit Ianſenius ſuas propoſitiones; exiſtimabat enim illas propoſitiones non opponi ſenſui Eccleſiæ, & Romanæ Sedis, ſed potius eſſe illi conformes: Vnde, ſi conformiter ad ea, quæ nuper ex ipſo retulimus iudicare velimus, debemus dicere; eum retractaturum fuiſſe illas ſuas propoſitiones, ſi vidiſſet Bullam Innocentij X. in qua illas damnauit vt hæreticas.

7. Quòd illæ propoſitiones Ianſenij fuerint hæreticæ, antę quam damnatæ eſſent ab Innocentio, probatur: Nam illæ non propterea erant hæreticæ, quia Pontifex declarauit eſſe hæreticas; ſed propterea cum infallibili veritate declarauit eſſe hęreticas,quia illę in ſe erant hæreticæ: erant ergo hæreticæ in ſeipſis, quamuis non eſſent animo hæretico aſſertæ à Ianſenio. Vndè P. Suarez diſput. 19. de fide ſect.2. num. 5. dixit; *hæreſim, & propoſitionem hæreticam in rigore non eſſe idem; ſed differre tanquam actum ſeu peccatum, & materiam circa quam verſatur: hæreſis enim propriè* (inquit) *eſt peccatum quoddam infidelitatis; propoſitio autem hæretica,tantum ſignificat materiam,circa quam illud peccatum verſatur.*

8. Hanc doctrinam latè promouet Cardinalis de Lugo diſp. 20. de fide ſect. 3. vbi cum P. Suarez diſp. 19. ſect. 2. meritò docuit, di-

uerſitatem inter propoſitionem hæreticam,& erroneam, nôn eſſe attendendam quaſi in concreto , & per reſpectum ad diſpoſitionem ſubiecti proferentis propoſitionem ; ſed in abſtracto , & præcisè per reſpectum ad obiectum. Vnde Pius V. & Gregorius XIII. non diſtinxerunt in ſuis Bullis duos illos gradus cenſuræ,ex pertinacia,vel eius defectu; nullam enim pertinaciam agnouerunt in Baio , qui ſemper Catholicus fuit , & Eccleſiæ obediens ; ſed ex parte ipſius doctrinæ differentiam inuenerunt inter propoſitionem hæreticam,& erroneam.Quare Okam, Adrianus , Torres , & Couarruuias apud P.Suarez dicunt ; denominationem *propoſitionis hæreticæ* eſſe abſolutam , & independentem ab animo loquentis , ſeu ſcribentis , ciuſque rationem in hoc conſiſtere , quòd ſit propoſitio apertè oppoſita,ſiue contraria; ſiue contradictoria alicui veritati , de qua certò conſtet eſſe de fide .

9. Vnde rurſus infero , poſſe aliquam propoſitionem eſſe hæreticam in ſe , quin ſit hæretica quoad nos ; id eſt quoad obligationem publicam communem toti Eccleſiæ habendi illam pro hæretica , ita vt ſit hæreticus , qui illam noluerit habere pro hæretica , nam ante definitionem Innocentij propoſitiones Ianſenij in ſe erant hæreticę ; quia tamen inter Doctores Catholicos controuertebatur , an eſſent hæreticæ ; quamuis Epiſcopi Gallię , qui ad Innocentium X. recurrerunt, verè cenſerent eſſe hæreticas ; nondum tamen id erat de fide quoad nos , ſeu quoad iudicium publicum Eccleſię ; vnde Ianſenius , & eius ſequaces non erant hęretici; erunt tamen hæretici,qui modo poſt Bullam Innocentij velint illas propoſitiones defendere .

10. Infero rurſus,aliquam propoſitionem poſſe eſſe de fide in ſe , & verè affirmari de fide à Doctore particulari ; quin ſit de fide quoad iudicium publicum Eccleſię ; quia nimirum Eccleſia non declarauit illam eſſe reuelatam à Deo; nec illius veritatem definiuit, edendo conſtitutionem , qua omnes fideles conſtringeret ad illam habendam pro dogmate vero, & Catholico .

11. Infero tertiò , poſſe Doctorem particularem verè affirmare aliquam propoſitionem eſſe de fide ; quamuis non ſit certum apud omnes & iudicio publico Eccleſiæ , illam eſſe de fide , quia ſicut in alijs materijs diſputantur aliquę quęſtiones ; ita diſputatur , an aliqua propoſitio ſit de fide : Et in hac controuerſia ; qui inuenerit fundamenta vrgentia ad iudicandum propoſitionem illam eſſe reuelatam in ſcripturis,vel definitam in Concilijs, vel à Romano Pontifice , poterit abſolutè affirmare illam eſſe de fide ; quamuis ſciat eſſe Doctores affirmantes non eſſe de fide . Sic Scotiſtę abſolutè affirmant , Chriſtum ex vi præſentis decreti venturum Adamo non peccante , quamuis ſciant Thomiſtas aſſerere oppoſitum . Sic Schola Societatis conſtanter defendit , Deum non cognoſcere futura conditionata libera in Decreto ; quamuis ſciat Patres Dominicanos cum Magiſtro Bañez oppoſitum tueri . Sic multi

gra-

grauiſſimique Theologi abſolutè affirmant dari obligationem exponendi in confeſſione circumſtantias notabiliter aggrauantes peccata intra eandem ſpeciem, quamuis ſciant, alios grauiſſimos Theologos hanc obligationem negare. Quare vt quis abſolutè affirmet aliquam propoſitionem, non eſt neceſſe, vt illa ſit certa; ſed ſatis eſt, quòd illi ob fundamenta vrgentiora, & veriſimiliora, appareat vera.

12. Vbi autem Romanus Pontifex tanquam ſupremus Eccleſiæ Paſtor & Magiſter, dubia fidei reſoluit, & è Cathedra Petri omnibus fidelibus proponit, quid in eo dubio tenendum ſit, cum intentione obligandi ad illam partem amplectendam, quam ipſe veram, & Catholicam cenſet, & vt talem proponit; iam tollit omne dubium: & rem illam reddit omninò certam quoad nos; quod priuilegium nullus Doctor particularis habet; quia priuilegium infallibilitatis eſt proprium Sedis Apoſtolicæ, ſeu Romani Pontificis, ad quem attinet Sybolum edere, & authoritatiuè declarare quænam propoſitio ſit de fide, quænam hæretica: quænam ſit principijs fidei conformis, quænam difformis, & erronea; quænam ſana; quænam periculoſa. Vt ſic totum Chriſti gregem poſſit paſcere veritate, & virtute; & Eccleſiæ fidem puram conſeruare, vt docet communis conſenſus Theologorum cum D. Thoma 2.2. quæſt. 1. art. 10. & alijs locis citatis diſp. 7. ſect. 2. §. 4. & diſp. 9. ſect. 3. §. 4. & conſtat ex tota diſp. 9. Pontifici autem Romano declaranti aliquam propoſitionem eſſe hæreticam, vel erroneam, vel temerariam, & præcipienti, vt nemini liceat aliter de illa ſentire, vel prædicare, (vt fecit Innocentius X. cum propoſitionibus quinque Ianſenij) omnes tenentur obedire. Vt enim inquit S. Bonauentura in Apologia Pauperum Reſponſ. 1. cap. 1. *Si tempore Sacerdotis figuratiui, Pontificis ſententiæ aduerſari malum erat: multò fortius tempore veritatis, & gratiæ reuelatæ, quando Chriſti Vicario plenitudo poteſtatis collata eſſe dignoſcitur, malum eſſe cognoſcitur nullatenus tolerandum in Fide, vel Moribus eius definitioni dogmatizare contrarium, approbando quod ipſe reprobat, reædificando quod ipſe deſtruit, defendendo quod damnat.* Vnde Vniuerſitas Pariſienſis inter articulos, quos ſtabiliuit contra Lutherum, vt florentiſſimum Galliæ Regnum ab infectione hæreſis tueretur, vigeſimus tertius fuit iſte: *Vnum eſſe iure diuino Summum in Eccleſia Chriſti militante Pontificem: cui omnes Chriſtiani parere tenentur*; vt referunt Vindiciæ doctrinæ Maiorum Scholæ Pariſienſis lib. 1. pag. 9.

SE-

SECTIO II.

Proponitur Sententia negans de fide eſſe hunc numero hominem v.g. Innocentium XI. qui modò Eccleſiæ præeſt; eſſe verum Chriſti Vicarium, & legitimum Petri ſucceſſorem.

1. NEgant id eſſe de fide Turrecremata lib. 4. ſummæ par.2.cap.2. ad finem, Caietanus 2. 2. quæſt.1. art. 3. §. ad quartum, Cano, lib. 6. de locis, cap. vltimo, Bañez 2.2. quæſt. 1. art.10. in prioribus commentarijs dubio 2. ad 2. Vega lib. 9. in Tridentinum cap.39. Corduba lib. 1. quæſt. 17. §. 2. Caſtro lib. 1. contra hæreſes cap. 9. circa medium, & alij. Qui Authores volunt id ſolùm eſſe certum certitudine magna morali, cui poſſit ſubeſſe falſum. Quamuis plerique eorum ſentiant, omnia, quæ Papa proponit toti Eccleſiæ vt credenda, eſſe infallibiliter vera, quia eo ipſo, quòd communiter habeatur legitimus, etſi ob occultum defectum ſit illegitimus, infallibilem habet Spiritus Sancti aſſiſtentiam, ne ſuis decretis in errorem inducat totam Eccleſiam.

2. Quòd autem id non ſit de fide, probant apud Patrem Suarez diſp. 10. de fide ſect. 5. Primò quia Deus id nunquam reuelauit. Secundò, quia eſt res humana & contingens, pendens ex teſtimonio paucorum hominum, & ex multis circumſtantijs valde dubijs, verbi gratia an ſit baptizatus, an ritè ordinatus &c. Vt enim inquit Caietanus, *quis ſcit, ſi iſte fuit baptizatus, & ſi ille qui baptizauit eum, habuit intentionem conferendi verum ſacramentum?* Tertiò, quia eſt res, cui poteſt ſubeſſe falſum; accidit enim aliquando eſſe putatum Pontificem, qui talis non erat. Quartò, quia vſu Eccleſiæ conſtat, eos, qui negant hunc numero hominem eſſe verum Pontificem, non reputari hæreticos, vnde à Patribus dicuntur non errare contra fidem, ſed contra Charitatem ſcindentes vnitatem.

3. His rationibus poſſumus adiungere quintam, quia ſi eſſet de fide Innocentium XI. eſſe legitimum Petri ſucceſſorem, ideo foret, quia eſt reuelatum, omnem hominem legitimè electum in Pontificem Romanum, aut ſaltem pro tali à tota Eccleſia habitum, eſſe Petri Succeſſorem in Primatu, & verum Chriſti Vicarium; & aliunde certum eſt certitudine morali excludente omne dubium prudens, Innocentium XI. legitimè electum in Pontificem Romanũ, & pro tali à tota Eccleſia Catholica habitum, & acceptatum eſſe. At non videtur hoc ſufficere vt

ſit

ſit de fide, ipſum eſſe legitimum Petri ſucceſſorem, & Chriſti Vicarium, quia ſimili argumento probari poſſet, de fide eſſe, quòd Chriſtus ſit riſibilis, quia de fide eſt Chriſtum eſſe hominem, & certum eſt omnem hominē eſſe riſibilem. At falſum eſt eſſe de fide, quòd Chriſtus ſit riſibilis, eſt enim ſolùm concluſio Theologia, deducta ex vna pręmiſſa de fide, & altera euidenti lumine naturę. Conſtat autem iuxta veram ſententiam ſtabilitam à P. Suarez diſp. 3. de fide, ſect. 11. cum S. Thoma 1. part. quæſt. 1. art. 1. & 2. & à nobis propugnatam ſectione pręcedenti, non omnem concluſionem Theologicam eſſe de fide; alioqui habitus Theologicus non diſtingueretur ab habitu fidei, & omnis negans concluſionem Theologicā cum pertinacia, eſſet formaliter hęreticus, ſicut hęreticus formaliter eſt, qui negat cū pertinacia propoſitionem de fide. Quod tamen conſtat eſſe falſum, nam concluſioni Theogicæ opponitur error, at propoſitioni de fide opponitur hęreſis.

4. De quo conſulendus eſt P. Suarez diſp. 3. de fide ſect. 3. num. 10. vbi pronunciat, omnem aſſenſum Theologicum per ſe fundatum in diſcurſu, tanquam in propria ratione aſſentiendi, eſſe actum non ſolùm à fide diſtinctum, ſed etiam in ſubſtantia ſua naturalem, & conſequenter certitudinem illius non excedere certitudinem illius principij, à quo per ſe pendet. Quod rectè probat diſp. 3. ſect. 11. num. 8. contra Patres Molinam, & Fonſecam.

SECTIO III.

§. I.

Eligitur ſententia affirmans.

1. P. Puente Hurtado diſput. 31. de fide §. 5. ait, hanc ſententiam non inueniri expreſſam in Authoribus antiquis, quia fortè de illa nunquam dubitarunt: additque multū roboris ei addidiſſe Clementem Octauum, qui iuſſit in carcerem detrudi Doctores quoſdam, qui eam ſententiam negabant, & Romam venire rationem reddituros doctrinæ ſuæ. Hanc verò ſententiam communiter tenent noſtri Authores, quorum dux fuit P. Suarez, qui diſp. 5. de fide, ſect. 8. quam ſcribebat anno 1615. teſtatur, ſuperioribus annis fuiſſe valde controuerſam hanc quæſtionem, & ſe anno 1585. partem affirmantem Romæ tradidiſſe, & eam poſtea noſtros in publicis diſputationibus defendiſſe, & typis eam mandaſſe Patres Salmeronem, Albertinum, & Valentiam, poſtquam ab ipſo fuerat in manuſcriptis dictata: Eam verò ex profeſſo tradidit diſp. 10. de fide, ſect. 5. Illum autem præter tres citatos ſequuti ſunt poſtea Puente Hurtado vbi nuper, Cardinalis de Lugo

diſp. 1. de fide ſect. 13. §. 5. P. Ripalda diſp. 8. num. 79. & 80., P. Martinus de Eſparza in ſuo curſu Theolog. l. 6. qu. 29. P. Siluester Maurus Operis Theologici tom. 3. lib. 7. qu. 140. num. 15. P. Haunoldus in Theologia ſpeculatiua lib. 3. tract. 1. controu. 7. num. 157. P. Iacobus Platel in Synopſi curſus Theologici parte 2. cap. 5. num. 217. citans præter allegatos, Patres Vaſquez, Tannerum, Amicum, Arriagam, Comitolum & ex alienis Siluium, Ioannem à S. Thoma, Bonacinam, & alios.

3. Probatur autem noſtra, & vera ſententia ex Concilio Conſtantienſi; poſtquam indubitatè fuit Concilium vniuerſale, à quo electus eſt in Pontificem Martinus V. nam ad finem eius Concilij Martinus V. Bullam edidit Sacro approbante Concilio, in qua is, qui ſuſpectus fuerit de fide, iubetur interrogari vigeſimo quinto loco, ſub hac forma: *Vtrum credat, quòd Papa canonicè electus, qui pro tempore fuerit (eius nomine proprio expreſſo) ſit Succeſſor Beati Petri, habens ſupremam authoritatem in Eccleſiam Dei.* Ergo iuxta definitionem Martini V. editam in Concilio Conſtantienſi, credere tenetur quiſque fidelis, Papam canonicè electum, qui pro tempore fuerit, qualis nunc eſt Innocentius XI. eſſe Succeſſorem B. Petri, & habere ſupremam authoritatem in Eccleſia Dei: ergo de fide eſt Innocentium XI. qui modò gubernat Eccleſiam, eſſe Succeſſorem B. Petri, & verum Chriſti Vicarium.

§. II.

Prima ratio noſtræ ſententiæ; quia vt propoſitio particularis ſit de fide, ſatis eſt, quòd ſufficienter conſtet, illam contineri ſub vniuerſali formaliter reuelata, & id hìc inuenitur.

1. SEcundò argumentor. Quia vbi propoſitio vniuerſalis eſt de fide, de fide quoque eſt propoſitio particularis formaliter ſub illa contenta, vbi ſufficienter conſtat ſub illa contineri. At de fide eſt hæc propoſitio vniuerſalis: *Omnis legitimè electus in Pontificem Romanum, aut ſaltem pro tali à tota Eccleſia habitus, & acceptatus, eſt Petri Succeſſor in primatu, & verus Chriſti Vicarius*; & aliunde ſufficienter conſtat, ſub illa vniuerſali formaliter contineri hanc particularem: *Hic homo, verbi gratia, Innocentius XI. eſt legitimè electus in Pontificem Romanum, & pro tali à tota Eccleſia habitus, & acceptatus*: ergo hæc particularis etiam eſt de fide: ergo de fide eſt Innocentium XI. eſſe Succeſſorem

Petri

Petri in primatu, & verum Chriſti Vicarium. Conſequentiæ iſtæ ſunt manifeſtæ: Pręmiſſæ ſeorſim probandę ſunt.

2. Et in primis Maior probatur, & explicatur: quia enim hæc propoſitio vniuerſalis eſt de fide, *Omnis homo purus*, excepta Beatiſſima Virgine, *conceptus eſt in peccato originali*: etiam de fide eſt hæc particularis, *hic homo* v.g. *Petrus conceptus eſt in peccato originali*. Vnde qui hanc pertinaciter negaret, foret formaliter hæreticus, quia contradiceret immediatè, & formaliter propoſitioni vniuerſali de fide. Secundò, quia ſi Deus reuelaret, omnes ciuitates Hiſpaniæ intra annum eſſe deſtruendas, de fide foret Salmanticam eſſe deſtruendam, quia conſtat eſſe vrbem Hiſpaniæ, & comprehendi formaliter ſub illa propoſitione vniuerſali. Ratio autem à priori eſt, quia Diuina reuelatio vniuerſalis, immediatè cadit in omnia ſingularia ſub illa vniuerſalitate contenta: ergo ſufficit ad fidem faciendam de ſingulis, ſi ſufficienter applicetur.

3. Quod ampliùs explicatur: nam per reuelationem, quæ eſt propoſitio vniuerſalis, ſignificatur nobis verum iudicium, quod Deus habet de adęquato obiecto illius reuelationis: illud namque iudicium eſt fundamentum teſtimonij diuini; in Deo autem non eſt cognitio confuſa, ſed diſtinctè iudicat de omnibus, quæ reuelat, etiamſi multa vno verbo complectatur. Vnde confuſio illa tantùm eſt ex parte noſtra, & in modo apprehendendi rem reuelatam; quapropter ſi apprehenſio illa ſufficienter applicetur, reuelatio vniuerſalis ſufficiet ad aſſentiendum de fide ſingulis particularibus ſub illa contentis. Veriſſima ergo eſt maior illa propoſitio, videlicet quòd vbi de fide eſt propoſitio vniuerſalis, de fide quoque ſit propoſitio particularis ſub illa formaliter contenta, vbi ſufficienter conſtat ſub illa contineri.

4. At dices, hinc ſequi, nos fide diuina debere credere, Chriſtum eſſe ſub hoſtia conſecrata à Petro Sacerdote, ſiquidem de fide eſt Chriſtum contineri ſub omni hoſtia rite conſecrata; & verum eſt Petrum eſſe Sacerdotem, & rite conſecraſſe. Reſpondeo negando ſequelam; quia vt particularis contenta ſub vniuerſali ſit de fide, debet eſſe ſaltem moraliter certum, quod contineatur ſub illa vniuerſali, hoc eſt, debet ſaltem eſſe certum certitudine gignente omnimodam ſecuritatem humanam, & excludente omnem prudentem formidinem: pro hac enim in hac materia accipitur certitudo moralis. At non eſt hoc pacto certum, hoſtiam conſecratam à Petro eſſe rite conſecratam, quia nec eſt certum, illum eſſe verum Sacerdotem, nec eſt certum habuiſſe intentionem conſecrandi. Quod ſi vtrumque alicui in particulari conſtaret, is fide diuina poſſet credere Chriſtum eſſe ſub hoſtia à Petro conſecrata. Sic qui baptizat infantem ſub forma & materia à Chriſto aſſignatis, poteſt fide diuina credere, illum eſſe in gratia: quia de fide eſt, omnem infantem rite baptizatum eſſe in gratia: & homo ille omnino

Digitized by Google

ſecurus & certus eſt, talem infantem à ſe rite baptizatum eſſe, quia certò cognoſcit, ſe illum abluiſſe aquâ naturali, ſimul proferendo verba formæ cum vera intentione baptizandi. Sic qui committit peccatum mortale, poteſt fide diuina credere, ſe non eſſe in gratia; quia de fide eſt non eſſe in gratia hominem vllum, qui peccatum mortale committit, & ipſi euidenter conſtat, ſe committere peccatum mortale.

5. Dices ſecundò, ex eo, quòd propoſitio vniuerſalis ſit de fide, ſolùm ſequi, quod ſit de fide in ſe propoſitio particularis ſub illa contenta; quia Deus reuelans propoſitionem vniuerſalem, per iudicium præuium, & per ſe ſuppoſitum ante reuelationem externam, cognoſcit in particulari omnia ſingularia, contenta ſub illa vniuerſali, & omnia affirmat per reuelationem externam, quod ſufficit, vt ſingula indiuidua ſint reuelata: at hoc non ſufficere, vt ſint de fide quoad nos, indiuidua, ſeu ſingularia contineri ſub illa vniuerſali; quia nos non cognoſcimus clarè & diſtinctè hanc continentiam. Sic quando Deus Danielis 9. in pariete ſcripſit coram Rege Balthaſare tria illa verba *Mane, Thecel, Phares*, quibus ſignificabatur, Deum numeraſſe illius Regnum, & illud compleuiſſe; iam res illa in ſe erat de fide, non tamen quoad circumſtantes, qui eorum verborum ſignificationem non intelligebant.

6. Reſpondeo hoc ſolùm probare, propoſitionem particularem contentam ſub vniuerſali expreſsè reuelatâ, non eſſe abſolutè de fide reſpectu illius, qui certus non eſt certitudine ſaltem morali excludente omnem formidinem, illam particularem contineri ſub vniuerſali: quod nos vltro fatemur.

7. Dices tertiò, hinc ſequi, poſſe hominem fide diuina credere ſe eſſe in gratia, quod tamen eſt contra definitionem Tridentini ſeſſione 6. cap. 9. Sequela probatur, quia poteſt quis certitudine morali cognoſcere, ſe elicuiſſe contritionem perfectam de peccatis ſuis; & de fide eſt, omnem hominem elicientem actum perfectæ contritionis obtinere iuſtificationis gratiam. Reſpondeo negando ſequelam, quia nequit homo certò diſcernere, an dolor à ſe elicitus fuerit prout oportet ad iuſtificationis gratiam obtinendam, id eſt, an fuerit ſupernaturalis, & ortus ex dilectione Dei efficaci ſuper omnia, eſſentialiter incompatibili cum quolibet peccato mortali, tam actuali, quàm habituali. Vt enim inquit Spiritus Sanctus, *Quis poteſt dicere mundum eſt cor meum*? Conſulatur Cardinalis Bellarminus tom. 3. lib. 3. de iuſtificatione cap. 8. vbi multis rationibus probat, non poſſe hominem, ſecluſa reuelatione „ ſpeciali, certò cognoſcere ſe eſſe in gratia. Nam in primis prauum „ eſt cor hominis, & inſcrutabile, quis cognoſcet illud? inquit Hie„ remias cap. 17. Deinde videmus multos falli, qui ſe putant habere „ quod non habent. Certè B. Petrus cùm dicebat *tecum paratus ſum* „ *& in carcerem, & in mortem ire*, paratum ſe eſſe credebat mortem „ ſubire pro Chriſto, & tamen verè paratus non erat, vt euentus oſten„ dit:

„ dit: & Apoſtolus Paulus cùm in Chriſtianos fureret, magna ſe Dei „ charitate flagrare arbitrabatur, & tamen ex ignorantia fallebatur. „ Et quis eſt, qui certus ſit, ſe non laborare ignorantia aliqua non pro- „ babili, ſed craſſa, & ex ea peccandi affectum gerere, quem ipſe non „ videt? Denique nulla ſunt clariora ſigna veræ conuerſionis, & „ gratiæ iam adeptæ, quam opera charitatis, & præſertim ſi quis ani- „ mam pro Deo ponat: at hoc ipſum poteſt eſſe ſignum fallax, cum „ Apoſtolus dicat 1. Corint. 13. poſſe hominem ſine vera chari- „ tate Dei, conſumere in cibos pauperum omnes facultates ſuas, & „ tradere corpus ſuum, ita vt ardeat. Et reipſa interdum videmus, „ hæreticos pro defenſione perfidiæ ſuæ mortem libenter oppetere, „ qui ſe Deum ardentiſſimè amare non dubitant, cum tamen ne micam „ quidem veræ charitatis habeant. Hactenus Bellarminus.

8. Maneat ergo fixum, veram eſſe maiorem, nimirum quòd, vbi propoſitio vniuerſalis eſt de fide, poſſit fide diuina credi particularis contenta ſub illa, quando modo prædicto conſtat ſub illa contineri. Ratio autem eſt, quia vniuerſalis propoſitio, formaliter continet omnia indiuidua, licèt confusè; & ideo poſtquam illa confuſio in particulari tollitur, eo ipſo ſufficienter proponitur vt contenta immediatè ſub illa reuelatione, & ideo eadem certitudine creditur.

9. Reſtat probanda minor eiuſdem primi Syllogiſmi noſtri, nimirum de fide eſſe illam propoſitionem vniuerſalem, quòd omnis legitimè electus in Pontificem Romanum ſit Petri ſucceſſor &c. Id autem conſtat ex verbis illis Chriſti Matth. 16. *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & Portæ inferi non præualebunt aduerſus eam; & tibi dabo claues regni cælorum* &c. Et ex illo Ioannis 21. *Paſce oues meas &c.* aliiſque Scripturæ locis, ex quibus ex mente communi Patrum, ac totius Eccleſiæ ſenſu apud Bellarminum, Valentiam, Caietanum, Canum, & alios conſtat promiſſum eſſe Petro primatum, & authoritatem in Eccleſia, non finiendum in ipſo, ſed permanſurum in eius Succeſſoribus: vt latè demonſtratum eſt diſput. 2. huius operis. Cùm enim Chriſtus fundauerit Eccleſiam vſque ad finem manſuram, & ouile ſemper manſurum, non poſſet perſonam Petri huic ædificio ſolum ſupponere, atque huic ouili præficere, ſed perſonam Petri & ſucceſſorum eius. Quod autem ſub illa propoſitione vniuerſali contineatur iſta particularis, nimirum quod hic homo v.g. INNOCENTIVS XI. ſit legitimè electus in Pontificem Romanum, & pro tali à tota Eccleſia habitus, eſt moraliter euidens, & ita certum, vt nullus prudenter dubitare poſſit: conſtat enim omnibus, legitimam poteſtatem eligendi Pontificem eſſe nunc penes Collegium Cardinalium: conſtat etiam INNOCENTIVM XI. à maiori parte Cardinalium fuiſſe electum, & à toto Collegio ſine vllo diſſidio tanquam Pontificem adoratum, & pro tali acceptatum à tota Eccleſia: Ergo eſt moraliter certum & euidens, IN-

NOCENTIVM XI. eſſe indiuiduum contentum formaliter ſub illa vniuerſali reuelata, *Omnis legitimè electus in Pontificem* &c. Ergo poſſumus ac debemus credere fide diuina, INNOCENTIVM XI. eſſe legitimum Petri ſucceſſorem, & verum Chriſti Vicarium.

SECTIO IV.

Confirmatur præcedens ratio in noſtris principijs, iuxta quæ vt quis credat fide diuina myſterium, propter reuelationem, non requiritur, quod fide diuina credat pro priori exiſtentiam reuelationis.

1. CONfirmatur, quia ſi ob aliquam rationem id non eſſet de fide, maximè, quia nec nobis conſtat euidentia phyſica, Innnocentium fuiſſe rite electum; nec nobis eſt in particulari reuelatum. At hoc non obſtat, ſed ſufficit, id eſſe moraliter certum, certitudine gignente omnimodam ſecuritatem humanam, & excludente omnem prudentem formidinem: Ergo, vt quis propter reuelationem vniuerſalem credat fide diuina, hunc hominem eſſe verum Pontificem, non eſt neceſſe, vt ſit euidens phyſicè, vel fide diuina certum, illum eſſe indiuiduum contentum ſub reuelatione vniuerſali; ſed ſatis eſt; quòd ſit certum certitudine morali. Maior conſtat, & conſequentia eſt legitima.

2. Minor autem probatur iuxta principia à nobis ſtabilita in Manuductione ad conuerſionem Mahumetanorum parte 1. lib. 2. cap. 4. & 5. Quia vt quis propter reuelationem diuinam credat myſterium reuelatum fide infuſa, & ſupernaturali, & per aſſenſum ſuper omnia, nec eſt neceſſe, vt euidentia phyſica vel metaphyſica cognoſcat exiſtentiam reuelationis, vt eſt manifeſtum; nec eſt neceſſe, vt ipſam cognoſat per aſſenſum ſupernaturalem fidei diuinæ, quo propter authoritatem Dei reuelantis credat exiſtere reuelationem, ſicut propter eandem authoritatem credit exiſtentiam myſterij reuelati. Nam reſpectu noſtri, quibus Deus non reuelauit immediatè myſteria noſtræ fidei, v.g. myſterium Trinitatis, non minùs obſcurum eſt, Deum reuelaſſe Trinitatem, nec minùs creditu difficile, vt ex ſe apparet, quàm Deum eſſe in ſe Trinum. Vnde termini illi nobis propoſiti, *Deus reuelauit Trinitatem*, non magis ex ſe aſſenſum ſui nobis conciliant, quam termini iſti, *Deus Vnus & Trinus*, & ideo opus eſt nobis motiuo extrinſeco diſtincto, vt illis præ-

ſtemus

ſtemus aſſenſum, non minùs, quàm illum præſtemus exiſtentiæ Trinitatis.

3. Hoc autem motiuum extrinſecum nequit eſſe teſtimonium Dei loquentis nobiſcum, & nobis reuelantis, ſe olim reuelaſſe Prophetis Trinitatem. Nam hoc teſtimonium nequit eſſe ipſa reuelatio directa Trinitatis, quæ nobis immediatè facta non eſt; etſi enim per illam reuelationem factam Prophetis, Deus dum dicit ſe eſſe Trinum, exercitè dicat Prophetis ſe hoc dicere, & conſequenter ipſos moueat, vt credant myſterium propter reuelationem, & hanc propter ſeipſam: tamen Deus hoc immediatè dicens Prophetis, non mouet nos, vt aſſenſum immediatum præſtemus exiſtentiæ reuelationis nobis non factæ, nec nobis innoteſcentis per ſeipſam, propter ipſam reuelationem immediatè, cum eius exiſtentia ex terminis propoſita non minus nobis appareat creditu difficilis, quam ipſa exiſtentia Trinitatis. Nec hoc teſtimonium poteſt eſſe reuelatio formalis reflexa, qua Deus reuelet, ſe reuelaſſe Prophetis Trinitatem; quia ad credendam hanc reuelationem etiam nobis obſcuram, neceſsaria foret alia reuelatio, & ſic in infinitum.

4. Ergo motiuum extrinſecum reuelationi, quo induci debemus ad aſsentiendum eius exiſtentiæ, debent eſse ipſa motiua extrinſeca credibilitatis, quæ reddunt euidenter credibilem exiſtentiam myſterij, quatenus reddunt euidenter credibilem exiſtentiam reuelationis, & quatenus inducunt obligationem in voluntatem imperandi aſsenſum de exiſtentia reuelationis myſterij. Quo aſsenſu erga reuelationem exhibito, tenetur homo propter authoritatem Dei reuelantis elicere actum fidei circa myſterium cum ſumma adhæſione, & certitudine, qualem nimirum ſuo iure expoſcit ſumma authoritas Dei reuelantis. Ergo vt quis propter reuelationem credat myſterium fide diuina, non eſt neceſſe, quod fide diuina reſpiciente formalem reuelationem vt motiuum, credat exiſtentiam reuelationis, ſed ſatis eſt, vt propter motiua credibilitatis certus moraliter ſit de exiſtentia reuelationis; nam iuxta ſententiam communem motiua credibilitatis etiam collectiuè ſumpta non habent connexionem infallibilem cum exiſtentia reuelationis, quia alioqui non ſolum eam redderent euidenter credibilem, ſed euidenter veram; quod communiter cenſetur pugnare cum obſcuritate fidei.

5. Ergo qui aſſentitur exiſtentiæ reuelationis vnicè propter motiua credibilitatis, non aſſentitur aſſenſu elicito à fide diuina, cuius proprium eſt aſſentiri veritati propter teſtimonium Dei, ſeu quia Deus dicit: nam motiua illa credibilitatis in ſententia communi non ſunt loquutio formalis Dei, nam hæc connectitur metaphyſicè cum veritate affirmata; illa autem motiua ſolùm connectuntur moraliter cum exiſtentia reuelationis, quatenus inducunt aſſenſum moraliter certum de tali exiſtentia: ergo in communi ſententia aſſenſus præſtitus exiſtentiæ reuelationis propter motiua credibilitatis, non eſt aſſenſus fidei diui-

næ,

Digitized by

næ, ſed vel fidei humanæ, vel rationis moraliter euidentis.

6. Et quamuis daremus, motiua credibilitatis collectiuè ſumpta, quatenus rectè expenſa, & intimè penetrata à viro docto, illum reddere metaphyſicè certum de exiſtentia reuelationis; hæc notitia non requiritur, vt quis propter reuelationem credat fide diuina myſterium reuelatum, ſed ſatis eſt, quod fide humana moraliter certa, & excludente omnem formidinem partis oppoſitæ, ſibi perſuadeat, Deum reuelaſſe myſteria. Ruſtici enim, & ſimplices homines, qui alia argumenta credibilitatis non penetrant, ſufficienter inducuntur ad credendum Deum reuelaſſe miſteria, ex eo, quòd videant tot ſapientes, & graues viros hoc vnanimi conſenſu teſtificantes. Poſtquam autem propter teſtimonium humanum ſibi firmiter perſuadent, Deum reuelaſſe myſteria, hinc aſſurgunt ad aſſenſum altioris ordinis erga myſteria ob teſtimoninm Dei. Qui aſſenſus etiamſi reſpiciat authoritatem, & reuelationem diuinam, vt motiuum intrinſecum credendi, & vt obiectum formale quo, non reſpicit tamen vt obiectum quod, & quaſi materiam creditam, & affirmatam.

7. Non enim eſt de conceptu rationis mouentis ad aliquid affirmandum, quòd ipſa affirmetur per talem actum, ſed vel quòd affirmetur per illum, vel affirmata ſupponatur per alium. Nam præmiſſæ obiectiuæ intrinſecè mouent ad aſſenſum concluſionis obiectiuæ, & tamen non affirmantur per aſſenſum concluſiuum. Nam ſecundum regulas logicæ, licèt ex vero nunquam poſſit ſequi falſum, aliquando ex falſo ſequitur verum. Ergo poteſt concluſio eſſe vera, quamuis aliqua ex præmiſſis ſit falſa. Hoc autem ſaluari non poteſt ſi, concluſio formaliter iterum affirmat obiectum affirmatum per præmiſſas; nam concluſio affirmans obiectum falsò affirmatum per aliquam ex præmiſſis, falſa quoque eſt, ſicut ipſa præmiſſa.

8. Nec rurſus eſt de conceptu credentis myſterium propter aliquod motiuum, quòd iſtud credat per talem actum. Nam myſteria credimus propter veracitatem Dei reuelantis, quin ſit neceſſe, quòd talis veracitas per talem actum credatur, ſed ſufficit, quòd per lumen naturale aliunde ſupponatur cognita, & affirmata, & vt ſic cognita moueat intrinſecè ad aſſenſum myſterij, quod clarè cernitur in reuelatione, qua Deus teſtatur ſe eſſe veracem; credimus enim Deum eſſe veracem, quia ipſe dixit ſe eſſe veracem, & aliunde ſcimus eum in ſuis dictis nec fallere, nec falli poſſe. Ad hunc enim actum mouet veracitas, non vt credita per fidem diuinam, ſed vt aliunde cognita per rationem naturalem. Nec enim teſtificanti ſe eſſe veracem prudenter credimus, niſi aliunde independenter ab ipſius reſtimonio ſufficienter nouerimus, illum eſse fide dignum. Si enim ſciremus, ipſum in alijs dictis vel fallere, vel falli, poſsemus prudenter dubitare, an mentiatur, dum dicit ſe eſse veracem.

9. Sed

Digitized by

9. Sed dices ex P. Amico diſp. 6. de fide, num. 161. Authoritas Dei reuelantis eſt ipſum motiuum formale fidei; credo enim obiectum reuelatum propter authoritatem reuelantis: implicat igitur diuina fide, id eſt propter authoritatem Dei reuelantis credere obiectum reuelatum, & ſimul non credere Deum in reuelando eſſe infallibilis authoritatis; cum ipſa authoritas diuina ſit ipſiſſimum motiuum credendi fide diuina. Sed facilè ex dictis reſpondetur, negando conſequentiam: non enim eſt neceſse, quod motiuum credendi rem difficilem affirmatam ab aliquo, credatur per ipſum actum, ſed ſufficit quod aliunde ſupponatur cognitum. Sic dum credo rem aliquam difficilem amico fide digno teſtificanti, non credo veracitatem eius, ſed quia experientia didici aliunde eius in dictis veritatem, vel quia aliunde ſcio illum eſse virum probum, & ſapientem, credo eum in hoc aſserto dicere verum. Vnde eius probitas, & ſapientia aliunde mihi nota, eſt mihi motiuum credendi rem difficilem, quam hic & nunc teſtificatur, quin per talem actum probitatem, & ſapientiam eius credam.

10. Quod confirmatur egregia doctrina Eximij noſtri Doctoris tom. 1. in 3. partem diſp. 54. ſect. 5. vbi probat dari poſse internum actum adorandi imaginem propter exemplar, quin per illam adoretur exemplar ipſum. Idque probat ex generali modo operandi noſtri intellectus, & voluntatis: *nam poteſt*, inquit, *quælibet ex his facultatibus tendere in aliquod materiale obiectum propter aliud vt quo*, ſeù vt formale, etiamſi per talem actum non tendat in illam rem, quæ eſt formale obiectum, tanquam in rem, ſeu materiam circa quam propriè verſetur, quæ ſolet dici obiectum quod.

11. Vnde vt quis fide diuina credat myſterium propter reuelationem, ſatis eſt quod fide humana moraliter certa, & excludente omnem formidem certus ſit, Deum reuelaſse myſterium, & aliundè ſciat ipſum eſse ſummè veracem. Quod ſi hoc verum eſt: ergo à fortiori, vt credamus fide diuina obiectum particulare formaliter contentum ſub expreſsa reuelatione vniuerſali, ſatis eſt quod certitudine vel euidentia morali nobis conſtet, illud obiectum particulare formaliter contineri ſub reuelatione vniuerſali. Cùm ergo moraliter ſit certum, & euidens, Innocentium XI. fuiſse legitimè electum, & manifeſtum ſit, à tota Eccleſia Catholica haberi, vt verum Chriſti Vicarium; moraliter certum, & euidens eſt, Pontificem Innocentium ſub illa ratione vniuerſali contineri, atque adeò eſse abſolutè reuelatum, prout oportet vt illud fide diuina credamus.

12. Quare actus fidei diuinæ, quo credo Innocentium XI. eſse verum Chriſti Vicarium, ſupponit tanquam conditionem actum fidei humanæ, quo abſque vlla formidine credo, illum fuiſse electum à maiori parte Cardinalium, & à Collegio adoratum. Sicut actus fidei diuinæ, quo credo veritatem definitam in Concilio Tridentino v. g. ſup-

ſupponit actum fidei humanæ, quo credo extitiſse tale Concilium. Vt enim oſtendit P. Vaſquez 1. parte, diſp. 5. num. 7. cum Andrea de Vega, & Magiſtro Cano, vt credatur fide Diuina aliqua propoſitio definita ab Eccleſia, opus eſt credere prius, fuiſſe ab Eccleſia definitam; quod tamen ſola fide humana notum eſt. Similiter actus fidei diuinæ, quo credo Ciceronem conceptum fuiſſe in peccato originali, ſupponit actum fidei humanæ, quo mihi firmiter perſuadeo Ciceronem extitiſſe. Nam Cicero non continetur ſub illa propoſitione vniuerſali, *omnis homo genitus via ordinaria conceptus eſt in peccato originali*, niſi ſub hac tacita conditione, ſi *fuit*. Vnde quia mihi certum eſt illam conditionem purificatam eſſe, poſſum fide diuina credere, Ciceronem fuiſſe conceptum in peccato.

SECTIO V.

Confirmatur eadem ratio, etiam ſtando principijs magis communibus, quod nemo poſſit credere myſterium fide diuina propter reuelationem, quin fide Diuina credat exiſtentiam reuelationis.

1. NE tamen videamur ſententiam noſtram, alligare principijs particularibus, oſtendendum nobis eſt, id etiam rectè cohærere cum doctrina communiori Theologorum aſſerentium, neminem poſſe credere fide diuina myſterium reuelatum propter authoritatem Dei reuelantis, quin credat fide Diuina exiſtentiam reuelationis, vel pro Priori ad aſſenſum myſterij, vel ſaltem eodem actu, quo propter reuelationem credimus myſterium.

2. Dicunt ergo comuniter Doctores, nos fide Diuina credere myſterium reuelatum, propter reuelationem; reuelationem verò propter ſeipſam; atque ad aſſenſum de exiſtentia reuelationis non niti motiuo intrinſeco diſtincto ab ipſa reuelatione; ſed ipſam reuelationem eſſe rationem credendi myſteria, & credendi ipſam; ſicut lux eſt ratio videndi corpora, & videndi ipſam lucem. Rectèque P. Suarez diſp. 3. de fide Sect. 12. num. 11. impugnat Magiſtrum Cano, & Aragonium, qui aſſerunt, *fideles credere myſteria fidei, quia Deus illa reuelauit; quod autem Deus illa reuelauerit, immediate credere, quia interius mouentur per ſpecialem inſtinctum Diuinum, iuxta illud 1. Ioan. 5. qui credit in filium Dei habet teſtimonium Dei in ſe*. Impugnat autem primo, quia in modo loquendi non ſatis diſtant ab hæreticis huius temporis, qui reſoluunt vltimatè fidem in internum inſtinctum Spiritus Sancti, vt eludant autho-

thoritatem Eccleſiæ, & definitionem eius. Secundò, quia motio effectiua neceſſaria ad fidem, ſupponit obiectum formale ſufficiens, & ſufficienter propoſitum; ergo ante illam motionem internam, neceſſe eſt ex parte obiecti aſſignare formale motiuum, & vltimam reſolutionem eius.

3. Sententiam communem optimè inter omnes explicat idē P. Suarez ibi num. 12. aſſerens, *illud principium (nempe exiſtentiam reuelationis) non reſolui in aliud à ſe diſtinctum, ſed ſeipſo credi*. Nec refert (inquit) quod illud principium non eſt per ſe notum; quia eſto hoc ita ſit, nihilominus poteſt eſſe, & eſt per ſe credibile, quia vt ſit per ſe notum requiritur euidentia, cum immediata, & intrinſeca connexione terminorum; neutrum autem horum inuenitur in illo principio, præſertim reſpectu noſtri; vt autem ſit per ſe credibile, ſufficit quod ſit per ſe reuelabile à Deo, & quòd, vt ſic dictum & reuelatum, poſſit ſufficienter proponi: vtrumque autem in illo principio reperitur. Quod verò illa duo ſufficiant, manifeſtum eſt, quia illa cum proportione ſufficiunt in quacunque alia veritate credenda per fidem, & quia in illis continetur, & obiectum formale fidei, & ſufficiens applicatio eius: quod autem illa duo concurrant in illo principio, facilè etiam declaratur: nam in primis, quod illud principium ſit reuelabile, imo, & reuelatum à Deo, ſatis ex Scriptura probatum eſt in num. 8. quòd autem per ſe ipſum reueletur, ita declaratur, quia duobus modis poteſt Deus reuelare ſe aliquid dicere, vno modo quaſi in actu ſignato, ſeu per actum expreſsè reflexum, vt quando Scriptura dicit: *Hæc dicit Dominus*, ſeu *Pater meus reuelabit*; & ibi non eſt propria reuelatio eiuſdem dicti per ſe ipſum, ſed eſt vnum dictum de alio, ſeu reuelatio de reuelatione. Alio verò modo poteſt hoc intelligi, quia in actu exercito, dum Deus aliquid dicit, quaſi per intrinſecam reflexionem eiuſdem actus in ſe ipſum, dicit ſe dicere, ſicut eodem actu, quo Deus aliquid ſcit, neceſſario etiam ſcit ſe ſcire, quod etiam de ſcientia demonſtratiua attigit Ariſt. 1. Poſt. cap. ad finem, & inter homines etiam, quamuis qui loquitur, per expreſſum actum reflexum non dicat ſe loqui, loquendo, id ſatis dicit in actu exercito. Et hac ratione quando aliquid ſufficienter proponitur, vt dictum à Deo, eo ipſo locutio illa ſufficienter proponitur, vt verbum Dei; & ideo non tantum res dicta, ſed etiam locutio ipſa accipienda eſt, & credenda vt verbum Dei, iuxta illud Pauli 1. ad Theſſal. 2. *Cum accepiſſetis à nobis verbum auditus fidei, accepiſtis illud, non vt verbum hominum, ſed vt verè eſt verbum Dei.* Hoc ergo modo diuinum verbum, & rem dictam, & ſeipſum dicit, & hac ratione per fidem infuſam creditur, non per reſolutionem in aliud verbum, ſed per ſe ipſum. Hactenus P. Suarez.

4. Quare iuxta hanc communem ſententiam, motiua credibilitatis

fidei omninò extrinſecè comparantur ad aſſenſum de exiſtentia reuelationis, & ſolum ſunt motiuum intrinſecum imperij piæ affectionis, quo voluntas imperat intellectui, vt cum ſumma adhæſione credat myſterium propter reuelationem, & reuelationem propter ſeipſam; ideſt vt credat quia Deus dicit, & per ipſam dictionem dicit ſe dicere. Atque adeo iuxta ſententiam communem, argumenta illa, quæ reddunt Religionem Chriſtianam euidenter credibilem, & inducunt euidentem obligationem ſuſcipiendi illam vt veram, & à Deo datam hominibus, ſiſtunt in voluntate, & non tranſeunt ad mouendum aſſenſum myſterij: quia authores illius ſententiæ arbitrantur, exiſtentiam reuelationis non eſſe motiuum actus fidei circa myſterium, vt aliunde cognitam, ſed vt creditam fide ipſa diuina. Quod P. Suarez ea diſp. 3. ſect. 6. cenſet etiam de ipſa authoritate diuina, quæ eſt motiuum fidei; aſſerens, authoritatem Diuinam, non vt cognitam lumine euidenti rationis, ſed vt creditam fide Diuina eſſe motiuum actus fidei circa myſterium reuelatum.

5. Admiſſa hac ſententia; & iuxta illam etiam vrget noſtra ratio. Ex eo enim quod nemo poſſit credere myſterium reuelatum, quin pro priori, fide Diuina credat, Deum reuelaſſe illud myſterium, ad ſummum inferri poteſt, neminem poſſe credere fide Diuina, ea quę definita ſunt, & toti Eccleſiæ propoſita ab hoc numero Epiſcopo Romano, v.g. INNOCENTIO XI. quin pro priori credat, hunc numero hominem eſſe verum Chriſti Vicarium, & legitimum Petri Succeſſorem. At fide diuina, poſsumus credere, hunc numero hominē eſse Vicarium Chriſti, quamuis non fide diuina ſed ſolum humana moraliter certa, credamus, illum fuiſſe ritè electum in Pontificē Romanum: ergo noſtra ratio vrget etiam ſtando in illis principijs, quod nemo poſſit credere fide Diuina myſteriũ propter reuelationem, quin pro priori credat fide Diuina, Deum reuelaſſe illud myſterium. Minor probatur ex dictis ſect. 3. §. 2. & ſect. 4. n. 10. & 11. quia vt fide Diuina credamus propoſitionem particularem contentam ſub vniuerſali, ſatis eſt quod propoſitio vniuerſalis ſit de fide, & reuelata à Deo ſub terminis communibus, & vniuerſalibus; & quod aliunde certum ſit certitudine euidentiæ moralis, vel fidei humanæ excludentis omnem formidinem, quod talis propoſitio particularis continetur ſub vniuerſali. At euidens eſt euidentia morali, hunc numero hominem, Innocentium XI. rite fuiſſe electum in Pontificem Romanum, & à tota Eccleſia agnitum vt talem; ergo euidens eſt euidentia morali, hunc numero hominem Innocentium XI. contineri ſub illa vniuerſali reuelata, & de fide: *Omnis homo ritè electus in Pontificem Romanum, & ab Eccleſia agnitus vt talis, eſt verus Chriſti Vicarius, & legitimus Petri Succeſſor*: ergo de fide eſt, hunc numero hominem Innocentium XI. eſſe verum Chriſti Vicarium, & legitimum Petri Succeſſorem. Ergo noſtra ratio ſubſiſtit, etiam ſtando principijs communibus, quod nemo poſſit credere fide diuina myſterium propter reuelationem, quin fide diuina cre-

credat exiſtentiam reuelationis vel per ipſum actum fidei circa myſterium; vel etiam pro priori ad illum actum per alium diſtinctum.

SECTIO VI.

Noua noſtræ rationis confirmatio.

1. HÆC inde petitur, quod non alio fine Deus in communi reuelauit, omnem hominem ritè electum in Pontificem Romanum, vel ſaltem pro tali habitum à tota Eccleſia, eſſe legitimum D. Petri Succeſſorem, niſi vt fideles omninò ſecuri ſint, Pontificem Romanum pro tempore exiſtentem, & pro Pontifice vero habitum à tota Eccleſia, eſſe verum Chriſti Vicarium, ac proinde infallibilem regulam fidei dici, ſi ſe ſolo, vel ſaltem cum Concilio generali, dubia fidei, & morum determinat. Ergo finis ille à reuelatione vniuerſali intentus poſtulat, vt illa poſſit ſufficienti modo applicari cuilibet Pontifici ritè electo, & pacificè ſedenti, vt poſſimus fide diuina credere illum eſſe legitimum Petri Succeſſorem. Sicut reuelatio vniuerſalis, qua Deus teſtatur ſe deſcendiſſe de cælis propter ſalutem omnium hominum, in eum finem dirigitur, vt quilibet homo in particulari certus ſit, propter ipſum, Verbum incarnatum eſſe. Ergo ſicut ex vi huius reuelationis vniuerſalis quilibet homo poteſt fide diuina credere, Verbum propter ipſum incarnatum eſſe; ita ex vi reuelationis vniuerſalis quilibet homo fidelis poteſt fide diuina credere, Innocentium XI. eſſe verum Chriſti Vicarium. Alia verò eſt ratio de reuelatione vniuerſali, qua Deus teſtatus eſt, omnem peccatorem verè contritum contritione perfecta, iuſtificari; illa enim non dirigitur in finem certificandi abſolutè peccatorem de remiſſione ſuorum peccatorum; quia potius expedit, vt hanc certitudinem de lege ordinaria aſſequi non poſſit; vt ita humiliter, & cum timore ſolicitè ſuam ſalutem operetur: ſed illa reuelatio ordinatur in hunc finem, vt ſcilicet peccator ſpe veniæ certiſſimè obtinendæ per contritionem, conetur quantum poſſit hanc elicere.

2. Similiter reuelatio vniuerſalis, qua nobis manifeſtatur, Chriſtum eſſe realiter præſentem ſub hoſtia ritè conſecrata, non dirigitur in eum finem, vt quilibet Chriſtianus abſolutè poſſit credere fide diuina, Chriſtum eſſe ſub hac hoſtia, quam videt à Sacerdote eleuari; ſed vt Chriſtum adoret, ad illum recurrat, vel ſacramentaliter ſuſcipiat: ad quos fines obtinendos ſatis eſt, quòd per fidem diuinam certò cognoſcat Chriſtum eſſe ſub hoſtia ritè conſecrata; & aliundè prudenter iudicet, hanc eſſe ritè conſecratam, quin habeat fundamentum ad iudicandum oppoſitum, nec ad ſuſpendendum iudicium. Quod enim in aliquo caſu rariſſimo aliquis non Sacerdos, ſe Sacerdotem ſimulans, conſecrauerit, vel

Digitized by Google

verus Sacerdos ſine intentione conſecrandi protulerit verba conſecrationis, non eſt fundamentum ſufficiens, vt quis ſuſpendat iudicium de exiſtentia Chriſti ſub illa hoſtia. Quare ad fines illos obtinendos ſufficit actus prudentiæ infuſæ, dictans hoſtiam eſſe adorandam, vt continentem corpus Chriſti, quando inter Catholicos miſſa celebratur, & non adeſt fundamentum ad prudenter ſuſpicandum hominem illum non ritè conſecraſſe. Multum promouebit claritatem, & intelligentiam eorum, quæ hac diſp. dicimus, recolere illa, quæ diximus diſp. 1. ſect. 9. §. 12.

SECTIO VII.

Alijs rationibus probatur noſtra ſententia.

1. ARgumentor Secundò. De fide eſt ſecundum communem, veramque ſententiam Theologorum cum D. Thom. vt ex præcedentibus diſputationibus conſtat, præſertim ex 11. infallibiliter veras eſſe definitiones Pontificis; quibus è Cathedra aliquid credendum omnibus fidelibus proponit, v. g. definitiones Innocentij X. quibus quinque propoſitiones Ianſenij, vt hæreticas damnauit. Ergo de fide eſt Innocentium X. habuiſſe authoritatem infallibilem ad determinandas fidei, & morum controuerſias: ergo de fide eſt fuiſſe verum Chriſti Vicarium.

2. Probo hanc conſequentiam: nam idem eſt aliquem hominem habere in Eccleſia Chriſti authoritatem infallibilem ad determinandas fidei, & morum controuerſias, ſeu aſſiſtentiam Spiritus Sancti ad non errandum in his, quæ toti Eccleſiæ credenda proponit, ac eſſe verum Chriſti Vicarium. Primum eſt de fide, vt fatentur Aduerſarij: ergo de fide erit ſecundum. Antecedens verò probatur; quia ſoli Petro, & Succeſſoribus eius Chriſtus hoc priuilegium conceſſit, dum Lucæ 22. dixit; *Rogaui pro te, vt non deficiat fides tua*. Ex quo loco communiter probatur, Pontificem Romanum extra Concilium generale poſſe controuerſias fidei infallibiliter determinare. Non enim dixit Chriſtus, *Rogaui Petre, vt non deficiat fides Concilij, ſed rogaui pro te, vt non deficiat fides tua*. Conſtatque manifeſtè ex contextu, ſoli Petro ibi locutum fuiſſe Chriſtum, item cum illo ſolo loquutum eſſe, quando Matth. 16. dixit, *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram &c.* Ex quibus locis, & alijs diſp. 2. probaui, Romanum Pontificem habere authoritatem infallibilem ad determinandas extra Concilium Generale, Fidei & morum controuerſias.

3. Quare aduerſarij concedentes omnem hominem electum in Pontificem Romanum à maiori parte Cardinalium, & pro vero Pontifice habitum à tota Eccleſia, habere infallibilem aſſiſtentiam Spiritus Sancti, ad non errandum in definitionibus, admittenteſque hoc eſſe de fide;

de ; & aliundè dicentes non eſſe de fide quod talis homo ſit verus Chriſti Vicarius ; contradictoria dicunt , & concedentes definitum , negant definitionem .

4. Nec hoc argumentum dumtaxat probat de fide eſſe , quod Romanus Pontifex ſit verus Chriſti Vicarius , poſtquam aliquid è cathedra definit , non autem ante definitionem , vt aliqui volunt cum P. Valentia . Etenim argumentum, vnum ſine alio probare nequit: cùm enim definitionem editam à Pontifice Romano eſſe infallibilem , idem omninò ſit , ac prouenire à perſona publica habente priuilegium infallibilitatis ante definitionem (nec enim per definitionem hoc priuilegium acquirit) nequit eſſe de fide , quod definitio edita ab Innocentio X. eſt infallibilis , quin ſit de fide , quod talis Pontifex pro priori ad talem definitionem habuerit priuilegium infallibilitatis . Si autem de fide eſt , Innocentium X. habuiſſe hoc priuilegium , de fide erit , illud habuiſſe reliquos omnes , qui pro veris Pontificibus, inconcuſsè habiti ſunt à tota Eccleſia , illudque habere Innocentium XI. qui modò eam gubernat .

5. Quod confirmo . Quia idem eſt , actionem eſſe liberam , ac oriri à principio proximo potente agere , & non agere ; idem eſt , quod ſit de fide aliquam actionem eſſe liberam , ac quod ſit de fide , actionem illam oriri à principio proximo potente agere , & non agere . Atqui idem quoque eſt , definitionem Pontificis Romani eſſe infallibilem , ac definitionem illam edi à Pontifice habente priuilegium infallibilitatis , ſeu non potente fallere , vel falli in his , quæ credenda proponit toti Eccleſiæ . Ergo idem quoque eſt , quod ſit de fide illud primum , ac quod ſit de fide hoc ſecundum . Minor ſubſumpta inde conſtat, quod verba Pontificiæ definitionis ex ſe non habent infallibilitatem ; ſolùm ergo illam habent quatenus prolata à Romano Pontifice, cum intentione obligandi totam Eccleſiam: vt ſic autem prolata non ſunt infallibilia, niſi quatenus proferuntur ab homine habente priuilegium à Chriſto conceſſum non ea proferendi cum tali intentione , niſi ſint vera : ergo de primo ad vltimum , definitionem Pontificiam eſſe infallibilem includit formaliter tanquam conſtitutiuum ſui , priuilegium infallibilitatis reſidens in homine edente talem definitionem .

SECTIO VIII.

Tertia ratio noſtra ſententia.

1. TErtiò argumentor: De Fide eſt, Concilium Tridentinum eſſe verum & legitimum Concilium; taliaque fuiſſe quatuor prima Concilia generalia, quæ Sanctus Gregorius venerabatur, vt quatuor Euangelia, nempe Nicænum Primum, Conſtantinopolitanum Primum, Epheſinum & Calcedonenſe. Idemque eſt de reliquis inconcuſsè generalibus. Atque de fide eſt inconcuſsè inter omnes Catholicos, decreta, & definitiones horum Conciliorum in materia fidei & morum eſſe infallibilia, & vim habere obligandi totam Eccleſiam, ita vt ſit formaliter hæreticus, qui pertinaciter negaret illarum definitionum veritatem. At verum, legitimumque Concilium generale includit tanquam præcipuam ſui partem, authoritatem Romani Pontificis Concilium indicentis, eiuſque decreta confirmantis. Nam vt docet D. Thomas 2.2. quæſt. 11. art. 2. ad vltimum & in 4. diſtinct. 20. art. 4. in corpore: *Authoritas vniuerſalis Eccleſia reſidet penes Romanum Pontificem*: At Concilium generale includit authoritatem vniuerſalis Eccleſiæ; ergo includit authoritatem Rumani Pontificis. Ergo ſicut de fide eſt, illa Concilia eſſe legitima; ita de fide eſt fuiſſe legitimos Pontifices Romanos, quorum authoritate & indicta, & confirmata ſunt; nimirum Sanctum Sylueſtrum reſpectu Concilij Nicæni, S. Damaſum reſpectu Conſtantinopolitani, S. Celeſtinum reſpectu Epheſini, & S. Leonem reſpectu Chalcedonenſis, atque Paulum III. Iulium III. & præcipuè Pium IV. reſpectu Tridentini.

2. Et quidem quod Concilium generale legitimum eſſe nequeat, quin vt legitimum includat authoritatem Pontificis ex dictis in præcedentibus diſputationibus conſtat; & teſtatur Paſchalis Papa citatus in cap. *Significaſti de electione*; *Omnia Concilia per Romana Eccleſia authoritatem & facta ſunt, & robur acceperunt*: & vt Symmahus Papa diſt. 17. canone *Concilia*, de Concilijs Prouincialibus non confirmatis ait: *quia præſentiam Papa non habent* (id eſt authoritatem Pontificis) *valetudinem perdiderunt*; Nicolaus I. doctrina & ſanctitate clariſſimus epiſtola 1. ad Epiſcopos Orientales: *In vniuerſalibus Synodis quid ratum, quid prorſus acceptum, niſi quod Sedes Petri probauit, habetur? Sicut è contrario, quod ipſa ſola reprobauit, hoc ſolummodo conſtitit hactenus reprobatum*. Gelaſius epiſt. 13. *Prima Sedes*, inquit, *vnamquamque Synodum ſua authoritate confirmat, & continuata moderatione cuſtodit pro ſuo ſcilicet principatu*,

cipatu, quem B. Petrus Apoſtolus Domini voce perceptum; Eccleſia nihilominus ſubſequente & tenuit ſemper & retinet. Quis autem audeat horum P.P. (vt alibi notaui) qui ſanctitatis ac doctrinæ laude fuerunt conſpicui, allata teſtimonia reijcere, quaſi ambitiosè, atque falsò & temere propriam tantum cauſam egerint? Præſertim cum illis id palam docentibus, nullus illorum temporum Scriptor Catholicus, tanquam falſam ſibi dignitatem arrogarent, contradixerit.

3. Addo Concilium Nicænum idem ſtatuiſſe in quodam Canone modo non exſtante, vt probant P. Valentia tom. 3. diſp. 1. quæſt. 1. pun. 1. §. 7. & Cardinalis Bellarminus lib. 2. de Romano Pontifice cap. 25. & ego diſp. 3. ſect. 1. §. 4. & 5. latè oſtendi contra Petrum de Marca Archiepiſcopum Pariſienſem in ſuis opuſculis, & Ioannem Cabaſſutium in notitia Eccleſiaſtica pag. 105. contendentes, Canonem illum non fuiſſe Concilij Nicæni, ſed Sardicenſis. Sed nobis pro re præſenti ſufficit id ita ſtatutum fuiſſe ab hoc Concilio, quod celebratum eſt ſub Iulio I. Papa anno 347. viginti duobus poſt Nicænum annis. Nam Concilium Sardicenſe generale fuiſſe, ad illudque confluxiſſe plus quàm trecentos Epiſcopos Catholicos ex triginta tribus Prouincijs Orbis Chriſtiani, euincit Bellarminus lib. 2. de Romano Pontifice cap. 21.

4. Quid plura cum etiam in Concilio Lateranenſi quinto, ſeſs. 11. in Conſtit. quæ incipit *Paſtor æternus* hoc expresſè habeatur. *Nec illud nos moueri debet, quod Sanctio ipſa, & in ea contenta, in Baſileenſi Concilio edita, & ipſo Concilio inſtante, à Bituricenſi congregatione receptata & acceptata fuerunt, cum ea omnia poſt translationem eiuſdem Baſileenſis Concilij per felicis memoriæ Eugenium Papam IV. etiam prædeceſſorem noſtrum factam, à Baſileenſi conciliabulo ſeu potius conuenticula, quæ præſertim poſt huiuſmodi translationem Concilium amplius appellari non merebatur, facta extiterint, ac propterea nullum robur habere potuerint, cum etiam ſolum Romanum Pontificem pro tempore exiſtentem, tanquam authoritatem ſuper omnia Concilia habentem, tam Conciliorum indicendorum, transferendorum, ac diſſoluendorum plenum ius & poteſtatem habere, nedum & Sacræ Scripturæ teſtimonio, dictis Sanctorum Patrum ac aliorum Romanorum Pontificum etiam prædeceſſorum noſtrorum Sacrorumque Canonum decretis, ſed propria etiam eorundem Conciliorum confeſſione manifeſtè conſtet: quorum aliqua referre placuit, reliqua vero vtpote notoria ſilentio preterire. In Alexandrina enim Synodo Athanaſio ibidem exiſtente Felici Romano Pontifici ab eadem Synodo ſcriptum fuiſſe legimus NICÆNAM Synodum ſtatuiſſe non debere abſque Romani Pontificis authoritate Concilia celebrari &c.*

5. Certum ergo eſt, nullum Concilium generale eſſe legitimum, quin includat authoritatem Romani Pontificis. Ergo nequit eſſe de fide, Concilium aliquod generale eſſe legitimum, quin ſit de fide fuiſſe verum Petri ſucceſſorem Pontificem illum, cuius etiam authoritate eius legitimitas conſtituitur atque ſubſiſtit.

SE-

Digitized by Google

SECTIO IX.

Inſinuatur breuiter vltima ratio pro noſtra ſententia.

1. ARgumentor vltimò: quia de fide eſt Chriſtum fundaſſe Eccleſiam viſibilem, ideſt ſic in luce hominum poſitam, vt quouis ſeculo euidenter internoſci, & quaſi digito monſtrari queat; vt contra hæreticos oſtendunt Valentia quæſt. 1. puncto 7. §. 15. & Bellarminus lib. 3. de Eccleſia militante cap. 12. Rurſus de fide eſt, in hac Eccleſia viſibili dari aliquam viſibilem, atque infallibilem authoritatem, ad quam fideles pro ſolutione dubiorum recurrere poſſint, & quæ ſubortas controuerſias de vero ſenſu Scripturæ, & de fide, & moribus tanquam ſupremus Iudex dirimere valeat, vt demonſtrat Bellarminus libr. 3. de Verbi Dei interpretatione cap. 7. Valentia eo puncto 7. & Becanus tom. 4. opuſculorum in controuerſia de Iudice controuerſiarum, & in compendio Manualis cap. 5. & ego oſtendi diſp. 1. ſect. 2. §. 2.

2. Hinc autem ſupremus Iudex, & regula infallibilis, vel eſt Romanus Pontifex, dum extra Concilium Generale è cathedra totam docet Eccleſiam, vel ſaltem eſt Romanus Pontifex cum Concilio Generali, in quo omnes Catholici conueniunt, & habetur expreſsè in Concilio Tridentino ſeſs. 4. vt inquit Bellarminus. Ergo de fide eſt Romanũ Pontificem pro tempore exiſtentem eſſe verum Chriſti Vicarium. Probo conſequentiam: quia ſolus Romanus Pontifex, vel extra Concilium, vel cum Concilio Generali poteſt eſſe regula infallibilis fidei.

SECTIO X.

Reſpondetur ad fundamenta ſententiæ negantis propoſita Sectione ſecunda.

1. EX dictis promptum eſt diluere argumenta ſententiæ contrariæ. Ad primum negamus aſſumptum. DEVS enim reuelauit INNOCENTIVM XI. eſſe legitimum Petri Succeſſorem, per reuelationem vniuerſalem, quod omnis ritè electus in Romanum Pontificem, & pro tali habitus à tota Eccleſia, ſit verus Chriſti Vicarius; illa enim reuelatio ſecundùm ſe ſumpta certum facit de fide, INNOCENTIVM eſſe verum Pontificem ſub conditione, quod ſit ritè electus, & pacificè

ado-

Digitized by Google

adoratus: purificatio autem huius conditionis eſt nobis certa, & euidens moraliter, & ſufficit vt illa reuelatio vniuerſalis ſufficienter ſit applicata huic homini. Sic reuelatio vniuerſalis, quod omnis purus homo via ordinaria conceptus contrahit peccatum originale, nos reddit certos de peccato contracto à Petro ſub conditione, quod via ordinaria ſit conceptus; & quia moraliter certi ſumus, illum ſic fuiſſe conceptum, fide diuina abſolutè credimus contraxiſſe maculam originalem.

2. Et ſanè cùm certum ſit, Pontificem Romanum, ſaltem poſtquam pro tali habitus eſt à toto Orbe Chriſtiano, poſſe obligare vniuerſam Eccleſiam ad credendum fide diuina quidquid definierit, vel propoſuerit tanquam à Deo reuelatum; certiſſimum debet eſſe, illum reipſa eſſe legitimum Chriſti Vicarium, quia nequit vniuerſalis Eccleſia errare in re adeò graui, qualis eſſet deceptio in ipſa viua regula fidei credenda: nam hic error æquipararetur errori in fide: ſi enim regula poſſet eſſe falſa, poſſet etiam & regulatum.

3. Quod confirmatur; nam ſi error intolerabilis foret in Eccleſia, quando tota crederet librum aliquem eſſe canonicum, qui verè canonicus non ſit, cùm tamen ille ſit quædam regula fidei inanimata; quam intolerabilis error foret errare in regula viua?

4. Itaque de fide eſt, de facto omnem hominem ritè electum in Epiſcopum Romanum eſſe legitimum Petri Succeſſorem in primatu Eccleſiæ, quia de fide eſt, iure diuino Petrum, eiuſque legitimum Succeſſorem eſſe verum Chriſti Vicarium; & ex traditione Apoſtolica Petri, quam Concilia generalia, Pontificum decreta, & Patrum conſenſus declarauit, conſtat, Epiſcopum Romanum ſuccedere Petro in munere Summi Pontificis, vt teſtatur Bellarminus lib. 1. de Romano Pontifice cap. 12. Ergo pariter, vt ſit de fide INNOCENTIVM XI. eſſe verum Petri Succeſſorem in primatu, & Vicariatu Chriſti, ſatis eſt, quod ſit moraliter certum & euidens, eſſe ritè electum in Pontificem Romanum, & pro tali habitum à tota Eccleſia, & quod aliunde ſit in communi reuelatum, omnem ritè electum in Pontificem Romanum eſſe verum Petri Succeſſorem.

5. Ad ſecundum concedo, canonicam electionem huius numero hominis in Pontificem Romanum pendere ex multis circumſtantijs, quę ſecundùm ſe, & antecedenter inſpectæ, ſunt incertæ, & dubiæ; dico tamen, eſſe conſequenter certas, quia ſi electio ſit moraliter certò canonica, & electus pacificè habetur à tota Eccleſia, vt verus Chriſti Vicarius, non poteſt contingere, vt aliqua ex circumſtantijs neceſſarijs deficiat. Hoc enim ipſo, quod Deus reuelauerit, Petrum, eiuſque Succeſſores habere primatum in Eccleſia, virtualiter reuelauit, ſe non permiſſurum, vt aliquis eligatur canonicè in Pontificem Romanum, & à tota Eccleſia pacificè recipiatur, qui non habuerit omnes conditiones

eſſentialiter requiſitas ad Summum Pontificatum. Vnde ex ſuppoſitione electionis canonicæ certò conſtantis, & agnitæ ab Orbe Chriſtiano, certum eſt, illum eſſe verè baptizatum, & eſſe Virum &c. quia vel eſt formaliter reuelatum, vel ex reuelatis neceſſariò deductum. Si Baptiſmus ipſe non ſit mera conditio præuia, ſed verum conſtitutiuum Summi Pontificatus, Deus reuelans hunc hominem eſſe verum Chriſti Vicarium, hoc ipſo reuelat eſſe baptizatum. Si autem Baptiſmus ſit mera conditio, ſaltem ex illa definitione infertur tanquam concluſio Theologica, eſſe verè baptizatum.

6. Dici etiam poteſt, fide Diuina poſſe credi, INNOCENTIVM XI. eſſe baptizatum, quamuis Baptiſmus non ſit conſtitutiuum Summi Pontificatus, ſed præuia conditio ad illum; quia ex communi ſententia Theologorum, quoties aliqua concluſio infertur ex duabus præmiſſis de fide, eius obiectum poteſt credi fide diuina. Iam verò in noſtro caſu concluſio illa infertur ex duabus præmiſſis de fide, nempè ex iſtis: INNOCENTIVS XI. eſt verè Pontifex Summus; ſed omnis verè Pontifex Summus eſt verè baptizatus; ergo &c. Maiorem eſſe de fide, probauimus in hac diſputatione; quod autem Minor ſit etiam de fide, ſuadetur, quia reuelatum eſt, Baptiſmum eſſe ianuam omnium Sacramentorum.

7. Ad tertium reſpondeo negando antecedens; quia nulla ea de re ſtat hiſtoria fide digna. Etſi enim aliquando acciderit, Eccleſiam non agnoſcere pro tempore aliquo verum, & certum Paſtorem, nunquam tamen accidit, totam conſpiraſſe in vnum falſum caput, exiſtimando videlicet verum eſſe Papam, qui verus nō eſſet: nec id accidere vnquam potuit, ſtantibus Chriſti promiſſionibus: quia hoc ipſo, quod pro vero Papa à tota Eccleſia haberetur, qui verus Papa non eſſet, tota Eccleſia teneretur recipere, vt veritatem infallibilem definitiones eius; quæ tamen infallibiles non forent, ſiquidem qui verus Chriſti Vicarius non eſt, non habet authoritatem infallibilem. Vnde ſi Deus id permitteret, permitteret damnum irreparabile, & quod emendari non poſſet, quia non cognoſceretur. Quomodo enim cognoſcant homines eſſe irrita decreta Pontificis illius, quem ſine vlla dubitatione pro Pontifice habent? Hoc autem damnum non ſequitur ex eo, quod pro aliquo tempore ab aliquibus habeatur pro vero Pontifice, qui talis non eſt, vel ex eo, quod ſint plures, quorum ſinguli habeant in fauorem ſui Pontificatus opinionem probabilem, vt contigit tempore Concilij Conſtantienſis: nam decreta fidei, & morum ab his Papis dubijs edita, non exiſtimantur certa, donec à Papa indubitato confirmentur.

8. Ad quartū, quo contendebatur, non eſſe de fide, quod hic numero homo ſit verus Pontifex; quia qui hoc negaret, non reputaretur hæreticus, ſed ſchiſmaticus nec peccaret contra fidem, ſed contra charitatem ſcindens vnitatem. Ad hoc, inquam argumentum reſpondet P. Suarez,

omnia

omnia ſchiſmata ferè ſemper naſci, priuſquā verus Pontifex abſq; controuerſia à tota Eccleſia receptus ſit. *Si tamen homo aliquis, vel Eccleſia particularis*, inquit, *nunc negaret obedientiam v.g. Gregorio XIII. negando ſimul illum eſſe verum Pontificem, Petri Succeſſorem, non video quomodo poſſet ab hæreſi excuſari magis, quam ſi negaret, Romanum Epiſcopum Petri Succeſſorem eſſe.*

9. Ego abſolutè reſpondeo, obiectum ipſum eſſe de fide abſolutè, & in ſe, nempe, quod INNOCENTIVS XI. ſit legitimus Petri Succeſſor in primatu, quia hoc obiectum eſt reipſa reuelatum, verè, & propriè in ſeipſo: & omne illud quod ſic eſt reipſa reuelatum, eſt abſolutè in ſe de fide, ſicut omnia illa ſunt abſolutè illicita, quæ lege æterna reipſa prohibita ſunt, quamuis lex illa non ſit omnibus nota: cæterum dico non eſſe de fide ſententiam noſtram hoc affirmantem, ac proinde non eſſe hæreticam ſententiam oppoſitam hoc negantem.

10. Quod ſi obijcias, idem eſſe, quod aliquod obiectum ſit de fide, ac quod ſit de fide ſententia affirmans eius exiſtentiam, & quod eius contradictoria ſit hæretica. Reſpondeo diſtinguendo propoſitionem illam, eamque concedendo quando obiectum eſt de fide, ideſt verè in ſe reuelatum,& inſuper vt tale ſufficienter Communitati Fidelium propoſitum ab Eccleſia volente obligare omnes ad ita credendum: & eam negando, quando,licet obiectum ſit de fide,ideſt immediatè reuelatum, non tamen vt tale ſic propoſitumeſt ab Eccleſia, vt hic contigit,vt enim ait P.Valentia to.3. col.255. *Non eſt hæreticus, quicumque negat aliquid, quod reipſa pugnat cum ſententia fidei; ſed is, qui negat, quod ſcit, vel debet ſcire, eſſe contra ſententiam ab Eccleſia traditam tanquam de fide, ſine vlla apud Orthodoxos controuerſia.* Vnde in forma diſtinguo illam propoſitionem: idem eſt obiectum aliquod eſſe de fide, ac &c. ſi illud obiectum ſit propoſitum tanquam de fide ab Eccleſia; concedo: ſi non ſit, nego. Vel aliter; idem eſt obiectum &c. Si ſit de fide non ſolum in ſe,& quoad aliquos,ſed quoad omnes Doctores Catholicos, ſine controuerſia inter ipſos,concedo: ſi ſolùm ſit de fide in ſe,& quoad aliquos tantùm Doctores probabiliter affirmantes eſſe reuelatum,nego. Conſulantur quæ diximus diſput. 11. ſect. 5. & ſectione 1. præſentis diſputationis §. 3. numer. 9. & 10.

11. Quare qui modò negaret INNOCENTIVM XI. eſſe legitimum Chriſti Vicarium, licet turpiſſimè erraret in re grauiſſima, foretq; de hæreſi ſuſpectus, quatenus præſumeretur aſſerere cum Caluino, & Luthero, alijſque hæreticis,verum Pontificem Romanum non eſſe legitimum Petri Succeſſorem in primatu totius Eccleſiæ, ſed ſolùm in Epiſcopatu Romano,non tamen eſſet formaliter hæreticus, ſi reipſa ſentiret legitimum Epiſcopum Romanum eſſe verum Chriſti Vicarium;& ſolum negaret, INNOCENTIVM XI. eſſe legitimum Epiſcopum Romanum, quia ſtulte exiſtimaret non fuiſſe ritè electum.

SECTIO VLTIMA.

Reſponſio ad vltimum argumentum, cuius occaſione oſtenditur Concluſionem Theologicam non eſſe de fide, & hanc non eſſe diſcurſiuam, & exponitur; cur actus fidei ſit certior, quam actus omnis euidens; & cur habitus Theologiæ diſtinguatur ab habitu fidei.

1. AD vltimum reſpondeo concedendo maiorem; nempe ideo eſſe de fide INNOCENTIVM XI. eſſe verum Chriſti Vicarium, quia de fide eſt, omnem hominem ritè electum in Romanum Pontificem eſſe verum Chriſti Vicarium, & aliunde certum moraliter eſt, INNOCENTIVM XI. fuiſſe ritè electum in Pontificem Romanum. Et nego minorem. Nempe id non ſufficere, ſiquidem, vt probauimus, ad hoc vt propoſitio particularis ſit de fide, ſatis eſt, quod propoſitio vniuerſalis ſit de fide; & aliunde certum, ſaltem moraliter ſit, illam particularem contineri formaliter ſub illa vniuerſali. Ad probationem minoris, nego ſequelam; nempe, quod ſimili argumento probaretur, de fide eſſe, quod Chriſtus ſit riſibilis, quia de fide eſt, Chriſtum eſſe hominem, & certum eſt, omnem hominem eſſe riſibilem, & conſequenter quod ſimili argumento probaretur, omnem Couclusionem Theologicam eſſe de fide. Nego, inquam, hanc ſequelam: nam vbi concluſio Theologica deducitur ex vna propoſitione particulari de fide, & altera vniuerſali lumine naturæ nota, vt in hoc diſcurſu: omnis *homo eſt riſibilis*; ſed *Chriſtus eſt homo*. ergo Chriſtns *eſt riſibilis*; tunc Concluſio illa adhuc ſpecificatiuè, & materialiter ſumpta, non eſt de fide, id eſt, non eſt obiectum proportionatum vt credatur per fidem ab eo, qui per fidem cognoſcit veritatem minoris, & per cognitionem euidentem cognoſcit veritatem maioris propoſitionis. Ratio eſt, quia reuelatio illa particularis, *Chriſtus eſt homo*, ſolum de Chriſto affirmat eſſentiam hominis, eiuſque entitatem ſolum refert ad connotatum ſenſationis, & diſcurſus, non autem ad connotatum riſus: vnde per illam reuelationem non magis proponitur riſibilitas hominis, quàm per cognitionem euidentem, qua Philoſophus cognoſcit Deum exiſtere, proponatur identitas Diuinitatis cum Trinitate Perſonarum: quare qui aſſentitur huic veritati,

Digitized by Google

veritati, *Chriſtus eſt riſibilis*, non habet ſolum pro motiuo ſui aſſenſus, Humanitatem Chriſti cognitam per fidem; ſed etiam connexionem naturæ humanæ cum riſibilitate, cognitam per lumen naturale in illa propoſitione, *omnis homo eſt riſibilis*, ergo veritas illa non creditur per fidem.

2. Probatur hęc conſequentia, qnia non creditur per fidem id, quod non creditur, quia reuelatum, & teſtificatum eſt à Deo· Obiectum autem huius concluſionis *Chriſtus eſt riſibilis*, non dicitur à Deo, ſed aliud, ex quo partialiter iſtud infertur: ergo non poteſt hoc credi per fidem; cum non participet rationem formalem, & motiuum proprium Fidei; quantumcumque enim explicetur reuelatio, & obiectum reuelatum, quatenus reuelatum, nunquam inuenietur dictum à Deo obiectum illius concluſionis: ergo intellectus non mouetur à ſolo teſtimonio Dei ad affirmandum, Chriſtum eſſe riſibilem, ſed inſuper ab illo principio vniuerſali *omnis homo eſt riſibilis*, quod niſi ab intellectu per lumen naturale deprehenderetur eſſe verum, numquam aſſentiretur obiecto concluſionis.

3. Alia eſt ratio de propoſitione vniuerſali formaliter reuelata, nam dum Deus per reuelationem affirmat. V.g. omnem hominem eſſe mortalem, hoc ipſo formaliter id affirmat de Petro, & de Ioanne &c. quia Petrus eſt pars formaliter in illo toto, *omnis homo*; vnde hoc ipſo quòd mihi conſtet, Petrum eſſe hominem, mihi conſtat, reuelatum eſſe à Deo, quod Petrus ſit mortalis: poſſum ergo credere illum eſſe mortalẽ, vnice quia Deus dicit, & conſequenter per fidem. Ex eo autem quod mihi per fidem conſtet, Chriſtum eſſe hominem, & aliunde per rationem ſciam omnem hominem eſſe riſibilem, non mihi conſtat, reuelatum eſſe à Deo quod Chriſtus ſit riſibilis. Sicut ex eo quod Theologus per lumen rationis euidenter cognoſcat, dari Numen infinitum, ſeu primam cauſam; & aliunde per fidem certus ſit, Numen illud eſſe Trinum, non ſequitur; quod Theologus per lumen rationis cognoſcat, Deum eſſe Trinum.

4. Poteſtque Deus velle reuelare, Chriſtum eſſe Hominem, & nolle reuelare, quod ſit riſibilis; ſed id relinquere cognoſcendum per diſcurſum naturalem, ſicut de ſeipſo reuelauit, ſe eſſe Vnum, & Trinum, & noluit reuelare, an tranſcendentaliter referatur ad creaturas poſſibiles; ſed id reliquit Philoſophis, & Theologis diſputandum. At nequit Deus velle reuelare omnem hominem eſſe mortalem, & ſimul nolle reuelare, quod Petrus ſit mortalis. Præterea, etſi per impoſſibile Deus non ſciret omnem hominem eſſe riſibilem, poſſet reuelare, Chriſtum eſſe Hominem, quia ad hoc reuelandum, ſatis eſt, quod ſciat, Chriſtum eſſe animal rationale, potens ſcilicet ſentire, & diſcurrere: ſicut homo ignorans, an omnis homo ſit riſibilis, & certò ſciens, Petrum eſſe animal rationale, poteſt cum altero loqui, & ei teſtari, Petrum eſſe hominem. At ſi per impoſſibile Deus non ſciret, an Petrus ſit mortalis, non poſſet

Digitized by Google

ſet teſtari omnem hominem eſſe mortalem: nam hæc locutio externa per ſe ſupponit in Deo cognitionem claram, & diſtinctam, quod Petrus ſit mortalis.

5. Vnde P. Valentia quæſt. 1. de fide punct. 2. ad 3. merito dixit, licet concluſio deducta ex vna vniuerſali de fide, & altera particulari lumine naturæ notâ, ſit de fide, v. g. iſta, Petrus eſt mortalis, deducta ex his præmiſſis: *Omnis homo eſt mortalis; Sed Petrus eſt homo*, quia tunc per præmiſſam particularem lumine naturæ notam innoteſcit certò, concluſionem eſſe etiam reuelatam in vniuerſali propoſitione de fide; ac proinde liberum eſt homini aſſentiri obiecto illius concluſionis vnicè ab authoritatem Dei reuelantis: non tamen eſſe de fide obiectum concluſionis deductæ ex vniuerſali lumine naturæ nota, & ex particulari ſolum cognita per fidem, v.g. obiectum iſtius, *Chriſtus eſt riſibilis*, deductæ ex iſtis, *omnis homo eſt riſibilis, ſed Chriſtus eſt homo*: quia obiectum illius concluſionis non eſt reuelatum, ſed per ſolum lumen rationis eſt propoſitum in maiori.

6. Sic ergo dicimus, hanc concluſionem huius Syllogiſmi eſſe de fide: *Omnis homo rite electus in Pontificem Romanum, & pacifice pro tali ſuſceptus ab Eccleſia, eſt verus Chriſti Vicarius*. Sed Innocentius XI. fuit ritè electus in Pontificem Romanem, & pro tali ſuſceptus eſt ab Eccleſia: ergo Innocentius XI. eſt verus Chriſti Vicarius. Si quidem per illam propoſitionem minorem, quæ eſt moraliter euidens, nobis innoteſcit; Innocentium XI. contineri ſub illa reuelatione vniuerſali; ac proinde certificamur, reuelatum eſſe, quod Innocentius XI. ſit verus Chridi Vicarius; Poſtquam autem de hoc ſumus certificati, poſſumus vnice ob authoritatem Dei reuelantis credere, Innocentium XI. eſſe verum Chriſti Vicarium.

7. Dum autem dicimus, concluſionem Syllogiſmi, in quo præmiſſa vniuerſalis eſt de fide; & præmiſſa particularis eſt lumine naturæ nota, eſſe de fide; non loquimur de concluſione illa formaliter, & reduplicatiuè quatenus eſt concluſio illata per diſcurſum; ſed de illa ſpecificatiuè, & materialitèr ſumpta. Nam ſecundum ſententiam communem Theologorum, fides non eſt diſcurſiua: vnde aſſenſus præuij, qui requiruntur vt quis eliciat actum fidei vnicè propter authoritatem Dei reuelantis, non præſupponuntur ad illum tanquam præmiſſæ ad concluſionem, ſed tanquam applicatio motiui, ob quod ex imperio voluntatis, orto ex pia affectione ſupernaturali, tribuo aſſenſum certiorem & firmiorem, quam ſint aſſenſus illi præuij, qui non ſunt de fide diuina; qualis eſt ille aſſenſus, quo mihi perſuadeo, Innocentium XI. fuiſſe ritè electum, & pacificè eſſe agnitum pro vero Pontifice à tota Eccleſia. Sicut quando credo veritatem aliquam, quia definita eſt in aliquo Concilio, aſſenſus iſte Fidei ſummè certus ſupponit actum Fidei humanæ minùs certum, quo credo, Concilium definiiſſe illam veritatem. Quare,

Digitized by Google

re, vt docet P. Valentia, diſp. 1. quæſt. 1. punct. 2. ſi qui aſſenſus priores neceſſarij ſunt antequàm eliciatur aſſenſus Fidei infuſæ, hi tantùm ſunt conditiones requiſitæ ad aſſentiendum rebus Fdei, ob naturam intellectus noſtri, qui obſcura, & difficilia perſuadere ſibi non poteſt abſque motiuis diſtinctis: vndè non antecedunt aſſenſum Fidei Diuinæ tanquam præmiſſa in vero diſcurſu, ſed ſolùm tanquam conditio quædam requiſita, ſine qua non eliceretur ille actus: Fides enim nullo modo mediante diſcurſu elicit ſuos aſſenſus; ſed ſicut viſus immediatè fertur in obiecta ſua ſub ratione lucidi, ita etiam Fidei habitus, in ſua, ſub ratione Diuinæ reuelationis. Additque, id pro certo ſupponere omnes Theologos; citat verò Scotum, Capreolum, Caietanum, & Andream de Vega. Idemque docent Suarez diſp. 6. ſect. 4. Turrianus, diſp. 6. dub. 1. Conink, diſp. 9. à num. 9. Granadus, tract. 9. diſp. 1. num. 7

8. Ratio autem cur fides non ſit diſcurſiua eſt; quia in diſcurſu formali nequit concluſio certior eſſe quàm præmiſſæ; ſed potiùs eſt minus certa, & ſequitur debiliorem partem: vnde quamuis altera ex præmiſſis ſit euidens; ſi altera ſit ſolùm probabilis, concluſio euadit ſolùm probabilis; atqui actus Fidei eſt certior quàm vllus actus ſcientiæ: ergo concluſio in diſcurſu formali nequit eſſe actus elicitus à lumine Fidei. Minorem contra Durandum docent communiter Theologi ex Patribus, & Scripturis apud P. Suarez diſp. 6. ſect. 5. num. 10. & apud P. Valentiam diſp. 1. quæſt. 4. punct. 8. vbi etiam temerariam appellat ſententiam Durandi. Rationem à priori cur Fides certior ſit, quàm ſcientia, reddit P. Suarez diſp. 6. de fide ſect. 5. num. 6. nam concluſio ſcientifica certior eſse non poteſt, quàm ſint præmiſsæ; ſed ſemper eſt minùs certa; at actus fidei aſsentiens myſterio propter authoritatem Dei reuelantis certior eſt, quam actus ſcientiæ pręcedens tanquàm præambulum, quo nimirum quis euidenter cognoſcit, Deum eſse ſummè veracem, & per argumenta credibilitatis conuincitur, reuelaſse myſteria Religionis Chriſtianæ, vt ſupra oſtenſum eſt.

9. Si autem quæras rationem, cur in diſcurſu formali concluſio ſit minùs certa, quàm præmiſsæ? illa eſt: quia vt concluſio ſit certa, debet vtraque præmiſsa eſse certa, & inſuper debet eſse euidens illatio concluſionis ex præmiſſis, atque adeò debet cognoſci euidentèr: quantumcùmque enim præmiſsæ ſint certæ; ſi tamen conſequentia ſit dubia, aut duntaxat probabilis, aſsenſus concluſionis erit dubius, aut ſolùm probabilis: ergò concluſio minùs infallibilis eſt quàm præmiſsæ: quia vt infallibilis ſit, requirit vt neque maior neque minor Syllogiſmi, neque illatio fallax ſit, & illuſoria; at quęlibet ex præmiſsis, vt ſit vera, & infallibilis ſolum requirit, quod eius motiuum non ſit fallax, ac proinde vnicuique ſufficit ſua euidentia, vt ſit certa, & infallibilis; facilius autem eſt magiſque contingens, vt ex tribus, vel duabus euidentijs aliqua illuſoria ſit, vagè, & confuſè loquendo, quam vna ex illis determi-

mi-

minatè; difficiliuſque eſt, nullam ex illis fallere, quam non fallere aliquam: ergo præmiſſæ longiùs abſunt à fallacia quàm concluſio; ſiquidem paucioribus indigent ad ſui veritatem & certitudinem, quàm concluſio; atque adeo ſunt magis certæ, quam illa: ergo cum actus Fidei ſit magis certus, quàm vllus actus euidens, implicat, vt ſit actus Fidei concluſio deducta ex duplici præmiſſa, altera euidenti, & altera de Fide.

10. Secundò reſponderi poſset, admittendo ſequelam, quia multi graueſque Theologi, cum P. Vazquez 1. par. diſp. 5. cap. 3. & Andrea de Vega lib. 9. in Trident. cap. 39. affirmant, omnem Concluſionem Theologicam eſse de fide, id eſt eſse obiectum proportionatum vt credatur fide diuina ab eo, qui vnam ex præmiſſis credit fide diuina, & alteram lumine naturæ euidenter cognoſcit. Deus enim reuelans Chriſtum eſse hominem, virtualiter reuelat eſse riſibilem intellectui cognoſcenti, omnem hominem eſſe riſibilem. Vnde quamuis concluſio formalis Theologica, quatenus eſt actus elicitus per diſcurſum ex vi vtriuſque præmiſſæ, non poſſit eſſe actus elicitus ab habitu Fidei; ſed debeat eſſe elicitus ab habitu Theologiæ diſtincto, quia cum innitatur tanquam in motiuo formali aſſentiendi in ratione, eſt minus certa, quam actus fidei, qui inniti debet tanquam in motiuo vnice in authoritate Dei loquentis: tamen concluſio obiectiua ſpecificatiuè ſumpta, erit de fide, id eſt poterit credi fide diuina, quia præcedente diſcurſu tanquam conditione applicante reuelationem virtualem, poterit voluntas imperare aſſenſum illius veritatis firmum ſuper euidentiam præmiſſæ naturalis, id eſt, qui in ſua firmitate, & adhæſione ſuperet euidentiam præmiſſæ, quando videlicet aſſentiatur illi veritati non ob rationem naturalem repræſentatam per vnam ex præmiſſis, nec ob bonitatem illationis, ſed vnicè ob authoritatem Dei virtualiter reuelantis illam concluſionem.

11. Meritoque communis ſententia Theologorum cum D. Thoma contra Scotum diſtinguit habitum Theologiæ ab habitu fidei; quia illius obiectum formale diſtinguitur ab obiecto formali iſtius: quia licet reſpectu vtriuſque ſit prima veritas, tamen reſpectu fidei eſt prima veritas immediatè teſtificans, ſeu formaliter reuelans: reſpectu autem habitus Theologiæ eſt prima veritas, quatenus virtualiter teſtificatur veritatem aliquam. Ratio autem diſtinguendi hunc duplicem habitum eſt, quia duplex iſte modus teſtificationis habet rationem motiui valde diuerſam, & longe diuerſo modo certificat intentum: quia multò magis neceſsaria eſt veritas teſtificantis in eo, quod formaliter, & expreſsè affirmat, quam in eo quod virtualiter tantum in re dicta continetur; præſertim quando hæc continentia vnius in alio, nec reuelatur, nec per ſe, ac formaliter continetur in re reuelata.

EPI-

Digitized by Google

EPILOGVS TOTIVS OPERIS,

Doctrinæ in eo ſtabilitæ certitudinem manifeſtans.

1. HVcuſque pro noſtra tenuitate infallibilitati Romani Pontificis defenſandæ adlaborauimus;& ex omnibus locis Theologicis ad eam firmandam argumenta deprompſimus, nimirum ex Scriptura, ex Traditione Apoſtolica, ex Concilijs generalibus, atque Prouincialibus; ex praxi perpetua Eccleſiæ; ex Sanctiſſimorum Pontificum Decretalibus, ex communi conſenſu Patrum, ex Iure Canonico, ex vniformi Theologorum, ac Doctorum ſenſu, ex rationibus Theologicis è principijs fidei apertè deductis; & ex ſolutione argumentorum, quæ contra hanc veritatem excogitata ſunt. Oſtendimuſque in hanc authoritatem aſſerendam conſpiraſſe omnes Orbis Catholici Nationes, celeberrimaſq; Vniuerſitates, omnes Familias Religioſas: & Societatem IESV ad hunc finem defendendi Sedem Apoſtolicam à S. Ignatio P. N. deſtinatam fuiſſe, atque eius filios hunc ſpiritum à Sancto Parente hauſiſſe: illamque doctrinam ita in Euangelio, Concilijſque generalibus contineri, vt multi graueſque Authores citati diſput. 11. cum Eximio Doctore Franciſco Suarez cenſeant, *eſſe rem de fide certam*: & communis ſententia Doctorum veriſſimè iudicet ſaltem eſſe Concluſionem Theologicam omnino certam. Imo grauiſſimus Theologus Melchior Canus lib. 6. de locis in proœmio capitis ſecundi loquens de ſententia affirmante Summum Pontificem in Fidei controuerſijs decernendis errare poſſe, dicere non dubitauit: *Niſi ego probauero certioribus argumentis, id eſſe erroneum, quam probent Catholici, aut Purgatorium eſſe, aut Indulgentias Pontificias diuina authoritate conſtare, authoritas hæc mea quantula ea cumque eſt, apud Lectores periclitabitur*.

2. Meritoque Leo Decimus Summus Pontifex cum Concilio Lateranenſi vltimo (vt vidimus diſp. 3. ſect. 14. §. 1.) declarauit, *Romanum Pontificem habere authoritatem ſupra omnia Concilia, idque nedum ex Sacræ Scripturæ teſtimonijs, dictis Sanctorum Patrum, ac aliorum Romanorum Pontificum, ſed propria eorumdem Conciliorum confeſſione conſtare*. Quod nos latè in hoc opere oſtendimus diſcurrendo ſingillatim per ſingula. Ex eo autem quod Papa ſit ſupra omnia Concilia, apertè deducitur, eius iudicium eſſe irreformabile; ac proinde ipſum habere authoritatem infallibilem ad determinandas fidei, & morum controuerſias extra Concilium generale, & non expectato Eccleſiæ conſenſu; qui eſt ſcopus principaliter intentus in hoc tractatu. Vnde anno 1418. in Con-

Digitized by Google

cilio Conſtantienſi poſt ſeſs.43. coram omnibus Patribus, nullo reclamante, ac proinde omnibus conſentientibus (nam quando loqui oportet, ſilentium pro conſenſu habetur) lecta eſt Conſtitutio Martini V. in qua ſic ſtatuitur: *Nulli fas eſt a ſupremo Iudice, videlicet Apoſtolica Sede, ſeu Romano Pontifice appellare, aut eius iudicium in cauſis Fidei (quæ tanquam Maiores ad ipſum, & Sedem Apoſtolicam referenda ſunt) declinare.*

3. Cedant dicta ad maiorem gloriam Dei, quam Sanctus Ignatius *in ore ſemper habuit*, & quam *ſemper in omnibus quæſiuit*, & ad cuius augmentum ſtudia Societatis dirigi voluit: & ad ſanctæ, & Apoſtolicæ Sedis obſequium; cuius iudicio libentiſſimè ſubmitto quæcumque de ipſius infallibilitate in hoc Opere dixi, in quo *ſi minus peritè, aut parum cautè aliquid fortè poſitum eſt* (vt Hieronymi ad Damaſum verbis vtar) *emendari cupimus ab eo, QVI PETRI ET FIDEM ET SEDEM TENET.*

FINIS.

I N-

Digitized by Google

INDEX ALPHABETICVS

Rerum notabilium, in quo ſuis nominibus apponuuntur Academiæ, Patres, Doctores, atque Concilia, quorum authoritate probatur infallibilitas Romani Pontificis, eiuſque ſuprema authoritas in vniuerſam Eccleſiam.

A

Abſolutio.

AN per ſacerdotium conferatur poteſtas iuriſdictionis ad abſoluendum à peccatis pag.158.& 162.oſtenditur contra Toſtatum & Armacanum pars negatiua. Poteſtas iuriſdictionis ad abſoluendum à peccatis eſt diſtincta à poteſtate ordinis, quamuis Sacerdos cum ordinatur accipiat poteſtatem remittendi peccata pag. 199.

Abelli (Ludouicus) Epiſcopus Ruthenenſis pag.380.& à 520. ad 522.

Alexander Alenſis pag.483.

Academia.

Academia Colonienſis ſemper propugnauit infallibilitatem Romani Pontificis, eiuſque authoritatem omni Concilio ſuperiorem pag. 585.

Academia item Duacena.ibidem. libellus eius ſupplex ad Regem Chriſtianiſſimum ne cogeretur docere propoſitiones contentas in Declaratione Cleri Gallicani pag.116.

Academia Louanienſis contraria Declarationi Cleri Gallicani pag.581.

Academia Pariſienſis ante tempora Concilij Conſtantienſis ſemper vniformiter defendit infallibilitatem Rom.Pont. 479.& 579. doctrina oppoſita ante illa tempora fuit ibi inaudita 477. illius vniuerſitatis elogium 512. Omnes eius antiqui alumni pro infallibilitate p. 481. ad 504. Etiam poſt Concilium Conſtantienſe plerique eius Doctores pro eadem ſteterunt p.514. ad 520.

Academiæ Salmanticenſis Elogium 570. Omnes eius alumni pro infallibilitate. Cathedram Petri de Oſma combuſſit, quia ex illa dictauit aliquid contra infallibilitatem Rom.Pont. 580. Omnes Academiæ Orbis Chriſtiani teſte Illuſtriſſimo Petro de Marca ſtant pro infallibilitate Romani Pontificis p. 389.

Acceptatio facta à Communitate fidelium huius numero hominis in Pontificem non eſt neceſſaria vt hic numero homo ſit verus Papa p.124.

An ſit neceſſaria vt hoc fide diuina credi poſſit ibidem.

Adrianus VI.non vt Pontifex, ſed vt Doctor particularis, & obiter rem tangens ſcripſit contra infallibilitatem Romanæ Sedis p. 763. imo non locutus videtur de Pontifice vt definiente, & intendente obligare totam Eccleſiam p.764.

Ægidius Romanus 490. & 491.

Africanæ Eccleſiæ Synodi pro infallibilitate a p.374. ad 378.

S. Agatho 411.

Albanus Cardinalis 529.

B. Albertus Magnus 484.

Alcuinus 481.

Alexander Alenſis 483.

F. Alphonſus à Caſtro malè citatur contra infallibilitatem, cum ſit eius exploratus aſſertor 529.

P. Alphonſus Salmeron 556.

Aluarus Pelagius 509.

Alexander VII. quid contra Ianſeniſtas egerit 111. in fine, & 400.

S. Ambroſius pro infallibilitate 422. & 423.

Anaſtaſius 313.

Andreas Duuallius 515.alibi ſæpe.

S. Anſelmus 437.

S. Antoninus 441.

Antonius de Cordoua 530.

Apoſtoli, Apoſtolica Sedes.

Apoſtolorum perſonam non gerebat Petrus, quando ei dictum eſt à Chriſto, *Paſce oues meas* 160. Quomodo in honore, & poteſtate pares fuerint Apoſtoli ex ſententia Patrum, & Doctorum Catholicorum 155. & 164. Sententia authoris de æqualitate Apoſtolorum 175. an reliqui Apoſtoli ordinati ſint Epiſcopi a Petro, an immediatè à Chriſto 165. Nullus eſt textus, quo conuincatur omnibus Apoſtolis eſſe conceſſam à Chriſto poteſtatem Epiſcopalem pro vniuerſo orbe 157. Imo non eſt certum, Apoſtolos omnes accepiſſe immediatè à Chriſto poteſtatem iuriſdictionis pro foro interno pro vniuerſo mundo 170. Quamuis Apoſtoli omnes acceperint pleniſſimam poteſtatem immediatè à Chriſto ſuper omnes homines in vtroque foro; hæc poteſtas aliter fuit in Petro, quam in alijs 172. Poteſtas iuriſdictionis vniuerſalis pro vtroque foro in Petro fuit ordinaria, & tranſiuit ad ſucceſſores eius in Summo Pontificatu: in reliquis fuit extraordinaria, & finienda cum ipſorum vita a p. 172. ad 176. & 177. Sin-

Singulariter Petro data eſt immediatè à Chriſto poteſtas in vtroque foro ſupra omnes fideles 176.
Apoſtolica Sedes numquam in fide errauit p. 412.
Apoſtolica traditio eſt; quod Papa non poteſt errare in Decretis fidei 840.
Appellatio appellare.
Appellatio à ſententia Synodi ad Apoſtolicam Sedem ſtabilita fuit in Concilio Nicæno vt legitima 209. ad 213. & 236. ad 240. & 244. ad 247. Eleutherius Thyanenſis Epiſcopus, & Helladius Tarſenſis appelluerunt ad Sixtum III. a ſententia lata à Cyrillo, & à Concilio Epheſino contra ipſos 448. ad 454. Theodoretus appellauit à ſentētia contra ſe lata in Concilio Epheſino ad S. Leonem 457. Ruffinus appellauit ad Anaſtaſium Pontificem 458.
S. Athanaſius appellauit ad S. Iulium I. 420. à ſententia Papæ nec licita nec valida eſt appellatio ad Concilium 620. & 352. ad 373. vide multa exempla 181.
Appellatio ad Apoſtolicam Sedem ex quauis mundi parte & à ſententia Synodorum multis exemplis probatur 821. cum ſequentibus. Ex Auguſtini verbis, *Putemus, illos Epiſcopos, qui Romæ iudicarunt, non bonos iudices fuiſſe, reſtabat adhuc plenarium Concilium*; non poteſt probari licitum eſſe appellari à ſententia Papæ ad Concilium, quatenus diſtinctum à Papa 826.
Arabica verſio Nicænorum Canonum latè defenditur 220. ad 232.
Arboreus malè citatus contra infallibilitatem Rom. Pontificis pag. 602.
S. Athanaſius 420.
S. Auguſtinus, quo ſenſu dixerit, *Petrum accepiſſe Claues in perſona Eccleſiæ?* impugnantur falſæ illius dicti expoſitiones pag. 182. vſque ad 194. legitima expoſitio 195. Inſignis eius locus pro infallibilitate Pontificis extra Concilium 397. plurima alia eius teſtimonia 428. ad 431. Id ipſum probatur ex titulis, & elogijs, quibus authoritatem Romani Pontificis commendat 442. ex eius ſententia non requiritur Concilium generale ad definitionem fidei infallibilem 821. ad 832. Ex illis eius verbis, *putemus, illos Epiſcopos, qui Romæ iudicarunt, non bonos iudices eſſe, reſtabat adhuc plenarium vniuerſæ iudicium*; non colligatur *hoc*; ſed ſolum hinc habetur, cauſam iudicatam in quæſtione facti à Papa cum Concilio particulari poſſe iudicari iterum ab eodem cum Concilio vniuerſali p. 826.
B. Auguſtinus Triumphus, ſeu de Ancona. Diui Thomæ auditor 489.
S. Auitus Epiſcopus Viennenſis in Gallia 434.
Aureolus 496.

B

Achonius 502.
Barlahamus 525.
Bañez 478. & 586.
Bail 517.
Baronij teſtimonia paſſim.
Baſileenſe Concilium nullius fuit authoritatis, poſtquam diſceſſit ab Eugenio Papa 689. ad 706. & 765. gallorum iudicium de Conc. Baſileenſi 697.
Baſileenſes Patres ea principia admittunt, quibus ſtabilitur ſuprema, & infallibilis authoritas Rom. Pontif. 459.
S. Baſilius agnouit infallibilitatem Papæ in definiendo 421.
Beatificatio, in quo differat à Canonizatione 833. qua certitudine tenendum ſit Beatificatos eſſe in cælo 861.
Bellarmini iudicium de ſententia negante Romani Pont. infallibilitatem ab ipſo clarius ſcripto expreſſum 589. eius doctrina paſſim.
Venerabilis Beda 435.
S. Bernardus 438. & 146.
S. Bernardinus 440. & 280.
Bernardus Roſſergius Archiep. Toloſ. 523.
S. Bonauentura 877.
Bonifacius VIII. definiuit Chriſtum commiſiſſe Petro, & Succeſſoribus eius vniuerſas ſuas oues 150.

C

Abaſſutius 701.
Caietanus 845.
Caniſius 558.
Canus 586. & in fine oper.
Cenſuræ Theologicæ.
Cenſuræ Theologiæ, quibus notata eſt ſententia affirmans, Papam poſſe errare in definitionibus fidei 586. ad 592. vide *hæreſis, error*.
Cenſura Hungarica quatuor propoſitionum Cleri Gallicani 593.
Cęciliani Epiſcopi Carthaginenſis hiſtoria p. 822. 827.
S. Celeſtinus I. 409.
Clemens VI. 413.
Canones.
Canones Nicænos fuiſſe plures quàm viginti qui modo extant, probat Baronius 210. & multis argumentis Binius 215. quamuis diceretur Capitula redacta in Canones à Patribus Nicænis fuiſſe dumtaxat viginti, plures Sanctiones, ſiue Conſtitutiones fuere ab ipſis ſtabilitæ 217. ad 266. in Nicæno Canone vel Conſtitutione ſtabilitum fuit ius appellandi à ſententia Synodi ad Apoſtolicam Sedem 208. falſum eſt s. Zoſimum

Papam per ignorantiam facti citaſſe Canonem Sardicenſem pro Nicæno 211.236.244.
Ex Canonum Nicænorum verſione Arabica comprobatur Canonem de appellationibus fuiſſe Nicænum a p. 220.ad 232.
Ex Can.6.Concilij Nicæni comprobatur Eccleſiam Romanam ſemper habuiſſe primatum a p.252.ad 262. agnitam fuiſſe à Nicæno Concilio ſuperioritatem Romani Pontificis in omnes Synodos & Concilia, latè oſtenditur contra Criticos huius ætatis ſuccumbentes argumentis hæreticorum a pag. 209.ad 300.
Canon de appellationibus, Apoſtolicus eſt, & in Concilio Nicæno confirmatus 216. 210. num.6.
Canon *Mos antiquus &c.* explicatur p.256.
Canon. Concilij Conſtantinop. citatus à D. Thoma expenditur p.269.

Canonicum ius.

Infallibilitas probatur ex iure Canonico a p. 461.ad 473. breuis notitia de iure Pontificio 461.quanta ſit authoritas ſacrorum Canonum 464.
Canonizatio ſanctorũ quando incœperit ſub hac forma p.837. non poſſe Papam in illa errare late diſcutitur diſp. 18. a p. 837. ad 864. Eſt ſaltem certum certitudine Theologica, Papam non poſſe errare in Canonizatione ſanctorum à p. 841. ad 850. imo eſt de fide a p.850. ad 857.quid circa hoc ſenſerit D. Thomas 857.
B. Capiſtrani elogium,& doctrina 29.& 440.
Carolus Magnus Imperator pro infallibilitate Pont. 475.
Carolus V. Imperator ſimiliter 476.

Cathedra.

Quid ſit Papam loqui è Cathedra p. 1. & p. 707. & 759.
in Cathedra Petri nullus vnquam ſedit.Hęreſiarcha 658. & 715.

Claues.

Claues non tradidit immediatè Chriſtus communitati Eccleſiæ, ſed Petro, & Succeſſoribus eius p.13.& 89.
Claudius de Sainctes mali adductus contra infallibilitatem p.601.
Colonienſis Academia 585.

Concilium.

Chriſtus non reliquit ſuprmam authoritatem ad definiendas fidei & morum controuerſias in Concilio vt diſtincto à Papa, nec in collectione ſeu cumulo Epiſcoporum vt tali à p. 37.ad 54. per maiorem partem ſuffragiorum ſine conſenſu Papæ non poſſunt controuerſiæ fidei cum infallibilitate definiri p.39. & 649.
Quamuis definitio Concilij foret infallibilis præſcindendo à conſenſu & confirmatione Pontificis;non poſſet obligare Eccleſiam niſi mediante approbatione Pontificis 54.
Concilium vt diſtinctum à Papa non repræſentat vniuerſam Eccleſiam; quam tamen repræſentat Papa vt diſtinctus à Concilio p. 24. & 21. Tempore Schiſmatis quando non eſt certus, & indubitatus Pontifex,non habet poteſtatum ad decidendum fidei controuerſias p. 683.
Concilia non confirmata à Pontifice nullius vnquam roboris fuerunt p.41.idque eſt certum ex traditione Apoſtolica 42.num.5.vide à p.648. ad 651. Vtiliter tamen congregantur ad terminandas fidei & morum controuerſias p.805.
Quæ conditiones requirantur ad Concilium generale à pag.328. ad 333.Vt, quando non eſt in Eccleſia certus,& indubitatus Papa, Concilium ſit Generale,debent in illo conuenire omnes vel fere omnes Epiſcopi Catholici p.681.
Concilium Florentinum, & Lateranenſe vltimum fuerunt generalia 328. & à 334. ad 337. & 341.
Quænam fuerint quatuor prima Concilia generalia, & ob quas cauſas congregata. 199.
Licet quando omnes Patres Concilij conueniunt in ſuffragio, eorum definitio ſit infallibilis præſcindendo ab approbatione Pontificis; nequit tamen obligare Eccleſiã independenter ab illa à p.56.ad 59.
Papam eſſe ſupra omnia Concilia late probatur, a p.352.ad 373.
Oſtenditur, Apoſtolicæ poteſtatis vſum non eſſe moderandum per Canones.
An & quomodo ſententia vnius Concilij poſſit emendari, & reformari ab alio 827.
Concilia Africana 374.
Concilium Aquileienſe 392.
Concil. Aurelianenſe 378.
Concilium Carthagienſe 374.
Concilia Gallicana a p. 378. ad 392.
Concilium Petricouienſe in Polonia 394.
Concilia Prouincialia a p.374.ad 394.
Concilium Romanum ſub Felice III.p.392.
Concilium Romanum ſub Nicolao I. p. 393.
Concilium Tarraconenſe 393.
Concilium Tarraconenſe ſecundum 378.
Conſtantinus Pogonatus 475.

Conſenſus.

Conſenſus Eccleſiæ non eſt expectandus vt definitio Pontificis ſit infallibilis à pag. 92. ad 127.
Conſtitutio Pontificia in materia Fidei vt obliget ſatis eſt vt publicetur Romæ p.120.
Coquæus 516.

Conſtantienſe Concilium.

Eius breuis Hiſtoria à p.640.
Expenditur à p.640. ad 683.
Conſtantienſe Concil. declarauit non poſſe Papam errare in Decretis morum 852.
Eius authoritas pro excellentiã Papæ ſupra Concilia p.906.

Conſtantienſe Concilium non fuit Generale quando 4. & 5. ſeſſio celebratæ ſunt p. 668.

Chryſoſtomus 423-424.

Chryſologus 423.

Chriſtianus Lupus 470. ad 457.

Cunerus Petri 587.

Cypriani teſtimonium pro infallibilitate p. 418. & 419.

Cypriani contentio cum Stephano *Papa* ſuper Baptiſmo hæreticorum latè tractatur à p. 790. ad 804. Quamuis errauerit circa baptiſmum Hereticorum, non incidit in hæreſim p. 791. Nec retractauit ſententiam ſuam de infallibilitate Rom. Pont. p. 796. Qualiter peccauerit p. 782. Cauſa erroris & fallacia argumentorum ipſius p. 802. An ſuum errorem retractauerit p. 793.

Cyrili Alexandrini inſignis locus citatus a D. Thoma pro infallibilitate Romani Pontificis vindicatur à criſi a p. 443. ad 448. aliud teſtimonium p 431.

D

S. Damaſcenus 435.

Declaratio Cleri Gallicani.

Quarta eius propoſitio quatenus aſſerit *non eſſe irreformabile Romani Pontificis iudicium niſi Eccleſiæ conſenſus acceſſerit*, late impugnatur in toto opere ſed ſpecialiter à p. 91. ad 127.

Illi præponenda declaratio Eccleſiæ Gallicanæ anni 1653. p. 83.

Tertia eius propoſitio affirmans, *Apoſtolicæ poteſtatis vſum moderandum eſſe per Canones*, impugnatur à p. 352. vſque ad 473.

Secunda eius propoſitio, contendens firma eſſe Decreta Concilij Conſtantienſis Seſſ. 4. & 5. in quibus declaratur, Concilium eſſe ſupra Papam, late impugnatur tota diſp. 13. à p. 640. ad 680. Sed ſpecialiter ſect. vltima p. 685. Illam Declarationem non fuiſſe editam à tota Communitate Cleri Gallicani, ſed à paucis, ſine approbatione, & conſenſu reliquorum oſtenditur diſput. 1. ſect. 9. præſertim p. 88. num. 12. & 13. Cenſura Hungarica contra illam Declarationem 593. Cenſuræ Theologorum à 586. non componitur illa Declaratio cum Doctrina Cleri Gallicani circa vſum opinionum probabilium 517. nullam habet ſolidam probabilitatem à p. 612. & quamuis haberet aliquam, illa eſſet euidenter minor, quam oppoſita à p. 618. Quamuis eius Declarationis ſectatores illam exiſtiment probabiliorem, imo & ſibi certam, hoc non ſufficit ad ipſos excuſandos 622. ad 625. impugnatur Doctrina illius Declarationis prout expoſita ab Illuſtriſſimo Epiſcopo Tornacenſi à p. 624. ad 629. illius Declarationis Doctrina viam ſternit ſchiſmati 620. eſt pernicioſa Regnis, & Monarchis 621. fouet Ianſeniſmũ, contra zelum Regis Chriſtianiſſimi 110. ad 116. quatenus requirit conſenſum Eccleſiæ vt definitio Pontificis ſit infallibilis, late impugnatur à pag. 82. ad 128.

Definitio, Definire.

Vt Eccleſia poſſit aliquid definire, non requiritur, quod id ſit formaliter reuelatum, ſed quod vel ſit reuelatum, vel ex reuelatis neceſſario illatum 817. n. 7.

Definitiones *Pontificiæ* non obligant ſolum ad non dogmatizandum oppoſitum p. 629. Qua ratione obligẽt ad actus internos p. 635.

Doctores Sorbonici, qui ante Concilium Conſtantienſe propugnarunt infallibilitatẽ Romani *Pontificis* à p. 481. ad 504. qui illam propugnarunt poſt Concilium Conſtantienſe à p. 514. ad 620.

Doctores Galli, qui extra Vniuerſitatem Pariſienſem propugnarunt eandem ante Concilium Conſtantienſe à p. 378. ad 392.

Item S. Irenæus 418.

Hugo de S. Victore 437.

S. Bernardus 438.

Petrus Cellenſis 349.

Item alij antiquiores à p. 504. ad 508.

Doctores Galli, qui extra Vniuerſitatem *Pariſienſem* infallibilitatem propugnarunt poſt Concilium Conſtantienſe à p. 520. ad 525. & à 383. ad 392.

Doctores aliarum nationum ante Concilium Conſtantienſe à p. 504. ad 512.

Poſt Concilium Conſtantienſe à pagin. 525. ad 532.

Doctores Societatis à p. 532. ad 577.

Dupin. Vide Ludouicus Ellies *Dupin*.

Durandus 507.

Dionyſius Carthuſianus 527. & 604.

Dionyſius Amelotus 519.

E

Eccleſia.

Eccleſia tota nequit errare in fide 303. eam poſſe errare in decretis morum, damnatum eſt in Conc. Conſtatienſ. 852.

In Eccleſia reliquit Chriſtus tribunal aliquod viſibile infallibile ad determinandas fidei & morum controuerſias à p. 6. ad 12. Hæc authoritas infallibilis ad docendam Eccleſiam non eſt relicta in vniuerſitate fidelium tanquam in ſubiecto à p. 7. ad 16. nec in vniuerſitate, ſeu cumulo Epiſcoporum à p. 37. ad 42. ſed relicta eſt in Eccleſia, quia relicta eſt in capite Eccleſiæ pro bono Eccleſiæ à p. 42. ad 60. vide p. 56. Chriſtus non reliquit

quit primario in Eccleſia authoritatem infallibilem *vt exercendam per vnum*, nempe per Romanum *Pontificem*, tanquam per Miniſtrum, & Vicarium Eccleſiæ; ſed reliquit in Romano *Pontifice* tanquam in Vicario, & Miniſtro ſuo a p 45. ad 54. & p. 318.

Eccleſia etiam vt congregata in Concilio eſt ſubiecta Romano *Pontifici* vt capiti 317. illumque audire debet vt Magiſtrum p. 316. Chriſtus non tradidit immediate poteſtatem Clauium communitati Eccleſiæ, vt abſurde docet Dupin, ſed mediante *Petro*, & Succeſſoribus eius a p. 13. ad 32. & a 63. ad 73. eius conſenſus non eſt expectandus vt definitio *Papæ* ſit infallibilis a p 91. ad 127. ex eo quod Eccleſia ſit Sponſa Chriſti, non ſequitur non eſſe ſubiectam Romano *Pontifici* vt capiti viſibili p. 323.

Cur Eccleſia ſit *vna* 324. ab vnitate fidei dicitur vna quia habet ratione accommodatiſſimam ad conſeruandam vnitatem fidei in infallibilitate Romani *Pontificis* 325.

Eccleſia vniuerſalis eſt ſub poteſtate *Pontificis*, ad quem attinet illam regere 338. quando Synodus Conſtantienſis damnauit articulum 41. Vuicleffi, *Non eſt de neceſſitate ſalutis credere Romanam Eccleſiam eſſe ſupremam inter alias Eccleſias*; non ſumit *Eccleſiam* ſeorſim à capite, ſed vt includit *Papam* certum, & indubitatum p. 664. ex illa promiſſione Chriſti, *Et portæ inferi non præualebunt aduerſum eam*, rectè infertur nec Eccleſiam poſſe errare paſſiuè in credendo, nec *Papam* actiuè in definiendo controuerſias fidei 142. non poteſt eſſe biceps 292.

Eccleſia Gallicana. Vide *Gallicana Eccleſia*.

Ennodius 431.

S. Ephrem 422.

Edmundi Richerij doctrina negans Regimen à Chriſto inſtitutum eſſe Monarchicum, & affirmans eſſe Ariſtocraticum, eſt ita abſurda, vt à Ioanne Gerſone appelletur hæretica 66. & vt talis qualificata ſit in Marco Antonio de Dominis ab vniuerſitate Pariſienſis p. 79. vide a p. 73. ad 80. quanto zelo Edmundi Doctrinam damnauerint Epiſcopi Galliç 75. illeq; eam retractauit morti propinquus, ibi. Quanto zelo Doctores Galli illam impugnauerint à 76. ad 79. impugnatur ratio, qua conatur impetere abſolutam Monarchiam Pontificis Romani p. 336.

Epiſcopus.

Epiſcopi non accipiunt poteſtatem iuriſdictionis externæ immediatè a Chriſto, ſed mediante Romano Pontifice a p. 160.

Epiſcopi Galliæ pro infallibilitate Romani Pontificis. Vide *Doctores*. Pro eadem infallibilitate Bæticæ Epiſcopi p. 323.

Epiſtolæ.

Epiſtola S. Ignatij Fundatoris Societatis Ieſu ad Cladium Imperatorem Abiſſinorum, in qua ſuprema authoritas Romani Pontificis egregiè ſtabilitur. a p. 537. ad 541.

Epiſtola prima S. Iulij Papæ ad Orientales vindicatur ab aliquibus impugnationibus criticorum a p. 217. ad 219. & a 244. a 247. & 214. num. 3.

Epiſtola Eutherij Epiſcopi Thyanenſis, & Helladij Tarſenſis appellantium ad Sedem Romanam a ſententia contra ipſos data in Concilio *Epheſino* a p. 448. ad 454.

Alia eiuſdem *Eutherij* ad Alexandrum, & Theodoretum à 454. ad 456.

Epiſtolæ antiquorum Pontificum 469.

Epiſtolæ *Epiſcoporum* Galliæ ad Innocentium X. in cauſa Ianſenij a p. 384. ad 387.

Epiſtola Stephani Pariſienſis p. 383.

Epiſtola Honorij ad Sergium p. 721.

Epiſtola Agathonis pag. 726. Vigilij ad Eutherium p. 275.

Epiſtola *Epiſcopi* Tornacenſis de poteſtate *Eccleſiaſtica* ſcripta ad Defenſionem Declarationis Cleri Gallicani impugnatur à p. 624. ad 629. & a p. 809. ad 821.

Epiſtola Synodica Concilij Romani ſub Felice III. Papa 792.

Errores in definiendo affricati Romanis Pontificibus diſſipantur tota diſp. 15. a pag. 712. ad 767. & diſp. 16. a pag. 767. ad 790. error Vigilio tributus in cauſa trium capitulorum Vide verb. *Pontifex*.

Erronea propoſitio vt diſtinguitur ab hæretica quid ſit diſp. 19.

Euangelij loca pro Rom. Pont. infallib. & ſuprema poteſtate expenduntur a p. 129. ad 153.

Eugenius IV. p. 694.

Euerardus Nidardus Cardin. 597.

F

Felix V. p 344.

Fides, de Fide.

Vt propoſitio particularis ſit de fide ſufficit, eſſe de fide propoſitionem vniuerſalem ſub qua continetur, & quod de hac continentia conſtet p. 880.

Vt quis fide diuina credat myſterium propter reuelationem, non requiritur vt pro priori fide diuina credat exiſtentiam reuelationis a p. 888. ad 792.

Quid ſit aliquam propoſitionem eſſe de fide a p. 816. num. 4. & diſp. 19. ſect. 1. ad vnitatem fidei neceſſaria eſt ſuprema, & infallibilis authoritas Romani Pontificis 284. 651. & p. 59. Eccleſia ſua definitione poteſt efficere, vt ſit de fide propoſitio, quæ prius non erat de fide 856. de fide eſt, hunc numero hominem, v. g. Innocentium XI. eſſe verum Papam, late probatur a pag. 879. non hoc ipſo quod aſſeratur aliquam propoſitionem

nem eſſe de fide; aſſeritur eius contradictoriam eſſe hæreticam 592. obligatio credendi orta ex pręcepto fidei, & iure naturali p.638.
Flauianus 432.
Florentinum Concilium expenditur a p. 314. ad 326.
Fulgentius 432.
Franciſcus Mayronus Scoti auditor 502.
Franciſcus de Raconis Epiſc. 522.
S. Franciſcus Saleſius 141.
Franciſcus Suarez a p.572. ad 575. Vide Suarez.
Franciſcus Turrianus 562.

G

Gabriel Biel 311.
Gabriel Vazquez 569.
Gallicana Eccleſia ſemper pro infallibilitate Romani Pontificis pugnauit à p.83. ad 89. a 378. ad 392. quid egerit contra librum Edmundi Richerij pag.75. & contra doctrinam Marci Antonij de Dominis 79. vide conſtantem eius ſenſum pro authoritate Pont. a p.577. ad 579. illuſtre teſtimoniũ Petri de Alliaco Cancellarij Pariſienſis p.578. Senatus Pariſienſ. 388. aliud Marca 388. Vide a p. 378. ad 392. Vide verbo *Doctores*.
S. Gelaſius L. 411. 357.
Gennadius 439.
Gratianus Imperator 473.
S. Gregorius Magnus 433. & 411.
S. Gregorius Nazianzenus 421.
Gregorius VII. 359.
Gregorius Niſſenus p.86.
Gregorius de Valentia 508. & 590.
Guido Carmelita 498.
Guillelmus Antiſſiodorenſis, & Guillelmus Pariſienſis 504.

H

Qvod requiratur, vt proſitio poſſit cenſurari tanquã hæretica p.592. & 817. n.4. & a p. 873. ad 877. quid requiratur, vt aliquis cenſeatur hæreticus 874. inter hæreſim, & propoſitionem hæreticam datur diſcrimen p. 875.
Hæreſes plures damnatæ à Rom. Pontificus extra Concilia Generalia p.398.
Hæreſis fere nulla damnata a Concilijs Generalibus quin prius à Sede Romana p. 403.
Henricus de Gandauo 489.
Henricus Spondanus, vide *Spondanus*.
Heruæus Natalis 495.
S. Hieronymus 425.
S. Hippolitus Martyr. & Epiſcopus 418.
Hincmarus Remenſis 362.
Honorij primi defenſio a p.715. ad 734. nunquam dogma falſum Eccleſię propoſuit 719. nec tenuit errorem Monothelitarum a 714. ad 731.
Hugo de S. Victore 437.

I

Iacobus Vernantius 518.
Ianſeniſmi ortus, & progreſſus a p. 110. ad 119.
Ianſeniſtæ arbitrantur erraſſe Pontificem in damnatione propoſitionum Ianſenij 113. quantum diſtent ab Spiritu S. Auguſtini 111. eorum artificium, & fraudes in defendenda Doctrina Ianſenij a q. 110. ad 114.
S. Ignatius Patriarcha Conſtantinopolitanus p. 436.
S. Ignatius Societatem inſtituit ad defenſionem Sedis Apoſtolicæ, & hanc defenſionẽ filijs ſuis impensè commendauit a pag.535. ad 537. Eius Epiſtola inſignis ad Imperatorem Abyſſinorum 537.
Ignorantia, & error voluntarius non excuſat a culpa 30. quamuis quis paſſione obcæcatus certum putet ſe non peccare 622. Vide p. 818. quando ignorantia, & error excuſet 622.
Imperatores Romanorum infallibilitatem Rom. Pontificis agnouere p. 473.
Infallibilitas Romani Pontificis in toto opere probatur, non eſt tantum probabilis, aut ſolum moralitèr certa; ſed omnino Theologice certa 817. & licet non ſit expreſſe definita ab Eccleſia, & propoſita vt veritas ab omnibus credenda, eſt tamen proximè definibilis; & quamuis non ſit de fide quoad obligationem publicam credendi, eſt tamen de fide in ratione obiecti a p.815. ad 821. & a p. 586. ad 593. Quam ſit periculoſum negare hanc infallibilitatem 819. falſum eſt hanc infallibilitatem manſiſſe dubiam per decem ſæcula 810. falſum eſt incœpiſſe innoteſcere exeunte vndecimo ſæculo, cognita à primis Eccleſiæ ſæculis 812. infallibilitas hæc conſtat ex Apoſtolica traditione pag.845.
Innocentius I. 409.
Innocentius III. 413.
Innocentius X. recurſus Epiſcoporum Gallię ad ipſum tanquam ad iudicem infallibilem in fide a p.383. ad 387. & à p.83. & 84. & a p. 110. ad 115. eius definitio contra Ianſenium 111. & 400.
Innocentius XI. damnauit errores, & hæreſes Michaelis de Molinos p.400.
Imperatores agnoſcunt infallibilitatem Romani Pontificis 473.
B. Ioannes Capiſtranus 526.
Ioannes Pariſienſis 4.2.
Ioannes de Belna 497.
Ioannes Duns Scotus 499.

Ioan.

Ioannes de Celaya 514.
Ioannes Fiſcherius 527.
Ioannes le Iau *Epiſcopi* Ebroicenſis Vicarius p. 78.
Irenæus 419.
Iſidorus Mercator immerito traducitur vt impoſtor 213.
Iuſtinianus Imperator pro infallibilitate 477.

L

LAnfrancus Pariſienſis Academ. Rector. p. 482.
Lateranenſe Concilium vltimum expenditur a p.326.ad 337.fuit generale 328.& 330.
Eiuſdem teſtimoniũ pro ſuprema Rom. Pont. poteſtate p.327. & 895.
Laynez (Didacus) quantópere laborauerit in Tridentino pro authoritate Rom. Pont. a p.545.ad 556. Eius celebris diſſertatio de poteſtate Epiſcoporum p.547.
Leges Vniuerſales obligantes totam Eccleſiam ſolum poſſunt condi à Papa 359. per illa vero quoad vim coactiuã nequit obligari Pontifex 355.
S. Leo Magnus 422. & 410.
S. Leo Nonus 412.
Leonardus Coquæus 516.
Liberius Papa p.786.
Lotharingus Cardinalis deſiderauit definiri à Tridentino, *in eſſe Romano Pontifici poteſtatem regendi vniuerſalem Eccleſiam* 319. & 338.
Ludouicus Abelli. Vide Abelli.
Ludouicus Molina 569.
V. Ludouicus a Ponte a p.559. ad 562.
Ludouicus XI. Rex Galliæ 697.
Lugo Cardinalis 567.
Ludouicus Ellies Dupin. *Eius* liber confixus ſpeciali decreto p.13. Aliquot eius abſurdæ propoſitiones recenſentur p.27.
Quam debili fundamentò nitatur, vt ſtabiliat doctrinam Declarationis Cleri Gallicani 13. impugnatur late eius doctrina a p. 13. ad 69. falsò affirmat defenſores infallibilitatis non conuenire in explicando, quid ſit loqui è Cathedra 707. perperam arguit ex reprehenſione Petri, poſſe Papam errare in decreto fidei 712. falſo allegat pro ſua ſententia nonnullos Doctores à p. 565. ad 612. falſo tribuit errorem in fide multis *Pontificibus* a pag. 714. ad 716.
Aburdiſſime coæquat D. Petro D. Paulum in poteſtate Eccleſiaſtica, ipſumque facit Romanum Epiſcopum 291.
Quam abſurda ſit eius doctrina de Primatu Romani Pontificis a p. 272. ad 300. quam falſo exponat verba illa Chriſti, *Paſce oues meas* a p.278. 284.
Ludouicus Maimburgus paſſim impugnatus, ſpecialiter redarguitur ſua explicatione definitionis ex cathedra p. 779. Reijcitur ex ipſo loco Conſtituti quem pro ſe citat p. 777. Aliquando faſſus eſt infallibilitatem Romani *Pontificis* p. 198.

M

MAgiſter ſententiarum 482.
Martinus V. p.664.& 669.
S. Maximus *Epiſcopus* Taurinenſis 423.
S. Maximus Monachus, & Martyr.434.
Maximilianus *Imperator* 476.
Marca (Petrus) Archiepiſcopus Pariſienſis Concilium Baſilienſe damnat 702. docet Pontificem Romanum non poſſe ab vllo humano iudice iudicari ibidem.
Male impugnat ſententiam communẽ Theologorum conſtituentium diſcrimen inter poteſtatem conceſſam *Petro*, & reliquis Apoſtolis 173. Laudatur eius expoſitio ad illa verba *Super hanc petram ædificabo &c.* 182. quomodo referat ſententiam Gerſonis circa claues datas *Eccleſiæ* 185. impugnatur illa ſententia prout explicata à Marca a p. 187. ad 190. non recte probauit Canonem de appellationibus citatum a Zoſimo *Papa* non fuiſſe Concilij Nicæni a p.211.ad 240. *Eius* iudicium de ſententia affirmante infallibilitatem Rom. *Pont.* à p. 387. ad 382. & 688. *Eius* iudicium de recta Honorij fide p. 730.
Mayronus 502.
Michael de Medina 530.
Michael Nauclerus 517.
Michael Paleolog. Imp.476.
Monarchia optimum regimen 63. Certum eſt Chriſtum inſtituiſſe regimen Monarchicum in *Petro*, & Succeſſoribus eius 65.

N

NAzianzenus (Gregorius) 421.
Nauclerus 517.
Nicolaus *I.* 412. 357.360.688.
Nicolaus Coffeteau *Epiſcopus* Maſſilienſis pag.523.

O

S. Optatus Mileuitanus a pag. 288. ad 289. & 422.
Opinionum probabilium vſus.
Quid circa hunc vſum doceant *Epiſcopi* Galliæ 616. iudicium authoris circa hunc vſum 617. authores allegati à Dupin pro ſua ſententia nullam illi poſſunt conciliare probabilitatem veram 612.
Oſius Cardinalis 529.
Oſius Cordubenſis præſedit in Nicæno Concilio 204.

Palla-

Digitized by Google

P

PAllauicinus Cardinalis 567. & a p. 542. ad 555.
Paludanus 489.

Patres.

Sanctorum Patrum teſtimonia pro infallibilitate Pontificis a p. 415. ad 459.
Antiqui Patres conſtanter docent hanc infallibilitatem eſſe neceſſariam ad Veritates fidei p. 274.
Pelagius Secundus 411.

Petrus.

Certum eſt, illam propoſitionem, *Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam*, factam eſſe Petro in propria perſona 60. Per illa verba, *ſuper hanc Petram*, non deſignari Chriſtum ſed Petrum 134. nec deſignari fidem, nec fidei Confeſſionem, ſed perſonam Petri 140. non nomine totius Eccleſiæ, ſed in propria perſona Petrum accepiſſe promiſſionem contentam in illis verbis, probat S. Franciſcus Saleſius 141. Petrus non geſſit perſonam omnium Apoſtolorum, cùm ei dictum eſt, *Paſce oues meas* a p. 150. ad 153. Chriſtus per illa verba, *Rogaui pro te Petre*, rogauit inter Apoſtolos pro ſolo Petro, quatenus capite Eccleſiæ; & ſua oratione impetrauit vt è Cathedra Petri prodire non poſſit definitio falſitatis à p. 129. ad 137. & 658.
Sine Petri authoritate Marcus Euangelium ſuum Eccleſijs tradere auſus non eſt 412.
Mediante Petro claues communicantur Eccleſiæ 25. Romanus Pontifex non eſt Vicarius Petri, ſed Succeſſor 48. propter Primatum ſuum, vi cuius tota Eccleſia ei ſubiecta erat, Petrus Eccleſiam repræſentauit, & eius perſonam egit 50. ſingulariter Petro à Chriſto data eſt poteſtas in vtroque foro ſuper omnes 176. quo ſenſu dicatur Eccleſiæ fundamentum 184. Eccleſia ſupra Petrū fundata a p. 132. ad 137. ex eo quod Petrus fuerit à Paulo reprehenſus, perperam arguitur poſſe Romanum Pontificem errare in decreto fidei 712. eius peccatum ob quod reprehenſus eſt, fuit 713. quàm abſurda ſit doctrina Doctoris Dupin de Primatu, & poteſtate Petri a p. 272. ad 300.
Petrus Caniſius 558.
Petrus Cellenſis 439.
Petrus Damianus 436.
Petrus Lombardus p. 481.
Phocas Imp. p. 475.
Polus (Reginaldus) Cardinalis 588.

Pontifex Romanus.

Pontifex Romanus eſt ſubiectum immediatum, in quo reſidet primario ſuprema & infallibilis authoritas ad determinandas fidei & morum controuerſias, relicta a Chriſto in Eccleſia a p. 11. ad 16.
Certum eſt, Papam non accipere ſuam poteſtatem ab Eccleſia, ſed immediatè a Chriſto a pag. 16. ad 37.
Perſonæ eligentes Papam non communicant ei poteſtatem, ſed deſignant perſonam, cui à Chriſto communicatur ex vi primæuæ inſtitutionis.
Papa non gubernat Eccleſiam vt Vicarius Concilij vel Eccleſiæ, ſed vt Vicarius Chriſti, a p. 47. ad 51. & 318.
Quamuis Papa gubernaret Eccleſiam vt Vicarius Concilij & Eccleſiæ; eſſet in definiendo infallibilis, quando definiret ſine Concilio generali 60.
Certius eſt Papā eſſe in definiendo infallibilē, quam in nullo caſu ſubiacere Concilio 62.
Quamuis in caſu hæreſis cōmiſſæ poſſet Papa ſubijci Concilio vt iudici; adhuc in decreto fidei eius iudicium eſt irreformabile à Concilio a p. 60. ad 62.
Papam eſſe Monarcham Spiritualem in Eccleſia, eiuſque regimen eſſe abſolutè, & ſimpliciter Monarchicum eſt omnino certum a p. 65. ad 69. & à 73. ad 80.
Non eſt Petri Vicarius ſed Succeſſor p. 48.
Pontifex Romanus in *vniuerſo orbe habet Primatum, eſt Succeſſor B. Petri, totius Eccleſiæ caput, & verus Chriſti Vicarius*, ex definitione Concilij Florentini a pag. 314. ad 326. *Eſt Magiſter omnium Epiſcoporū*, etiam dum ſunt congregati in Concilio ap. 316.
Eſt ſupremus controuerſiarum Fidei iudex 42.
Ex eo quod ſit ſupra Concilium, neceſſario infertur eſſe in definiēdo infallibilem p. 62.
Itē infallibilitas eius in definiendo, & irreformabilitas in iudicio Fidei neceſſario colligitur ex eo quod ſit Monarcha ſpiritualis 65.
Papa poteſt diſpenſare in omni iure poſitiuo, illudque limitare, & explicare 354. licet non poſſit diſpenſare in canonibus ſpectantibus ad fidem, vel continentibus ius diuinum 353. eſt Supremus Princeps, & Monarcha Spiritualis Eccleſiæ, & ideo nequit ligari eius legibus quoad Vim coactiuā 355. non poteſt alteri dare poteſtatem à ſe independentem.
Papa ſolus poteſt ferre leges vniuerſales obligantes totam Eccleſiam 359.
Eſt caput totius Eccleſiæ, quamuis hæc ſit Sponſa Chriſti 323.
Non ſolum eſt caput ſingularum Eccleſiarum, ſed totius Eccleſiæ vniuerſalis 322.
Habet authoritatem ſupra omnia Concilia p. 327. & 333. & a p. 314. ad 327.
Patres Tridentini agnouerunt excellentiam Romani Pontificis ſupra omnia Concilia, ac proinde infallibilitatem in definiendo, a p. 337. ap 352.
Habet poteſtatem regendi Eccleſiam vniuerſalem, vnde iudicio ipſorum Gallorum in

in Tridentino, ſequitur eſſe ſupra Concilium. Et ideo nolebant illam propoſitionem definiri 338.

Sine ipſius confirmatione non habent authoritatem infallibilem decreta Conciliorum generalium a p. 648.

Habet primatum non ſolum ſupra Eccleſias particulares, ſed ſupra Eccleſiam vniuerſalem a p. 665. non ſolum in vniuerſa Eccleſia, ſed in vniuerſam Eccleſiam 266. Ex illis verbis, *Et portæ inferi non præualebunt aduerſus eam*, rectè infertur Papam eſſe infallibilem in definiendo a p. 142. ad 144.

Ex illis verbis, *Paſce oues meas*, rectè infertur Romanum Pontificem eſſe ſupra totũ *Chriſti ouile* a p. 144. ad 149.

Pontifices Romani Sanctiſſimi, qui agnouerunt, & conſtantiſſime propugnauerunt infallibilitatem Romanæ Sedis tota diſp. 11. a p. 408. ad 415.

Quam magni ponderis ipſorum teſtimonium in hac re p. 408. conſueti mittere ad alias Eccleſias tanquam normam profeſſionem ſuæ fidei p. 396.

Pontifices Romani vindicati ab erroribus in definiendo, qui illis affricantur tota diſp. 15. a p. 712. ad 767. diſp. 16. a pag. 767. ad 790.

Nullus Pontifex Romanus fuit Hæreſiarcha 658 & 715.

Vindicantur ab errore Liberius a pag. 744. ad 749.

Celeſtinus III. p. 761. & 762.

Eleutherius 750.

Honorius I. defenditur a p. 715. ad 731. nunquam dogma falſum *Eccleſiæ* credendum propoſuit 719. non tenuit errorem Monothelitarum a p. 719. ad 731.

Innocentius *III.* p. 762.

Ioannes *XXII.* Vindicatur ab errore in iudicio Fidei a p. 731. ad 744.

Sixtus V. Vindicatur a p. 737. ad 743.

Stephanum primum non erraſſe in fide in ijs, quæ docuit circa Baptiſmum hæreticorum a p. 753. ad 757.

Victor I. non errauit in fide 751.

Nec Vigilius Papa in cauſa trium capitulorum aliquid definiuit contra fidem, late id exponitur a p. 767. ad 790.

Zephyrinus non errauit in fide. Zoſimus Papa nihil contra fidem definiuit dum laudauit libros Celeſtij a p. 757. ad 760.

Poteſtas ordinis, & iuriſdictionis.

An per Sacerdotium conferatur poteſtas iuriſdictionis ad remittenda peccata, 158. Oſtenditur contra Armacanum, & Teſtatum Sacerdotem vi ordinis non habere poteſtatem abſoluendi quoſlibet Chriſtianos á quibuſcumque peccatis 162. Quomodo inter ſe cohæreant poteſtatem iuriſdictionis eſſe diſtinctam a poteſtate ordinis; & tamen Sacerdotem vi ordinationis accipere poteſtatem remittendi peccata 163.

Poteſtas *Eccleſiaſtica* præſertim completa non fuit communicata Eccleſiæ ante electionem *Petri* in *Papam* p. 49.

Praxis *Eccleſiæ*.

Infallibilitas Romani Pontificis ex perpetua praxi *Eccleſiæ* a p. 395. ad 407. tota diſp. 5.

Primatus.

Primatus Romani Pontificis non eſt ſolius honoris, ſed & poteſtatis, & iuriſdictionis *in vniuerſa Eccleſia, & in vniuerſam Eccleſiam*. probatur id late a p. 266. ad 300. contra Dupinum. Sententia affirmans Concilium eſſe ſupra Papam, pugnat cum doctrina certa iuxta fidem de Primatu Romani Pontificis 591. num. 2. & a pag. 42. ad 54. ſed præcipue p. 47. num. 5. non ſoli Petro, ſed eius Succeſſoribus dedit Chriſtus *Primatum* ſupra totam *Eccleſiam* 138.

Per illa verba, *Tibi dabo claues regni cælorum*, Petro & Succeſſoribus eius promiſit Chriſtus Principatũ ſupra totam *Eccleſiã* p. 137.

Primatus Romani Pontificis ſtabilitus in Concilio Nicæno 204. 229. 252. & in Calcedonenſi 255. & in Conſtantinopolitano 1. p. 266. & 269. & 272.

Quam indigne deprimatur Primatus Romani Pontificis à Dupin. a p. 277. ad 300.

R

AN regia poteſtas ſit immediatè à Deo p. 32.

Regiminis forma triplex ſeu quadruplex p. 65.

Richardus de Mediauilla 505.

Roffenſis 527.

Romanum Concilium ſub Felice III. 302. ſub Nicolao I. 393.

Ruardus Tapper 527.

Ruffinus S. Hieronymi æmulus 458.

Richelius Cardinalis 520.

Robertus Cenalis Epiſc. 522.

Roſſergius (Bernardus) Archiep. 523.

Rupertus Abbas p. 436.

S

SAlmanticenſis Academia, vide *Academia*. Siluius 587.

Sixtus V. Vindicatus ab errore in decreto fidei, ipſi affricato a p. 737. ad 744.

Sextæ Synodus acta à Græcis viciata p. 723.

Simachus Papa 357.

Societas Ieſu à S. Ignatio fundata ad defenſionem Sanctæ Sedis pag. 535. quam addita ſit doctrinæ de infallibilitate Pontificis 532. in ea non perſeuerauit qui oppoſitá doctrinam tenuit 533. n. 6.

He-

Hæreſes Ieſuitarum appellauerunt Defenſores aliqui Declarationis Cleri Gallicani, propoſitiones ſtatuentes authoritatem infallibilem Romani Pontificis 633.

Omnes Doctores Societatis, qui hæc puncta tractarunt, ſtant pro hac authoritate p.533. Catalogus a p.537. ad577.

Sozomeni teſtimonium pro infallibilitate Rom. Pont. p. 396.

Spondanus (Henricus) 524. quid ſenſerit de Concilio Baſileenſi 700.

Stephanus Papa, eius controuerſia cum Cypriano a p.753. ad 757.

Studita 434.

Suarez rectè explicat, quo modo poteſtas Regum ſit à Deo p.35.

Item eſſe rem de fide certum, quod Papa non poſſet errare in decreto fidei 590. Non tamẽ propterea docet doctrinam oppoſitam poſſe cenſurari, vt hæreticam 592. Vide totam eius mentem de authoritate Pontificis a p. 572. ad 575. Primus inuexit in Scholas ſententium modo communem, quod ſit de fide hunc numero hominem eſſe verum Chriſti Vicarium.

Syluius 587.

T

THeodoſius Imp.473.

Theologi, vide *Doctores*.

S. Thomas Cantuarenſis 458. in fine.

S. Thomas Aquinas 410. 353. 355. 355. 362. eius regula vniuerſalis circa ignorantiam excuſantem vel non excuſantem 622. Authoritas *Eccleſiæ* iuſta ipſum principaliter reſidet in Summo Pontifice p. 59. eius teſtimonia multa a p.487. ad 489.

Thomas Morus 528.

Thomas Vvaldenſis 520.

Toletus Cardinalis, & ſynopſis doctrinæ ab ipſo traditæ in præſenti controuerſia a pag. 565.

Toſtatus non bene allegatus à Dupin pro ſua ſententia 599. eius abſurda ſententia, quod ex vi ordinis quilibet Sacerdos validè poſſit abſoluere quoslibet peccatores 167.

Tridentini Patres agnouere infallibilitatem Romani Pontificis eiuſque ſupra omnia Concilia poteſtatem p.337. Cur illam non definierit ibidem.

Zoſimus Canonem de appellationibus vere citauit pro Niceno a pag. 211. ad 250. præſertim a p. 236. ad 240. latè id oſtenditur.

Tertullianus 417.

Theodorus Studita 435.

Theodoretus 457.

Theodoſius *Imp.* p.473.

V

VAlentinianus Imperato 473. 474.

Vvaldenſis 510.

Valentia 568.590.

Vazquez 569.

Venantius (*Iacobus*) 518.

Victricius Rothomagenſis 380.

Vigilius Papa quid egerit in cauſa trium Capitulorum 767.

ROMÆ, M.DC.LXXXIX.

Ex Typographia Dominici Antonij Herculis.

SVPERIORVM LICENTIA.

ERRATA CORRIGE.

ERRATA.	LEGE.	ERRATA.	LEGE.
p. 2. l. 12. afferremus	afferemus	p. 388. n.2. Cartageno	Antiocheno
ibid. l. 12. exiſtitimant	exiſtimant	p. 389. n.5. famoſus pugil.	celebris pugil.
p. 21. l. 15. aliquia	aliqua	p. 394. l. 4. illum ſuſpecta	illa
p. 32. l. vlt. iſtum	iuſtum	p. 370. n. 3. l. 4. Canonibus	in Canonibus
p. 33. l. 25. tit 3.	lib. 3.	p. 363. n. 5. eſt oppoſita	eſt appoſita
p. 34. l. 18. Concillio	conſilio	ibidem. minus certi poterit	non minus certe id potuit Pontifex
p. 41. n. 3. agmentum	argumentum	p. 365. n. 5. reſpondent obiec.	reſpondens obiectioni
ibid. n. 4. formiter	firmiter	ibid. n. 5. l. 4. libro tertio eſt inquit oſtendi	libro tertio oſtendi
p. 45. n. 7. ad quam ſpectat	ad quem ſpectat	p. 406. l. 4. in hoc verba	in hæc verba
p. 47. n. 5. cui fuit ille	fuit ille	p. 323. n. 16. quacumque ſunt	quæcumque ſunt
ibid. l. 38. definitioni	cui definitioni	ibid. n. 18. ad Conſolatorem. ſeu Catholicorũ	ſeu Catholicum
p. 48. n. 7. ex caſ. Clericos	ex dicto cap. Clericos	p. 426. n. 6. maleuolum etiam Catholicum	atque etiam non Catholicum
p. 53. l. 35. toto hoc libro	totoque hoc libro	p. 427. l. penult. tres ſubſtantias prædicet	tres ſubſiſtentias
p. 54. n. 5. nequeat intimari	queat intimari	p. 428. cuilibet Epiſcopatum	Epiſcopatuum
p. 65. n. 1. triplex eſt	triplex ſeu quadruplex eſt	p. 435. n. 2. Homil. ..	Homil. in feſto Sancti Petri, & Pauli
ibidem. part. 2. q. 96.	2. 2æ quæſt. 95.	p. 440. n. 2. quod ad alio eum pertinet	quod ad eum pertinet
p. 72. l. 6. expendamus	expendemus	p. 442. l. 5 cur per antonomaſiam Romanus	cur Romanus Pontifex
p. 74. l. 31. tracta	tractatu	p. 450. n. 1. Scriptores intelligi	Scriptores intellige
p. 80. n. 2. vt vide ſuo loco	vt videbitur ſuo loco	p. 455. n. 1. edierat	ediderat
p. 98. l. 33. accepta	acceptata	p. 465. l. 2. Spiritus Deì	Spiritu Deì
p. 100. n. 2. Aleinius Anitus	Aleimus Auitus	ibid. l. 5. voluntaris	voluntarij
ibid. l. 10. petentet	petentes	p. 459. l. 2. alteruter	vterque
ibid. l. vlt. ſiue	ſine	p. 525. 16. ſeculi	17. ſeculi
p. 112. n. 6. excerpta	excerptas	p. 564. n. 2. præmiſſis autẽ	prætermiſſis autem
pag. 119. l. 3. tuaque	tuæque	p. 602. n. 1. tribuendam	tribuendum
p. 129. n. 1. l. 17. tentationem & fidem totius Eccleſiæ	tentationem & fidem etiã totius Eccleſiæ	p. 603. l. vlt. in credenda	in credendo
p. 136. l. 10. Petrę	Petrà	p. 610. n. 2. facilitatis	facultatis
ibidem. n. 5. ignorantia lingua	ignorantia linguæ	p. 616. n. 3. legat Fra Vincentium	ſi quis ſcire deſiderat leget
p. 138. n. 3. colligit	colligitur	p. 576. n. 3. addictionibus	editionibus
p. 151. n. 4. comperijt	comperit	p. 693. l. 3. decentis	dicentes
p. 159. §. 4. in tit. impugnatur	refertur	p. 694. §. 3. t. qui	qua
p. 167. l. 2. 3. communicaui	communicauit	p. 698. n. 1. Conciliorum	Concilium
p. 185. n. 1. viri eruditis	viri eruditi	p. 751. videtur hoc hauſtum	videtur fuiſſe hauſtum
p. 215. n. 1. nom.	non	p. 822. n. 3. verbi Auguſtini	verba Auguſtini
p. 237. n. 5. prædicaui	prædicauit	p. 836. l. 15. hic non pertineutia	hæc non pertinentia
p. 243. l. 6. ſe confirmare	ſe conformare	p. 838. n. 7. in ſummam	in Summa
p. 259. n. 4. æternæ	externæ	p. 845. l. vlt. fide tenetur	fide teneatur
p. 262. n. 1. ſtatuiſſe conſtituiſſe	ſtatuit conſtituit	p. 847. n. 1. talem vt talem	talem vel talem
p. 290. n. 6. tranſitoriæ	tranſituræ	p. 853. n. 8. repugnaturus	regnaturus
p. 375. n. 2. quibus præſidentis	præſidetis	p. 870. l. 14. dum autem Eccleſiæ	Eccleſia
p. 381. l. 13. has es alias	has & alias	ibidem n. 13. prolatum	quia prolatum
p. 382. n. 8. non confirmatur	non conformatur	p. 895. n. 4. moueri debet	mouere debet
p. 383. l. 8. Cantuarienſis	Aquinatis	p. 896. n. 2. hinc autem	hic autem
ibidem. in declaratione facta	in epiſtola ſcripta		
p. 384. n. 2. profeſſa eſt	profeſſus eſt		
ibid. §. 1. n. 1. & doctrina Reuer.	& doctrinam		
ibidem. dum Bullæ illius quæ	tum Bullæ illius quã		
ibidem. obſtendamur	obteſtamur		

Aliquando etiam Typographus poſuit *Arrius* pro Arius, *ottuaginta* pro octoginta, *triginti* pro triginta, *Spalatrenſi* pro Spalatenſi, *vniuarſas* pro vniuerſas, *Concitia* pro Concilia, *recontiora* pro recentiora, *uurium* pro aurium, *quarere* pro quærere, *Eccleſiſtica* pro Eccleſiaſtica, *afferro* pro affero, *exproliari* pro ex poliari, *cenſeor* pro Cenſor, *Ponticem* pro Pontificem *deciſſiſſe* pro deceſſiſſe Præterea in Præfatione num. 11. *diuere* pro diluere, num. 17. 223. pro 250. ibidem *annos enumerare eſt* pro annos enumerare circiter, eſt, num. 23. *in quo cum ante me* in quo ante me. In fronte Libri *Accademia* pro Academia.

Hæc & alia ſimilia atque ad interpunctionem & orthographiam ſpectantia, Lector Authori alijs occupato; adeoque in corrigenda impreſſione opera aliorum vſo, facilè condonabit.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by